UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini Floret, Membri Historia Critica Philosophiae

A Tempore Resvscitatarvm In Occidente Litterarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1744

urn:nbn:de:hbz:466:1-28327

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

2. Aufl. v. 1766 vorh =
8. M S 21364

Aufl. v 1744 = 34 } 00
64 }

Fra

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IACOBI BRVCKERI

REG. SOC. SCIENT. BEROL. MEMBRI

HISTORIA CRITICA PHILOSOPHIAE

A

TEMPORE RESVSCITATARVM

IN OCCIDENTE LITTERARVM

AD

NOSTRA TEMPORA.

TOMI IV. PARS ALTERA.

LIPSIAE

APVD BERNH. CHRISTOPH. BREITKOPF.

MDCCXLIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

06
11
HiU
1239-4,2 19
Universität-Gesamthochschule Bibliothek Paderborn
81/26472

PRAEFATIO.

Tandem, quod diuinae beneuolentiae debemus, vltimum Tibi, *Lector humaniſſime*, volumen hiſtoriae criticae philoſophiae exhibemus, cum ceteris, ſi argumenti dignitatem ſpectes, non comparandum modo, ſed illis quoque anteferendum. Pandit enim hiſtoriam philoſophiae eclecticae, quae abiecto inepto, quod tot ſecula philoſophantium ingenia faſcinauit, ſectae ſtudio, iuſta animi libertate in ipſam rerum philoſophicarum naturam inquirendo, ex domeſticis principiis veritates praeſtantiſſimas detexit, ſparſasque per innumeras ſectas veritates aptis omnes locis atque articulis colligauit. Quod ſtudium eclecticum poſt quosdam fruſtraneos conatus virorum nonnullorum doctorum quidem, at idoneis ad hoc ſaxum voluendum, viribus deſtitutorum tanta ingenii, quod maximum nactus erat, felicitate aggreſſus eſt illuſtriſſimus Britanniae philoſophus Franciſcus Baconus Verulamius, vt ab eo tempore certatim ad emendationem philoſophiae ſobriae non ſine ſucceſſibus exoptatiſſimis cucurrerit, quicquid melius et candidius pectus formatum poſſidebat. Certe, ipſa veritate hiſtoriae concinente, affirmare licet, vnius fere ſeculi ſpatio plus luminis, elegantiae et nitoris philoſophiae ſuccreuiſſe, quam tot ſeculorum decurſu, quibus a mundi incunabulis ad ſeculum poſt orbem redemtum ſeptimum decimum, vidit humana ſocietas. Quae

plenius enarrare eo magis nostrarum partium esse duximus, quo magis inter maxima temporum nostrorum beneficia reputandum est, quod tantam nobis philosophiae lucem Numen accenderit, desierintque ingenia nugari, ausa vero sint proprio vultu eum solem contueri, ex quo veritatum quarundam radii ad sectarum quarumcunque conditores dimanauerunt. Ast difficillimum tamen laborem hunc deprehendimus, talemque, quem attingere magis in vniuersali philosophiae historia, quam perficere licebat. Nam si ea omnia fuse enarranda fuissent, quae vel noua excogitauit philosophantium natio, vel vetera emendauit, et ad meliores rationes reuocauit, opus sane scribendum fuisset, eo quod iam dedimus, maius et prolixius. Vt itaque meta laboris esset, isque intra limites ab initio constitutos contineretur, primo quidem ab eorum philosophorum historia, (nisi vbi quaedam ὡς ἐν παρόδῳ fuerant tangenda) abstinuimus, qui viuunt hodie et orbem philosophicum meritis suis ornant. Quod ideo monendum hoc loco esse putauimus, ne vel ignorauisse vel contemsisse praestantissimos philosophos censeremur. Rationem autem eius consilii facilem et apertam deprehendimus, rati, certius, meliusque post fata demum philosophorum historiam describi, vbi fauor cessauit et odium, quibus animi passionibus plerumque in praeceps scriptores pariter et lectores agi solent. Et haec quoque causa est, cur illustris viri CHRISTIANI WOLFII, qui hodie praecipue patriam nostram philosophiae fama nobilitauit, historiam omittendam esse censuerimus *. Quamuis enim, et tanta sint viri summi de philosophia merita, et fatorum philosophiae eius tam insignis diuersitas atque maximum momentum, vt cum quauis se-

* Dedimus autem imaginem, et historiam viri summi in Pinacotheca scriptorum nostra aetate illustrium dec. I. ad quam recurrendum illis est, qui merita eius de orbe philosophico nosse cupiunt.

sectarum nobilissimarum fortuna queat comparari, persuasissimi tamen sumus, criticam philosophiae Wolfianae historiam veram, et legibus suis facientem satis non nisi a posteris, et exspirante, quae nunc viget, aetate conscribi posse. Id quod illi non inuiti concedent, qui Cartesianae vel Pufendorfianae philosophiae historiam in hoc volumine attente considerauerint, quae neutra viuis istis heroibus ita conscribi potuit, vt iam calamo vni veritati litanti licet. Porro cum omnes, qui noua systemata condiderunt, adducere, nec possibile esset, neque magnopere commendandum, facile sub tanto onere succubituro instituto nostro; in id potissimum conniſi sumus, vt eorum maximorum virorum, res, studia, consilia, scripta, philosophandi rationem et systemata integra enarraremus pleniusque traderemus, qui se aliis duces in re tantae molis praebuerunt, quales post conatus Bruni, Cardani et Campanellae vanos et inutiles, se praestiterunt, Verulamius, Hobbesius, Cartesius, Leibnizius, Thomasius, quos in stadio philosophiae eclecticae se antesignanos ceteris dedisse, ex dictis lectori abunde constabit. Hi quibus animis, quibus consiliis, quibus mediis ad innouandam emendandamque philosophiam accesserint, qua ratione tantum opus sint aggressi, quam faciem nouae, quam commenti sunt, philosophiae expresserint, quid perfecerint, in quo defuisse laudatissimis consiliis euentus felicitatem iudicatum sit, ea libertate atque modestia, qua maxima nobis contentione vsis licebat, exposuimus, vt et vnius veritatis nos habuisse curam, omneque partis studium abiecisse constaret, et manifestum tamen esset, aequos nos praebuisse meritis tantorum virorum, qui licet non omnia viderint, nec omnibus placuerint, tales tamen merito iudicantur esse, quorum immortalis ad posteros perduret gloriae memoria. Ita vero exi-

gram tantum historiae philosophiae eclecticae partem absoluere licebat; restabant innumera per singulas philosophiae partes inuenta noua, emendata vetera, quibus dici non potest, quanta lumina ad philosophiam accesserint, quis illi honor creatus sit. Ne itaque in hac quoque parte deficiat nostra tractatio, singulas disciplinas percurrendo, non integram quidem et specialem earum historiam condidimus, quod a nostra tractatione longius abest, ast ea tamen summa accurataque fide attulimus, quae ad eclecticae philosophiae historiam pertinent, et ex quibus intelligi potest, quid in philosophia emendatum auctumque atque innouatum sit. Quo pacto licuit eorum philosophorum historiam enarrare, quibus nihil praestantius, nihilque illustrius in rationali, naturali et morali philosophiae parte vidit erudita ciuitas. Reliqua strictim quidem tetigimus, genuinos autem fontes, qua potuimus fide indicauimus, ex quibus ea proprio labore haurire potest lectoris industria. Adiecimus in fine philosophiae Asiaticae, qualis hodie viget, praecipue inter Indos, Sinenses, et Iaponenses historiam, quae tractatio etsi abesse ex hoc opere poterat, noluimus tamen illam vel ob eam caussam omittere, quod infinitis virorum maximorum disceptationibus agitata est: quibus arbitrium quidem non interponere ausi sumus, diximus tamen eo lubentius sententiam modeste nostram, quo certiores sumus, seductos interdum partis studio viros doctissimos, in arcanis doctrinae orientalis rationibus perspiciendis nonnihil coecutiisse. Et hoc quidem pacto difficillimum iter, quod iterato cursu, ingressi sumus, Numine fauente, viresque corporis et animi clementer largiente, absoluimus, opere integro historiae criticae philosophiae, ad vmbilicum perducto. De quo ea, quae ad tomum primum praefati sumus, Lectorem recordari iubemus,

mus, eiusque aequitatem et beneuolentiam nobis eo magis exoramus, quo magis in tenui recularum nostrarum conditione praeter ampliſſimam voluntatem hanc neglectam eruditionis partem excolendi, pauca ſunt, quae nobis ipſis ſatis faciant. Qui ſi tot annorum ſpatio, quibus in hoc ſaxo voluendo deſudauimus, interdum dormitaueri-mus, ſi, non obſtante ſumma, quam adhibuimus, attentionis et fidei diligentia, multoties ceſpitauerimus, ſi in infinitis dogmatibus exponendis, et diiudicandis, innumerisque libris legendis et excerpendis, ſi in tot annorum hiſtoria critice expendenda noſtra nos induſtria fefellerit, humanitatis veniam eo magis exſpectamus, quo magis aequum eſſe putamus, perperam dicta nobis ignoſcere, qui argumentum a nemine hactenus ad finem perductum abſoluere, aggreſſi ſumus, et in plerisque duce caruimus; coacti per denſiſſima dumeta ſaepe numero repere, viam nobis nouam ſternere, et ex prolixis haud raro libris ea congerere, quae iuſtam non philoſophorum modo, ſed et dogmatum hiſtoriam exhiberent. Vnde addenda quoque et emendanda nonnulla ſingulis tomis ſubiunximus. Quae autem recte dicta ſunt, ea diuinae clementiae, quae inter tot curas alias nobis adfuit, omnia adſcribimus, et deuotiſſimum animum pro innumeris beneuolentiae ſpeciminibus, quae inter ſcribendum toties experti ſumus, maieſtati Numinis pie offerimus. Inter quae illud potiſſimum depraedicandum eſſe iure ſuo putamus, quo tot acutiſſimorum hominum opiniones, decreta, et ſententias, excutiendo, integraque ſyſtemata examinando, laetiſſimo argumentorum pondere conuicti ſumus, quo propius ad Chriſtianae religionis veritatem, ſimplicem quidem fucoque eruditionis humanae carentem, at diuina tamen maieſtate fulgentem doctrinae collinearunt, eo magis veritate ſe illas commendauiſſe:

dauisse: quo pacto dici non potest, quanta nobis sanctissimae fidei certitudo enata sit, et quoties sapientiae humanae tot tricis a regia via retractae nos fastidium ceperit, ad coelestе iubar aeternae sapientiae oculos attollentes. Qui fructus huius laboris, si quoque Lectori aequo pioque obtigerit, laeti, nos omni molestia, quam deuorauimus, esse defunctos, recordabimur, habebimusque viros cordatos, perlectis his Voluminibus, nobis consentientes, his Antonii versiculis calamum tandem ponentibus:

Percurri, fateor, sectas, attentius omnes.
Plurima quaesiui, per singula quaeque cucurri,
Nec tamen inueni melius, quam credere Christo.

Scrib. Kaufbyrae, VIII. Cal. Maii.
A. O. R. CIↃ IↃ CCXLIII.

Additamentum Praefationis.

Quum in tantam Liber hic molem excreuerit, vt a discentibus bene multis, vix sine molestia comparari et peruolui posse, pro facultatum atque temporis ratione, videretur; consulendum tamen esse studiosae iuuentutis etiam vtilitatibus existimauerim: facile ab amicis exorari me passus sum, vt Epitomen quoque maioris operis per omnes eius partes eundo, quanta fieri posset solertia, concinnarem, eamque vno volumine, eoque mediocri, in octaua, quam vocant, forma, comprehenderem. Vsibus potissimum academicis destinatus erit labor hic, et intra vnius anni spatium a Bibliopola publicari commode poterit; *introductionis* vices in *Historiam* hanc *Philosophiae Criticam* subiturus. Quo ipso conamine nouo, si indefessum de Orbe Litterato bene merendi studium meum, magis adhuc patuisse deprehendero, non male me operam istam collocasse existimabo.

IACO-

IACOBI BRVCKERI

HISTORIA CRITICA PHILOSOPHIAE

A

RESTAVRATIONE LITERARVM
AD NOSTRA TEMPORA.

TOMI IV.

PARS ALTERA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HISTORIAE CRITICAE PHILOSOPHIAE PERIODI TERTIAE, A RESTAVRATIONE LITERARVM AD NOSTRA TEMPORA,

PARS ALTERA, DE STVDIO PHILOSOPHIAE ECLECTICAE POST RENATAS LITERAS.

LIBER PRIMVS. DE RESTAVRATORIBVS PHILOSOPHIAE ECLECTICAE VNIVERSAE.

CAPVT PRIMVM, DE CAVSSIS ET OCCASIONE RESVSCITANDI PHILOSOPHIAM ECLECTICAM.

§. I.

Non satis aequa fortuna gauisam fuisse, quae cum renascentibus literis restaurari quoque coepit, philosophiam, ex iis, quae in antecedentibus copiose disseruimus, est certissimum atque manifestum. Non tamen ad nostra vsque tempora deformati mansere veri doni huius diuini vultus, sed ita superum fauor mortali generi prospexit, vt tandem rectior et elegantior philosophiae facies enitesceret. Nempe restituta *Ordo tractationis.*

tandem et post multas pugnas victoria potita est philosophia eclectica, ejecta et conculcata sectaria philosophandi ratione. Abiecto enim indigno humana ratione hoc iugo, et contemto seruili auctoritatis et antiquitatis praeiudicio coeperunt magna quaedam et acuta ingenia non aliorum quidem placita, sed sua lumina consulere, principia vera, vniuersalia, certa seligere, conclusiones iis inaedificare, et suae meditationis beneficio proprium atque domesticum sibi philosophiae systema condere; veritates autem per sectas omnes sparsas, separatas suisque dogmatibus iunctas in commodum aptumque systematis sui locum reponere: nihil vero probare et admittere, quod non rationis iudicio et veritatis euidentia sibi demonstratum certumque videretur esse. Et hoc quidem pacto, magni nonnulli et ingenio excelsi atque illustres viri omnem philosophiam emendare innouareque sunt anniſi, multo maior pars in speciali scientiarum philosophicarum circulo id tentauit, eo euentu, vt, quae nostrorum temporum est felicitas, apud sanos et rerum intelligentes omnes sectae nomen studiumque velut indignum philosopho merito sit exosum. Et hanc laetam quidem ac fortunatam philosophiae periodum fataque ex voto fluentia iam porro describemus; adiecturi in fine velut auctarium aliquod, quid de gentium extra Europam viuentium philosophia sit statuendum, quaeque illis arriserint placita philosophica paucis enarraturi.

Eclectica philosophia quid designet?

§. II. Quid eclecticae philosophiae nomine tituloque intelligamus, ex dictis satis constat: id vero probe tenendum, ne falsam nobis et ineptam eclectici philosophi fingamus imaginem. Nempe ille solus nobis eclecticus philosophus est, qui procul ire iusso omni auctoritatis, venerationis, antiquitatis, sectae, similiumque praeiudicio ad vnam rationis connatae regulam respicit, exque rerum, quas considerandas sibi statuit, natura, indole, et proprietatibus essentialibus clara et euidentia principia haurit, ex quibus iustis ratiocinandi legibus vsus, conclusiones deinde de problematibus philosophicis deducit: hac vero norma posita, in legendis aliorum philosophorum meditationibus ac expendendis examinandisque doctrinarum aedificiis nihil recipit, quod non rationum seueritati et demonstrationis rigori faciat satis. Quo pacto Trus, Rutulusue fuat, veritas illi re omni alia potior est, nec turpius ac indignius aliquid quam iurare in verba magistri. Non extollemus ambitiose, huius philosophandi generis praestantiam, dignitatem et vtilitatem, nec quo modo circa veritates versetur, quibus mediis vtatur, quoue tramite incedat, prolixe exponemus, haec enim et a scopo nostro aliena sunt, et a viris doctis passim a) copiose tradita, quos consulere oportet eum, qui haec scire pluribus cupierit. Nobis paucis modo monendus Lector nonnulla est, sine quibus inoffenso in sequentibus pede incedere vix licet. Nempe cauendum

a) Prae reliquis legendi doctissimi viri Io. Chr. Stvrmivs in Exerc. de Phil. sectar. et eclect. Phil. eclect. T. I. et Arnoldvs Wessenfeldivs Dissertationibus quatuor de philosophia sectaria et eclectica.

dum omnino est, ne eclecticam philosophiam cum syncretistica confundamus, et lucem comparemus cum tenebris. Quamuis enim syncretistica philosophia, cuius indolem naturamque *Parte huius Tomi superiore* luculenter delineauimus, eclecticos vultus prae se ferat, hancque personam ementiatur, ipsa tamen male sana opinionum toto coelo inter se diuersarum conciliatio, et inepta, quae ex hac concordia exsurgunt systemata, nec iis facientia satis a quibus desumta sunt, nec ad veritatem aliquid conferentia satis produnt, quam fallaci larua decipiat, et quanto interuallo ab eclectica philosophia distet. Neque illi quoque eclectici philosophi dicendi sunt, qui ipsam quidem concatenatam systematis alicuius philosophi connexionem sequuntur, in conclusionibus autem nonnullis dissentiunt, quod multos feciſſe recentiori aetate, licet veterum Graecorum philosophorum placita receperint, ex iis, quae in superioribus dicta sunt, liquet. Nihil enim isti in ipso systemate mutant, nec principiorum fidem vellicant, sed vel addunt nonnulla vel demunt, et aliter interdum explicant. Pauci quidam ipsorum principiorum veritate in dubium vocata, quaedam reiiciunt, et noua surrogant, potiorem tamen partem recipiunt, liberioribus autem meditationibus in conclusionibus vtuntur: qui si paulo audentius progrederentur, facile inuisum seruitutis iugum excuterent, at auctoritatis praeiudicium totum abiicere non audent. Hos si semi-eclecticos appellare libet, per nos licebit, modo inter veros eclecticos non collocentur, a quibus longe absunt, vt memorabili, quod in *superiore Parte* enarrauimus, Nicolai Taurelli exemplo constat. Ineptos autem corrasores, qui sine ordine centones magis consuunt, quam veritates nectunt, ex philosophantium choris totos eiiciendos, hancque eclecticae philosophiae iniuriam non affricandam esse, Lector facile intelliget, si veram philosophiae indolem considerauerit. Tandem et hos ex isto albo expungendos esse constat, qui eclecticorum philosophorum decreta, opiniones, dogmata coeca fide recipiunt, et vel magistrorum ambitione vel seruilis ingenii timiditate adducti, sectas eclecticae philosophiae somniant. Quod licet omni rationi philosophicae contrarium sit, toties tamen factum est, quoties noua secta caput extollere coepit. Ipsi enim sectarum conditores fuere eclectici, et data opera tritam ab aliis viam reliquerunt. Ast discipuli et praeceptorum ambitione, et inepta admiratione seducti in verba eorum iurantes laudabili via deserta, sectae studium praetulerunt. Quem morem vtinam cana tantum antiquitas, et Graecia atque Latium, seruauisset, nec essent hodie in tanta philosophiae luce, qui dum quauis occasione veram philosophiam iactant, sectam tamen meditantur. Vtinam non recentiorum temporum decoribus obessent nouarum sectarum, quae passim audita sunt, et hodie quoque audiuntur, nomina. Fidem eius rei desideranti vna, quae in sequentibus dabitur, Cartesianismi historia, abunde faciet satis. Nempe adeo cara multis est inuentionis gloria, vt nisi sectatorum caterua et nominis appellatione gau-

deant, nihil ex detecta veritate sibi esse commodi et iucunditatis statuant. Qui an philosophi veri mores exprimant, lectori iudicandum et ex veteri Graecia exempla minus inuidia, quam hodierna, plena colligenda relinquimus. Quanquam ineptum quoque discipulorum studium sectam ex eclectica philosophia haud raro condere solet. Cuius luculentum exemplum Socratis schola exhibet, quae licet plerarumque sectarum mater fuerit, dubium tamen est, vtrum maior vnquam fuerit philosophus eclecticus Socrate?

Cauſſae, cur tam ſero ſurrexerit philoſophia eclectica.

§. III. Magnos sane profectus et incrementa laetissima habuisset philosophia, si cum ipso renascentis aetatis suae flore, et initiis philosophandi, quae sub auspiciis restauratae eruditionis politioris cepit, eclectica methodo vti licuisset. Ast aliter euenisse, et ad finem fere seculi XVI depressam et ignotam iacuisse philosophiam eclecticam fata philosophiae, quae seculo hoc habuit, quaeque fuse supra descripsimus, comprobant. Vt taceamus enim, ante Baconem Verulamium vix vnum alterumque, interque eos Iordanum Brunum, infelicem philosophum fuisse, qui innouandae vniuersae philosophiae manum admouerit, eosque, quibus sectarium iugum displicuit, in solo naturalis philosophiae genere aliquid, quod ἔλεγξιν saperet, fuisse ausos; etiam in hac philosophiae parte ante Bernardinum Telesium nemo a veterum via recessit: quin is ipse noua sua cum Parmenideis coniungere, quam sine duce ire, maluit. Vnde recte illi facere censendi sunt, qui vera et aperta eclecticae philosophiae initia a Verulamio deriuant, licet noua dare et Brunum et Cardanum ante eum, sed irrito conatu, sategisse, ex dicendis constabit. Cauſſa autem cur non citius et cum ipsis renascentis philosophiae incunabulis eclectica philosophia caput extulerit haud vna est, sed plures concurrerunt. Et ipsum quidem resuscitatae eruditionis exordium in cauſſa fuisse dicendum est, cur eclectica philosophia neglecta, sectaria triumphauerit. Ex illis enim quae in limine superioris partis de studio reformatorum eruditionis circa philosophiam diximus, manifestum est, viros istos doctos arti criticae, ac antiquitatum et veteris literaturae studio ita addictos fuisse, vt in his eruditionis partibus summam doctrinae laudem ponerent. Cui praeiudicio cum ampliſſime faueret philosophia Graecanica, quae et veterem eruditionem commendabat, et abunde suppeditabat, ex quo philologiae studio alimenta peterent, dici non potest, quam concitatis gressibus viri eruditi in amplexus philosophiae sectariae cucurrerint; desperantes, fore, vt ex libero philosophandi innouandique cum ratione genere gloria literarum, quam affectabant, enasceretur. Accedit, quod his studiorum generibus occupati, et in grammaticis, in criticis, in historia veteri ritibusque antiquorum omnem vitam versati atque in puluere forulorum in bibliothecis volutati, tempus sibi tantum eripere vel nequiuerint, vel noluerint, quantum ad eclecticam philosophiam suo ex ingenio et improbi laboris pleno aliorum examine fingendam requiritur. Neque dubitamus

ignauiam

ignauiam multorum accusare, qui taedia nouarum inuentionum et molestiam meditationis refugientes maluerunt veteres duces sequi, quam sine cortice nauare, nouamque tentare viam. Haud paucos quoque viros cetera praeclaros doctosque ignorantia, quid sit eclectica philosophia, decepit. Quamuis enim ratio illis dictauerit, non aliam, quam eclecticam philosophiam, venerando sapientiae naturalis nomine esse dignam, veram tamen eius indolem non pernouerunt, rati satis bene se eclectice philosophari, si vna secta duce electa, reliquas non contemnerent, sed quaedam ex iis in sua arua deriuarent. Quo pacto Philippum Melanchthonem de eclectica philosophia statuisse, supra, vbi de eius philosophia actum, ipsius verbis declarauimus. Quamuis autem acutius nonnulli cernerent, et quid ad eclecticam philosophiam requiratur, intelligerent, ita tamen aliis et magis quidem necessariis detenti sunt, vt lumina sua ad emendandam philosophiae conditionem adhibere non possent. Sane dubium minime est, quin, vt acutissime videbat, philosophiae liberiorem restituisset naturam Lutherus, magnus sectarii iugi contemtor osorque, nisi maioribus intentus diuiniorem doctrinam repurgare, et conscientiarum seruitutem soluere fuisset aggressus. Cui par animo magno et fiducia pleno non fuit Philippus, cuius timiditas haud parum contulit, vt in sectaria via haerere pergeret, eius autem auctoritas in ecclesia Protestantium vera causa est, cur tam diu eclectica philosophia caput, in ea extollere nequiuerit. Inter Romanae ecclesiae addictos autem, adeo auctoritatis et antiquitatis praeiudicium seculo XV et XVI, quibus honos esse coepit literis, obtinuisse notum est, vt mirum non sit, contemtum veterum, licet maxime rationalem inter exosas artes fuisse relatum, quibus secessum ab ecclesia meditabantur, qui non coeco omnia obsequio recipiebant. Tacemus arctam, quae inter certa illius ecclesiae dogmata et philosophiam sectariam, praecipue Peripateticam, intercedit, connexionem atque concordiam, et pericula alia, quae ab eclectica philosophandi methodo timenda erant hominibus, quibus nihil intolerabilius, quam ex cathedra praeceptis examen interponere. Illud certum, in eius ecclesiae gremio conatus eclectice philosophantium obliquis haud raro oculis esse intuitos et pro viribus eos impediuisse, penes quos summa in sacris potestas erat. Id quod vnius Telesii, fatorumque philosophiae Telesianae in antecedente parte enarratorum exemplum satis superque demonstrat, comprobabitque funestus tragicusque Iordani Bruni exitus in sequentibus describendus, et Galilaei historia, quanti constiterint facta illius rei pericula. Ita vero deterreri necesse erat illos, qui his sacris philosophicis liberiori operari animo conabantur, vt vel mente premere, vel prorsus supprimere laudabilia consilia inciperent. Sane longiori tempore quam vno seculo opus erat, vt tam alte radicata praeiudicia, et quae inde enata sunt odia tollerentur; nec hodie in his coetibus desunt, qui non obstante tam clara philosophiae melioris luce, quae virorum praestantissimorum in illa

quoque

quoque eccleſiae communione oculos colluſtrauit, veterum morem retineant, id quod noſtrorum dierum docet experientia, quae clariſſimo viro FRANC. IOSEPHO GRIENWALDIO [b] querendi occaſionem ſuppeditauit, non fuiſſe tantum ſeculo XVI aduerſarios et obtrectatores melioris philoſophiae, qui neruos philoſophis nouum quid tentantibus roſerint, eosque variis clandeſtinisque conuitiis dilaniarint, cenſuris autem atque dictaturis exagitauerint, ſed hodie quoque iuratos Peripati ſectatores, (id quod ſe expertum loqui ait) in liberae et ſanioris philoſophiae cultores idem audere. Alia quae huc afferri poſſunt, et in his imprimis eruditiſſimi literarum elegantiorum aduerſus ſycophantas Iuuauienſes vindicis [c] teſtimonia tacemus, cum talia bonis doctisque viris hodie in iſtis coetibus inuiſa eſſe et deteſtandum hoc eclecticae philoſophiae odium videri conſtet. Fatendum autem, vbique fere ſectariorum philoſophorum inuidiam in id manibus pedibusque fuiſſe conniſam, vt molimina eclecticae philoſophiae non clamoribus modo et ſcriptiunculis, ſed artibus quoque clandeſtinis ſufflaminaret, id quod ſectariae philoſophiae hiſtoria ſupra enarrata attendenti luculenter exponet. His cum accederet falſa multorum perſuaſio, nihil intentatum reliquiſſe veteres, et ita exhauſiſſe Graecos philoſophiam omnem, vt addi, quod nomen habeat et momentum prae ſe ferat, poſſit fere nihil, mirum non eſt, prima eclecticae philoſophiae conamina in ipſa, quod aiunt, herba fuiſſe ſuffocata.

Occaſio excitatae philoſophiae eclecticae.

§. IV. Tandem, licet ſero, miſerta humani generis diuina clementia, vt diſpellerentur nubes, et ſapere ſerio diſcerent philoſophi, animos compulit. Scilicet adeo graue viſum eſt ſectariae philoſophiae iugum, adeo intolerabile inepti philoſophandi generis imperium viris cordatis, queis de meliore luto finxerat praecordia Titan, vt indignabundi tandem id abiicerent, irati ſibi ipſis, quod tamdiu ſeruire coeco philoſophorum Graecorum obſequio ſuſtinuiſſent. Quamuis enim et de ſe modeſte ſentirent, et veterum doctrinae plurimum tribuerent, recte tamen mentem eorum ſubiit cogitatio, et ſibi rationem inditam eſſe, et licere non minus ipſis, quod Graecanicarum ſectarum conditoribus licuiſſet. Itaque cum SENECA *non ſe cuiquam mancipabant, nullius nomen ferebant, multum magnorum virorum iudicio tribuebant, aliquid et ſuo vindicabant* [d]. Qua in re non auctores modo ſectarum omnes exemplo ſuo praeiuiſſe recordabantur, vt *Tomo ſecundo* pluribus demonſtratum, ſed et commendationes eclecticae philoſophiae ex doctorum eccleſiae calamo profectas ob oculos habebant. Eos enim, et inter hos imprimis Clementem Alexandrinum valde hoc philoſophandi genus extuliſſe, licet Syncretiſmum cum ἐκλέξει turpi errore confunderent, in hiſtoria philoſophiae Chriſtianorum veterum multis locis dedimus probatum. His rationibus muniti hisque igniculis accenſi cum in ſe deſcendiſſent, inueniſſentque ampliſſimas ingenii

b) In Albo Bauariae iatricae p. 145. exemplo Wimpinaei, philoſophi Paracelſici adducto.

c) IO. CASPERII Vindiciae adu. ſycoph. Iuuau. c. 2. p. 6. ſeqq.

d) Ep. 45.

ingenii optimi magnaque iudicandi acie instructi diuitias enata inde est cogitandi philosophandique confidentia, qua nouum tentare iter et ad veritatem cognoscendam suo Marte grassari ausi, dici non potest, quanta celeritate in eo cursu profecerint. Plurimum autem ad laudatissimos conatus contulit, quod et naeuos philosophantium intelligerent, et imprimis praeiudicia detexissent, quibus velut compedibus philosophos hactenus vinxerat philosophia sectaria. His enim ruptis et abiectis ita horruerunt superstitionis, ignauiae, obsequii imperium, vt omnibus, quibus licebat, viribus in libertatem se vindicarent. Cuius rei specimen non aliunde vel iucundius vel vtilius hauriri potest, quam a magno VERVLAMIO, vero eclecticae philosophiae parente, qui in *nouo Organo*, libro bonae frugis et seminum philosophiae verae et liberae pleno id ante omnia egit, vt idola ista, quibus adorandis occupata philosophantium natio, veritatis numen hactenus neglexerat, prosterneret.

§. V. Praeter has causas autem, fatendum, alias quoque concurrisse, specie quidem minus honestas, et vituperandas magis quam laudandas, at quae ex accidenti, ita dirigente Numinis prouidentia, eclecticam philosophiam mirifice promouerunt. Inter eas odium in philosophos sectarios, maxime Peripateticos, aliosque ex vulgo eruditorum plurimum ad noua audenda contulisse, et contradictionis studium ad experiendum nouum iter compulisse, exempla satis superque loquuntur. Certe IORDANVM BRVNVM hoc imprimis calcari concitatum nouam philosophiam tentauisse, haec verba eius [e] produnt: *Causae aliae concurrentes.*

Mensurae inspirato mihi vera inde elementa
Vt sophiae species longum suppressa per aeuum
Emicet atque aegras vultu reuocata sereno
Soletur mentes errorumque excruciantes
Discutiat nebulas. Populus superabimus vnum,
(Clamauit quondam sceleroso Monychus ore,)
Saxa trabeisque super totosque inuoluite montes.
Obruite immanis cumuli sub pondere Caecum
Viuacemque animam missis elidite syluis,
Othrynque arboribus spoliate et Pelion vmbris,
Vt tam crescat onus, ne habeat quas spiritus auras.
Concipiat, frustra tentet se tollere in altum,
E dorso obducti reuoluto pondere mundi.
Iam Deus adsurgit melior, glomeramina coeca
Disiiciens, fortique manu tanto aggere vulso
Praecipit illustrem magis imo exsurgere fundo.

Haec enim non *in sophistas modo diu ante nos inuiolabilis philosophiae simpli-*

e) De minimi inuentione L. I. c. 1. p. 97.

ſimplicitatem commentationum multiplicatione, excuſſionibus atque quaeſtionibus pro ingenii oſtentatione obruentes; ſed in noſtra quoque tempora dicere in adiecta expoſitione proſaica fatetur, qua *praeſumtuoſorum et arrogantiſſimorum grammaticorum diluuium, recitatis a fonte Graecorum textibus, ſynopſibus, erotematibus etc.* (Philippi ſcholam ſugillare, et Italorum quoque Peripateticorum curas pungere videtur) *philoſophiam in extremam confuſionem perduxiſſe* conqueritur. Iunxit ſe apud nonnullos odio vulgaris philoſophiae ambitio, noua, inſolita, paradoxa et a communi philoſophantium ſenſu abeuntia ſectandi ſtudio ſe efferens. Quae licet haud raro monſtroſa dogmata parere ſoleat, accidit tamen, vt progreſſu temporis, cum elegantes veritatis vultus conſpicere coepiſſet, ſimpliciori mente et rectiori ſenſu in ea via procederet, et ſe ipſam quaſi ad amplectendam veri diſciplinam caſtigaret. Tandem ipſe rei inſolitae ſucceſſus felix et inexpectatus mirum in modum promouit philoſophiae eclecticae ſtudium. Quod initio quidem ſola doctrina philoſophiae naturalis experta eſt, quae omni exſpectatione maiora incrementa cepit ex quo exſpirante ſeculo XVI in Italia primum, auctore Teleſio, nouum iter tentatum et in rationes naturales non mediis dialecticis, vt Peripatetici ſolebant, ſed experientia miniſtra inquiri coeptum eſt. Tum enim ſocietates iſtae philoſophicae primum conditae ſunt, quarum ſtudiis et induſtriae nouum philoſophandi genus ampliſſime promotum eſt. Quod dein exemplo fuit viris doctis, vt in reliquis philoſophiae partibus ſimilia ſuſciperent. Quo pacto rationali primum, et tum demum morali philoſophiae nouus honor additus, et eclectica in iis methodus eſt adhibita. Donec nouo quaſi orbe philoſophico, auctore et duce Verulamio, prodeunte meliora ingenia certatim hanc viam ingrederentur, quibus imprimis Carteſius et Gaſſendus exemplum praeiuere, ducesque ſe praebuerunt. Quos acumine ingenii, libertate philoſophandi, felicitate inuentionis, gloria nominis ſuperauere ſeculi XVIII lumina. De quibus iam in ſequentibus ex inſtituto dicere, et qua ratione tum philoſophiam in genere, tum ſingulas philoſophiae partes adiuuerint, pro inſtituti modo et limitibus enarrare pergemus.

Philoſophia eclectica ſectis carens.

§. VI. Reſpuere philoſophiam eclecticam, ſectas earumque nomina, ex eius indole eſt manifeſtiſſimum: impoſſibile itaque eius hiſtoriam per ſectarum diſcrimina, vt hactenus a nobis factum, deſcribere: licet conamina nonnullorum tandem in ſectarium aliquod ſtudium defierint, id quod imprimis Carteſio accidit, qui cum maxime eclectice philoſopharetur, incertum tamen, an ambitionis cupiditate, vt nouae ſectae auctor haberetur, vel diſcipulorum contentione tandem ſectae conflandae occaſionem ſubminiſtrauit, cuius hiſtoriam ſuo loco accurate trademus. Id enim non methodi, ſed hominum, vitio tum accidit, et hodie quoque apud nonnullos ſolet accidere: ipſi tamen et modo et libertati philoſophandi derogat plane nihil. Nuper demum vir quidam celeberrimus, et iudicii acumi-

acumine praestantissimus [f] eclecticorum agmina in duas familias diuisit, metaphysicam et mathematicam, quarum illa a Cartesio haec a Gassendo ceperit initium. Has ita distinctas esse vult, vt *illa ratiocinando, haec experiundo magis et obseruando verum inueniri posse statuat, illa pauca sensibus, plurima meditationi et rationi, haec pauca rationi, plurima sensibus et rerum contemplationi tribuat: illa paucis ex metaphysicorum praeceptis longam dogmatum seriem ducat, viamque sibi per haec ad Dei, animorum, corporum, totiusque vniuersitatis naturam certe et accurate cognoscendam patere confirmet: haec metaphysices decreta haud quidem respuat, at sufficere neget ad perfectum philosophiae aedificium extruendum: contra diuturnum vsum, assiduam rerum considerationem, repetitam saepius periclitationem optima discendi et proficiendi adiumenta esse contendat: illa multa explorate nobis esse cognita existimet, et facile se se adduci ideo patiatur, vt in artis et disciplinae formam praecepta sua cogat; haec infinita nos fugere putet, suosque de innumeris rebus, nihil, quam dubitare, doceat, dum tempus et vsus maiorem lucem afferat; systemata denique vt vocantur conscribendi officium aut plane vires superare mortalium censeat, aut posteris committere iubeat.* Non refragabimur, si quis hac distinctione vti velit, quae in se vera est, et modum philosophandi recentiorum multorum luculenter describit; malumus tamen ab ea abstinere, eo quod illi, qui metaphysici vocantur, non tantum fuerint mathematici primi ordinis, sed et mathesi in hac philosophandi methodo, pluribus modis fuerint vsi: hi vero qui mathematici dicuntur, in solis theorematibus et propositionibus particularibus haud haereant, sed ad metaphysica axiomata ascendant: id quod exemplo Mallebranchii et Leibnizii, qui principes sectae metaphysicae constituuntur, itemque Io. Lockii et Isaaci Newtoni, qui agmen mathematicae familiae ducere dicuntur, attento Lectori facile constare potest. Paulo, nisi fallimur, luculentius dixeris, diuidi in duas classes eclecticos philosophos recentioris aetatis posse, syntheticam et analyticam. Et synthetici quidem illi nobis sunt, qui paucis nonnullis iisque vniuersalissimis axiomatibus vsi, ad rerum genera speciesque et indiuidua quoque contemplanda descendunt, hisque obseruationes et experientiam disciplinarum mathematicarum et physicarum accommodant, in quo philosophandi genere nemo superauit illustrem Leibnizium. Analytici autem illi nobis dicuntur, qui ad rerum singularium naturam experientia et calculo detegendam attendi, hypotheses inde construunt, ex quibus de natura rerum vniuersali deinde disputant. Mixtum tamen ex his duabus classibus philosophorum eclecticorum genus dari, quod de rebus ad spirituales naturas pertinentes synthetice disputat, de rebus autem corporeis resolutionis via vtitur, non est, quod negemus. Posthabito itaque familiarum discrimine potiores primo eclecticos philosophos, qui in vniuersa philosophia emendanda aciem fe-

 gerunt,

f) Summe reu. MOSHEMIVS Hist. Christ. recent. Sec. XVII. s. 1. c. 4. §. 31. p. 403. seqq.

gerunt, et immortale inde nomen consecuti sunt, accurate enarrabimus, vitaeque atque philosophandi rationes ab iis adhibitas explicabimus; tum per singulas disciplinas philosophicas eundo, quid magnorum virorum diligentia in iis singulare nouumque praestiterit, pro instituti modo explanabimus. Cuncta enim referre, esset singularum disciplinarum philosophicarum peculiarem condere historiam, id quod et scopo nostro aduersatur, et res infiniti fere laboris est. Indicabimus tamen fontes, ex quibus curioso Lectori plura haurire copiose liceat.

* *

CAPVT SECVNDVM.

DE IORDANO BRVNO NOLANO.

§. I.

Scriptores de Iordano Bruno.

PRimus, quantum quidem nobis constat, qui totum philosophiae circulum mutare, et philosophiam dare nouam eamque abstrusissimam ausus est, fuit IORDANVS BRVNVS, a patria NOLANVS dictus. Cuius viri tanta est in historia ciuitatis eruditae recentiori celebritas, vt pauci, qui acta literaria seculi XVI, vel per transennam inspexerunt, censendi sint, qui eum et opinionum παραδόξων nouitate et tragico vitae exitu famosum ignorent. Miramur itaque deesse hodienum accuratam, quam tamen res eius valde memorabiles omnino merentur, huius viri historiam, et quaecunque de eo scripta sunt, sunt autem illa plurima, scopas magis dissolutas esse, quam criticam tractationem, multa erroribus infecta, pleraque manca et imperfecta esse. Cuius potissima nobis caussa videtur esse insignis raritas librorum Bruni, qui adeo disparuere, vt non nisi in instructissimis bibliothecis inueniantur, nullibi autem pene omnes deprehendantur, sed dispersi passim lateant, vnde difficillimum est, consultis omnibus eius viri res atque placita enarrare. Accedit vita hominis vaga, desultoria et incerta, qua factum, vt de rebus eius parum innotuerit, et pleraque coniecturis magis detegi, quam certis testimoniis disci possint. Exorandus itaque nobis Lector est, vt si nostra quoque non fecerit satis tractatio, qui praeter excerpta a viris doctis ex Bruni liberis facta, non nisi vnico Bruni libro philosophico *de Minimo*, iisque quos de arte Lullistica scripsit, vti potuimus, non negligentiam accuset nostram, sed memoriarum de hoc viro inopiam. Consulemus autem, quotquot nobis feliciores vel eius libros passim inspexerunt, vel de rebus eius narrationem aliquam dederunt, et adhibito iudicio, quid secundum leges fidei historicae statuendum sit, candide exponemus, nostramque modeste explicabimus sententiam. Et inter illos quidem, qui de vitae eius circumstantiis quaedam tradiderunt, primo loco collocandus

est

est GASPAR SCIOPPIVS: is enim postridie mortis tragicae, quam passus est Brunus, epistolam de eo scripsit ad Conradum Rittershusium, quae addita libro rarissimo pseudonymo, in Germania sine mentione loci et anno excuso hoc titulo: *Machiauellizatio, qua vnitorum animos dissociare nitentibus respondetur, in gratiam domini archiepiscopi castissimae vitae, Petri Pazman, succincte excerpta, Saragossae per Didacum Ibarram* cIↃ IↃ C XXI. 4. Ex eo epistolam Scioppii repetiuere, BVRC. GOTTH. STRVVIVS [a] IO. TOLANDVS [b] et MATVRINVS VEISS. LA CROZE [c]. Et ad hanc quidem epistolam velut fide dignam prouocant, quotquot Brunum inter atheos numerant, et iusto eum supplicio ob horrenda dogmata sublatum contendunt. Se enim supplicii de eo sumti testem αὐτόπτην esse, et sententiam ab officio S. inquisitionis latam et praelectam Bruno suis auribus audiuisse testatur Scioppius, et rationes affert, quibus probet, non ob deserta castra Romanensis coetus, sed ob atheismi impietatem flammis eum vltricibus deletum esse. Fatemur autem hoc non obstante, valde subtestam nobis videri fidem famosi grammatici. Cuius animum, vt solent apostatae osores esse ordinis, quem reliquerunt acerrimi, truculentum et sanguinem protestantium indignissimo modo sitientem nemo ignorat, qui vel *Classicum* eius *sacrum* legit, vel de eo fando aliquid audiuit: qui tanto furore percitus fuit, vt cum eam epistolam ad Conradum Rittershusium Lutheranum scriberet, non neget, etsi Lutherani non comburantur Romae, aliam tamen rationem Romanos de Luthero inituros fuisse, si eum tenuissent. Eum itaque ex animi sui sententia hoc hominis ex Romanensium castris ad Lutheranos transfugae supplicium probauisse, non est, quod magnopere dubitemus. At vtebatur tamen amicis multis inter horum coetuum assecias Scioppius, et imprimis Rittershusio hospiti olim et praeceptori plurimum debebat: cum autem probe videret, saeuitiam Romanam magna partes eas, ad quas secesserat, inuidia cumulaturam, hac potissimum epistola eam declinare, persuadereque amicis Lutheranis voluit, non velut Lutheranum, sed tanquam atheum Brunum atrocissimo mortis genere e viuis esse sublatum. Nec id prorsus celare Scioppius vel ita caute de supplicio Bruni scribere potuit, vt non aliquoties proderet, atheismum Bruni πρόφασιν tantum fuisse, vt inuisus ordinis apostata extingueretur. Fatetur enim diserte, *nullum prorsus Lutheranum aut Caluinianum, nisi RELAPSVM aut publice scandalosum vllo modo Romae periclitari, nedum vt morte puniatur.* Quibus verbis Lutheranis quidem tutam apud Romanos fidem esse asserit, idque in sequentibus exemplis quoque corroborat, at relapsos vitae manere pericula, diserte tradit; sunt autem relapsi Scioppio apostatae si non omnes, certe ordinis, qui vocantur. Annon ita luculenter prodit

a) T. V. Act. Literar.
b) loc. citando
c) Entretiens sur divers sujets d'histoire p. 287. Praeiuit his, qui primus eius epistolae mentionem fecit IO. HENR. VRSINVS de Zoroastre p. 5. ex quo sua hausit NICODEMVS, Addit. ad Biblioth. Neapol. p. 90.

Scioppius, Brunum ex Dominicanorum ordine ad proteſtantes transfugam periclitari de vita debuiſſe? Nec inficiari poteſt in hac epiſtola Scioppius, *ſi Rittershuſius tunc Romae fuiſſet, ex plerisque omnibus Italis auditurum fuiſſe, Lutheranum eſſe combuſtum, et ita non mediocriter de ſaeuitia eorum in opinione ſua confirmari debuiſſe.* Quae frigide quidem ita excuſat, vt dicat: *Italos ſuos inter haereticos alba linea non ſignare, neque diſcernere nouiſſe, ſed quicquid eſt haereticum, illud Lutheranum eſſe putare*; hoc vero pacto omnes Italos teſtes contra ſe adducit, eos quoque, qui cum Scioppio ſententiam officii praelectam audiuerunt, et facile intelligere potuiſſent, ob impia et Chriſtiano nomine indigna dogmata e medio ſublatum fuiſſe Scioppium, niſi conuicti fuiſſent, Lutheranum nomen rogum illi accendiſſe, et conquiſita eſſe illa παράδοξα, vt inuidia illa factio premeretur. Ipſe ſane Scioppius, canina dicacitate, qua famam laudemque omnem literarum gloria partam apud viros bonos dudum decoxit, luculenter prodidit, ſe eundum, cum officio S. inquiſitionis animum ſeruare, et hunc morem ſequi, vt qui tantopere a placitis Romanae eccleſiae diſſident, horrendorum dogmatum accuſati ferali rogo digni habeantur. Scribit enim mendaci calamo et indigna viro docto ratione: *De ipſo veſtro Luthero aliam forte rationem iniremus. Quid enim dices, ſi afferam et probare tibi poſſim, Lutherum non eadem quidem, quae Brunus, ſed vel abſurdiora magisque horrenda, non dico in conuiuialibus, ſed in iis, quos viuus edidit libris, tanquam ſententias, dogmata et oracula docuiſſe? Mone quaeſo ſi nondum ſatis nouiſti eum, qui veritatem tot ſaeculis ſepultam nobis eruit, et faciam ipſa tibi loca in quibus ſuccum quincti iſtius euangelii deprehendas, quamuis iſtic anatomiam Lutheri a Piſtorio habere poſſitis. Nunc ſi et Lutherus Brunus eſt, quid de eo fieri debere cenſes, nimirum tardipedi Deo dandum infelicibus vſtulandum lignis: QVID ILLIS POSTEA, QVI EVM, PRO EVANGELISTA, PROPHETA, TERTIO ELIA HABENT? HOC TIBI COGITANDVM RELINQVO: Tantum vt hoc mihi credas, Romanos non ea ſeueritate erga haereticos experiri, qua creduntur, et qua debebant forte erga illos, qui ſcientes, volentes pereunt.* Non mouebimus litem impudentiſſimo calumniatori de atroci mendacio, quod viros doctos candidosque hodie in hac ipſa eccleſiae communione deteſtari nouimus, indigna enim ſunt, quae refutentur; ſed id modo vrgemus, ſatis prodidiſſe Scioppium, ſe atque Romanos ignem minitatos eſſe et Luthero et illis, qui eum pro euangeliſta, id eſt, doctore vero habent. Fruſtra itaque gentilia βδελύγματα et dogmata nefanda inter Chriſtianos non audita praetendit Scioppius, et excuſatione ſua parum fidei inuenit, cum plurimis exemplis conſtet, quanto rigore in eos olim ſaeuierit Italia et Hiſpania, qui diſceſſum in religione fecerunt, maxime vero in eos, qui ſacros ordines deſeruerunt. Parum itaque fidei ob dictas cauſſas Scioppii teſtimonium ad veram Bruni hiſtoriam

ſtoriam deſcribendam affert, licet circumſtantias eius vitae potiores enumeret, quas non omnes cum veritate conſpirare infra faciemus manifeſtum. Poſt Scioppium diu de Bruno ſilentium in orbe literario obtinuit, ſine dubio, quod libri eius vel ob obſcuritatem neglecti, vel ob ſententiarum nouitatem contemti, vel ob mortis genus ſuſpecti facti ſunt. Recentiori autem aetate famoſiſſimus, qui Bruno tribuitur libellus *de Beſtia triumphante*, quem anxie quaeſitum curioſitas fecit albis coruis rariorem occaſionem ſuppeditauit de Bruno eiusque vita atque placitis paulo accuratius diſpiciendi. Nempe et PETRVS BAYLE[d] de Bruno, non quidem omnia, multa tamen valde memorabilia attulit, quae infelicis philoſophi hiſtoriae plurimam lucem commodant, et IOANNES TOLANDVS[e], *de genere, loco et tempore mortis eius* nonnulla differuit, et ὁ πάνυ LA CROSIVS [f], de eo doctiſſime commentatus eſt; cum eo autem de Bruni placitis et impietate amice eruditeque diſputauit Cel. HEVMANNVS [g]. Clariſſimus NICERONIVS [h] quoque vitam eius enarrauit. Nemo tamen horum biographiam Bruni integram condere aggreſſus eſt; multa tamen egregie tetigit, quem honoris et amicitiae cauſſa nominamus illuſtris CAROLVS STEPHANVS IORDANVS [i]. Quaedam etiam Baelianae narrationi adieciſſe Anglos, qui *Dictionarii critici auctarium* ediderunt [k], ex nouis literariis intelligimus. Itaque iuſta et integra Bruni hiſtoria hactenus deſideratur, quam poſt tantos viros dare, a noſtra paupertate alienum eſt. Afferemus tamen ſymbolam noſtram, et Lectorem tantum, quantum nobis licebit, ea docebimus, quae, qualis ille vir fuerit, quae fata habuerit, quibusque potiſſimum placitis innouare philoſophiam aggreſſus ſit, ſi non plene, accurate tamen exponere apta ſunt. Optamus autem, vt hanc philoſophicae hiſtoriae particulam vir quidam doctus, omnibusque Bruni libris inſtructus aliquando perfectam nobis ſiſtat atque ſuis numeris abſolutam.

§. II. Patria Nolanum ex regno Neapolitano fuiſſe Iordanum Brunum, Scioppus, et poſt eum reliqui tradunt omnes, ipſe in *Acrotiſmi* inſcriptione *Nolanum Comoeracenſem* ſe vocat. Parentes eius et natalem ignoramus [l]. In adoleſcentia bonis literis excultum fuiſſe, ſcripta eius nos dubitare non ſinunt, in quibus veteris philoſophiae notitia, et mathematicarum diſciplinarum peritia vtramque faciunt paginam. Huic eruditioni accedebat memoriae vis maxima, ingenium autem magnum et imaginationis virtus non modo ſumma, ſed foecunditate quoque imaginum *Bruni vita in Italia et Gallia.*

d) Dict. T. I. art. Brunus p. 679 ſeqq.
e) Opuſc. poſthum. Tom. I.
f) loc. cit.
g) Act. phil. Vol. III. p. 424. add. Vol. I. p. 514 ſeqq. Vol. II. p. 380. 810. ſeqq.
h) T. XVII. Memor. ad Hiſt. Liter. vir. illuſtr. ſpectant. p. 200 ſqq.
i) In Diſquiſitione Hiſt. Lit. de Iordano Bruno Nolano.
k) p. 26. nos nihil eius vidimus.
l) Colligimus autem ex Oratione valedictoria Wittebergenſi, §. 16. ortu fuiſſe nobilem. Conqueritur etiam, eorum, qui ipſi honorem et obſequium debebant, conuitia et calumnias ſe pertuliſſe, ſeruitiorum murmura audiuiſſe etc. ex quibus coniicimus, aut aluiſſe eum familiam, antequam monaſterium ingrederetur, aut quendam inter ſuos magiſtratum ſacrum in monaſterio geſſiſſe.

num ita grauida, vt extra se tantum non raperetur, qualia ἐνθουσιασμοῦ exempla passim in exordiis librorum eius deprehenduntur. His auxiliis fretus ad scientiarum philosophicarum et theologicarum disciplinam se contulit, et vt commodius literis sacris pariter atque elegantioribus vacare posset, secessum monasterii ambiit, familiaeque Dominici nomen adscripsit [m]. Ibi dubium non est, quin et philosophiae atque matheſi, et sanctioribus scientiis se dederit, has enim possessiones fundo suo eum acquisiuisse, relicto clausstro mature [n] demonstrauit. Parum tamen temporis Graecae linguae studio accuratiori tribuisse, scripta eius passim produnt, in quibus, quae Graecae sunt originis, saepenumero perperam scripta sunt. Cum autem animo excelso, imperterrito et errorum contemtore vteretur, ad examinanda theologiae et philosophiae decreta recepta delatus, multa inuenit, quae displicerent. Accessit vita hominum sacerorum, inter quos viuebat, dissoluta et offendiculo plena, quam cum liberiori ore carperet, dici non potest, quantas hac re tragoedias sibi excitauerit. Habemus vtriusque rei, et reprehensae suorum doctrinae atque vitae, et fatorum, quae ex ea passus est, acerbissimorum testimonia ab ipso profecta. In *Oratione consolatoria* enim, *quam in fine exequiarum, Iulii ducis Brunsuicensium* habuit [o], ita inter alia de hoc statu et conditione sua in patria pronuntiat: *In mentem ergo, in mentem Itale, reuocato, te a tua patria honestis tuis rationibus atque studiis pro veritate exulem, hic ciuem; ibi gulae et voracitati lupi Romani expositum, hic liberum; ibi superstitioso insanissimoque cultui adstrictum, hic ad reformatiores ritus adhortatum.* Et alio loco [p] extremam barbariem et auaritiam sordidissimam suorum acerbe accusat. Paulo clarius de his eius iudiciis et improbata suorum doctrina differit Scioppius, tradens, eum *de transsubstantiatione dubitare, immo eam prorsus negare, et statim virginitatem B. Mariae in dubium vocare coepisse*, non addit tamen, vtrum posterius ante vel post partum θεανθρώπου negauerit. Et prius quidem facile concesserimus in homine, dogma huius generis non concoquente, quod a philosophia omni tantopere abhorret: impie autem et petulanter de B. Virgine θεοτόκῳ pronunciasse, vni Scioppio ob rationes supra adductas minime fidendum esse, certi sumus. Nam et improbus mos pessima quaeque siue vera sint, siue falsa et conficta de apostatis disseminandi innumeris exemplis in vulgus notus est, atque a moribus Scioppii non alienus; et nihil tale in scriptis Bruni inuenitur, neque inter tot atheismi accusationes, vnquam quantum recordamur, illi obiectum est. Vno sane teste tot nominibus suspecto Bruno hanc impietatis notam inuri, ab omni aequitate alienum, et a

m) Omittunt tamen eum scriptores Hist. Lit. Dominicanae.

n) Iam anno 1580. quo adhuc in monasterio haesit, edidit Venetiis librum de compendiosa architectura et complemento artis Lullii, vid. DVVERDIER Supplem. Bibl. Gesneri p. 30. anno 1584. autem libellum de Ia Causa principio et vno ib. Vid. BAYLE loc. cit. not. D.

o) Recusam debemus Cel. HEVMANNO Act. phil. Vol. III. p. 432. seqq.

p) In Orat. valedict. l. c.

et a iustis quoque ratiocinandi legibus abhorrens merito videtur. Quaecunque autem fuerint, quae ipsi in ecclesia Romana displicuerunt, illud certum, graues eum ab ipso adolescentiae suae tempore passum fuisse inimicitias; id quod occasionem ei subministrauit de fatorum suorum iniquitate his conquerendi versibus q:

At nos, quantumuis fatis versemur iniquis
Fortunae longum a pueris luctamen adorsi.

Grauissime autem de iniuriis quas eam ob caussam pertulit, deque persecutione, qua premebatur conquestus est in *Oratione valedictoria* Wittebergae habita, in qua inter alia ita differit: *Non subiisse me pudet paupertatem, inuidiam, et odium meorum, execrationes, ingratitudines eorum, quibus prodesse volui atque profui, extremae barbariei et auaritiae sordidissimae effectus: ab iis qui mihi amorem, seruitium et honorem debebant, conuitia, calumnias, iniurias, etiam infamias, neque pudet expertum esse irrisiones, contemtus ignobilium - - labores, dolores, exilium.* Quae omnia quidem qualia fuerint, specialius describere, deficientibus monumentis non licet, suspicamur autem, Brunum in clausstro suo aliquo loco vel munere positum, quo seruitium et honorem postulare debebat, ob liberiores de placitis suis dissertationes, et improbatam suorum vitam barbaram et impuram familiam istam et consodales in se armauisse, vt censuris atque afflictionibus monasticis excruciatus, tandem de libertate cogitans exilium ipse elegerit. Neque tamen solus religionis dissensus in caussa fuisse videtur illius mali, quo cumulatus erat, sed ipsam quoque Musae suae diligentiam studiumque circa scientias optimas versatum illi patriam, domum, facultates, honores, et quiduis aliud extra ipsas amabile eripuisse, in *Panegyrico* supra laudato, fatetur. Actum se tantumnon esse in desperationem, nisi animum vere heroicum tot tantisque, quibus premebatur malis, oppossuisset, ipse narrat, adeo vt vnam mulieris infidelis perfidiam fatorum suorum iniquitati defuisse afferat, et de fratrum ignorantiae inuidia, ambitione sophistarum, calumniis maleuolorum, murmuribus seruitiorum, susurribus mercenariorum, contradictionibus domesticorum, suspicionibus stupidorum, zelo hypocritarum, odio barbarorum, furore plebeiorum, et similium hominum iniuriis acerbe conqueratur r. Non succubuit tamen fortunae aduersae, sed fortissimos illi humeros obiiciens, cum cedere tandem cogeretur, patriam reliquit et exul abiit, vt frui libertate sentiendi et credendi posset. Nam quod P. BAYLE s habet, eiectum e patria esse, accuratum haud est, quamuis is ad Valentis Acidalii t testi-

q) De Numero et figura c. 1. p. 38. sqq. Act. phil. Vol. I. p. 514.

r) In Praef. libri de Caussa, principio et vno apud BAYLE loc. cit. not. D. in ea legatum Galliae ad Elisabetham Angliae reginam, Michaëlem Castelnauium ipsum sua auctoritate contra inimicos texisse, praedicat. Et hinc sine dubio caussa deriuanda est, cur libri eius nonnulli, antequam in Germaniam delaberetur, editi, Parisiis prodierint.

s) loc. cit.

t) Epist. 2. p. 10.

teſtimonium prouocet. Is enim exulem modo vocat, qualis is quoque eſt, qui ſponte in exilium abiit, nec ſpem habet ſine periculo redeundi. Ipſe ſe loco ſupra adducto *patriam dimiſiſſe* et *domum atque facultates contemſiſſe* ait, quae exilium ſponte electum innuunt. Ipſe quoque Scioppius, eum patriam reliquiſſe et Geneuam abiiſſe indicat, id quod, eo auctore, anno CIↃIↃLXXXII factum [n]. Docebant tum magna auctoritate in ſchola Geneuenſi Caluinus et Beza, quos diſſentientes non aequo ſemper tuliſſe animo, et in eos quos a doctrinae Chriſtianae puritate ſeceſſum feciſſe ſuſpicabantur, ſeuerius ſtatuiſſe, nemo ignorat, et vel vna Serueti hiſtoria ſatis ſuperque comprobat. Facile itaque credimus Scioppio narranti, biennio Geneuae commorantem, tandem quod Caluiniſmum per omnia non probaret, ibi eiectum eſſe. Nam et ſimile fatum Simoni Simonio circa idem tempus euenisſe, ex vitae eius hiſtoria, quam in *antecedenti Parte huius Tomi* dedimus, conſtat, Bruni autem ingenium non in philoſophia modo, ſed in ſacra quoque doctrina eclecticum et παραδοξόφιλον nobis perſuadet, acrius eum et cum contentione quadam placita ſua defendiſſe. Relicta Geneua Lugdunum abiit, cum Caluini quoque partibus accedere nollet, dein Tholoſam, hinc Pariſios deuenit, vt tradit Scioppius. Magna iam tum cum delectatione audiebantur apud Pariſienſes, qui in Ariſtotelem declamabant, et haud exigua eorum fama erat, qui decretis Peripateticis ſe opponere audebant, id quod Petri Rami exemplo conſtare poteſt, et Guilelmi Poſtelli quoque confirmatur, de quo Gatterius apud LAVNOIVM [v] narrat; *eum anno* CIↃIↃLXXVIII *tanto auditorum, quaſi ad rediuiuum et inuſitatae aetatis doctorem accurrentium numero docuiſſe, vt vix credi poſſet;* quem tamen, notum eſt, acerrimum in academia Pariſienſi bellum in Ariſtotelem commouiſſe. Brunus ergo, cui non alius, quam Ariſtoteles, philoſophus magis inuiſus fuit, vt famam et diſcentium plauſus aucuparetur, philoſophiae emendationem crepare publice coepit. Dedit ob eam cauſſam epiſtolas ad Henricum III Galliae regem, et Ioannem Fileſacum vniuerſitatis tum rectorem, itemque *ad Pariſienſes*, quae eius verba ſunt, *et alios e generoſiſſimo Galliarum regno philoſophos ſenſationis philoſophiae dogmatum amicos et defenſores.* Si quoque fides Scioppio, meruit iſta compellatione, vt inter profeſſores philoſophiae extra ordinem docentes reciperetur, ordinarium locum occupaturus, niſi ſacris miſſae myſteriis intereſſe iuſſi eſſent profeſſores ordinarii. Fatemur tamen ſcrupulum de hac eius dignitate atque munere iſto nobis enaſci ex eo, quod neque BVLAEVS [x], neque LAVNOIVS eius vllo modo mentionem fecerint, licet prior de impugnato ab eo Ariſtotele apud Pariſienſes deque epiſtola ad rectorem vniuerſitatis nonnul-

n) Annum 1580 ponit Niceronius, ſed contradicente Scioppio, qui ſine graui ratione et obmeram coniecturam deferendus haud eſt. Nec ex libris anno 1582. Pariſiis editis ſequitur, eo anno iam ad Gallos Brunum tranſiiſſe.

v) De Fortuna Ariſt. in acad. Pariſ. c. XIV. p. 272.

x) Hiſt. Vniuerſ. Paris. T. VI. p. 786. 787.

nonnulla monuerit y; non omissuri, vt erant in huius generis exemplis colligendis diligentissimi, si vestigium eius rei in chartophylacio academiae inueniissent. Illud certum, publica disputatione defendisse Brunum nouae philosophiae theoremata, leguntur enim *articuli de natura et mundo, a Nolano in principibus Europae academiis propositi, quos Ioannes Hennequinus, nobilis Parisiensis, sub eiusdem felicibus auspiciis contra vulgaris et cuiuscunque aduersariae philosophiae professores triduo Pentecostes in vniuersitate Parisiorum defendendos euulgauit, breuibus adiectis rationibus:* additur; *Excubitor, seu Io. Hennequini apologetica declamatio habita in auditorio regio Parisiensis academiae anno* CIↃ IↃ LXXXVI, *pro Nolani articulis.* Has schedas ipse Brunus in Saxoniam delatus anno CIↃ IↃ LXXXVIII ipse vulgauit, praefixo titulo: *Acrotismus, seu rationes articulorum physicorum aduersus Peripateticos Parisiis propositorum* z. Quam vero ibi fortunam Brunus fecerit, partim ex zelo professorum Parisiensium pro vulgari philosophia, partim ex breui, quam Lutetiae fuit, mora facile colligi potest. Aegerrime enim tulisse doctores Parisienses contemtam Aristotelis auctoritatem et publicis statutis, pontificis quoque atque regis auctoritate interposita, libertatem nouatorum repressisse, multis demonstrauit LAVNOIVS, et nos supra in vita Berigardi et Gassendi luculentis exemplis atque testimoniis comprobauimus. Brunus autem et Aristotelem mire contemnebat, et eius sectatores velut bruta et fecem philosophorum despiciebat, et in professores mira calami orisque intemperie declamare solebat. Nam vocare Aristotelem omnium sub nomine principum philosophorum stupidissimum haud cunctatus est, et philosophos sophistarum nomine haud semel acerbe perstrinxit: quale illud est, quod in carmine *de Minimo* a habet:

Sic rationis opus, sic viuida vis acici
Humani sensus, partes, quibus applicet illis
Mensuras quibus expendat, praeconcipit, ipsis
In foribus, quarum palans a finibus ingens
Turba sophistarum caecos nihilominus orba
Longius abduxit, quam per compendia possint,
Aut leuibus notis meliora capessere dicta.

Ex quibus recte, nisi fallimur, intelligimus, Brunum, philosophiae suae atque oris libertate coactum Parisiensiumque inuidia pressum aut eiectum ea vrbe esse, aut sponte abiisse, vt se persecutioni insidiisque subduceret.

§. III. Relictis Parisiis ad Anglos secessisse Londinique consedisse Brunum tradit Scioppius, quem omnes fere, qui Bruni historiam attigerunt, sequuntur. Addit ille, edidisse istic libellum *de Bestia triumphante*, hoc est, papa. Et in hoc quoque plerorumque assensum Scioppius meruit. *Bruni iter Anglicum.*

y) Eo auctore constat, anno 1585. Brunum Parisiis contra Aristotelem disputare coepisse.

z) NICODEM. BAYLE II. cc.

a) p. 5. conf. p. 98.

Offendimus autem insolubiles in hac narratione nodos, quos non nisi Alexandri ensis secuerit. Et de libello quidem isto famoso infra plura dicemus, ostensuri annum editionis, quem in titulo prae se fert, locumque quem nominat [b], cum hoc itinere Anglico non conspirare. Idem de caeteris huius itineris circumstantiis pronuntiandum est. Nam ex BVLAEI [c] testimonio, et ex *Acrostícho* Bruni indubitatum est, festo Pentecostes anni cIↃ IↃ LXXXVI eum adhuc integra fama atque plausu Parisiis vixisse, et publice pro eo verba dicta esse. Relinquere itaque Lutetiam ante mensem Iunium vel Iulium non potuit, si etiam ponamus, quod non sine omni verisimilitudine dicitur, ita crabrones sua disputatione irritauisse Brunum, vt fuga sibi consulere et deserere arenam, quam victor hactenus obtinuerat, coactus sit. Ast medio anno cIↃ IↃ LXXXVI Wittebergae fuisse, ex *Oratione eius valedictoria* ea in academia habita, luculenter, nisi fallimur, demonstrari potest. In ea enim ita differit: *Vos me suscepistis, intraque vestros lares fere biennii spatio fouistis, et Iouia quidem mente pertulistis, et iniquis meis minime placidas aures porrexistis* etc. Habuit autem eam orationem VIII Idus Mart. anni cIↃ IↃ LXXXVIII, ex quo sequitur, si fere biennii spatio Wittebergae haesit, non serius illuc, quam mense Iulio anni cIↃ IↃ LXXXVI peruenisse. Ergo aut prorsus confictum est illud iter Anglicum, aut male in hoc tempus translocatum, aut aliquot tantum diebus Angliam tum a limine salutauit, quo tamen suppositio, tempus non habuit, quod requirebatur ad edendum de Bestia triumphante libellum satyricum. Aut ante suum ad Geneuenses discessum in Angliam abiit; id quod inde coniicere quis possit, qui Gallico ad Anglos legato Castelnauio adhaesit, cui librum *Cena de le Cinere* anno cIↃ IↃ LXXXIV inscripsit, teste P. BAYLE [d]. Quodcunque elegeris, vacillat fides Scioppii, quem vaga narrantium traditione deceptum hoc iter Anglicum in alienum tempus reiecisse, nobis est probabilissimum. Nam fuisse Brunum in Anglia, ex eius *Furoribus heroicis*, Italico sermone scriptis patet, quos in insula edidit, teste P. BAYLE [e], et Philippo Sidneo armigero, qui humaniter eum exceperat, et officiis quibuscunque prosecutus erat inscripsit [f].

Bruni mora Wittebergae.

§. IV. Certior autem nullique dubitationi obnoxia est mora Bruni, in Germania. Et exul quidem amicis, necessariisque omnibus destitutus inops et pauper Wittebergam se conuertit, et sacra, quibus Lutheri sequaces adhaerent, professus est, magna animi contentione internecinum contra Romanum pontificem odium testatus. Discimus id ex *Oratione valedictoria* supra

b) Paris. 1584.
c) loc. cit
d) Id illis quoque statuendum est, qui libellum de Bestia triumphante Philippo Sidneo Angliae armigero dicatum et Parisiis 1584. editum ab eo esse contendunt. His vero obstat Scioppii relatio.
e) l. c. n. D.
f) Si verum est, quod BAYLE loc. cit. tradit, librum de Bestia triumphante Paris. 1594. editum demum esse, recte inde infertur, post annum demum 1591 eum in Angliam transisse, dicatus enim est Philippo Sidneo equiti Angle. Ast dicemus infra alios, qui ipsi quoque libellum viderunt, annum 1584. ponere. Nihil itaque pro certo definimus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

supra iam in partes vocata, in qua *se veniſſe inter alios*, ait, *iſtius domus ſapientiae viſendae amore concitatum, flagrantem ſpectandi Palladii iſtius ardore, pro quo ſe ſubiiſſe non pudeat paupertatem, inuidiam et odium ſuorum etc.* Impenſe quoque laudat Wittebergenſium humanitatem, quod miſerum et contemtum benigne fouerint et receperint, et docere quoque libertate philoſophica permiſerint. Dabimus ipſa Bruni verba, cum haec omnia mire illuſtrent. Ita vero differit: *Adde, quod, cum Germanos doctrina adeo excultos inuenerim, vt etiam cognoſcerem, eosdem minime omnium moribus eſſe barbaros et agreſtes, cum ad vos pro laribus veſtris perluſtrandis peruenissem, natione exterus, exul, transfuga, ludicrum fortunae, corpore puſillus, rerum poſſeſſione tenuis, fauore deſtitutus, multitudinis odio preſſus, et ideo ſtultis et ignobiliſſimis illis contemptibilis, qui nusquam nobilitatem agnoſcunt, niſi vbi aurum fulget, tinnit argentum, et ſimilium ſibi fauor tripudiat et applaudit. Vos doctiſſimi grauiſſimi, et morigeratiſſimi ſenatores non ſpreuiſtis, et ſtudium meum, non a veſtratum omnium ſtudio prorſus alienum, non adeo improbauiſtis, vt pateremini philoſophicam libertatem et veſtrae humanitatis inſignis ſpecimen temerari: ſed me veſtrae Mineruae, illius inquam virginis veſtraeque matrisfamilias amore coecum deſipientemque ſuſcepiſtis, intraque veſtros lares fere biennii ſpatio fouiſtis et Iouia quadam mente pertuliſtis, et iniquis meis minime placidas aures porrexiſtis.* Ex quo loco patet, philoſophiam Brunum apud Wittebergenſes docuiſſe, non quidem publica auctoritate conductum, vt tradit Scioppius, aſt priuata tamen licentia toleratum. Quod autem Ariſtotelicam philoſophiam impugnauerit, minime dubitandum eſt, quoniam meditationes et diſputationes ſuas, Pariſiis in Ariſtotelicos habitas Wittebergae *Acrotiſmi* rubro praefixo anno clɔ Iɔ LXXXVIII vulgauit. Veriſimile autem eſt, eadem oris et mentis libertate paradoxa ſua philoſophica ventilaſſe eo in loco Brunum, qua in Italia et Gallia vſus erat; adeoque in profeſſores philoſophiae Ariſtotelicae haud raro dicaci dicendi iudicandique genere inſurrexiſſe. Id enim ex libro *de Minimo* patere, et haud obſcure eum in illo Philippi ſcholam ſugillare, ſupra iam obſeruauimus. Erat enim animo impotenti, et cum pulchrius ſe ſapere crederet, contemtui alios habebat, praecipue ſcholarum publicarum doctores. Ita vero nouam ſibi inuidiam Brunum conflaſſe, non eſt, quod pertinaciter in dubium vocemus, cum ipſe in laudata oratione innuat, aduerſariorum querelas ad ſenatum academicum fuiſſe delatas. Et haec forte cauſſa fuit, cur Wittebergam nondum exacto biennio toto iterum reliquerit. Licet eclectica quoque ſentiendi libertas, qua in doctrina ſacra non minus, quam in philoſophia, vtebatur, eum hoc loco pellere potuerit. Neque tamen electum neque publicis inimicitiis preſſum et ad relinquenda haec Muſarum caſtra coactum fuiſſe, ex oratione valedictoria patet, in qua beneuolentiam Wittebergenſium mire laudat, et ſe Lutheri placitis mordicus eſſe

addictum simulat, placide autem discessum meditari, actis publice gratiis profitetur. Vnde perperam CROSAEO [g] assertum, eum ex hac academia eiectum fuisse. Haec enim omnia, quae adduximus, huic ignominiae refragantur, et honestis titulis ex illa schola Brunum discessisse aperte loquuntur. Istam autem orationem typis eo anno edidit, in cuius titulo se doctorem vocat, quem gradum, incertum in qua doctrinae facultate, aut in Italia accepit, aut Parisiis; certe fine eo hoc loco cathedram superiorem, quam vocant, conscendere ei non licuisset.

Ars Lullistica a Bruno Wittebergae docta.

§. V. Praeter physicam, metaphysicam, et mathesin, quibus disciplinis eo tempore se totum dedisse Brunum ex scriptis eius tum editis euidens est atque indubitatum, artem quoque Lullianam eum Wittebergae docuisse valde verisimile est. Huic enim arti plurimum Brunum tribuisse, ex libellis *de Vmbris idearum*, *de compendiosa architectura et complemento artis Lullii*, *de imaginum, signorum et idearum, compositione, ad omnia inuentionum, dispositionum et memoriae genera*; *de vmbris idearum*; *et*, *cantu Circaeo ad memoriae praxin ordinato*, quos vel ante hoc tempus in Italia et Gallia vulgauerat, vel hoc demum tempore typis ediderat, est notissimum. Patetque ex libellis his ex parte operibus Lullii suffixis, quanta imaginationis ferocia et luxuria in hac arte vel tradenda vel exercenda versatus sit. In omnem autem partem orationis aciem vertere, et de quocunque argumento dissertare arti Lullianae proprium est. Et his sine dubio rationibus nituntur, qui, Brunum in academia Wittebergensi publica oratione diabolum laudauisse affirmant. Non procul hoc a moribus et arte Lullistarum abesse, vltro fatemur [h], licet si hoc scopo illud argumentum tractauerit, minori, quam obiici solet, inuidia id feciisse censendus sit. Ipsa quoque *Oratio valedictoria* eius, vt recte obseruatum Cel. HEVMANNO [i], Lulliana artificia redolet. Ast haec tamen omnia non sufficiunt, vt hanc narratiunculam admittamus tanquam veram, cum fidei historicae regulis prorsus aduersetur. Testes enim eius traditionis non alios habemus vel antiquiores, quam BARTHOL. KECKERMANNVM [k], et GASP. DORNAVIVM [l], quorum hic tamen satis prodit, incerto se eam rumori debere. Hos secuti sunt alii, Taubmannus, Vossius, Allatius, Crosaeus, quorum loca attulit HEVMANNVS [m]. Ast in re nulla verisimilitudine gaudente hi sane testes inepti sunt, qui in tanta rei singularitate et iniquitate adstruenda αὐτήκοοι requiruntur. Quod si tale quid ausus esset oratione publica Brunus, an vel toleratus fuisset in ista academia, vel oratione valedicere et beneuolentiam professorum ambitiose praedicare potuisset, Lectoris iudicio expendendum relinquimus, et sine formidine oppositi inter fabulas hanc

g) loc. citat.
h) Vide quae appositе monuit Cl. HEVMANNVS Act. phil. Vol. II. p. 392.
i) Ibid.
k) Systeм. Rhetor. Spec. I. p. 1647.
l) Dedic. Amphitheatri sapientiae Socraticae.
m) loc. cit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hanc narratiunculam reponimus. Solent autem fabularum plerumque occaſiones exiſtere, nec huic quoque defuiſſe originem, dubitandum eſt. Et Cel. HEVMANNVS quidem, qui magna accuratione Bruni hiſtoriam fabulis liberauit, inde hanc ignominiam infelici fuiſſe affrictam philoſopho putat, quod in lectionibus Lullianis ingenium oſtentando diabolum ſe laudare poſſe ſtulte magis, quam impie, iactauerit [n]: nec repugnamus, ſi quis ita incaute Brunum calumniae huius occaſionem exhibuiſſe ipſum contenderit. Totam tamen vitae Bruni ſcenam vno oculi ictu perluſtrantibus nobis veriſimilius eſt, fabulam hanc tunc demum cuſam eſſe, cum Brunus flammis vltricibus a Romanis eſſet deletus. Cum enim nimis inuidioſum eſſet, veritatem fateri, eum ob apoſtaſiam ordinis horrendo mortis genere fuiſſe ſublatum, quaerendae erant προφάσεις et impietas horribilis praetendenda, vt iuſte tam atroci ſupplicio enecatus crederetur. Cum autem Wittebergae docuiſſet, et publice quoque orationem habuiſſet, occaſio ita enaſci potuit commoda, oratori Lulliano, de argumento quouis differere auſo hanc culpam tribuere. Nec hoc a moribus inquiſitorum alienum erat, quibus Witteberga ſudes erat in oculis, et apud quos dira et nefanda quaeuis de Luthero et ſchola Wittebergenſi non credebantur modo, ſed et obiiciebantur. Quales calumniae hodie nondum deſierunt, licet tam impudentes, vt viros honeſtos, a Lutheri partibus alienos, earum pudeat. Quaecunque autem vera fabulae origo fuerit, illud lectorem, veri amantem et eius legibus vtentem, conceſſurum ſperamus, non poſſe eam probari, vt animo certitudinem hiſtoricam vel etiam veriſimilitudinem ſectanti fiat ſatis. Merito itaque cum illuſtri LEIBNIZIO [o] aliisque viris doctis, putidum mendacium ex hiſtoria philoſophica eiicimus.

§. VI. Witteberga, Pragam delatum eſſe Brunum, ibique librum edidiſſe *de Immenſo et infinito*, itemque *de Innumerabilibus*, et rurſum alium *de Vmbris et ideis* inque iis horrenda prorſus abſurdiſſima docuiſſe tradit porro Scioppius, cuius auctoritatem ſequuntur CROSAEVS NICERONIVS et illuſtris IORDANVS [p]. Aſt hoc quoque loco multa ſunt, quae crucem figunt, et narrationem Scioppii ſuſpectam faciunt. Quamuis enim librum *de Specierum ſcrutinio et lampade combinatoria* Pragae eſſe editum aſſerat MORHOFIVS [q], cuius fide ſtare nos poſſe non inuiti concedimus, nondum tamen inde ſequitur, Brunum Pragam Witteberga commigrauiſſe, quemadmodum miſere ratiocinatur Scioppius, Pragam eum delatum fuiſſe, quia libri eius ipſi Scioppio ex hoc loco fuerint ſubmiſſi. Credi vero vlla veriſimilitudinis ſpecie non poteſt, Brunum, qui animum pontificiis ſacris prorſus aduerſum in oratione valedictoria prodidit, et de crudelitate cleri tam acerbe queſtus erat, tot ſcilicet

Brunus an Pragae commoratus ſit.

n) Recte is ad exempla Ayreri, cuius proceſſus Satanae contra Chriſtum notiſſimus eſt, et Abrahami a S. Clara prouocat.

o) Leibniziana p. 142. IORDAN. l. c. HEVMANN. l. c.

p) loc. cit.

q) Polyhiſt. T. I. Lib. 2. c. 5. §. 29. p. 355.

cet mala et inexauditas vexationes, quod ait, expertus, in vniuerſitatem iisdem ſacris addictam abiiſſe, et nouis ſe periculis expoſuiſſe, anno vero, vt dicemus, ſequenti iterum in academiam Lutheranam commigrauiſſe. Falſum quoque eſt, librum *de Vmbris idearum* Pragae editum eſſe, qui in titulo annum clɔ Iɔ LXXXII [r] prae ſe fert, quo nondum ad Germanos Brunus delatus erat. Librum autem *de Immenſo*, tot, quod vult Scioppius, blaſphemiis plenum Pragae potuiſſe imprimi, quis rerum gnarus crediderit? Aſt plane confictam eſſe huius libri editionem Pragenſem, ex eius inſcriptione patet, cuius teſtimonio conſtat, librum hunc *de Monade, numero et figura, conſequens quinque de minimo, magno et menſura, item de innumerabilibus, immenſo et infigurabili, ſeu de vniuerſo et mundis, libros octo* prodiiſſe *Francofurti anno* clɔ Iɔ XCI, forma, quam vocant, octaua [s]; in cuius dedicatione ad Henricum Iulium Brunſuicenſium ducem et epiſcopum Halberſtadienſem narrat librum ſe *de Minimo* illi principi inſcripſiſſe. Aſt hic quoque *de Minimo* liber Francofurti editore Wechelo eodem anno clɔ Iɔ XCI prodiit, ante cuius editionem abſolutam fato abreptum Germania Brunum exceſſiſſe editor refert. Ergo non fuit amplius inter Germanos, cum liber *de Immenſo* prodiret, id quod ſatis probat, falſam eſſe narrationem Scioppii, qui aut malae fidei, vt Brunum ob mutatam ſingulis annis religionis profeſſionem calumnia opprimeret, aut, ſi aliorum relatione deceptus eſt, ſupinae negligentiae omnino reus eſt dicendus, hocque ſpecimine ſatis manifeſtauit, parum certitudinis fideique in eius narratione quoad pleraque deprehendi. Illud autem facile nobis perſuaderi patimur, Brunum, qui inter Lulliſtas haud ignobile nomen tuebatur, habuiſſe in ea arte, quae tum temporis inter Germanos paſſim magnifice extollebatur, ſuos Pragae aſſeclas et admiratores, quorum cura libelli nonnulli Lulliani ab eo profecti ea in vrbe editi ſint [t]. Quae coniecturae an cum ipſo facto conſentiant, illi certius iudicabunt, qui editiones Pragenſes viderunt. Nos enim eas modo vidimus, quae operibus Lullii apud Argentoratenſes editis adiectae leguntur.

Reliqua Germaniae loca vbi Brunus haeſit.

§. VII. Certiori fidei gradu ſcimus, apud Helmſtadienſes Brunum anno clɔ Iɔ LXXXIX fuiſſe verſatum, inuitatum gratia et beneuolentia ducum Brunſuicenſium Iulii, et Henrici Iulii. Et illius quidem fauore fuiſſe gauiſum ex *Oratione conſolatoria, a Bruno in academia Iulia in fine ſolenniſſimarum exequiarum illuſtriſſimi potentiſſimique principis, Iulii, ducis Brunſuicenſium, Lunaeburgenſium etc. prima menſis Iulii* „*anno* clɔ Iɔ LXXXIX habita, conſtat, in qua „prouidentia quadam, „factum eſſe, *ait*, vt neſcio quo vento ſeu tempeſtate ad regionem hanc „hiſce compulſus fuerit diebus, quibus funeri celſiſſimi principis inter-

„eſſet

r) IDEM l. c. p. 370.
s) Act. philoſ. Vol. I. p. 507.
t) De Specierum ſcrutinio Pragae 1588. MORHOF. l. c. T. I. L. II. c. 5. §. 29. p. 356.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

„esset ".“ Quanta autem illius principis, quem eruditorum asylum recte dixeris, gratia frui Bruno licuerit, ex his eius verbis intelligitur: „In mentem ergo, (ita ad seipsum orationem dirigit,) in mentem, Itale, „reuocato, te a tua patria honestis tuis rationibus atque studiis pro veri- „tate exulem, hic ciuem; ibi gulae et voracitati lupi Romani expositum, „hic liberum; ibi superstitioso insanissimoque cultui adstrictum, hic ad „reformatiores ritus adhortatum; illic tyrannorum violentia mortuum, „hic optimi principis amoenitate atque iustitia viuum.“ Ex quibus verbis recte, nisi nos omnia fallunt, colligimus, Brunum huius Moecenatis beneficentia post discessum Wittebergensem, sustentatum in eius terris vixisse. Idem de Henrico Iulio testatur Ioannes Wechelus [x], liberaliter Brunum et honorifice ab eo habitum fuisse. Iulio mortuo ad Francofurtenses Brunus delatus est, vt librorum suorum editioni praeesset. Quibus cum typographum Ioannem Wechelum inuenisset anno cIↃ IↃ xc in ea vrbe haesit, schemata ipse sua manu sculpsit, operarumque se correctorem praebuit; alia industriae monumenta affecta habuit, alia animo concepit. Verum et hoc loco persecuta eum fatorum iniquitas sequente anno eiecit, incertum quo casu, quaue de caussa, certe graui et inexpectata, parumque laeta. Id enim Wecheli verba satis manifeste produnt, Id. Febr. anni cIↃ IↃ xci scribentis [y], *cum vltimum duntaxat supereſſet operis de Minimo folium, casu repentino auulsum, extremam ei, vt ceteris manum imponere non potuisse, perque literas rogauisse, vt quod sibi per fortunam non liceret, ipse pro se suo nomine praestaret.* Eodem tamen anno cIↃ IↃ xci liber quoque *de Monade, numero et figura* prodiit, eidem principi inscriptus, quem operis quoque Wechelianis debemus. Cum in hoc carmine libros suos, *Sigillum sigillorum; de principio, caussa et vno, de principiis rerum; de sphaera;* in partes vocet, liquet inde, eos iam tum typis fuisse vulgatos.

§. VIII. Ex Germania quo delatus sit, certo definire non audemus; coniicimus autem haud contemnendis rationibus in Britanniam eum secessisse. Ibi enim fuisse, ex iis quae supra de carminibus eius, quibus titulum fecit, *li Heroici furori*, quaeque in secessu hoc Anglico composuit, indubitatum est. Quamuis autem suspicari nos posse, supra iam monuerimus, Brunum cum legato Galliae regis, ad Anglos Castelnauio, cuius praesidio contra persecutiones inimicorum tegebatur, anno cIↃ IↃ lxxxiv illuc concessisse, quo pacto cohaereret annus editionis libri *de Bestia triumphante*, quem qui viderunt huic anno tribuunt, et Philippo Sidneo inscriptum esse referunt: Hoc tamen pacto reliqua, iter nempe Helueticum, Gallicumque non conspirant. Nobis itaque verisimilli- *Ex Germania quo delatus Brunus.*

u) Recudi eam fecit Cel. HEVMANNVS Act. philos. Vol. III. p. 452.

x) In Dedicatione libri de Minimo.

y) loc. cit.

ſimillimum videtur, Brunum paradoxarum ſententiarum inuidia vbique preſſum et exagitatum tandem ex Germania ad Britannos ſeceſſiſſe, et a Philippo Sidneo liberaliter habitum omnique officiorum genere recreatum fuiſſe. Conuerſatum autem cum foeminis quoque Anglorum ex laudibus earum, quas *Heroicis furoribus* adnexuit, colliges. Quodſi inter Britannos tum vixit, diu ibi eum non haeſiſſe oportet. Anno enim clɔ Iɔ xcii Valens Acidalius ad Michaëlem Forgazium, Baronem Gimeſii Patauii haerentem ita ſcripſit [z]: *Quaero etiam vnum: Iordanus Brunus, is quem Wittebergae noſti, Nolanus Batauii nunc apud vos viuere et docere dicitur. Ita ne eſt? et quid hoc hominis in Italia audet, ex qua vt olim fatebatur, exul abiit; miror, miror, nec rumori adhuc fidem habeo, etſi ipſum a fide digniſſimis. Tu me docebis, et aut certum aut falſum facies.* Non ſubiungitur quidem inter epiſtolas Acidalii a fratre eius editas reſponſio Forgazii, dubitandum autem non eſt, quin reuera ea in academia Brunus, neſcio qua leuitate animi ductus, haeſerit, et philoſophiam ſuam paradoxam nonnullis tradiderit. Venetiis enim in manus inquiſitionis veniſſe teſtatur Scioppius. Aut itaque animo deſultorio actus Brunus, patriam repetere auſus eſt, aut animi confidentia periculum, quod praeuidere poterat, contemſit. Id quod facile nobis perſuadere poſſunt verſus eius in libro *de Numero* [a]:

At nos, quantumuis fatis verſemur iniquis
Fortunae longum a pueris luctamen adorſi
Propoſitum tamen inuicti ſeruamus et auſus,
Queis vel forte Deo tantummodo teſte valemus,
Vel non vsque adeo aegroti ſumus atque ſopiti,
Vel certe ſenſum morbi retinemus, et vltro
Temnimus, et mortem minime exhorreſcimus ipſam.
Viribus ergo animi haud mortali ſubdimus vlli.

Fata Bruni vltima.

§. IX. In Italia cum haereret, aliquandiu tutus latuit, tandem cum, quod coniicimus, oris libertate vteretur, eosque corriperet, quos tangere piaculum eſt, maximum in ſuum caput malum cumulauit. Venetiis enim anno clɔ Iɔ xcviii ab inquiſitione prehenſus et carceri incluſus eſt, ſine dubio, quod innotuiſſet, eum non modo ab eccleſiae Romanae communione defeciſſe, ſed et ſacrum ordinem deſeruiſſe, quales apoſtatas ordinis, quos vocant, ſeuere punire ſolet ſacrae inquiſitionis officium. Videtur autem et verborum, quod ſolebat, vehementia atque impudentia, et librorum, qui in Italiam miſſi erant, quique horrendas blaſphemias continere dicuntur Scioppio, diuulgatione, in vrbe Patauina, quam in ditione Venetorum ſitam tutam ab inſidiis inquiſitorum putabat, indicium praebuiſſe atque occaſionem eum capiendi atque ferali rogo imponendi. Enarrabimus rei euentum Scioppii verbis, qui teſtis

z) Epiſtolarum a fratre editarum ſecunda p. 20. a) L. I. v. 38. ſeq.

teſtis fuit αὐτόπτης et αὐτήκοος, et eodem die, quo miſer ignibus vſtulatus periit, rem omnem ad Rittershuſium perſcripſit, vt inuidiam, in quam incurrere horrendo facinore Romanos intelligebat, apud Germanos deprecaretur. Is ita rem tradit: „Tandem Venetiis in inquiſitionis manus per„uenit, vbi diu ſatis cum fuiſſet, Romam miſſus eſt, et ſaepe a S. officio, „quod vocant inquiſitionis, examinatus, et a ſummis theologis con„uictus, modo quadraginta dies obtinuit, quibus deliberaret. Modo „promiſit palinodiam, modo denuo ſuas nugas defendit, modo alios „quadraginta dies impetrauit. Sed tandem nihil egit aliud, niſi vt pon„tificem et inquiſitionem deluderet. Fere igitur biennio poſtquam hinc „in inquiſitionem deuenit, nupera die nona Februarii in ſupremi inquiſi„tionis palatio, praeſentibus illuſtriſſimis cardinalibus S. officio inquiſitio„nis, qui et ſenio et rerum vſu et theologiae iurisque ſcientia reliquis „praeſtant, et conſultoribus theologis et ſeculari magiſtratu, Vrbis gu„bernatore, fuit Brunus ille in locum inquiſitionis introductus, ibique ge„nubus flexis ſententiam contra ſe pronuntiari audiit. Ea autem fuit „huiusmodi: narrata fuit eius vita, ſtudia et dogmata, et qualem inqui„ſitio diligentiam in conuertendo illo et fraterne adhibuerit, qualemque „ille pertinaciam et impietatem oſtenderit. Inde eum degradarunt, vt „dicimus; prorſusque excommunicarunt, et ſeculari magiſtratui tradide„runt puniendum, rogantes, vt quam clementiſſime, et ſine ſanguinis „profuſione puniretur. Haec cum ita eſſent peracta, nihil ille reſpondit „aliud, niſi minabundus: maiori forſan cum timore ſententiam in me „dicitis, quam ego accipiam. Sic a lictoribus gubernatoris in carcerem „deductus ibique octiduo aſſeruatus fuit, ſi vel nunc errores ſuos reuo„care vellet. Sed fruſtra. Hodie igitur ad rogum ſiue pyram deductus eſt. „Cum ſaluatoris crucifixi imago ei iamiam morituro oſtenderetur, toruo „eam vultu aſpernatus eſt. Sicque vſtulatus miſere periit, renuntiaturus, „credo in reliquis illis, quos finxit mundis, quonam pacto homines blas„phemi et impii a Romanis tractari ſoleant.„ Haec Scioppius, Romae XVII Febr. anni cIↃIↃc, cuius narrationi velut fide dignae calculum adiecerunt, eamque repetiuerunt, Io. Henr. Vrsinvs [b], Theophilvs Spizelivs [c], Io. Tolandvs [d], Io. Fr. Buddevs [e], Iac. Fr. Reimmannvs [f], M. Veiss. la Croze, P. Niceronivs [g] aliique, qui tragicum vitae Bruni exitum enarrarunt. Aliter tamen viſum aliis, dubitauit enim de fide Scioppii, qui Bruni inter eruditos Neapolitanos meminit Nicodemvs [h], quem ſequitur P. Bayle [i], Haymivs autem [k], qui libros raros inter Italos collegit, neſcio, quo auctore, in effigie tantum crematum eſſe aſſerit. Nobis non ſatis cauſſae videtur ſuppetere, vt de re ipſa,

b) l. c. p. 5. ubi tamen falſum eſt die 9. Febr. Brunum fuiſſe extinctum.
c) De Atheiſmo.
d) l. ſupra cit.
e) Theſ. de Atheiſmo c. 1. §. 24.
f) Hiſt. Atheiſmi Sect. III. c. 4. §. 16. p. 374.
g) l. c.
h) Addit. ad Toppii Biblioth. Neap. l. c.
i) l. c.
k) Notizia dei libri rari nella ling. Ital. p. 184.

eiusque certitudine hiſtorica dubitemus. Licet enim in haud paucis fidem Scioppii ſupra in dubium vocauerimus, hoc tamen loco, vbi de mortis Brunianae genere ſermo eſt, illi deneganda haud eſt. Ea enim narrat, quae ſi facta haud fuiſſent, vel aliter geſta, reticuiſſet, nec incerto rumore ſcripſiſſet, cum probe praeuideret, haud exiguam Romanis inuidiam apud exteros ea conflatura eſſe; ideo autem ipſo executionis die ad Rittershuſium ſcripſit, vt famam rei inſolentis, communemque Romanorum opinionem per vulgus, vt fatetur, ſparſam, Lutheranum hominem fuiſſe combuſtum praeuerteret. Quamuis etiam ea quae narrando acceperat, perperam falſeque ad Rittershuſium perſcripſit, vt ſupra demonſtratum, in deſcribendis tamen fatis vltimis Bruni errare vix potuit, cum ipſe, vt ſcribit ad amicum, S. inquiſitionis officio interfuiſſet, dum ſententia contra eum lata eſt. Itaque hac ratione rem eueniſſe, omnino verum eſſe putamus. Neque enim haec, licet horrore plena, a conſuetudine inquiſitionis tum abhorrebant. Aſt de vera mortis cauſſa paulo intricatior difficiliorque quaeſtio eſt. Et fuiſſe quidem Brunum velut apoſtatam, qui ex ſacro ordine ad Lutheranos defeciſſet, diro mortis genere e viuis ſublatum, omnes tum Romani credebant, id quod ipſe fatetur Scioppius. Is autem meliora, vt ait, edoctus, cum ſententiam latam cauſſasque condemnationis coram tribunali audiuiſſet, Rittershuſium docet, eum blasphemiae cauſſa fuiſſe interemtum. Pollicem in eo premunt Scioppio, Vrſinus, Spizelius, Buddeus, Reimmannus, et qui omnium prolixiſſime et doctiſſime hanc cauſſam ornauit Cel. LA CROZE [l]; contrarium autem ingenioſa apologia tuitus eſt praeſtantiſſimus HEVMANNVS [m]; ille enim ob atheiſmi et impietatis culpam vltrices flammas Brunum pertuliſſe, hic ob deſertum ordinem et defectionem ad Lutheranos ſublatum, paradoxas autem opiniones tantum ad emolliendam horrendi ſupplicii inuidiam adductas eſſe contendit. Difficile autem eſt, in hac quaeſtione arbitri partes ſuſcipere, et iudicium accuratum interponere, cum ad veriſimilitudinis gradus et momenta probe ponderata res omnis redeat, id quod haud raro a diuerſis lectoribus diuerſo animo et effectu ſolet inſtitui. Dicemus nos ſententiam noſtram, eiusque rationes ita explicabimus, vt integrum ſit lectori, quas certiores putat, partes ſequi. Duo autem in hac quaeſtione enodanda probe diſtinguenda ſunt, quae inter ſe confuſa diſceptationem virorum doctorum fecere ambiguam et incertam, ſcilicet, vtrum Brunus atheismum incruſtauerit, et impiis atque blaſphemis doctrinis religionem naturalem et reuelatam euerterit? et tum, vtrum ob haec atheiſmi et impietatis veſtigia Brunus flammis addictus ſit [n]? et annon illis in ſpeciem modo adductis, vera cauſſa fuerit apoſtaſia ordinis? Et prius quidem momentum accuratius expendendi occaſionem nobis commodiorem ſubminiſtrabit ſequens tractatio: ad poſterius autem, ſi Scioppii fide ſtandum

l) l. c. m) l. c. Cui exemplo praeiuit MOSHOFIVS l. ſupra laudato. n) Conf. LEIBNIZ. Epp. Vol. IV. p. 37.

dum est, omnino ita respondendum est, blasphemiam commouisse patres inquisitionis officio praefectos, vt igne vindice hoc scandalum tollerent. Ast suspectum valde Scioppium esse, quod ita inuidiam saeuitiae declinare et a Romanis suis auertere voluerit, cum omnium, ipso fatente, consensu traderetur, Brunum ob desertum monasterium ecclesiamque Romanam in cineres fuisse redactum, supra iam haud contemnendis rationibus euicimus, et ipsa epistolae Scioppianae lectio satis superque suadet. Fatemur autem, circumstantiis omnibus probe ponderatis, eam, quam tam studiose a Romanis amoliri satagit Scioppius, sententiam videri nobis vero longe similiorem, et ipsum Scioppii studium supplicii Bruni excusandi pingendique malam caussam prodere, et innuere, dicis modo caussa heterodoxas assertiones ab inquisitione fuisse adductas. Quamuis enim paradoxa dogmata in coetu Romanensium, isto potissimum tempore, aequis auribus audita non semper sint, et interdum ab inquisitionis officio censuram aliquam meruerint, vix tamen exemplum ostendi potest, eorum assertores, immo atheismi haud obscuros patronos capite plexos fuisse, modo ecclesiae auctoritati caput submittere, et iudicio eius se suasque opiniones tradere non recusauerint. Cuius exempla qui postulat, eum recolere memoria illa iubemus, quae de Pomponatio, Portio, Cremonino Caesalpino aliisque in media Italia impietatis semina spargentibus suo loco diximus. Posito itaque, de quo tamen adhuc disputandum est, Brunum mundis suis innumerabilibus aliisque opinionibus a communi scholarum et ecclesiae decretis dissonantibus, in ipsam religionem Christianam et naturalem iniurium fuisse, non tamen nobis persuadere possumus, tam feralem in eum sententiam pronuntiaturos fuisse sacri tribunalis iudices, ipso Minoë et Rhadamanto seueriores, si in gremio Romanae ecclesiae mansissset, et illi obsequium detulisset, opiniones suas eius censurae iudicioque submittendo. Ast desertores sacrorum ordinum et ad haereticos quos vocant delapsos mortis poena haud raro fuisse affectos, praetextum autem et colorem ab impietate et blasphemia fuisse petitum, tot exemplis probat inquisitionis historia, vt ad vnum LIMBORCHIVM *) prouocare liceat, si haec omnia iustis rationibus suffulta exemplisque illustrata verisimillima esse pronuntiandum sit.

§. X. Bruniani ingenii characterem qui desiderauerit cognoscere, illi scripta viri singulari prorsus indole praediti legenda sunt: vnum autem cum cura, et quam imprimis postulat, attentione lectum, satis superque docebit, quam mira animi conditione et ingenii singulari natura ab aliis differat. Prima autem, quae in eo vigebat, imaginationis vis fuit, adeo effusa et extra orbitam rapta, vt nisi nos omnia fallant, vix simile vagantis per innumeras easque mire inter se connexas complicatasque imagines ingenii exemplum inuenire liceat. Hinc ad concipienda sibi animi εἴδωλα, conceptusque miros, insolentes, abstrusos, et pauciissimis, ex iis praesertim,

Character ingenii Bruniani.

*) In Historia Inquisitionis.

sertim, qui adaequatas et claras ideas sectantur, comprehensibiles adeo pronus est, vt his obruere lectorem, et innumeris imagunculis replere, quam ordine singula et simpliciter enumerare, malit. Hoc non in carminibus modo prodidit, in quibus incredibilis quaedam imaginationis licentia et lasciuientis ingenii fertilitas latet, sed in iis quoque, quae dicendi genere non adstricto scripsit, vbique ea occurrunt, adeo vt de abstractissimis metaphysices notionibus miras vbique imagines seminet. Immo in ipsis eius orationibus notionum confusarum et ex hac fertilitate sua quasi mole obrutarum exempla mirumque chaos vocum nihil certi significantium, sed mentis ideas confundentium deprehenduntur. Cuius si quis exemplum illustre valdeque memorabile cupiat, quo dictis fides concilietur, eum epilogum *Orationis valedictoriae* legere iubemus, miraturum, quo ruat oratoris enthusiasmo quodam correpti, ingeniique emoti furor et insana affectio. Et hinc caussa deriuanda est, cur Lullianae arti tantum Brunus pretium statuerit, quantum vix alius, curque aliquot libellis, *de specierum scrutinio; de progressu et lampade venatoria Logicorum; de artificio perorandi; de imaginum, signorum, et idearum compositione;* aliisque supra iam ex parte adductis de ista arte merere conatus sit. Non detinebimus Lectorem istis nugis, curiosum earum ad MORHOFIVM [p] remittentes, sed verba modo Bruni adducimus, quibus quantus in ea arte Lullistica vel Nullistica potius, vir fuerit, ipse, ne nesciremus, prodidit. Scribit enim [q]: *Nobis ita successisse praesumimus, vt quicquid ab antiquioribus hac de re fuit consideratum, praeceptum et ordinatum, non sit conueniens pars inuentionis nostrae, quae est inuentio supra modum praegnans, cui appropriatus est liber magnae clauis. Nobis enim datum est, illam inuenisse et perfecisse, nec locis materialibus (verificatis, seu per sensus exteriores) vltra non indiguimus, nec ordini locorum memorandorum ordinem adstrinximus, sed puro phantasiae architecto innixi ordini rerum memorandarum locorum ordinem adligauimus.* Facile largimur Bruno hanc gloriam, neminem veterum vel recentiorum adeo insaniuisse, qui vna *Logicae venatoriae* lectione conuicti scimus, quanto furore imaginationis somnia in ista arte sequatur, et ad nauseam vsque depingat. Nimia autem imaginationis extra orbitam vagantis licentia, supprimi iudicandi vim, et haud raro, quo plus est ingenii, eo minus esse iudicii, nemo ignorat, qui humanae mentis vires atque operationes intelligit, et historia intellectus humani innumeris exemplis comprobat, Bruni autem omnium manifestissime demonstrat. Desideratur enim vbique fere in huius philosophi meditationibus scripto comprehensis illa iudicandi acies, quae ingenii commenta a veritatibus solidis distinguit, in nexus systematum penetrat, rationibus verisimilitudine decipientibus caussas veras, et ad rerum naturam indolemque pertinentes opponit, ac quid

p) l. c. T. I. pag. 371. Conf. BAYLE l. c. not. C.

q) De vmbris idearum, apud MORHOF. l. c. p. 270.

quid distent aera lupinis, et paralogismus a vero ratiocinio, differat, intelligit. Id quod curiosus et ad causas et rationes propositionum a Bruno adductas attentus Lector facile intelliget: nam et ipsae, quas haud raro assertum it, doctrinae absurdae sunt et ratione carentes, et definitiones ineptae, mancae, superficiariae, solisque imaginationis conceptibus nonnullis sine fundamento inaedificatae, et modus ratiocinandi confusus, maleque cohaerens, et tota argumenti philosophici tractatio, obscura, mirisque anfractibus ita ambigua, vt quae eius mens sit, quid de eius assertis statuendum Lector haereat maxime ambiguus. Quam rem vt palpandam Lectori exhibeamus, cum in magna, quae passim regnat scriptorum Bruni raritate, illa modo compendio φιλοσοφουμένων infelicis philosophi legere iubemus, quae industriae acutissimi HEVMANNI r) excerpta debemus. Ea enim, licet minimam eorum partem, eamque fere tolerabiliorem, constituant, ita tamen comparata sunt, vt dicta euidenter confirment. Quae cum ita se habeant, recte illi pronuntiasse censendi sunt, qui Bruno inter ingenia phantastica et enthusiastica, quae vocant, locum haud vltimum assignant, eumque audacia magis statuendi, et imaginationis fertilitate, quam inuentione iudicii et veritatis erutae felicitate in historia philosophica memorabilem esse pronuntiant.

Brunus veritatis quasdam detexit.

§. XI. Quamuis autem haec ita se habere, et virtutem philosophi magni primariam denegandam esse Bruno ex his consequatur, non tamen putandum est, nihil veri vidisse Brunum, nec veritatem vllam detexisse. Cum enim maxima philosophandi cogitandique libertate vteretur, lectione autem in veterum philosophorum scriptis esset satis exercitatus, et mathematicarum insuper scientiarum adminiculis suffultus, multa vidit, vbi a paroxysmo ineptientis imaginationis paulo liberior effulsit, animus, quae haud vna ratione probari possunt debentque, et nostrorum temporum felicitas velut insignes veritates demonstrauit. Eam enim ingeniorum paradoxorum naturam esse, vt inter mille luxuriantis imaginationis naenias interdum incognitas easque praestantissimas veritates eruant, aurumque interdum ex stercore producant, non ignorant, qui ingeniorum historiam callent. Dari huius rei exempla haud pauca ex scriptis Bruni possent, si id ageremus, vt specialem Bruni historiam scriberemus, facile vero Lector ex iis, quae diligentiae virorum doctissimorum debemus, qui Bruni historiam tetigerunt, eius rei exempla petere poterit, etiamsi libris Bruni destitutus. Illud autem non praetereundum, Brunum multa vidisse, quae recentiores philosophi, nescio an forte fortuna, an luminibus Brunianis vsi, velut praestantissimas veritates detexerunt, asseruerunt. Inter quos imprimis Cartesium esse, qui, quod in multis Bruni vitulo arauerit, pridem obseruatum P. D. HVETIO s), G. G. LEIBNIZIO t), MORHOFIO,

r) Locis citatis.
s) Cens. Philos. Cartes. c. 8.
t) Leibniziana p. 143.

HOFIO [t], CROSAEO [u], IORDANO [x] aliisque, qui, ne nimii simus, ipsi consulendi sunt. Nos vt dictis fidem faciamus, ad duo eius rei prouocamus specimina, quorum alterum vortices Cartesii sunt, et globi illi in infinito aëre circum centra sua acti, aliaeque physicae Cartesianae hypotheses, alterum dubitatio ad philosophiae principia vel initia potius reuocata. Vtrumque caput passim probatum Bruno, qui tamen prius a Democrito posterius ab Academia accepit. Nec negat Brunus, se veterem philosophiam resuscitauisse, canens [y]:

Vsus, principiumque erimus, quando sapientum
Dogmata priscorum priscis clarissima verbis
E fundo eruimus tenebrarum - - -

Neque cum Cartesio tantum Bruno in quibusdam, quae ille pro nouis venditauit, conuenit, sed alios quoque philosophos nonnulla noua aut debere Bruno, aut cum eo saltem inscios facere recte obseruatum illustri IORDANO [z], qui Gassendum et Leibnizium huc aduocat. Et illum quidem in describenda atomorum natura, si non Bruni vitulo arare, id quod haud facile quis dixerit, cum eo tamen conspirare, ex illis intelligitur, quae de atomis in libro *de Minimo* [a] passim differit. Illustrem Leibnizium autem, quem Bruni libros legisse constat [b], nonnulla vel ab eo recepisse, vel illi saltem aequalia tradidisse, exemplis facile probari potest. Vidit enim et asseruit ante Leibnizium Brunus non esse possibile, in specie vlla duo omnino concordantia vel aequalia indiuidua comperire [c]; mundi partes, et quae in eo sunt, ad vniuersi perfectionem conducere [d], malum esse nihil, quod non alicubi sit bonum, optima omnia, quae a natura gubernantur [e], Dei voluntatem esse necessitatem, neque tamen eam libertati praeiudicare, velle enim immutabilem substantiam immutabiliter, sed non aliena sed propria voluntate, adeoque id ipsam libertatem esse [f], et similia, quae magno acumine postea ornauit vir summus. Ex quibus constat, inter plurimas ineptias, vt solet accidere ingeniis paradoxis, interdum praestantissimas veritates vidisse Brunum, quae satis euincunt, pulcherrime de philosophia mereri potuisse, si sobrie magis philosophari, quam somniis imaginationis pasci voluisset. Maxime vero in doctrina de systemate mundi veritates hodie magnis viris probatas asseruit, et partim ex schola Pythagorae, cui amplissime fauebat, partim ex disciplina Copernici, cui plurimum tribuebat [g], hausit, nonnullas impetu quodam ingenii et casu detexit. Inter quas imprimis commendat, qui *Scripturam Copernici-*

t) l. c. T. II. L. I. c. 15. §. 6. p. 111.
u) l. c. p. 320.
x) l. c. p. 10. add. Act. erud. 1682. p. 187. BAYLE Dict. l. c.
y) De Minimo c. 1. v. 150. p. 6.
z) loc. cit.
a) p. 10.
b) Epist. Vol. III.
c) De Minimo p. 71.
d) Ib. p. 132.
e) Ibid. p. 133.
f) Metaph. p. 9.
g) De Vniuerso L. III. c. 9. Act. phil. Vol. I. p. 884. Errat itaque MORHOFIVS T. I. p. 875. qui Brunum Copernico priorem istas veritates vidisse, hunc autem prius publicauisse putat. Obiit enim Copernicus cum in cunis adhuc vagiret Brunus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pernizantem edidit Io. IACOBVS ZIMMERMANNVS, quod ſtatuerit, duorum generum ſtellas eſſe, ſoles immobiles et terras mobiles; mundos reliquarum planetarum noſtro eſſe ſubſtantia ſimiles; terram non minus lunae lumen aliquod tribuere, quam lunam terrae; habere ſua centra ſuosque vortices et ſoles, et quae circa illos voluantur planetarum globos; addi his poſſunt alia, tellurem in planetam mutandam [h]; cometas eſſe planetas, proprio circulo gaudentes [i], tellurem non ſeruare regularem illam ſphaericitatem exacte [k], et quae alia ſunt, recentiſſimis virorum praeſtantiſſimorum obſeruationibus pluribus probata, quae ſatis produnt, nec diſciplinam Bruno defuiſſe, nec felicitatem inueniendi, ſi nugari noluiſſet. Aſt ſuppreſſit has virtutes, ſcintillasque iſtas extinxit, vanitas hominis, et Pythagorica deliria ſectantis et imaginationi habenas prorſus laxantis, vnde tot abſurda et a ſanioris iudicii calculo prorſus deſtituta in eius ſcriptis occurrunt, qualia ſunt: periodicus rerum omnium recurſus, et circulus, quem et anima in reuolutione ſua ſubit [l], metempſychoſis more Pythagorico aſſerta, intelligentia ſiue anima rebus omnibus indita cum actu cognitionis, vnde res omnes, etiam minimae ſenſum et cognitionem habent, numeros, figuras et nomina naturam rebus inſcribendo [m]; earum eſſentiam inſculpſiſſe, hisque numeris rite intellectis Pythagoram, Zoroaſtrem, Apollonium Tyaneum, Hermetem miracula patrauiſſe [n]; numerorum nominumque mutatione, mutari poſſe hominum ſtatum et conditionem [o]; fata hominis eius manibus eſſe inſcripta, immenſitatem Dei neceſſario requirere vt ſint infiniti mundi [p]; quia in Deo idem ſit, poſſe et eſſe, ideo omnia quoque eſſe, quae ille poteſt [q], eſſe ſibi genium propoſitionibus obſcuris remurmurantem, eſſe in ſole quoque animantia hominibus praeſtantiora, quae, vt ignis, nutriantur, eſſe [r] naturam numen [s], hancque Deum in rebus credendam et nominitandam; nullum eſſe lapidem ſine anima, eiusque virtutes per ſomnia, affectuum commotiones, et repreſſiones ſe eſſe expertum [t], cui hypotheſi inſulſas fabulas de ſpectris, lemuribus, incolisque variis elementorum inaedificat. Qualia multa cum in ſcriptis Bruni paſſim occurrant, ſatis produnt, eum cum ratione inſaniuiſſe.

§. XII. Ex hac ingenii Bruni affectione ſequitur, ineluctabilem obſcuritatem et confuſionem in eius philoſophematis regnare debere. Id ipſa ſcriptorum eius lectio adeo euidenter comprobat, vt P. BAYLE [u], qui acumine vtebatur inſolito, et haud raro in abſtruſos ſcriptorum ſenſus mira felicitate penetrabat, faſſus ſit, praecipuas eius doctrinas, millies

Obſcuritas et confuſio in ſcriptis Bruni regnant.

h) De Min. p. 65.
i) De Vniu. L. VI. c. 20. p. 564.
k) Ibid. L. IV. c. 17. p. 441.
l) De Minimo p. 13. 21.
m) Metaphyſ. p. 102.
n) De Numero c. 1. p. 10.
o) Ibid. c. 6. p. 93.
p) De vniuerſo L. I. c. 6. p. 173.
q) Ib. c. 10. p. 341.
r) Ibid. L. IV. c. 7. p. 379.
s) Ibid. c. 10. p. 492.
t) p. 500.
u) loc. cit.

lies obſcuriores eſſe omnibus iis, quae dixere ſectatores Thomae Scotique, nos certe obſcuriorem vnquam philoſophum non deprehendiſſe, et vacuos haud raro ab eius lectione, licet cum attentione repetita receſſiſſe, ſponte fatemur. Cauſſas autem tantae obſcuritatis nemo diu quaeſiuerit, qui ingenii eius characterem ſupra delineatum probe conſiderat. Ita enim cum eo comparatum erat, vt inter innumeras, quas ſibi fingebat, ideas et notiones miris plexibus inter ſe complicatas, diſtinguere, et ſuis quasque locis ponere haud poſſet. His confuſis inter ſe animi conceptibus cum inuſitata ſigna et imagines tribueret, dici non poteſt, quam obſcurus et nihil ſignificans euaſerit. Acceſſit dictio poëtica, in qua Lucretium imitando antiquas voces affectabat, ipſas grammaticae regulas autem ſtudio haud raro negligebat, idque et licitum ſibi eſſe, et nouae philoſophiae ſuae haud parum decoris afferre contendebat [v]. Quibus cum iungeret ſententias, notionesque nouas, inauditas, hasque miris praeciſionibus metaphyſicis formatas, at inſolentibus imaginibus veſtitas, ſaepius autem ad furorem vsque artis poëticae licentia vteretur, fieri aliter non potuit, quam vt Heraclito fieret obſcurior. Accidere haec Bruno non temperamenti tantum vitio, ſed et affectata, vt maior in obſcuris videretur, et myſteria vendere crederetur diligentia. Canit enim:

- - Non haec fercula vulgo
Porrigimus, porro hinc ad malas commoda, genti
Inſtituenda damus, quae non intelligat ipſa
Omnia. - - - -

Ita vero dum latebras quaerit, et velo ſe tegit, Pythagoreos, vt videtur, imitatus, ne tanta myſteria vulgo pateſcerent; philoſophorum γνησίων numero ſe ipſum expunxit. Nec ita Dauus fuit Brunus, vt non ipſe intelligeret, verborum proprietatem et claritatem a philoſopho requiri; ſcribit enim [w]: *Si quispiam ab hoc philoſophiae non populari genere verborum cum proprietate ſimplicitatem tentauerit excludere, magis parricidii et ſacrilegii reus eſto, quam ſi Deorum ſacroſanctas imagines profanauerit.* Obſcuritati Bruni iungi poteſt debetque ſpiritus, quem fouit, contradictorius, quo non vni tantum Ariſtotelis ſcholae, ſed omnibus omnino

Bruni ſpiritus contradictorius.

v) En quaeſo eius verba, de Minim. exiſt. L. I. c. 1. v. 128. ſeqq. p. 5. ſeq.
Nec ſciolus quisquam e cataclyſmo grammaticorum
Per quos ſobuerſum eſt ſophiae genus omne, putetur
Dignus, qui accedat, titulo quocunque ſuperbus
Vt te vel doceat, vel de iſtis indicet expers
Luminis. Ac ſtultus quaedam minus eſſe Latine
Inſultet dicta, vt et rebus deroget alte
Deſcriptis, ſed verba putet vocesque Deorum
Aptata his numeris quadrantia ſenſibus hisce
Quamlibet inuitus, ſiquidem ſua pondera dictis
Senſa dabunt noſtris vbi linor ſuppeditatus
Ceſſerit; incipietque nouae comprendier artes
Quid claudant, et quid promant: tunc vi meritorum
Multa renaſcentur, quae iam cecidere cadentque
Quae fuerant in honore vocabula nam volet vſus
Vſus principiumque erimus, quando ſapientum
Dogmata priſcorum priſcis clariſſima verbis
E fundo eruimus tenebrarum, pro nouitate
Si ſit opus rerum quocunque e fonte trahantur
Commodius, vocum authores erimusque nouarum,
Grammatici verbis at nobis verba miniſtrent,
Ii obſeruent vſum, quem nos indicimus ollis.
Nec genus inſipiens temerata mente proternum
Confundat ſpecies, turbet genus omne, vt vbique
Artes in crepidam vetrahantur grammaticalem.

w) De Minimo L. I. c. 1. ad v. 152. p. 8.

omnino philosophis se opposuit. Testem damus inscriptionem articulorum, quos ad disputandum Parisiis proposuit, quam heic repetimus: *Articuli de natura et mundo, a Nolano in principibus Europae academiis propositi, quos Ioannes Hennequinus, nobilis Parisiensis, sub eiusdem felicibus auspiciis contra VVLGARIS ET CVIVSCVNQVE ADVERSARIAE PHILOSOPHIAE professores triduo Pentecostes in vniuersitate Parisiorum defendendos euulgauit, breuibus adiectis rationibus* x). Talis cum esset, hocque sibi constitutum haberet, vt omnibus contradiceret, non potuit non, vbi vera, clara, certa deerant, falsa, obscura, ambigua afferre, eaque vt pingeret, anfractuoso et tenebris abscondito probandi genere vti. Ex quibus omnibus, quem inter philosophos locum Brunus occupet, Lector, nobis non monentibus, intelligit. Et meruit quidem in eo laudem Brunus, quod sectariam philosophiam maximo odio sit prosecutus, probe enim intelligebat, verae eam sapientiae e diametro esse contrariam, et obstacula philosophanti haud pauca obiicere; de qua re mentem ita suam declarat y):

Nam vos, o Musae, quacumque ex parte venitis
Appositae, excipiet gratas sophiae genus altum
Quamlibet eque schedis Cumanae verba Sibyllae,
Euandrique rogis referantur, cuncta probantor.

Quae non ad antiquata modo et reprobata a grammaticis verba pertinent, sed ad philosophiam quoque ipsam, de qua in antecedentibus dixerat:

- - - - quando sapientum
Dogmata priscorum priscis clarissima verbis
E fundo eruimus tenebrarum - - -

Et hoc quidem respectu ferri excusarique posset, quod omnibus philosophis, qui tunc sectarii erant, se opposuerit. Neque magnopere improbari potest, quod eos philosophos detestatus sit, qui panis lucrandi caussa philosophantur z), quamuis ipse inopia pressus πρὸς ἄλφιτα philosophatus sit; obstare enim mercenariam diligentiam philosophiae eclecticae, et haud pauca impedimenta obiicere, experientia multoties docuit. Immo nec in eo peccasse censendus est, quod Aristotelem vbique impugnauerit: licet enim in eo modum excesserit, quod philosophorum stupidissimum Aristotelem appellet a), fatendum tamen, in nullo minus argumento placere posse Aristotelem, quam in eo, quod sibi tractandum nouisque hypothesibus illustrandum sumserat Brunus, nempe physico. Hinc non modo Parisiis, vti dictum, eum publice oppugnauit, sed et passim in carminibus suis calamum in eum strinxit, et scholam Peripateticam mire exagitauit, multisque rationibus adortus est, vt variis speciminibus in eius

x) NICODEMI, BAYLE, ll. cc.
y) De Min. L. I. c. 1. v. 152. seq. p. 6.
z) De Immenso p. 145. conf. IORDAN. l. c. p. 25.
a) De Minimo p. 49.

scriptis constat. Immo quod mireris, inter medios Aristotelis, duce Philippo, sectatores Wittebergae recentiores philosophos magno cum Lycei contemtu Aristoteli praefert, et *Albertum M.* ait [b], *ipso principe Aristotele, cui indignissime, vtpote cucullatus, pro temporis illius ratione fuerit addictus, numeris multis fuisse superiorem, Copernicum plus intellexisse in duobus capitibus, quam Aristotelem et omnes Peripateticos in vniuersa eorum naturali contemplatione; Palingenii quingenta carmina praestare Atticismo et Romanismo omnium, qui sub vexillo Peripatetico comtius loquendo et stultissime sentiendo militarint.* Et in his quidem omnibus laudandus magis, quam vituperandus Brunus est. Nec deneganda quoque ei laus est, quod in mathematicis disciplinis non proletarie versatus fuerit, earumque adminiculo haud pauca viderit in naturali doctrina, quae veritati propiora sunt [c]. Ast his tamen omnibus non obstantibus et intellectus et voluntatis virtutibus destituebatur, quae ad emendandam philosophiam requiruntur. Quanquam enim animo regebatur magno, excelso, errorum contemtore, et imperterrito in subiugandis praeiudiciis, nec ab eruditione erat imparatus, iudicii tamen acumine destitutus, vt supra probatum, totumque imaginationis deliriis se permittens, veram viam inuenire non potuit. Male itaque fecit, quod eas disciplinas attigerit, quae iudicio facem non praeferente, feliciter absolui nequeunt, qualis est metaphysica, quam, melius sibi consuluisset Brunus, si intactam praetermisisset: Porro improbi laboris patientiam Bruno defuisse, eumque ingenio fidentem extemporali tantum diligentia in scriptis suis concinnandis fuisse versatum, et supina metri negligentia prodit, et fatetur, qui eius metaphysicam edidit, Raphaël Egelinus, licet id in laudibus eius ponat: eam enim, refert [d], dictasse Brunum *stantem pede in vno; tam rapido*, ita hanc incuriam extollit, *fuit ingenio et tanta vi mentis!* Quod an mentis post serio et diu examinatas rerum circumstantias pronunciantis et attente philosophantis acumen prodat, Lectoris arbitrio definiendum relinquimus, certi, multa paradoxa, monstrosa et inepta in ipso partu suffocaturum fuisse Brunum, si lente philosophando festinare, quam nimium properando coecos catulos parere maluisset.

Philosophia Bruni qualis generis sit?

§. XIII. Ex his, vero, quae diximus, iudicandum est, vtrum inter reformatores restauratoresque philosophiae Bruno locus dandus sit, vel, an, quod nonnulli faciunt [e], philosophiae Democriteo-Epicureae restauratoribus sit adiiciendus? Et verum quidem est, Brunum atomorum hypothesin, mundos infinitos vorticesque globorum coelestium hisque similia a Democrito et Epicuro mutuo accepisse. Ast sensu longe alio et diuer-

b) In Orat. valedict. §. 10. Act. phil. Vol. II. p. 425.

c) Inuenies autem in his quoque ingenii prurientis, et affectatae nouitatis fundamento carentis naeuos.

d) Conf. Act. philos. Vol. III. p. 425.

e) Cel. GENTZKE Hist. phil. S. III. c. 2. p. 154. reprehendente BVDDEO Annot. ad hist. phil. c. 6. §. 3. p. 377.

diuerso atomis in natura rerum secundum Brunum vsus est, quam eas adhibere solebat schola Epicuri. Quod vt luculento specimine probemus, en duas de atomis assertiones Bruni: *Nobis*, inquit [f], *vacuum simpliciter cum atomis non sufficit, certam quippe oportet esse materiam, qua conglutinentur.* Qua materia, vt recte doctissimo CROSAEO [ff] visum, intelligit mentem siue animam mundi per omnia fusam, de qua carmen de Minimo ita auspicatur:

Vt mens naturae subiectis insita rebus
Momentis graduanda suis depromit, et aptis
Ordinibus conflans, numeris discriminat alte;

Altera illa est, qua sensum et cognitionem adeoque et vitam atque motus principium atomis siue minimis tribuit [g]: quae cum Epicuri systemate constare non posse, ex comparatione vtriusque clarissime intelligitur. Doctissimus CROSAEVS autem, qui diligenter et attente in Bruni scriptis versatus est, et probe viderat, ab Epicuro et Democrito eum haud raro recedere, in eam sententiam concessit [h], esse eius philosophiam naturalem, nihil aliud, quam systema physicum Epicuri Pythagoreismo incrustatum. Quod an commode dici possit, valde dubii haeremus, eo quod Epicureum systema quam primum atomis et vacuo tertium aliquod principium additur, totum neruo suo dissolutum concidit et euanescit. Accedit quod, monente ipso viro summo, atomi Bruni alterius naturae sint, quam Epicuri; nempe rotundae, et terminis suis quas partes esse non vult, sese mutuo contingentes, quam hypothesin latissime prosequitur in libro *de Contemplatione ex minimo.* Vnde si veteri cuidam sectae adscribendus esset Brunus, Semipythagoreus rectius diceretur, quos constat, ipsas quoque atomos rotundas posuisse, aut aliud quoque ad eas regendas, formandas vniendas principium adhibuisse. Ipse sane Brunus in haud paucis Pythagorea philosophemata secutus est, qualia sunt [i]:

Non audita Samii sacra verba parentis;
An non ipsa fluens vario cum tempore raptim
Continuo mutata venit de partibus vltro,
Adscitis nouiter, primis abeuntibu' moles?
Nunquid materies eadem tua corporis est nunc
Partibus ac toto qualis paulo adfuit ante?

Hanc enim hypothesin: cuncta fluere, nec hodie esse, quod heri fuit, quodcunque materiae debetur, Pythagoreos tradidisse, et ab iis Heraclitum accepisse, ex illis, quae *Tomo primo* [k] dicta sunt, notum est. Ipsa quoque de monade doctrina, et dogma de mundi systemate solem centrum habente,

f) De Minimi exist. c. 2. p. 10.
ff) Act. phil. Vol. II. l. c.
g) De Minimo L. III. p. 102. Act. phil. l. c. p. 796.
h) loc. cit.
i) De Numero c. 2. p. 24.
k) p. 1074. seqq. 1113. 1135.

habente, Pythagorea sunt. Aſt ab hac quoque schola in haud paucis ſeceſſit, id quod vna de mundis innumerabilibus hypotheſis, deamata Bruno Venus, probat. Pythagoreae ſcholae enim mundus tantum vnus eſt, extra coelum autem infinitum; et extra mundum inane eſt, in quod et ex quo mundus reſpiret [l]. Quod ex Pythagoreorum ſchola in ſuum ſyſtema Zeno Cittieus quoque transtulit. Alia, ne nimii ſimus, non cumulamus. Rectius itaque ad eclecticae philoſophiae reſtauratores, at parum felices, Brunum referendum eſſe putamus. Certe id ipſe voluit, ſcribit enim [m]:

- - - Inſpirato mihi vero vnde elementa
Vt ſophiae ſpecies longum ſuppreſſa per aeuum
Emicet atque aegras vultu reuocata ſereno
Soletur mentes errorumque excruciantes
Diſcutiat nebulas.

Quem philoſophiae ſcopum ſi recte attigiſſet Brunus, gloria illi primum reſtitutae philoſophiae eclecticae omnino eſſet tribuenda. Verum enim vero obſtabant infelici philoſopho iudicii paupertas, imaginationis laſciuia, et ineptus mos conſarcinandi veterum hypotheſes, vt nouam philoſophiam eſſingeret, quae inde monſtrum magis, quam aptum et rationale ſyſtema prodiit. Nempe ſyſtemate atomiſtico veterum, potiſſimum ſcholae Italicae, cum ſyſtemate emanatiuo coniuncto, vſurus, cum videret Pythagoreos vtrumque etiam ſequi, et nouum tamen dare vellet, eiusmodi φιλοσοφούμενα dedit, quae, dum noua affectat, partim obſcura, incerta et nihil ſignificantia ſunt, partim intolerabilia, abſurda, et ſi verum dicendum, interdum impia: quamquam iniuriam Bruno facere eos, ex dicendis, patebit, qui Spinoziſmi eum reum faciunt.

Scripta Bruni.

§. XIV. Scripſit plurima Brunus, quem extemporali facultate ſcribendi fuiſſe vſum modo monuimus. Ipſe ad multos libros ſuos prouocat, quorum tamen haud exigua pars, dubitamus, an lucem viderit? nonnullos enim affectos non perfeciſſe ex dedicatione libri *de Minimo* intelligitur. Eorum, qui lucem viderunt, nobisque innotuerunt indicem hoc loco dabimus, quoniam ſunt rariſſimi [n]. Ita vero, ſi fides titulorum inſcriptionibus, iuxta temporum ſeriem prodierunt. I. *La cena de le Cineri deſcritta in cinque dialoghi* cIↃ IↃ LXXX. II. *De vmbris idearum*, Paris LXXXII. III. *Ars Memoriae*, Paris cIↃ IↃ LXXXII. *Il Candelago Comedia*, Paris cIↃ IↃ LXXXII. IV. *Cantus Circaeus ad memoriae praxin ordinatus*, Paris LXXXIII. V. *De la cauſa, principio et vno*, Ven. cIↃ IↃ LXXXIV. VI. *De l' infinito, vniuerſo et mondi.* Ven. cIↃ IↃ LXXXIV. VII. Eodem anno prodiiſſe apud Pariſios dicitur: *Spaccio della beſtia triomfante.* VIII. *Cabala del cavallo Pegaſeo con' l' aggiunte*

l) ARIST. Phyſ. L. III. c. 4. PLVT. de Plac. phil. L. II. c. 9.

m) De Inuent. minimi c. 1. p. 97.

n) Conf. Cl. VOGT. Cat. Libr. rar. p. 139.

ca-

aggiunte dell' asino Cillenico, Par. cIↃ IↃ LXXXV. IX. *De gli heroici furori*, Par. cIↃ IↃ LXXXV. X. *De progressu et lampade venatoria logicorum*, cIↃ IↃ LXXXVII. XI. *Acrotismus, siue rationes articulorum physicorum aduersus Aristotelicos*, Witteb. cIↃ IↃ LXXXVIII. XII. *Oratio valedictoria habita ad amplissimos et clarissimos professores atque auditores in academia Wittebergensi* anno cIↃ IↃ LXXXVIII. XIII. *De specierum scrutinio et lampade combinatoria R. Lulli*, Prag. cIↃ IↃ LXXXVIII, recusa Argentorati cIↃ IↃ C LI. cum Lullii operibus. XIV. *Oratio consolatoria habita in illustri celeberrimaque academia Iulia in fine solennissimarum exequiarum illustrissimi et potentissimi principis Iulii, Ducis Brunsuicensium* I. Iulii cIↃ IↃ LXXXIX. Helmstadii. XV. *De triplici minimo et mensura*, Francofurti cIↃ IↃ XCI. XVI. *De Monade numero et figura, consequens quinque de minimo, magno et mensura, item de innumerabilibus, immenso et infigurabili, seu de vniuerso et mundis libri octo*, Francofurti cIↃIↃXCI. libris constat duobus diuersis, sed vna paginarum serie continuatis [o] XVII. *De imaginum, signorum et idearum compositione*, Francof. cIↃ IↃ XCI. XVIII. *Summa terminorum metaphysicorum ad capessendum logicae et philosophiae studium ex Iordani Bruni Nolani entis descensu MSc. excerpta, nunc primum luci commissa a* RAPHAELE EGLINO, *Iconio Tigurino*, Tig. cIↃ IↃ XCV. Prodiit hic libellus ex praelectionibus Bruni Wittebergae cIↃ IↃ LXXXVII. habitis XIX. *Artificium perorandi, edente* ALSTEDIO, Francof. cIↃ IↃ CXII. Haec Bruni scripta nobis innotuerunt, quorundam copiam fecit vel HEVMANNVS, qui et rariorum recensionem exhibuit. Ipse Brunus libro- suos laudat, *de sigillo sigillorum* [p], *de imaginibus, de principiis rerum, de sphaera, de physica magia*, et his similes, forte nunquam editos, sed aut cogitationibus tantum destinatos, aut affectos. Non sine attentione autem hoc loco dimittendum est, annos editionum interdum subolestae fidei esse, immo nec locum editionis verum semper exprimi. Namque *Coenam cinerum* editionis anni cIↃ IↃ LXXX frustra in catalogis praestantissimarum bibliothecarum se quaesiuisse notat doctissimus VOGTIVS [q] et NIC. FRANC. HAYM *in Notitia librorum rariorum Italica lingua scriptorum*, Parisiensem anni cIↃ IↃ LXXXIV nominat: ex quo, si addatur, quod supra monuimus, ante annum cIↃ IↃ LXXXIV ex Italia Brunum non discessisse, concludimus, aut falsum esse titulum libri, aut VERDIERIVM [r], a quo accepit P. BAYLE in eo designando errauisse. CL. BAYERVS [s], autem obseruauit, non Parisiis sed Londini videri lucem adspexisse; vnde coniicimus, ad euitandam patriae suae inuidiam, qua circa annum cIↃ IↃ LXXX et sequentes valde premebatur Brunus, Parisienses editiones nomen ementitas in Italia prodiisse.

§. XV.

o) Extare etiam Italico sermone discimus ex relatione P. BAYLE l. c. not. D.
p) Vid. NICERON. l. c.
q) loco citato.
r) In Bibl. Gallic.
s) Mem. Lib. rar. p. 219.

Philosophiam Bruni delineare difficillimum.

§. XV. Restat vt de noua, quam meditatus est Brunus, philosophia narrationem instituto nostro conuenienter exhibeamus, et quid ex veteribus selectum suum fecerit quid nouum addiderit, ac qua ratione cuncta in systemate aliquo connexa atque concatenata exposuerit, dicamus. Ast, vt verum fateamur, aqua heic nobis haeret, nec hanc tractationis nostrae partem ita absoluendi nobis copia est, qualem vel in aliis habuimus, vel in argumento curioso exoptamus, vt Lectori ex asse fiat satis. Id quod non negligentiae nostrae tribuatur, rogamus, sed caussis duabus, quae obstitere, quo minus hoc quoque loco historici pleni et perfecti defungeremur officio. Nempe ita obscura sunt philosophumena Bruni, et tantopere tum verbis obsoletis, insuetaque atque confusa partium orationis constructione abscondita, tum notionum ipsarum vagarum, incertarum et praecisionibus mentis quidem formatarum, at ineptis et tenebricosis imaginibus depictarum insolentia, numerique poëtici nox tanta, vt nostra quidem mentis oculorumque acies; licet omnem contentionem adhibeat, non satis perspiciat, qua ratione totum eius systema cohaereat, suisque membris connexum sustentetur. Neque dubitamus affirmare, Brunum, ingenio extra orbitam vagante ductum, ipsum cohaerentis doctrinae aedificium sibi non exstruxisse, et frustraneam esse omnem diligentiam, quae lucem tenebris Cimmeriis Bruni inferre satagit. Quam certe ignorantiam nostram fateri non erubescimus; scilicet:

Nescire velle, quae magister pessimus
Docere non vult, docta insciti a est.

Deinde libros Bruni rarissimos, praesertim physicos et metaphysicos ipsos euoluendi nobis occasio defuit, qui ex vno libro *de Minimo* discere potuimus, qualis philosophus nobis Brunus sit habendus. Reliqua viris doctis Baylio, Crosaeo, Heymanno debemus, quorum fide placita eius cognouimus. Ita vero officio, prout decet, defungi nostro non licebat, qui nostris videre oculis cupimus, vbi de integro philosophi alicuius systemate iudicandum est. Itaque malumus paginas nostras imperfectas hoc loco esse, quam incerta narratione Lectorem naso suspenso deducere. Verum ne nos molestiam laborisque taedium defugisse videamur, et nihil habeat lector, vnde Bruni philosophiam intelligat, primo quidem ea philosophi paradoxi philosophumena describemus, quae iterata et attenta lectione libri difficillimi *de Minimo*, obseruauimus: tum adiiciemus ea, quae laudatissimorum virorum triga notauit, et quid nobis de philosophia Bruni iudicandum videatur, modeste tandem exponemus.

Bruni placita ex libro de Minimo.

§. XVI. Liber *de Minimo*, geometricus, physicus et metaphysicus est; vbique enim notiones geometricas, physicas et metaphysicas miscuit, quod non potuit non totam tractationem, vt reliqua taceamus supra tacta, reddere incertam, fluctuantem atque atra nocte obscuriorem.

Est

Eſt autem minimum auctori et obiectum numeri et magnitudinis, et omnium elementatorum adeoque et geometricam atque arithmeticam, et phyſicam rerum omnium ſubſtantiam conſtituit. Hoc enim primum eius principium metaphyſicum, phyſicum, mathematicum eſt:

- - - - - *minimum ſubſtantia rerum eſt,*
Atque id idem tandem opperies ſuper omnia magnum.
Hinc monas hinc atomus, totusque hinc vndique fuſus
Spiritus, in nulla conſiſtens mole ſuisque
Omnia conſtituens ſignis, eſſentia tota,
Si res inſpicias, hoc tandem eſt, materiesque;
Quandoquidem minimum ſic integrat omnia, vt ipſum
Ni ſubſternatur, reliquorum non ſiet hilum.
Eſto nulla monas, numerorum non erit vllus:
Namque ea conſtituit ſpecies, ſtatuens genus omne.
Quo circa in cunctis primum eſt fundamen, vt vnde
Et Deus, et natura parens, artſque explicat alte
Quod ſuper omne genus perſtat, quod et in genere omni eſt etc.

Verbo minimum eſt, ſubſtantia prima ex quo omnia oriuntur, componunturque, et in quod omnia tandem reſoluuntur, adeoque

- - - - *ipſum ſunt omnia tandem*
Vt monas eſt omnis numerus.

Nempe magna diligentia probare contendit Brunus, continuum in infinitum diuiſibile non eſſe, magnisque machinis Peripateticos refutat, quo iure, quaue iniuria? alibi dicendum. Ex hac generaliſſima idea minimi axiomata geometrica quamplurima deducit, hoc loco, vbi alia agimus, non deſcribenda, licet ſatis ſingularia ſint et παράδοξα. Dabimus tamen breuem totius *de Minimo* contemplationis σκιαγραφίαν, vt de genio Bruni metaphyſico Lectori paulo plura conſtent. Nempe 1) maximum eſt minimum multiplicatum. 2) Tolle minimum, et deerit maximum. 3) Naturae et artis ſubiectum eſt a minimo, et conſiſtit in minimo. 4) Minimum eſt potentiſſimum. 5) Claudit omnem monadum et numerorum magnitudinem. 6) Minimum componit, auget, format. 7) Minimo oppoſita ſunt omnia. 8) Minimum omnia promit, 9) minimum omnia terminat, 10) vitam defert, 11) diffeminat omnia; 12) eſt intimum infernorum; 13) eſt omnia, 14) vbique eſt praeſens et ſemper; 15) ex minimo poteſt cognoſci maximum. 16) Ratio citius poteſt deuenire ad minimum, quam ad maximum. 17) Minimi non eſt pars. 18) Minimum ſi tangit, toto ſe tangit. 19) Minimum ſuo fine plura poteſt attingere minima. 20) Minimum attingit ſibi aequale. 21) Minimo non datur minus. 22) Minimum eſt, quod ita eſt pars, vt eius nulla ſit pars vel ſimpliciter, vel ſecundum ſpecies. 23) Minimum eſt quantum, et efficit quantum. 24) Minimum reale infra minimum

ſenſile ſubſidet. 25) Minimum realem nullam ſcientiam definit. 26) Minimum qua minimum, eſt indifferens. 27) Minimi tot ſunt genera, quot ſunt ſpecies. 28) Minimum eſt vnibile, 29) inſolubile; 30) non patitur ſe penetrari, 31) non miſcetur, 32) eſt tantum attingibile; 33) facit, vt corpora ſint ſolida; 34) attingit minimum, 35) eſt rotundum, 36) minimi propria vna ſemper figura. 37) Minimo tantum minus vacuum. 38) In minimo dimenſio eſt originaliter indifferens. 39) Minimum cum maximo habet vnam figuram. 40) Minimum habet minimam termini partem. 41) Minimum eſt inalterabile. 42) Minimum eſt ſex punctis attingibile. 43) In minimo maxima curuitas. 44) Minimum eſt omnium menſura. 45) Circulus eſt typus minimi. 46) Minimo minimum non eſt maius. 47) Minimum eſt finibile datis punctis minimi. etc. En aranearum tela, quibus maxima ſubtilitate nectendis inſtruendisque ita inſudat auctor, cuncta, velut membra diſiecta diſſocians, vt patientia et attentione incredibili opus ſit, ſi quis colligere omnia et ſociare cupiat. His autem, quae ad euertendas quasdam geometrarum regulas in fine libri applicat, multa phyſica et metaphyſica porro immiſcet, ex quibus, vt genium hominis intelligat lector, ſequentes aſſertiones excerpimus:

I. Splendentia ſidera, veri mundi ſunt ff.

II. Noui telluris facies fulgens eſt, vere ſanctum et venerabile ſidus.

III. Mens ſuper omnia Deus eſt, mens inſita omnibus natura; mens omnia peruadens ratio.

IV. Deus dictat, et ordinat: natura exequitur atque facit, ratio contemplatur et diſcurrit.

V. Deus eſt monas omnium numerorum fons, ſimplicitas omnis magnitudinis et compoſitionis ſubſtantia, et excellentia ſupra omne momentum; innumerabile, immenſum.

VI. Natura eſt numerus numerabilis, magnitudo menſurabilis, momentum attingibile.

VII. Ratio eſt numerus numerans, magnitudo menſurans, momentum aeſtimans.

VIII. Influit Deus per naturam in rationem. Ratio attollitur per naturam in Deum. Deus eſt amor, efficiens, claritas, lux; natura eſt amabile, obiectum, ignis et ardor; ratio eſt amans, ſubiectum quod a natura accenditur, et a Deo illuminatur.

IX. Senſus eſt oculus in carcere tenebrarum rerum colores et ſuperficiem veluti per cancellos, et foramina proſpiciens: ratio tanquam per feneſtram lumen a ſole deriuans, et ad ſolem repercuſſum, quemadmodum in corpore lunae ſpeculatur. Intellectus in aperto, et quaſi ex alta ſpecula vndique oculus ſuper omnem particularitatem, turbam et confuſionem in vniuerſo, et diſtinctione ſpecierum ipſum praefulgentem ſolem ſpeculatur.

X. Ra-

ff) De Exiſt. Minimi c. 1.

X. Ratio se facile in mentem attolleret, nisi variorum affectuum in oceano fluctuans distraheretur : quando natura comparatum est, vt diuersis animae facultatibus ad totidem opera et effectus variis operationibus et actibus accingatur et expediatur.

XI. Ad certum felicitatis genus non debemus sapere, plusquam oportet; ad felicitatem vero simpliciter, cum scire sit de genere bonorum, non plus actui debet esse praescriptus modus, quam a natura atque Deo praescriptus est ei, quam nullam frustra voluit esse, potentiae.

XII. Qui philosophari concupiscit, de omnibus principio dubitans, non prius de altera contradictionis parte definiat, quam altercantes audierit, et rationibus bene perspectis atque collatis, non ex auditu, fama, multitudine, longaeuitate, titulis et ornatu: sed de constantis sibi atque rebus doctrinae vigore sed de rationis lumine, veritate inconspicua, iudicet et definiat.

XIII. Non plus sapientiae et bonitati, quam ignorantiae et iniquitati voces atque verba subministrant. Horum simplicitate veritas et doctrina, quorum ornatu inertia gaudet et astutia, et quorum varietate cum quadam mercenaria sollicitudine vanitas insolescit.

XIV. Nihil variat rerum substantia; nempe immortalis est, nec gignitur, nec corrumpitur; sed gignuntur ex ea omnia et soluuntur in ipsam; ex ea augentur crescentia, et in eam deficiunt [t].

XV. Minimum est substantia rerum, quatenus videlicet aliud a quantitatis genere significatur; corporearum vero magnitudinum, prout est quantitatis principium. Est, inquam materia, seu elementum efficiens, finis, et totum, punctum in magnitudine vnius et duarum dimensionum. Atomus priuatiue in corporibus, quae sunt primae partes, atomum negatiue in iisce quae sunt tota in toto atque singulis, vt in voce, anima, et huiusmodi genus; monas rationaliter in numeris, essentialiter in omnibus.

XVI. Optimus Maximus est substantiarum substantia, et entitas qua entia sunt, ideoque monadis nomine celebratur.

XVII. Vacuum simpliciter cum atomis non sufficit, certam quippe oportet esse materiam qua glutinentur.

XVIII. Numerus est accidens monadis, et monas est essentia numeri: sic compositio accidit atomo, et atomus est essentia compositi.

XIX. Semper fluit materia, nec hodie corpus est, quod heri fuit [u].

XX. Corpus itaque hominis substantia non est, nec mors ad corporis substantiam pertinet, multoque minus ad animam.

XXI. Quum rerum substantia minime sit solubilis, mors non est timenda, sed transitus expectandus secundum Pythagoram.

XXII. Compositum nullum substantia vera est.

XXIII. Solum per indiuiduam animae substantiam sumus id quod sumus, quam circum veluti centrum quoddam vbique totum atomorum ex-

t) De Exist. Minimi c. 2. u) c. 3.

glomeratio fit et agglomeratio. Vnde per natiuitatem et adoleſcentiam ſpiritus architectus expanditur in hanc, qua conſiſtimus, molem, et a corde diffunditur: in quod tandem veluti telae iſtius ſtamina complicans, ſeſe recipiat, vt ex eadem, per quam proceſſerat viam, intraueratque portam, recedat demum et egrediatur. Natiuitas ergo eſt expanſio centri, vita conſiſtentia ſphaerae, mors contractio in centrum.

XXIV. Pro conditione, qua anima ſe geſſit in vno corpore, ad aliud ſortiendum diſponitur, inquit Pythagoras, Saduchimi, Origenes et alii e Platonicis multi. Itaque non eſt tanquam fortuita illa ſedium mutatio, ſicut partium ex quibus corporea moles compaginatur. Quapropter aliae per corpora humana diſcurrunt, aliae in heroum corpus aſſumuntur, aliae vero in deteriora deturbantur. Haec illi, qui aeterna omnia quadam reuolutione exagitata intelligunt, praeter vnum.

XXV. Omnia quodammodo circumeunt, et circulum imitantur *.

XXVI. Simpliciter monadum monas vna reperta eſt, quae multum et magnum complectitur, omneque in iſta integranda means, dans entibus eſſe. Illa Deus eſt, extans totum, infinitum, verum, omne, bonum vnum.

XXVII. Quae in compoſito, diſcreto ſenſibilique conſiſtunt, ſunt aliud atque aliud, et ſemper fluunt.

XXVIII. Deus eſt monadum monas, nempe entium entitas.

XXIX. Quod vnum non eſt, nihil eſt.

XXX. In minimo, ſimplici, monade oppoſita omnia ſunt idem, par et impar, multa et pauca, finita et infinita.

XXXI. Id oſtenditur in Deo, qui idem dicitur vbique et nusquam, infra omnia fundans, ſuper omnia gubernans, intra omnia non incluſus, extra omnia non excluſus, omnia per excellentiam et comprehenſionem, nihil per definitionem, principium omnia promens, finis omnia terminans: medium nectens et diſcriminans omnia, centrum vbique, intimum internorum, extremum nusquam, quia metitur et concludit omnia, immenſus et inexaequabilis ipſe, in quo ſunt omnia, et qui in nullo neque in ſe ipſo, quia indiuiduus et ſimplicitas ipſa, ſed eſt ipſe.

XXXII. Maximus et velociſſimus motus et ſimpliciter tardus ſeu maxima quies, vnum atque idem ſunt. Hinc diuina ſapientia, quae attingit omnia, et eſt in omnibus, dicta eſt mobiliſſima omnium, quia vbique manet, et immobiliſſima, quia ociſſime attingit a fine vsque ad finem, et diſponit omnia inter ſuos vbique terminos: tribuitur illi motus, quia eſt vegetatio et vita, cuius virtute omnia mouentur. Tribuitur illi quies, quia eſt ipſa aeternitas, et ſubſtantia in qua et per quam omnia ſunt et manent.

XXXIII. In inquirenda veritate ratio atque finis quam maxime attendenda, et gradibus atque ordine certo opus eſt, ita vt primum fundamina falſi prima tollantur, et tum demum ad ſpeculationem, et ab ea ad praxin eſt progrediendum *.

XXXIV.

*) De Exiſt. Minimi. c. 4 *) c. 5.

XXXIV. Materia finita quantacunque obiecta partibus constat non infinitis, cui apponendo magnitudinem sicut et numero finito multitudinem, infinitum percurrere licet. E contra vero a finita magnitudine partes adimenti et subdiuidenti minimum sicut a finito numero numerum subtrahenti monadem tandem occurrere necesse est.

XXXV. Tota duratio est infinitum instans, idem, principium et finis.

XXXVI. Tellus non magis est in medio, quam luna, sol, polus et omnia. In quam contemplationem deuenire non potuerunt, quibus eius motum circa proprium centrum non percepisse licuit.

XXXVII. Principium et fundamentum errorum omnium tum in physica, tum in mathesi est resolutio continui in infinitum.

XXXVIII. Proprie indiuiduum dicitur esse vbique, et quia spacium est infinitum, centrum dicitur esse vbique, atomum dicitur esse omnia.

XXXIX. Minimum indefinitum est, at non infinita eius subordinatione opus est, non confundendum autem minimum artis, cum minimo naturae [z].

XL. Minimum naturae a minimo sensus distinguendum est, hoc enim quasdam qualitates habet, quibus ad sensum habet analogiam, quae nonnisi a compositione dimanabunt: minima quippe iuxta primam formam, qua minimum et corpora sunt indifferentia habentur omnia, quod vero subinde eorum haec quidem sunt sensibilia, illa vero non, oportet quadam adiectione fieri, ac non est credibile, vllam huiuscemodi qualitatem super prima materia immediate fundari [a].

XLI. Propterea principia materialia sunt distincta.

XLII. Post ipsum, quem per istius corporis contubernium incurrit, solis occasum a minimo et monade ad magnum et multum indeque ad innumerabile et immensum apprehendendum anima definito proficiscitur ordine atque regreditur: quemadmodum ab Hespero singulariter viso ad multitudinem, vt inde a multitudine per innumerabilitatem stellarum iterum repetendam ad exorientis solis praeuium phosphorum singulariter vltimo visum reflexo peruenire valet actu, vt hac ipsa via minime profundioribus tenebris cum infelicium spirituum multitudine submersa, adque exoptatissimae diei monadis adspectum promota beatifici tum demum solis pleniori lumine perfundantur [b].

XLIII. Bonum et malum, iocundum et molestum, pulchrum atque turpe nihil est simpliciter et absolute, sed horum quaedam ad varias collata species et indiuidua eadem eodem se habentia modo subiecta contrarias a sensibus nanciscuntur denominationes, sicut et reuera contrarios inducunt affectus; nempe talia relatiua sunt [c].

XLIV. Philosophia vt didicit a particularibus abstrahere, et rerum naturam atque conditionem ad absolutum, quantum possibile est, deducere iudicium, aliter vtile et bonum simpliciter, aliter vtile et bonum ad speciem humanum contractum definiat oportet.

z) c. 6. a) c. 9. b) Contempl. ex min. c. 1. §. 55. c) c. 2.

XLV. Extra et vltra propositum sensuum et sensibilium non egredientibus definiendum videtur, nihil esse absolute, quod ad vnam vel alteram contradictionis partem verius referatur [d]:

XLVI. Non vllus est, qui fallat fallaturue sensus, quandoquidem semper de proprio obiecto pro suo modulo, qui propria, vera et vnica est mensura, diiudicat.

XLVII. Sensibilia vera sunt, non iuxta communem aliquam et vniuersalem mensuram, sed iuxta homogeneam, particularem, propriam, mutabilem atque variabilem mensuram.

XLVIII. Naturalia omnia continue alterantur, trepidant, mouentur, exagitantur [e].

XLIX. Non est possibile in specie vlla duo omnino concordantia vel aequalia indiuidua comperire, non solum pro habitudine ad alia, sed vel etiam absolute in physica potentia, ratio ex effluxu influxuque atomorum continuo deriuanda [f].

L. Praeter atomos nihil simpliciter plenum, nihil simpliciter vacuum praeter spatium intra coëuntium trium in plano, et quatuor in solido atomorum concursum intermedians [g].

LI. Quaecunque fiunt, mutantur lapsaque ruunt continue aliud ad aliud, non entia sunt [h].

LII. Anima habet naturam atomam; ea vero substantialiter accepta, denotat daemonem seu animam quae est in toto corpore, vel etiam in toto vitae telluris horizonte, cuius vita viuimus, et in cuius esse sumus: tum actu quodam communi quo in tota sphaera viuimus: tum proprio quo viuimus in horizonte seu semisphaerico, vnde cultus attactusque magicos fieri inuenimus, qui ad longius absentes, etiam defunctos et a recenter defunctis, quorum scilicet non fuerint incinerata cadauera, demanant, quandoquidem anima vbique suam corporis agnoscit materiam: Tum actu quodam magis proprio, quo viuimus, in hoc organizato corpore ad nos ipsos illius quamuis auulsa parte pertinente, et sub nostrae animae moderamine constituta. Tum demum actu propriissimo iuxta eam conditionem, qua ab oceano substantiae spiritualis per cordis portam et ad eundem oceanum per eandem portam ingredimur et egredimur animi.

LIII. Nulla species atomorum est corruptibilis vel mortalis, vel generabilis; sed quaedam sunt accidentia certa; et cum sunt, non sunt per compositionem intrinsecam; et cum non sunt, id est, quando non sunt in aliquo subiecto velut pars; accidentaliter non sunt. Quaedam vero proprie intrinsecaque natura aeterna, immortalia, incomponibilia, indissolubilia; nempe animae, Dii, Deus.

LIV. Circulo quadratum, aequare impossibile [i].

LV. Certa essentia rerum est, et numerus; velut est hoc, heic, nunc. Dein

d) c. 3. e) c. 4. f) c. 5. g) c. 4. h) c. 6. i) c. 8.

Dein ſuper omne eſt infinitum verum ens, vnum, bonum, atque monas rerum cunctarum eſſentia [k].

LVI. Infinitum vere eſt proprieque globoſum [l].

LVII. Influxus nullus eſt, ex iis, quos ingens diſtantia ab orbe ſubiecto diremit.

LVIII. Nihil in vniuerſo adeo eſt exiguum, quod ad eximii integritatem atque perfectionem non conducat [m].

LIX. Nihil item malum eſt quibusdam et alicubi, quod et quibusdam et alibi non ſit bonum et optimum.

LX. Hinc ad vniuerſum reſpicienti nihil occurret turpe, malum, incongruum: neque enim varietas atque contrarietas efficit, quo minus omnia ſint optima, prout videlicet a natura gubernantur; quae velut phonaſcus contrarias voces extremas atque medias ad vnam optimam ſymphoniam dirigit et perducit.

Haec potiora ſunt, quae ex tenebroſa Bruni ſylua in lucidiorem paulo campum producere viſum eſt, vt conſtaret, quo pacto et metaphyſice, et phyſice, et mathematice Brunus philoſophari ſoleat. Quamquam enim pleraque quae in hoc libro *de Minimo* occurrunt, geometrica ſunt, metaphyſica tamen et phyſica vbique miſcuit. Et in metaphyſicis quidem nouam ſubtilitatem quaerit, vt nouam philoſophiam condat. Quid enim ſubtilius, quam minimum diſtinguere ab atomo? Aſt id ſupponit vbique Brunus, prodens minimum ſibi notionem eſſe metaphyſicam, atomum phyſicam, quod ex eius definitionibus patet. Nam

Eſt minimum, cuius pars nulla eſt, prima quod eſt pars [n];
Eſt atomus minimum longum latum atque profundum
Corporis et potis eſt pars eſſe ac terminus ipſa.

Quae duo niſi diſtinguantur Brunus intelligi non poteſt. In phyſicis autem ſcholae Italicae amore raptus noua vbique molitur, et dum veritates quasdam phyſicas in ea deprehendit, v. c. terram moueri circa ſolem; planetas eſſe mundos habitabiles, etiam totum ſyſtema theologicum recipit, vt in ſequentibus dicemus. Et haec quidem ab ipſius Bruniani libri lectione ſuppeditata ſunt. Iam viri quoque docti audiendi ſunt, qui alios Bruni libros legerunt, et placita eius ex illis deſignauerunt, vt quantumpote Bruni philoſophiam intelligamus, eiusque pernoſcamus faciem.

§. XVII. Diligenter euoluit Bruni libros deſideratiſſimus LA CROZE [o], qui cum demonſtrare vellet, Spinoziſticum ſyſtema placuiſſe Bruno, ex libro *de Immenſo et innumerabilibus* has eius aſſertiones excerpſit, vt nigrum iis theta praefigeret: *Bruni cogitata ex libris de immenſo.*

I. Diui-

k) c. 14.
l) De Inuent. min. c. 2.
m) De Princip. menſ. et fig. c. 1.
n) p. 145.
o) loc. cit.

I. Diuina eſſentia eſt infinita p.

II. Modum eſſendi modus poſſendi ſequitur.

III. Modum poſſendi conſequitur operandi modus.

IV. Deus eſt ſimpliciſſima eſſentia, in qua nulla compoſitio poteſt eſſe, vel diuerſitas intrinſece.

V. Conſequenter in eodem idem eſt eſſe, poſſe, agere, velle, eſſentia, potentia, actio, voluntas, et quicquid de eo vere dici poteſt, quia ipſe ipſa eſt veritas.

VI. Conſequenter Dei voluntas eſt ſuper omnia, ideoque fruſtrari non poteſt, neque per ſe ipſam neque per aliud.

VII. Conſequenter voluntas diuina eſt non modo neceſſaria, ſed etiam eſt ipſa neceſſitas, cuius oppoſitum non eſt impoſſibile modo, ſed etiam ipſa impoſſibilitas.

VIII. In ſimplici eſſentia non poteſt eſſe contrarietas vllo modo, neque inaequalitas: voluntas, inquam, non eſt contraria |et inaequalis potentiae.

IX. Neceſſitas et libertas ſunt vnum, vnde non eſt formidandum, quod cum agat neceſſitate naturae, non libere agat, ſed potius, immo omnino, non libere ageret, aliter agendo, quam neceſſitas et natura immo naturae neceſſitas requirit.

X. Potentia infinita non eſt, niſi ſit poſſibile infinitum: non eſt inquam potens, facere infinitum, niſi ſit potens fieri; quae enim impoſſibilis vel ad impoſſibile poteſt eſſe potentia?

XI. Sicut eſt mundus in hoc ſpatio, ita et poteſt eſſe in ſimili ſpatio iſti ſpatio, quod, hoc mundo ablato, poſſumus aequale huic mundo remanens intelligere.

XII. Huic ſpatio, in quo eſt mundus, ſimile ſpatium extra mundum non eſt ratio, quae tollat, neque faciat eſſe finitum.

XIII. Mundus in ſimili ſpatio extra iſtud non eſſet huic mundo impedimento, neque maior ratio eſſet, qua hic formidet ruere illum, quam ille iſtum, quandoquidem vbique medium eſt in infinito ſecundum rei veritatem, ſurſum vero atque deorſum ſecundum certam eorum, quae ſunt in vno vniuscuiusque ordine habitudinem.

XIV. Melius eſt eſſe, quam non eſſe, dignius eſt facere, quod eſt bonum, quam non facere. Ponere ens et verum improportionabiliter melius eſt, quam ſinere non ens, et nihil.

XV. Potentia et voluntas naturalis fruſtrari non debet, et ad infinitam durationem ſpatium eſſe ſine proprio actu; tum enim potentia ad impoſſibile referretur.

XVI. Potentiam infinitam, extenſiua ſit, ſiue intenſiua, ad eſſe fruſtrari eſt, ſic actu malum infinitum poni ſicut et actu eſt ſpatium infinitum.

XVII. Sicut hoc ſpatium poteſt recipere hunc mundum et ornari, ita et ſimile

p) L. I. p. II.

ſimile quodcunque ſpatium ab ipſo indifferens, ſimili non abſente principio, ſimilem concepiſſe.

XVIII. Ornamentum iſtius ſpatii huiusque mundi perfectio nihil eſt, quod addat vel ſubtrahat vel ſufficientiae, vel indigentiae praeſtet ornamento atque perfectioni alius cuiuscunque ſpatii, quominus non ita actuari exigat illud, quam actuatum rerum plenitudine ſit iſtud.

XIX. De Deo et de natura, quam optime ſentiendum.

XX. De rebus maximis nihil temere citra ſenſum atque rationem defendendum. Haec pro ſyſtematis ſui mundani exiſtentia metaphyſice ratiocinatur Brunus; recte an ſecus? noſtrum in praeſentia non eſt diſcutere, qui eius hypotheſes et φιλοσοφούμενα tantum enarramus. Paralogiſmos eius, qui non intelliget, ei ductorem doctoremque commendamus Croſaeum, qui eos probe detexit. Aſt is alia porro et παραδοξότερα ex Bruni ſcriptis excerpſit, quae, ne reticeamus, quantum nobis innotuit, Brunianae philoſophiae aliquid, hic quoque apponemus.

XXI. Atomis ſolis non conſtant elementa, inde relinquendus Democritus, iisque adiungenda mens diuina moderans cuncta [q].

XXII. Haec mens ſubiectis inſita rebus numeris omnia ſecundum gradus conflat.

XXIII. Bonum verum et perfectum dicitur vnum immixtum, ſimplex, abſtractum, immobile per ſe [r].

XXIV. Lux ſupra, non eſt lux ſine corpore, id eſt vmbra ſine fundamento, et verbum ſine ſignificato, ſed lux quae ſpatium habet, quae vbique tota, quae immobilis, quae denique Deus eſt.

XXV. Vultum hunc rerum decet eſſe perennem rerum ad naturam ſpectantibus et genituram [s].

XXVI. Mundus eſt aeternus; et ſemper fuit, et eſt, et non poteſt eſſe aliter [ff].

§. XVIII. Porro legit librum Bruni *de Cauſſa, Principio et Vno* Italica lingua ſcriptum, et has ex eo aſſertiones ſelegit P. BAYLE [t]:

I. Ens, quod reuera exiſtit, non niſi vnum eſſe poteſt, idque infinitum, immobile, indiuiſibile, ſine diſcrimine totius et partis, principii et principiati.

II. Extenſio infinita reducitur neceſſario ad indiuiduum, vt numerus infinitus ad vnitatem reuocatur.

III. Forma ſubſtantialis nunquam perit, differunt enim forma et materia, vt potentia et actus. Ex quo ſequitur, vniuerſum non niſi eſſe vnum.

IV. Inde

q) De Immenſo p. 467.
r) De Max. p. 251.
s) De Vniu. p. 532.
ff) Ib. p. 494. 546.
t) loc. cit.

IV. Inde porro concluditur, materiam ſpirituum a materia corporum nihil prorſus differre [u].

V. Recte itaque ſtatuit Dauid de Dinanto: materiam eſſe ſubſtantiam diuinam.

VI. Cauſſa efficiens et cauſſa formalis vniuntur in vno ſubiecto, quod eſt anima mundi.

VII. Differt tamen cauſſa formalis generalis, quae vna modo eſt, a cauſſis formalibus particularibus, quae in infinitum multiplicantur.

VIII. His rite perpenſis felicitas humanae vitae ſublato inani mortis terrore, confirmatur, et Acherontis metus tollitur, quo ſolent corrumpi vitae humanae deliciae.

Haec Baylius, quem dolemus haud plura ex iſto libro deſcripſiſſe, in quo clarius mentem ſuam de origine naturaque ſubſtantiarum detexiſſe videtur. Incerti enim haeremus, vtrum Baylius praeiudicio Spinoziſmi vbique inueniendi occupatus recte in omnibus Bruni mentem expoſuerit, cum ſint in aliis eius ſcriptis nonnulla, quae aliter ſtatuiſſe Brunum, quam Spinozam clariſſime euincant.

Bruni φιλοσοφούμενα excerpta ab Heumanno.

§. XIX. Tandem Cl. HEVMANNVS [x] quoque haud pauca notauit Bruniana dogmata, quae vero phyſica magis ſunt quam metaphyſica. Dabimus etiam eorum hoc loco indicem.

I. Natura vniuerſo configurando diſtinguit naturalibus figuris, virtutes proprietates, ipſaque omnium in eorum ſuperficie nomina depingit, ſculpit et intexit.

II. Dantur magi, qui mutatis nominibus numeros quoque mutant, et hoc pacto ipſum rerum ſtatum.

III. Interſectionibus circulorum magna et occulta hominum ſenſibus virtus eſt.

IV. Accurata inter numeros et figuras analogia intercedit.

V. Vnitatis natura a centro ad circumferentiam remigrat, et ad centrum a circumferentia migrat, ita vero dat temperiem compoſitis, ſanitatem corporibus, animis virtutem.

VI. Vnitas eſt rerum cunctarum eſſentia tota; dyas origo boni atque mali, id eſt, contrariorum.

VII. Habet homo duas animas, appetitum ſenſitiuum ſiue animalem, et intellectiuum ſiue rationalem, hi duo eius daemones ſunt.

VIII. Tres ſunt partes hominis, corpus, anima et ſpiritus, qui eſt vehiculum quod inter animam atque corpus mediat.

IX. Metalla mutare in perfectiora, poſſibile.

X. Grauitas et leuitas corporum oritur ex anima mundi.

XI. Mun-

u) Id aut perperam accepit Baylius, aut ita intelligendum eſt, ratione fontis et originis eadem eſſe ſpiritum et materiam. Alias enim e diametro contraria ponebat Brunus ſpiritum et materiam, vid. de Minimi Exiſt. c. 4. v. 18. ſeqq. p. 14. ſeqq.

x) Locis citatis.

XI. Mundus, cum sit infinitum vniuersum, figura caret.

XII. Quia vult animae vis, cuncta moueri, corporaque in proprium semper versarier orbem, oritur inde vita.

XIII. Spatium est quantitas continua physica triplici dimensione constans, in qua corporum magnitudo capiatur, natura ante omnia corpora et citra omnia corpora consistens, indifferenter omnia recipiens citra actionis passionisque conditiones immiscibile, impenetrabile, non formabile, illocabile, et extra omnia corpora comprehendens, et incomprehensibiliter intus omnia continens, quo loci munus actuale habente locato nihil potest esse aequalius, a quo ne cogitatione quidem dimensiones locatorum corporum erunt separabiles.

XIV. Deus est essentia simplicissima, ergo in eo idem est posse et esse, itaque quia Deus potest facere mundum infinitum, etiam fecit.

XV. Maculae lunae terram exhibent, lucidae partes maria.

XVI. Singulorum annorum periodo terra circa solem voluitur.

XVII. Lux et calor non nisi in corpore composito esse possunt.

XVIII. Viuunt in sole certae creaturae viuentes, quarum tamen naturam ignoramus: par autem est eas nutriri vt ignem, hae interdum apparent hominibus.

XIX. Solem constituunt et partes et igneae lucidaeque et terrestres atque aquosae, sibi in corpore globoso succedentes.

XX. Et in terra et in aëre viuentes creaturae sunt, corpore subtili vestitae, inde spectra.

XXI. Natura numen est, et haec Deus in rebus credenda et nominanda est.

XXII. Terrae grauitas est ab aqua terram comprimente.

XXIII. Cometa est species telluris mundusque per orbem oblique ad visum hunc speculari corpore latus; raro autem conspicitur, quia eius circulus non venit ad eam oculorum nostrorum et solis oppositionem, vt specularem reddat lucem, nisi raro, quando scilicet ita deuenerit vtrumque astrum, vt splendor ille excitatus in corpore astri habeat ad oculos nostros reflexionem.

§. XX. Haec singularia et memoratu digniora laudatis viris doctis ex Bruni Φιλοσοφουμένοις visa sunt, quae quoque tot iudiciis et conuiciis lacessita famae Bruni haud parum obfuerunt. Dolendum autem Brunum, hominem nullo accurato ordine philosophantem ideam systematis sui physici et metaphysici (terminologiam metaphysicam quam edidit excipimus, quae mere Scholastica et Aristotelica est) nullam dedisse, vnde difficillimus labor est, de vero et genuino sensu eius sententiam ferre. Inde vero factum, vt quod vni atheum, impium, blasphemum, non ferendum visum, alteri videretur facile ferendum et ingenio Bruni ἑτεροκλίτῳ, absurdius et ineptius loquenti quam statuenti condonandum; quodque qui ab *Fundamentum philosophiae Bruni.*

illis Spinoziſmi accuſatur, ab his ab iſta labe abſoluatur, et is inter martyres connumeretur. Nos de impietate Bruni in ſequentibus dicemus: quod ad ipſum eius ſyſtema attinet, non diffitemur quidem, non ſatis de eius vero et genuino ſenſu nos ex iis certos eſſe, quae nobis de placitis Bruni innotuerunt, ita vt accuratum de eo iudicium dari poſſit. Nec negamus, ex iis, quae ex libro *de Immenſo* excerpſit CROSAEVS, et quae ex libro *de Vno, Cauſſa et Principio* retulit P. BAYLE, Spinoziſticum ſenſum emergere poſſe. Aſt vnam tantum ſubſtantiam ſenſu Spinoziſtico ſtatuiſſe Brunum, dicta nos non conuincunt, licet ens vnum tantum, immobile, reuera exiſtens ſtatuat. Haec enim ſi cum iis comparentur, quae alibi dixit, patet ex eo, Brunum non Spinoziſticum ſed emanatiuum ſyſtema ſecutum eſſe; ſecundum quod ex vno immenſo et infinito fonte mediante principiato aliquo effluxerunt et ab aeterno orta ſunt cuncta, adeoque ita ineſſe et exiſtere ſuo, quod dicunt, ab eo dependent, vt quicquid ſunt et exiſtunt, ex illo fonte habeant. Haec innumeris philoſophis olim deamata ſi Bruno tribuimus, tota eius metaphyſica recte cohaeret: et veriſimillimum eſt, Brunum, admiratione ſcholae Pythagoricae, praecipue Semipythagoreorum, et Eleaticorum, quos comtius de rebus naturalibus differere, quam Stagiritam, cenſebat, ſeductum, eorum principia phyſica et metaphyſica recepiſſe, et Democriti atque Epicuri, et ex recentioribus Copernici cothurnis miro connubio adaptauiſſe. Quod ne ſine teſte dixiſſe videamur, en luculentum Bruni locum, in quo manifeſta enarratione ſyſtematis metaphyſici obſcuriſſimis meditationibus ſuis, de vno, ente infinito, anima mundi, effluxu et refluxu ad vnum, deque minimis in immenſis lucem egregiam affudit. Ita nempe differit y): *Vniuerſum Xenophani metaphyſico vnicum, abſolutum. Parmenidi eius diſcipulo a diuinitate ad naturam et a natura ad naturalia deſcendenti, rurſumque a naturalibus per naturam in diuinam ſpeculationem contendenti, triplex definitur, in effectu, typo, archetypo, ſeu materialiter, formaliter, efficienter, vel explicatim, complicatim, ſummatim. Nempe in numero, in ordine, in monade, ſcilicet per ſingula, per omnia, per totum. Vbi primo modo eſt vniuerſum ſubſiſtenter, ſecundo conſiſtenter, tertio exiſtenter: primo item mobiliter, ſecundo ſtabiliter, tertio immobiliter.* Haec ſuam quoque eſſe opinionem haud obſcure prodit, ita pergens: *Iuxta rationem primi ad quodlibet aſpicimus, vt ſua incommunicabili proprietate diſtinctum, ſeorſim, et in ſe vnum eſt. Iuxta ſecundi rationem ad omnia conuertimur, quae AB EODEM PRINCIPIO MANANT, IN EODEM CONSERVANTE PERSEVERANT, ET AD EVNDEM FINEM CONSPIRANT. Iuxta abſolutiorem tertii contemplationem experimur, vt particularia omnia ad certas ſpecies, omnes ſubinde ſpecies ad ſubalternata genera, quae tandem ad vnum communiſſimum generaliſſimumque eſſe, ens, idque ad abſolutiſſimam entitatem, veritatem, monadem aſcendit. Ibi vnitas*

y) De Minimo p. 133.

nume-

numerorum omnium fons, multitudinem omnem atque varietatem immultiplicabilis et inuariabilis incommunicabiliter et inuariabiliter complectitur. Sic a luce in tenebris et composita ascendimus ad lucem simplicem et absolutam, vt ab illa cognita ad istius iudicium examen atque moderamen descendamus. Vides, Lector, subordinationem principiorum, secundum quam ex vno realiter existente omnia sunt, et existentiam atque veritatem habent, idque mediante natura, id est anima mundi, et in infinita emanata diffluunt, in primum vero ens, vnum totum tandem sublata subsistentia particulari refunduntur. Quo pacto systema scholae Italicae quoque, et Parmenidem similiter differuisse, ex iis, quae suo loco diximus, constat. His positis nihil est in systemate Bruni metaphysico et physico, quod non cohaereat, licet Spinozae vestigia premere videatur. Nam hac emanatione ex infinito ente, per se existente, et omnibus essentiam et existentiam largiente, posita, sequitur, 1) omnem hunc actum emanationis esse necessarium, et pertinere ad essentiam Dei; 2) infinitas posse et debere constitui emanationes et principiata emanatiua, quae ab eo ente participent, et in quibus illius virtus infinite multiplicetur, et demonstretur, adeoque infinitos esse debere mundos: eo quod melius sit esse, quam non esse, nec cum ente infinito posse stare non ens et nihil. 3) Esse quoque eius emanationis durationem infinitam, immo cum necessitate naturae fiat. 4) Ab aeterno debuisse istas emanationes ex ente vno, siue monade absoluta scaturiuisse, esseque ideo mundos infinitos aeternos. Porro 5) ens reuera, id est, per se existens, non nisi vnum esse, infinitum immobile indiuisibile; si enim plura essent, plures fontes darentur, nec ab vnius illius ente participarent omnia existentia. 6) Immo cum hic fons rebus omnibus ex se essentiam et existentiam largiatur, progredi inde formam substantialem, nec eam posse esse ob vnum fontem multiplicem. His concessis, sequitur quoque 7) Materiam rerum omnium esse substantiam diuinam, quae emanauit ad res singulares constituendas; 8) caussam formalem effluxus vnicam applicando ad particularia formas gignere innumeras; 9) quaeque in ente vno siue monade in potentia sunt, per istam emanationem progredi in actum. 10) In his autem omnibus principiato aliquo mediatore opus esse quod extrema vniat, et influxum ex supremo accipiendo cum inferioribus communicet, hancque naturam esse. 11) Eam autem ob hoc munus, huncque locum et vires, non animae mundi nomen tantummodo tueri, sed et Deam habendam esse, eo quod per eam et ad eam adscendendo tandem ad primum vniuersi fontem reducamur. Sed et reliqua quae Spinozistica videntur, hinc lucem capiunt; nam 12) natura cuncta conglutinans, lux increata, et anima rerum omnium immobilis, actiuaque, siue

Natura subiectis insita rebus
Momentis graduanda suis depromit, et aptis
Ordinibus constans, numeris discriminat alte

non est monas prima, vt vult CROSAEVS [2], sed principiatum illud, quod in loco supra adducto naturam vocauit, et inter diuinitatem atque naturalia medium collocauit. Quo mediante 13) cum particularia omnia existant, moueanturque, et diuino ex fonte participent, patet inde, cur Deus dicatur esse extans totum, infinitum, verum, omne, bonum, vnum, monadum monas etc. Tandem et 14) lux illa, quae spatium habet, vbique tota etc. inde fluit, cum omnes fere systematis emanatiui fautores fontem primum velut infinitam lucis abyssum considerauerint, et ignis scholae Pythagoreae, praecipue Hippasi et aliorum Semipythagoreorum hoc inuoluat. Vnde coniicimus, Brunum Deum et eius emanationes simili fere modo sibi concepisse. Quaecunque autem eius mens fuerit, illud dubio carere putamus, vnum Bruni siue monadem non sensu Spinozistico, sed emanatiuo sumendum esse; aliquoties enim gradationem principiatorum emanatiuorum vsque ad primum principium emanans memorat, inter quae, vt hactenus dicta alio loco illustri claudamus, maxime notabile philosophema expendere iubemus Lectorem, quod supra *§. XV. thesi LI.* ex libris *de Minimo* attulimus, compararequе cum *thesi XLI.* hae duae assertiones enim clare innuunt, Brunum ex monade numerum, materiam, spiritus, entia serie emanatiua ita deduxisse, vt spiritualia entitatem largiantur, materia in minima diuisa semper fluctuet fluatque, et ab illis formas imprimendo discernatur formeturque. Haec qui recte intellexerit, reliqua Bruni παραδοξα facile mente comprehendet; clauis enim sunt, qua reliqua eius mysteria referari possunt.

Iudicium de Philosophia Bruni.

§. XXI. Ex his, nisi fallimur, iudicium de philosophia Bruni, quantacunque etiam eius obscuritas sit, fieri potest. Qui enim ea, quae toties de systemate emanatiuo, miro toties habitu vestito, aliquoties diseruimus, mente repetit, facile de Bruniana philosophia iudicabit. Nempe cum simplicitatem diuinioris doctrinae Brunus sorderet, et ingenio simul vteretur phantastico atque ad imaginationis frena laxanda vehementer prono, difficultatibus, quas systema mundi eiusque ortus atque generatio nectere solet, modum positurus, et philosophiam quandam simul excogitaturus, quam Aristoteli opponere posset, ad eiusmodi philosophiam emanatiuam deuenit, qua rerum omnium naturam, existentiam, et quicquid in rebus reale esset, ad caussam fontemque vnum referret, rerum autem fluxarum naturam ex minimorum dispositione deriuaret. Quod qua felicitate Brunus executus sit, lectoris iudicio definiendum relinquimus. Nobis id praecipue obseruandum, Brunum in mathematicis et physicis haud infeliciter exercitatum, malo ausu in metaphysicos campos fuisse digressum, et notionum imaginariarum fulcrisque nullis nisi ingenii exorbitantis delirio nixarum praesidio, systemati in se inepto nec satis cohaerenti fundamenta subiecisse, hocque pacto cothurnos haud raro adaptasse socco, iunxisseque equos gryphis. Cum autem Pythagorea cum

2) Act. Phil. Vol. II. p. 796.

cum Democriticis miro Syncretiſmo confunderet, vel ſyſtema magis Semipythagoreum cum Epicureo miſceret, ipſas autem emanationis leges ineptis numerorum, figurarumque geometricarum notionibus turbaret, mirum non eſt, ſyſtema eius et enthuſiaſticum atque paradoxum euaſiſſe, et innumeris naeuis atque paralogiſmis ſcatere, et multa exhibere, quae, ſi verborum obſcuritatem, et notionum incertitudinem tollas, plane nihil ſignificant.

§. XXII. Ex his celebris illa quaeſtio de Bruni atheiſmo ſoluenda, quam poſt alios recentiſſima aetate erudita et amica diſputatione excuſſerunt, viri praeſtantiſſimae doctrinae nobisque amiciſſimi MATVR. VEISSIERE LA CROZE [a] et CHRISTOPHORVS AVG. HEVMANNVS [b]. Impietatem autem iam viuo Bruno obiectam eſſe, querelae eius de inimicorum accuſationibus, quas toties Lectori occinit, ſatis produnt. Maxime vero impietatis praetextus feralem Bruno rogum accelerauit. Teſte enim Scioppio [c] in ſententia de eius capite lata haec ei dogmata atheis et profanis opinionibus deteſtanda obiiciebantur: *Mundos eſſe innumerabiles, animam de corpore in corpus, immo et alium in mundum migrare, vnam animam bina corpora informare poſſe, magiam eſſe rem bonam et licitam: ſpiritum S. nihil eſſe aliud niſi animam mundi, et hoc voluiſſe Moyſen dum ſcribit, eum fuiſſe aquas; mundum eſſe ab aeterno, Moyſen miracula ſua per magiam operatum eſſe, in qua plus profecerat, quam reliqui Aegyptii: eum leges ſuas confinxiſſe, ſacras litteras eſſe ſomnium, diabolum ſaluatum iri, ſolos Hebraeos ab Adamo et Eva originem ducere, reliquos ab iis duobus, quos Deus pridie fecerat, Chriſtum non eſſe Deum, ſed fuiſſe magum inſignem et hominibus illuſiſſe, ac propterea merito ſuſpenſum, (Italice impiccato) non crucifixum eſſe, prophetas et apoſtolos fuiſſe homines nequam, magos et plerosque ſuſpenſos.* Haec Scioppius refert, illi crimini data eſſe a tribunali S. inquiſitionis. Scioppio fidem adhibuere Vrſinus aliique ſupra enumerati. Cel. LA CROZE autem ex inſtituto, recte et non praeter meritum haec ei tribui contendit, eo quod in libris eius eiusmodi impietatis ſpecimina vbique deprehendantur. Idem viſum P. BAYLE [d], IO. FR. BVDDEO [e], CAR. STEPH. IORDANO [f], et qui gentis ſuae cenſorem apud Britannos egit auctori *Spectatoris* [g]. Hi non blaſphemiae tantum et conuitiorum in religionem reuelatam iactorum Brunum accuſant, ſed es Spinoziſmum ei ſine haeſitantia tribuunt, accuſato, quod vnam tantum ſubſtantiam, infinitis modificationibus diſtinctam aſſeruiſſet. Aliter tamen viſum viris doctis aliis, qui licet non negarent, abſurda, paradoxa et leuia plurima inter veritates nonnullas egregias Brunum aſſeruiſſe, atheiſmi tamen veſtigia ſe deprehendere non potuiſſe, conſtanter aſſerunt, et magis ingenium Bruni phantaſticum et cum ratione inſaniens quam atheiſticum, et

Bruntus an atheus?

a) II. cc. b) II. cc.
c) In Epiſt. ad. Rittershuſ. laudata.
d) l. c. not. C.
e) Theſ. de Atheiſmo c. 1. §. 24.
f) l. c. §. 5. p. 10. ſeqq.
g) Tom. IV. diſc. XXVII. p. 157.

et impietate in Deum deteſtabile, accuſant. Inter quos praeter SORELLVM [h], MORHOFIVM [i], ARNOLDVM [k], plurimum pro excuſando Bruno militauit Cel. HEVMANNVS [l]. Nos more noſtro vtriusque partis rationes adducemus, et tum noſtram quoque modeſte ſubiungemus ἐπίκρισιν, audiemus autem Cel. Croſaeum, quo nemo vel acutius vel doctius Brunum atheiſmi impietatisque profanae conuincere ſategit. Cuncta huc redeunt: 1) ſtatuere Brunum, naturam vnam, ſeu vniuerſum vnum eſſe Deum. Naturam enim eſſe illi lucem increatam et aeternam, quae ſit anima omnium rerum immobilis inſtar vacui, actiua tamen. Hanc eſſe monadem, in hac luce infinita omnia eſſe vnum, vniusque naturae et Dei nomine appellanda venire, cum ab ea vna vegetentur. Sic in vnoquoque mundorum ex indefinito animarum numero animam vnam exſurgere, omnesque mundorum animatorum vnitates in vnam vniuerſi naturam conſpirare, et hanc Bruno Deum eſſe, ſpiritum omnia replentem, totius ordinatorem. 2) Adamum neque protoplaſten fuiſſe, neque omnium hominum patrem, ſed hunc vnius gentis Iudaicae conditorem auctoremque eſſe, praeter hunc reliquis extitiſſe duos alios. 3) Religionem Chriſtianam fabulam eſſe rectae rationi contrariam: id euincere, non libellum modo de *Beſtia triumphante*, ſed et loca quaedam alia in eius ſcriptis, idem prorſus dicere; et vbiuis fere pateſcere, quod nunquam Chriſtianae religionis mentionem faciat ſine aliqua contumeliae aut contemtionis nota. Traducere quoque falſe mortis aeternae cruciatus etc. 4) Idem porro de Moſaica ceterisque religionibus eſſe affirmandum. 5) Nullam illi eſſe creationem rerum, immo quicquid in infinitum extat, id aeternum eſſe, et neceſſario exiſtere. Id enim cum connexionem et relationem neceſſariam inter cauſſam et effectum, ſecundum Brunum requirere, qua vel vno momento temporis potentia immenſa et infinita ſubſiſtere nequiuiſſet, quin effectu, item infinito et immenſo actuaretur: et a Bruno diſerte affirmare, quod rerum ſeries et ſemper fuerit, et ſit, et non poſſit eſſe aliter. 6) Animas hominum reliquorumque animalium e corporibus in corpora illi migrare. Haec Croſaeus; quae tamen non omnia atheiſmum innuunt, ſed ex parte profanum tantum et a veritate religionis Chriſtianae abhorrentem animum produnt. Erudite et ſpecioſis argumenti delicati rationibus cauſſam hanc egit vir celeberrimus, non minori ingenio reſpondit eruditiſſimus HEVMANNVS. Is male imponi Bruno perſonam hominis aſtuti et improbi contendit, nec habendum eſſe pro ingenioſo nequam; ſed fuiſſe, dicit hominem non malum, ingenio praeditum ſimplici, et eius ſapientiae cuius opinione inflatum gereret animum, oſtentatorem minime callidum. Ideo non durius interpretanda videri eius verba, quae nec ſatis circumſpecte ſcripta ſint, nec peruiderit

h) De perf. hominis, Pars III. p. 468. Verſ. Germ. Gallica exhibet BAYLE l. c. p. 681.
i) Polyhiſt. T. I. L. I. c. 8. §. 22. T. II. L. II. c. 15. p. 260. L. II. P. II. c. 11. §. 5. p. 343.
k) Hiſt. Eccleſ. et haeret. Part. II. L. XVII. c. 16. § 8.
l) Act. Phil. Vol. II. p. 380.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rit Brunus absurditates omnes, quae ex iis deriuari possint. Id confirmare aniles superstitiones, toties a Bruno defensas. Nec verisimile esse, maluisse eum, si atheus fuisset, in castra Lutheri tantis cum molestiis et periculis transire, quam cum tot atheismi fautoribus in ecclesiae Romanae gremio cautius sua premendo manere. Immo et hoc praeiudicium non leue esse, quod, atheus si fuisset, facile mutata religionis externae professione vitam redemisset. Neque vero rationes Crosaeanas esse omni exceptione maiores contendit vir celeberrimus. Quod enim voluntatem Dei necessitati subiecerit; id de necessitate essentiae intelligendum esse. Naturam autem Bruni non minus quam Stoicorum ad meteorologiam rhetoricam referendam, nec nimis premendam esse. Locum adductum Bruni de conditoribus hominum ex aliorum sententia loqui videri. Infectationem Christianae religionis intelligendam tantum esse, de partibus pontifici Romano addictis, quibus se infensissimum praebebat. Mosen autem inter magos a Bruno relatum, philosophum dicere non impostorem. Incertum porro esse, annon aeternitatem vniuersi tantum intellexerit, sensu durationis, non initii; tandem, adeo obscura, ambigua et lubrica esse, quae de transmigratione animarum Brunus differit, vt inde animus veri sitiens de certa eius mente securus esse nequeat. Nobis inter tantae doctrinae viros arbitri partes sumere nec licet, nec vacat; dicemus autem, ita poscentibus tractationis nostrae legibus, quid nobis de hoc argumento videatur, vt habeat Lector, quod cum laudatissimorum virorum dissertationibus comparet. Et I. quidem impietatis siue atheismi crimen a profanarum opinionum et paradoxarum doctrinarum colluuie distinguendum esse, monemus. Fecit neglecta haec obseruatio, vt multoties in historia atheismi laberentur viri docti, cum Deum non statim tollat, vel in Numen iniurius secundum naturae praecepta peccet, qui audaces manus sacris paginis iniicit, et intolerabili ausu diuinas veritates lacessere sustinet. Idque in hac quaestione eo magis obseruandum est, quo magis ex dicendis constabit, ab opinionibus profanis, ineptisque et Christianum philosophum non decentibus Brunum absolui non posse, licet ab atheismi crimine sit liberandus. His praemissis II. ea quae desideratissimus Crosaeus attulit, de natura vna, monade, ente, substantia, luce, in qua sint omnia velut in esse suo, nondum Spinozismum aliquem, nobis quidem rem accurate diuque pensitantibus, euincere visa sunt. Quamuis enim, vt ex supra dictis liquet, non magnopere repugnandum esse censeamus asserenti, Deum Bruno lucem increatam, infinitam, subsistentem per se esse, in qua omnes atomi velut in oceano natent quasi et existant; multis tamen locis, atomum materialem, quae cum minimo metaphysico Bruni confundenda non est, ab ista luce increata ita distinxit, vt huius effluxum, quae est mundi anima, velut vacuum Democriti et Epicuri atomis opponat, et conglutinandis atomis velut principium aliquod coordinatum adiungat [m]; quae

m) De Exist. Minimi p. 10.

quae cum ipſe obſeruauerit doctiſſimus Croſaeus, miramur, non animaduertiſſe virum cetera perſpicaciſſimum, hoc pacto vnam naturam ſiue ſubſtantiam Spinozae prorſus euerti. Nec his magnopere obſtant, quae de vna natura, vno ente, monade monadum etc. toties occinit Nolanus philoſophus? haec enim non ad rerum ſubſtantias, ſed ad earum exiſtentiam, ortum, dependentiam atque emanationem pertinent. Id ex illis theſibus quas ſupra §. XVI, ex libro *de Minimo* excerpſimus, manifeſtiſſimum eſſe putamus, in quibus diſtinguit inter animam ſubſtantialis naturae indiuiduae naturae, et animam telluris in ſynodo magna; et inter animam ſynodi totius, quae eſt in vniuerſo; et inter ſupremam animam animarum Deum, ſpiritum omnia replentem, totius ordinatorem, ſupra et extra omnem ordinem. Haec, ſi ſenſu Spinoziſtico vnam naturam Bruni intelligas, conſiſtere nullo modo poſſunt, recte autem, omnia et accurate cohaerent, ſi Brunum, quod ſupra iam monuimus ſtatuamus, emanatiuo ſyſtemati adhaeſiſſe, et ex vno ſubſtantiarum fonte per varias emanationum claſſes et genera rerum omnium ortum afferuiſſe. Hoc enim locus ille [n], ad quem prouocauimus, diſerte probat, in quo poſito Deo ſummo ſupra omnem ordinem, variae animarum claſſes, quae ex eo effluxerunt ponuntur: Nec dubitamus, Brunum eodem fere modo vt Orientalis et Aegyptiaca, Cabbaliſtica et Alexandrina philoſophia fecit, Deum ſibi velut lucem quandam infinitam et incorpoream depinxiſſe, ex cuius ſinu varii radii emanauerint, quibus rerum corporearum ſiue minimorum materialium animetur congeries. Quae hypotheſis ſatis quidem abſurda eſt, nec inſignibus naeuis caret, et quod vltro fatemur, in naturam Dei peccat, at Spinoziſtica haud eſt, cum inter Deum, medium emanationis ſiue principiatum primum, et emanantia accurate diſtinguat, et participationem quidem diuinae eſſentiae inferat, non vero ipſam Dei naturam cum creatura confundat. Et hoc quidem ſenſu, non vero Spinoziſtico, ea ſumenda ſunt, quae de cauſſa formali, ſubſtantiali, potentia, actu etc. ex Peripateticorum ſchola ad hoc ſyſtema inepte translatis dixit Brunus, quae ad inurendam ei Spinoziſmi maculam perperam adhibuit P. Bayle. Verbo, vnum Bruni cum vno Pythagorico et Parmenideo comparandum eſt, vt intelligatur, quantum ab vno Spinoziſtico vel etiam Stoico diſtet; quod illo deterius eſt. Res enim omnes, quotquot exiſtunt, ſi Brunum, Pythagoreos, Platonicosque ſequentem audias, ex vno fonte, Deo, ſunt et acceperunt, quicquid ſunt, et lux illa diuina omnem illis realitatem, quam vocant, contulit: aſt multis tamen modis ab illa ſcaturigine ſua differunt, licet per gradationes varias ad originem tandem ſuam queant reduci. Et haec cauſſa quoque eſt, cur rerum omnium viciſſitudines at refluxum ad monadem obſcuris quidem et ſatis confuſis notionibus Brunus afferuerit [o]. Cum ergo Deum a mundis innumerabilibus ita Brunus diſtinxerit, vt hos cum illo mediante tantum architecto mundi, id eſt, anima

n) p. 74. o) De Minimi Exiſt. c. 5. p. 21.

anima quadam vniuerſali coniungat, ſicque vniuerſum, hoc medio, participante in eo ſubſiſtere et eſſe dicat, patet inde, non tam atheiſmum, quam enthuſiaſmum Bruno obiici poſſe, quo res creatas omnes diuinitate quadam repleuit, easque non modificationes Dei Spinoziſticas vel partes deitatis Stoicas eſſe, ſed producta emanationis diuinae ſenſu Pythagoreo et Platonico cenſuit. Ex his vero III. aeternitas vniuerſi, quae a mundorum infinitorum ortu et interitu per varias viciſſitudines exiſtente diſtinguenda eſt, intelligi eo ſenſu poteſt, quo Brunus intelligi voluit. Vniuerſum enim non libere extitiſſe, ſed ex neceſſitate diuinae naturae effluxu ſuos per omnem aeternitatem, produxiſſe, non poterat non aſſerere [p], cum ſemel ſtatuiſſet, quicquid in Deo et ex Deo eſt, et ab eo fit, fieri neceſſario, hancque neceſſitatem voluntatis cum neceſſitate eſſentiae ita coincidere, vt plane eadem ſit, et maximam Dei libertatem conſtituat. Quae ἀνάγκη vt ipſum veterum Pythagoreorum, Heracliti et Stoicorum (qui omnes vno ex fonte hauſerunt) fatum eſt, ita aeternas periodos effluxus et refluxus inuoluit. Aſt haec ad vniuerſi tantum aeternitatem pertinent, et infinitis quoque mundis patrocinantur, ſingulorum autem mundorum ortum et interitum non tollunt. Poſito enim ſyſtematis emanatiui principio, ſequitur inde, mundos abſoluto curſu reductum iri ad nouas emanationes conſtituendas, emendatumque iri eorum imperfectiones vel potius ex complexu nouo atomorum mediante anima mundi nouos orituros planetas. Ita enim Brunus explоſo Peripateticorum coelo immobili philoſophatur [q]; *Habemus nos, vbi Dei infiniti potentis, omnipotentisque naturae virtutem poſſibilitatemque proprio actu non exſpoliatam contemplemur, admiremurque, - - nouam item tellurem, huae in ſpeciem lunae, Veneris, atque Iouis de opacitate obſcuritate elementanorumque corporum ſentina conſurgat:*

Convexum coeli implicitis orbesque meantes
Ordinibus, nixum geminûm ſuper axe polorum
Vna dies dabit exitio celeberrima mundum
Quam melior ſpecies coelo pandetur ab alto.

Nihil itaque noui hac mundi aeternitate afferit Brunus, nec naturam ſiue mundum cum Deo confundit, ſed ob emanationis naturam participationem tantum aeternitatis ex fonte ſuo vniuerſo emanatiuo, non vero partibus ſucceſſiuis tribuit, quae atheiſmum quidem non inuoluunt, at ſatis tamen inepta ſunt et pantheiſmo cuidam incruſtando frigidam ſuffundunt. Ex his IV. transmigratio animarum, qualem Brunus tradidit, lucem, niſi fallimur, ſatis claram mutuatur. Μετεμψύχωσιν enim Brunum ſenſu ſcholae Pythagoreae recepto ſtatuiſſe, nobis negandum non eſſe videtur; nam recitata Pythagorae et Platonicorum de animae migratione ſententia addit: *Haec illi, qui aeterna omnia quadam reuolutione exagitata intelligunt,*

p) Ibid. v. 31. ſeqq. q) Ibid. p. 65.

praeter vnum, id eſt Deum. Quibus verbis ipſum ſyſtema emanatiuum ſatis luculenter depingit, cui calculum eum adieciſſe ſatis hactenus euidenter probauimus; illa enim reuolutio vt ex emanationis neceſſitate et motu periodico exſurgit, ita adeo placuit Bruno, vt ſingulari capite libri *de Minimo* demonſtrare conetur, *omnia quodammodo circuire et circulum imitari.* Quae ſatis quidem ingenium eius paradoxum, enthuſiaſmo infectum, et phantaſticum produnt, nihil tamen ad atheiſmum euincendum faciunt, cum Deus fons potius ſit omnis illius reuolutionis, tantum abeſt, vt hac μετεμψυχώσει Dei naturam tollat. Interdum tamen, vt ſatis incertus fuit Brunus, μετενσωμάτωσιν magis Stoicam, quam μετεμψύχωσιν Pythagoream tradere videtur, nempe ſtatuendo redire animas in animam mundi, et ex ea iterum in noua corpora ita dilabi, vt huic numero vel ſubſtantiae atomi adglomeratae adhaereant, iisque implicatus animus nouum hominem conſtituat. Reduci autem in concordiam ſecum Brunus poteſt, ſi eam Pythagoreae μετεμψυχώσεως explicationem illi tribuamus, quam ſuo loco [r] accurate expoſuimus. Et hae quidem rationes ex philoſophia Bruni deſumtae ſunt, quibus atheiſmum eius euincere, perperam, niſi fallimur, viri docti contendunt, ſyſtema Spinoziſticum cum emanatiuo confundentes. V. Reliqua ad irriſam a Bruno religionem Chriſtianam pertinent, et huc omnia loca ſpectare dicuntur, quae ex ſcriptis Bruni attulit doctiſſimus Croſaeus. Aſt ea obſcurum per aeque obſcurum probare, et incertum eſſe, vtrum vel gentilem ſuperſtitionem, vel Chriſtianorum quorundam corruptiones, an ipſam religionem Chriſtianam tangant, fatebitur quilibet, qui ea accurate inſpexerit. Prout enim quis de Bruni religione opinionem tenet, ita explicari ea vel finiſtro, vel tolerabili ſenſu poſſunt. Fatemur tamen ea, quae de recentiorum hominum religione fraudibus plena, et anili ſuperſtitioni iuncta attulit, videri maxime veriſimiliter in eas partes dicta eſſe, quas reliquerat, et imprimis mores artesque eccleſiae Romanae, quas peſſimas dicebat, et Vatiniano perſequebatur odio, perſecutionis, vt videtur iniquitate exacerbatus, ſugillare. Id nos ipſe Scioppius docet, tradens beſtiae triumphantis titulo papam eum traducere voluiſſe. Patiuntur quoque omnia ea loca, quae adduci ſolent, hunc ſenſum, vt ordinis clericorum ſycophantias, impoſturasque exagitaſſe dicatur. His vero opponit Cel. Croſaeus librum peſtilentiſſimum *Beſtiae triumphantis*, in qua omnem religionem, etiam Chriſtianam, acerbiſſime vulneraſſe viſus eſt. Adeo vero rarus libellus iſte eſt, vt ipſi viri docti, qui magno pretio redemtum [s] viderunt, de titulo, loco et anno impreſſionis valde inter ſe differant. Non enarrabimus famoſae ſatyrae hiſtoriam, quae ad noſtros limites non pertinet; dabunt, quantum ſatis harum lautitiarum cupidis viri doctiſſimi AVGVSTVS

r) T. I. p. 1092.

s) 300. florenis redemtus aliquoties eſt. Vid. Nou. lit. Lipſ. 1726. p. 278. Cl. BVNEMANNI Cat. libror. rariſſ. p. 13. Tanti nugae miſerandae veneunt. Rectius inter Bizotianos libros exiguo pretio venditus eſt, teſte NICERONIO l. c.

STVS BAYERVS ſſ) et IOANNES VOGTIVS t), quibus eruditas de libris rarioribus tractationes debemus, apud quos plures quoque nominantur, qui hunc libellum deſcripſerunt. Nos id hoc loco monemus, nondum extra controuerſiae aleam poſitum eſſe, quod ab ipſo Bruno liber, teſte P. BAYLE, ineptus et confuſus, ſcriptus ſit. Habet is hunc titulum: *Spaccio de la beſtia trionfante, propoſto da Giore, effettuato dal conſeglo, reuelato da Mercurio, recitato da Sophia, udita da Saulino, regiſtrato dal Nolano. Diviſe in tre dialogi, ſubdiuiſe in tre parti. Conſecrato al molto illuſtre et excellente caualliere, Sig. Philippo Sidneo. Stampato in Parigi* cIↃ IↃ LXXXIV. Eſſe hunc impreſſionis locum annumque fictitium, non alia demonſtratione opus eſt, quam, quae ex rationibus chronologicis hiſtoriae Bruni deſumitur: hoc enim, quem prae ſe liber fert anno, nondum ad Gallos dilapſus erat Brunus, quae ſine dubio cauſſa eſt, cur viris doctis viſum ſit, non apud Gallos ſed Britannos libellum equiti Anglo dicatum prodiiſſe. Aſt non minoribus difficultatibus laborare iter Anglicum Bruni, ſi ante annum cIↃ IↃ XCII, contigiſſe dicatur, ſupra expoſuimus: quae cauſſa eſſe videtur, cur P. BAYLE libellum anno cIↃIↃXCIV dicat prodiiſſe, niſi calami vel typorum vitio erratum ſit. Nec ſi dicas, Italicam editionem Pariſiorum nomen mentiri, veriſimile eſt, tam libera ſatyra in omnem religionem, maxime vero in eccleſiam Romanam debacchari auſum fuiſſe hominem adhuc in Italia verſantem. Ipſe quoque Brunus in nullo, quod eius genuinum eſſe nouimus, ſcripto ad illum libellum prouocat, qui tamen frequenter et edita et affecta in partes vocare ſolet. Viderint itaque, qui curioſius arcana literaria ſcrutantur, an non libellus ipſe ab homine aliquo nequam Bruno ſuppoſitus ſit, cum percrebuiſſet beſtiae triumphantis titulo, (id quod ex Scioppii relatione nouimus) acerbiſſimam in pontificem Romanum et coetus eius ſequaces ſatyram euulgaſſe, vt hoc titulo auidius cariusque emeretur liber, quo ſimili artificio Tolandum in vulganda libelli huius verſione Anglica vſum fuiſſe narrat venerabilis MOSHEMIVS u). De ipſo vero libro, quem non legimus, pronuntiare nihil audemus; fatemur autem, ſuſpectas nobis eſſe narrationes ſcriptorum, qui eius mentionem faciunt. Quamuis enim in eo omnes conſentiant, ſuperſtitionem philoſophiae contrariam, et religionis auctoritate abutentem valde exagitaſſe auctorem, alii tamen ad ſolam tractationem moralem eum referunt, alii ſatyram in pontificem exhibere pronuntiant, alii religionem omnem exſibilari, et Chriſtianam quoque impoſturae argui perhibent. Quae ſatis euincunt, aut non accurate inſpexiſſe eos libellum, aut ita obſcurum eſſe, vt vera auctoris mens coniecturis tantum queat definiri; nihil autem certi de vera eius ſententia conſtare. Quodſi libellus Brunum verum parentem agnoſcat, ſuſpicamur, hominem implacabili odio diris perſecutionibus cleri Romani aduerſus iſtos coetus accen-

ſum,

ſſ) Memor. libr. rar. c. 71. p. 219.
t) Cat. libr. rar. p. 141.
u) In Vita Tolandi §. 32. p. 173. Suppoſitum queque cenſet auctor' diſſertationis, qua Cl. Monetae de tribus impoſtoribus reſpondetur p. 4. ſ.

ſum, acerba ſatyra eum depexum dare voluiſſe, ideoque magno conatu et liberrimo calamo in ſuperſtitionem Chriſtianorum fuiſſe inuectum. Solitum enim fuiſſe id facere, vna oratio valedictoria apud Wittebergenſes habita luculenter demonſtrat. Cum autem ſyſtema ſibi phyſicum et metaphyſicum conſtruxiſſet, quod a placitis Chriſtianae doctrinae haud parum deuiat, et nonnulla dogmata inter fabulas refert, quae in ciuitate ſacra inter ſummas leges referuntur, quale eſt de praemiis atque poenis poſt hanc vitam, omnino veriſimile eſt, hominem audacem animique impotentis talia quoque inter ſuperſtitiones monachales retuliſſe, et ſic in ipſam quoque religionem peccauiſſe. Certe paradoxa, et a placitis Chriſtianis multis nominibus diſcedentia ſomnia Brunum fouiſſe, quale eſt praeadamitarum fabula, negare non audemus, et ipſum eius ſyſtema philoſophicum attentis ſuadet. Quae ab improbitate Brunum liberari non poſſe ſatis quidem certo ſunt teſtimonio, at atheiſmum tamen non euincunt, forte mitiorem quoque et benigniorem interpretationem admittunt, de quo illi ſtatuent, quibus ipſius libelli legendi copia occurrit: multo minus ad excuſandam Romanae inquiſitionis ſaeuitiam ſufficiunt. Et haec quidem de Iordano Bruno Nolano.

* * * \

DAEI industria, qui eum apud Parisienses [e] recudi fecit, addito iudicio de Cardano pulcherrime et accurate scripto, quod Cardani postea operibus praefixere editores Lugdunenses, et nonnulli perperam pro biographia Cardani habent; cum characterem tantummodo, ingenii, morum, doctrinae Cardani contineat. Quamuis autem adeo veritati litauerit in describenda vitae suae historia philosophus famosissimus, vt quae parum ipsi decora sunt et existimationem nominis eius laedunt, minime reticuerit, quin eas ἀνομαλίας describserit, quas si tacuisset, hodie ignorarentur, vnde, quam fidem hic praestet scriptor de se ipso intelligitur [f]: dolendum tamen, maluisse Cardanum, per diuersa argumenti capita historiam suam distribuere, quam recto filo et integra serie eam delineare. Ita enim factum, vt quaedam in ea desint, quae non omisisset, si iustum historiae ordinem fuisset secutus. Desideramus ergo hodie adhuc viri καὶ ταῖς εὐφημίαις καὶ δυσφημίαις celeberrimi biographiam accuratam suisque numeris absolutam. Quamuis enim haud pauca collegerint ad historiam Cardani pertinentia P. BAYLE [g], TOMASINVS [h], GHILINVS [i], CORTIVS [k], TELLERVS [l], CHRISTIVS [m], TEISSIERVS [n], quos secuti sunt recentiores [o], qui literariam historiam in vulgus notissimis libris sunt complexi; integra tamen de Cardano tractatione hodie caremus. Nos instituti memores, eiusque legibus circumscripti, ad ea potissimum respiciemus, quae virum et vita, et doctrina et moribus παράδοξον, et suos manes frequenter passum, propius noscendum offerunt, produntque, quid in nouanda philosophia praestiterit, quam philosophi imaginem expresserit, quo pacto vel adiuuerit philosophiam vel corruperit, quaeque alia sunt, ad nostros limites pertinentia.

§. II. Habuit Cardanus patriam Mediolanum, natus autem est Papiae. Annum natiuitatis ipse in libro *de Vita propria* definit [p] cIↃ IↃ VIII Cal. Octobr. hora noctis prima non exacta, sed paulo magis dimidia, et tamen besse minore. Ast obscurum esse, vtrum numerus VIII. ad annum, vel ad mensis diem pertineat, iam vidit P. BAYLE [q], obseruatumque H. BAILLETO [r], incertissimos esse scriptores de die annoque natali et emortuali Cardani. Recte autem coniecit acutissimus Baylius, vtrumque numerum, tum qui cIↃ IↃ VIII ponit, tum qui annum cIↃ IↃ signat, valde suspectum esse; narrare enim Cardanum [s]: in capite octaui anni laborasse se dysenteria cum febre ex morbo epidemio et pestilenti, et conualuisse, dum

Cardani natiuitas, parentes, pueritia.

e) 1643. 8. recusum libellum dedere Amstelodamenses 1654. 12. qua editione vtimur.
f) Multa de vita sua quoque tetigit Cardanus in explicatione geniturae suae ad calcem Comm. in Ptolemaeum de astrorum iudiciis, qui locus cum ista biographia comparari meretur.
g) Dict. T. I. Art. Cardan.
h) Elog. p. 55.
i) Theatr. P. I. p. 115.
k) Notit. Dei medici scrittori Milanesi p. 74.
l) Monum. ined. trim. XI. art. 1, ex schedis Isac. Thomasii.
m) Noct. Acad. Spec. I. Obs. 3.
n) Elog. T. III. p. 109.
o) Vitam Cardani descripsit quoque SEVERINVS Hist. Acad. reg. inscript. T. XIII. art. 2.
p) c. 2. p. 5.
q) l. c. not. A.
r) De satyres personnelles T. I. p. 46.
s) c. 4. p. 10.

dum Galli deuictis in Abduae confiniis Venetis, celebrarent triumphum, quem a feneſtra ſpectare licuerit. Aſt accidiſſe iſtam pugnam anno cIↃ IↃ IX, prid. Id. Mai. ex quo ſequatur, Cardanum circa aequinoctia autumnalia anni cIↃ IↃ VIII dyſenteria correptum ſeptennem tunc puerum fuiſſe, adeoque eius natiuitatem in annum cIↃ IↃ I, VIII Cal. Octobr. reponendam eſſe. Quam coniecturam confirmat totum caput quartum, ex quo paulo curatius attendenti palam erit, ita numerare Cardanum vitae ſuae annos, vt cum annis ſeculi XVI tum decurrentis coincidant, et natiuitatis tempus in primum ſeculi XVI annum cadat. Omnem autem dubitationem eximit genitura Cardani, qualem ipſe in calce *Commentarii in* Cl. PTOLEMAEI *libros de aſtrorum iudiciis* [ſſ] exhibuit. Ex ea enim patet, Cardanum V. Cal. Ian. anno cIↃ IↃ conceptum, anno cIↃ IↃ I, VIII. Cal. Oct. hora VI. min. XL. a meridie natum fuiſſe; adeoque acu rem tetigiſſe P. Baylium, nec cauſſam amplius eſſe, cur de natali Cardani in partes ſcriptores abeant, qui forte non diſſenſiſſent, niſi laudati libri raritas tanta eſſet, vt pauciſſimis eam inſpicere et verum tempus natale Cardani ex eo diſcere licuiſſet. Genere editus eſt antiqua ſtirpis nobilitate illuſtri, quod in ipſo tractationis limine [t] enarratis familiae ſuae heroibus exponit, quod tamen ſua aetate ita ad incitas redactum fuiſſe retulit Naudaeus [u], vt vix ex plebe Cardanus vnus adhuc Mediolani tum vixerit. Patrem habuit Facium Cardanum, Iurisconſultum, ſed et medicinae peritia ac literis mathematicis atque philoſophicis clarum [x], cuius geneſin filius expoſuit [y], et potiores vitae eius circumſtantias delineauit, quaedam etiam de eo inter medicos Mediolanenſes attulit BARTHOL. CORTIVS [z], qui videndus. Ab hoc parente male ſe acceptum eſſe non diſſimulat, et fruſtra tentatis abortiuis medicamentis editum ſe a matre fatetur; quam a patre diſcedentem eum peperiſſe haud obſcure ipſe innuit [a]. Id quod occaſionem ſuppeditauit MOTTAEO VAYERIO [b], NAVDAEO, TEISSIERIO, BAYLIO [c], ſuſpicandi, ex thoro illegitimo eum prodiiſſe. Quam tamen ſuſpicionem ſatis leuem eſſe, ex eo intelligitur, quod ipſe Cardanus vtriusque parentis maiores, et legitimam ſtirpem enarret: immo Claram Micheriam, noſtri matrem a patre viduo in ſenectute ductam eſſe in vxorem ipſe CARDANVS alio loco [d] diſerte teſtetur. Non tam natus, quam a matre, tribus perpetuis diebus in partu conflictata extractus tanquam mortuus, cum capillis nigris et criſpis, recreatus balneo vini calidi ſuperſtes euaſit tandem [e]. Id quod indicium aerumnarum ſibi fuiſſe tradit [f]. Primo menſe nutricem ipſa die, qua aegrotauit, ex peſte amiſit, ipſique carbunculi quinque in facie, crucis in effigiem, ſuperuenerunt, vt vnus foret in naſi apice, quibus poſtea

ſſ) p. 59.
t) c. 1. p. 3.
u) Naudaeana p. 16, 17.
x) De Vita propr. c. 3. p. 7. 8.
y) l. c. p. 62.
z) l. c. L. II. p. 53.
a) Locis citatis.
b) Ep. 63. T. XI. Opp. p. 65.
c) Locis citatis.
d) De Geneſ. p. 65.
e) De Vit. propr. c. 4. p. 9.
f) De Geneſ. p. 56.

postea locis tubercula renouata sunt. Tertio demum anno ablactatus, quarto Mediolanum delatus a patre et matre sine caussa verberatus, toties aegrotauit ad mortis periculum [g]. Anno aetatis octauo dysenteria cum febri epidemica laborans, non prius in spem salutis rediit, quam cum prorsus vt mortuum vtrique parentes defleuissent [h]: patre a B. Hieronymo auxilium pro filio deprecante et impetrante, licet is se daemonem quoque familiarem habere palam profiteretur: quem mire eiusmodi fabulis superstitionem olentibus gauisum fuisse filius alio loco [i] luculento exemplo docet. Nondum restitutus plane ex morbo cecidit e scala cum malleo, graui vulnere frontem laesit, et simili ratione multoties, si ipsum audis, vitae et sanitatis pericula adiit, quae tamen apud ipsum, prolixe ea enarrantem [k] legenda sunt, ex quibus intelligitur, vt animo et temperamento, ita fato singularem prorsus Cardanum fuisse. Propius ad rem nostram spectat eius educatio; ipse enim queritur [l], patrem se vt seruum duxisse mira pertinacia, immo saeuitia; quod diuino quidem consilio potius factum esse, quam patris culpa, tum maxime, quod mater et matertera consenserint, iudicat [m], reapse tamen si non omnis, haud leuis tamen, caussa vitae Cardani tantis prudentiae et stultitiae vicibus actae fuisse videtur. Erat autem pater Cardani et legum et artium satis peritus, et mathematicarum disciplinarum, etiam earum, quae secretiores habentur, probe gnarus [n]. Ipse igitur filium anno circiter nono arithmeticae rudimenta, et quasi tunc arcana familiariter eum docuit: paulo post etiam Arabicae astrologiae praecepta tradidit, et memoriam in eum artificialem instillare conatus est, ad quam tamen memoriam se minime aptum fuisse fatetur [o]. Ad maiora progressus pater post duodecimum annum docuit eum sex Euclidis libros, cum eorum valde studiosus esset; iuris quoque legumque scientiam ei valde commendauit: quia autem in eo instituto a prima iuuentute manserat, vt vitae consuleret, credebatque, studia medicinae magis huic proposito conducere, quam legum, et vt propiora fini, et vt orbi communia toti, et omnibus seculis; tamen vt candidiora ac quae rationi, aeternae naturae legi non hominum opinionibus inniterentur, ideo haec ipsa cum philosophia amplexatus est, non iurisprudentiam [p]. Quod ita male habuisse parentem ait, vt, cum deseri studia a se iurisprudentiae, vt philosophiam sequeretur, animaduerteret, fleuerit eo praesente, indolueritque, non iisdem eum studiis incumbere, quod nobiliorem disciplinam arbitraretur, quae esset ad opes et potentiam aptior, et ad familiam euehendam faceret. At ille voto firmo proposito, tum rationibus

g) De Vit. prop. p. 10.
h) Ibid.
i) De Subtilit. L. XIX. p. m. 687. vbi ex patris schedis narrat, daemones quosdam Auerroismi patronos cum parente fuisse congressos.
k) C. 30. p. 78. seqq.
l) C. 4. p. 11.
m) De Genitur. p. 69.
n) Conf. Corte notizie historiche intorn'a medici Scrittori Milanesi L. II. p. 53.
o) C. 3. p. 8.
p) Ita ipse c. 10. p. 34.

onibus adductis, tum quod parum illum etiam absque impedimento profeciſſe videret, immotus ad illius adhortationes manſit. Abiit itaque exacto XIX anno in Ticinenſem academiam, XXI peracto rurſum Papiam ſe contulit [q]. Ibi audiuit in philoſophia Brandam Porrium, et Franciſcum Faegium Nouarienſem, in medicina vero Matthaeum Curtium [r], ſub quo publice diſputauit, et profeſſus tum eſt Euclidem in gymnaſio, dialecticam paucis diebus, tum et primam philoſophiam, primum pro fratre Romulo Seruita, poſt pluribus pro quodam medico Pandulfo [s]. Bellorum tumultibus autem coactus domum remigrare, moram longam haud fecit, ſed poſt initium anni XXIV Patauium ſe contulit, vbi Curtium ſe et Memoriam in medica arte audiuiſſe ait. Ibi lauream quoque in artibus accepit laetante parente, qui paulo poſt fatis conceſſit. Sub huius anni finem factus eſt rector eius academiae, in fine ſequentis medicinae doctor. Peracto magiſtratu academico, cum patriae fata pertimeſceret, hortatu amici in Saccenſe oppidum ſe contulit, et eo loco patriae calamitates, annonae caritatem, peſtem, bellicos tumultus euitauit. Quibus remittentibus anno cIↃ IↃ XXIX rediit Mediolanum, at reiectus a collegio et matre etiam moroſa, rediit in oppidulum, ſed graui pectoris morbo oppreſſus, quo tamen ſe voto ad B. Virginem ſolutum eſſe ait [t]. Frequenter enim ad religionis auxilia ſolebat recurrere in anguſtiis, adeo, vt ſcribat [u], *ſe non ſolum diuinae maieſtatis memorem fuiſſe, ſed et B. Virginis Mariae beatique Martini, ſomnio monitum, vt ſub eius patrocinio aliquando quietiorem vitam et perennem duceret.* Itaque irata numina habuiſſe Cardanus cenſendus eſt, quod ſomnii vaticinio deluſus ad vitae finem, quiete frui non potuerit. Anno eius ſeculi trigeſimo primo duxit vxorem Luciam Bandarinam ex oppido Saccenſi [x], quae, teſte TOMASINO [y] plus ingenio et perſpicacia valuit quam opibus; quam ſatis imprudenter duxiſſe ipſe refert [z], nec negat, annis XV, quibus ſecum vixerit, omnium malorum, quae ſibi in tota vita acciderint, cauſſam fuiſſe. Cum enim duorum filiorum, et vnius filiae parentem eum feciſſet, ilias malorum ex hac prole illi enata eſt. Formati enim a patre magnam ſapientiae et ſtultitiae mixturam patiente, non potuere ita adoleſcere, vt ſolatia inde illis, a quibus ſati erant, exſurgerent. Inde innumerae Cardano calamitates enatae, quas ipſe copioſe enarrat [a], faſſus candide, maximum ſe errorem in filiorum educatione admiſiſſe, quem ſatis acerbe luere coactus eſt. Filius enim natu maior ob propinatum vxori puerperae venenum ſecuri in carcere percuſſus eſt, minor natu omni flagitiorum genere pa-

q) C. 4. p. 11.
r) Docuit Curtius medicinam non Papiae modo, ſed et Bononiae, Florentiae, Piſis, Patauii. Gratioſus apud Clemenrem VII. P. M. obiit 1544. Scripta eius enarrat MERCKLIN. Linden. renov. pag. 793.
s) pag. 12.
t) C. 4. p. 13.
u) C. 22. p. 61. ſeq.
x) pag. 14.
y) Elog. T. I. p. 55. Ipſe de Genit. p. 113. ingenioſam et mediocriter pulchram, animoſam, peruicacem, indomitam deſcribit.
z) De Vit. propr. c. 26. p. 68. ſeq.
a) pag. 70.

patrem excruciauit, nec carceris metu ab eo coërceri potuit. Vnde damnum ſuum deflere non debuerat [b], quod ab anno XXI ad XXXI oblaeſus in genitalibus non potuerit concumbere cum mulieribus, quamuis fateatur [c], *cogitationem aſſiduam Venereorum perpetuo ipſum torſiſſe, et quod facto implere non licuit, aut feciſſe potentem puduit, cogitatione aſſidua mentitum eſſe voluptatem.* Quam libidinoſam cogitationem cauſſam habuiſſe Venerem Saturno et Mercurio complicatam, et Martem vtrique luminari ingenioſe nugatur. Cum autem Sacca Gallareatum aeger ſe contuliſſet, adeo paupertate preſſus eſt, vt *ſe deſiiſſe* dicat [d], *pauperem eſſe, quia nihil ipſi relictum fuerit.* Paulo tamen laetior fortuna arridere coepit, cum XXXIV annis iam perfectis Mediolani mathematicas artes profitendi occaſionem nactus eſſet; et oblata quoque fuit biennio poſt conditio docendae Papiae medicinae, aſt non accepit, quia ſpes non erat, vnde ſumeret ſtipendium. In id itaque conniſus eſt, vt in collegium medicorum Mediolanenſium reciperetur. Quo diu quidem excluſus, anno vero CIↃ IↃ XXXIX receptus praeter omnium ſpem amicorum potentium auxilio, poſt anno CIↃ IↃ XLIII medicinam Mediolani publice profeſſus eſt. Sequenti autem cum domus eius ruiſſet [e], Papiae medicinam docuit, anno tamen ſequente in patriam rediit, quod ſtipendium non numeraretur. Quamuis autem inopia eum liberare conarentur amici, et Moronus cardinalis conditiones haud aſpernendas anno CIↃ IↃ XLVI ei offerret [f], difficilis tamen et ſupercilioſus, et ſuae fortunae minime obſequens eas aſpernatus eſt [g]. Similiter anno ſequenti per Andream Veſalium, quo amico vtebatur, oblata ei eſt conditio IↃ CCC coronatorum in ſingulos annos a rege Daniae, cum victus impenſa ſoluenda: verum et hac fortuna vti neſciuit, cum et regionis intemperies et aliena eum ſacra deterrerent. Et hoc quidem pacto ſtulti Cardani mores eius ſaepe fortunam impediuerunt, quam egregie formare potuiſſet, ſi ſcenae inſeruire ſuisque fatis vti ſciuiſſet. Nam prolixam narrationem inſtituit [h] honorum, munerum et commodorum ipſi delatorum, quae tamen omnia contemſit, licet cum paupertate, inuidia, perſecutione, et mille calamitatibus in Italia conflictaretur, animo meticuloſo, diffidente ſibi et ſuſpicaci impedimenta illi inexpectata obiiciente. Quae quidem omnia in explicatione geneſis ſuae ſiderum influxui tribuit, morum autem hominum intelligentes facile comprehendent, eum ſuae fortunae fabrum fuiſſe. Anno CIↃ IↃ LI ab Eduardo rege vocatus in Scotiam regiis ſumtibus abiit, medendique felicitate illuſtris tanta auri ſumma, vt in ea aula maneret, inuitatus eſt, vt ſe verecundari dicat [i] ſummam explicare, et in paucis annis fuiſſet ditiſſimus. Aſt nec regio placebat [k], nec, quod non

b) C. 2. p. 6.
c) De Genit. p. 87.
d) C. 4. p. 14.
e) pag. 15.
f) C. 32. p. 99.
g) pag. 15.
h) C. 32. p. 95. ſeq. coll. cum tr. de Genituris pag. 91.
i) De Vita propr. c. 32. p. 99.
k) p. 16. 99. conf. BAYLE Dict. art. Cardan. not. E. T. II. p. 52.

liceret pecunias per trapezitas ac curſores in Angliam, quanto minus Galliam aut Italiam traducere. Igitur exactis menſibus decem domum rediit, et vocationes haud contemnendas atque opimas moribus ſuis ductus recuſauit. Tandem anno cIↃ IↃ LXII a Bononienſi ſenatu vocatus eam academiam adiit. Anno cIↃ IↃ LXX incertum qua culpa, carceri incluſus eſt, in quo tamen praeter libertatem amiſſam omnia fuere ciuiliter adminiſtrata, tandem domum dimiſſus, ita tamen, vt ea carcer ipſi eſſet. Qua cuſtodia dies centum ſexaginta et tres detentus eſt. Ex quo vanitatem Cardani, et iactabundi, et arti genethliacae ſecurius fidentis intelligere licet, ita de ſe ſcribentis [l]: *Toties per calumniam accuſatus, nunquam tamen exilii aut carceris poena intentata eſt, cum tamen pene crucifigendum conciues mei, quibus nihil veritate ipſa grauius eſt ac voce libera, clamarent.* Eodem anno Romam, incertum ſpontaneo exilio, an indicto, abiit, et priuatus degit. Collegium Romanum tamen eum recepit, et ſummus pontifex penſionem exhibuit. „Quo tempore, ſe vidiſſe „Cardanum, narrat THVANVS [m], paucis ante obitum annis et adlocu„tum eſſe diuerſo ab aliis cultu incedentem, ac ſaepius admiratum eſſe, „cum celeberrimi tot ſcriptis hominis recordatio ſubiret, neque tamen „quidquam in eo, quod tantae famae reſponderet, animaduerteret.“ Tandem deliro ſimilior, quam philoſopho, exſpirante anno cIↃ IↃ LXXVI obiit. Et eum quidem, cum tribus diebus minus ſeptuageſimum quintum annum implèuiſſet, eodem quo praedixerat, anno et die, videlicet XI Cal. Oct. cIↃ IↃ LXXVI defeciſſe, ob id, ne falleret, mortem ſuam inedia acceleraſſe creditum, tradit THVANVS [n]: vnde in eo, quo vtebatur P. BAYLE [o], exemplari hiſtoriae Thuani, typothetae errorem fuiſſe oportet, annum emortualem Cardani cIↃ IↃ LXXV ponentem, quem ideo critico obelo confixit Baylius. Quamuis autem in anno non errauerit Thuanus, in die tamen erraſſe cenſendus eſt. Ipſe enim Cardanus in vitae ſuae enarratione [p] ſcribit, *teſtamenta plura ſe condidiſſe ad hanc vsque diem, quae ſit Calendarum menſis Octobris vltima.* Quod vero de morte eius, praedictionem aſtrologiae iudiciariae explente affert Thuanus, ſolo rumore incerto diſſeminatum fuiſſe videtur, cum vaticinia Cardani ex aſtris multorum vocibus velut certiſſimae depraedicarentur. Ipſe enim in *Explicatione genituraе* ſuae [q], vbi de morte agit, non auſus eſt, vitae finem decernere, licet de plerisque ſatis confidenter ſtatuiſſet, ſed vt artis incertiſſimae famae ſuccurreret, mortem futuram eſſe dixit iuxta qualitates locorum et ideo varietatem temporum, et vel anno LVI fore ex moerore, vel LXVIII ex acuta febri lateralique morbo. Immo ait, ſe non credere, quod ſuperaturus ſit ad annum LXXIII, hunc autem tunc oſtendere mortem miſtam ex febre, paralyſi, catarrho, haemorrhoi-

l) De Genitur. p. 57. Ex hoc vero loco patet, oris intemperie ſibi malum ſuo iumento accerſiuiſſe Cardanum.

m) Hiſt. ſui temp. L. XLII. ad annum 1576.

n) l. c.

o) l. c. not. F. TEISSIER. Elog. T. III. p. 97. 98. Ex his emendanda, quae diximus in Germ. Hiſt. Philoſ. Op. T. VII. p. 92.

p) c. 36. p. 112.

q) p. 134.

morrhoidalibus. Ex quibus patet, non falsum tantum suo vaticinio fuisse Cardanum, sed ne istum quidem annum, quo rebus mortalium ereptus est, praedixisse. Vnde fabula quoque putanda est, quod adiicitur, inedia mortem acceleraſſe, ne fidem artis prodere videretur. Ceterum, vtrum verum sit, quod in *Naudaeanis* traditur[r], Romam delatum spe galeri cardinalitii potiundi veneno sublatum esse, deficientibus certioribus testimoniis definiri non potest, licet prius de Cardano, tumente et delirante queat quis suspicari.

§. III. Facile ex hac breui vitae Cardani historia character animi eius plane singularis et παράδοξος intelligi potest, quem magna mixtura sapientiae et stultiae tum ingenii exorbitantis, tum voluntatis miro affectuum aestu agitatae et in praeceps actae illustrem fuisse, censendum est. Quam inaequalitatem animi eius recte notauit THVANVS [s], et reprehendit FRANC. SANCHEZ [t], *in tanta doctrina, irrationalem haud raro, et deliro potius, quam sapienti similem fuisse.* Et ipse quidem, vt satis aperte de se solebat differere, illustria vitia inter praeclaras virtutes non reticuit. Vnde suam genituram explicans [u], quas animi qualitates accepisset, praemissa ambitiosa veritatis affectatione, se ex siderum dispositione, ait, „esse ad manuum opificia aptum, animo philosophico et „scientiis accommodato, ingeniosum, elegantem, bene moratum, vo„luptuarium, laetum, pium, fidum, sapientiae amatorem, meditabun„dum, varia machinantem, mente praestanti, ad discendum pronum, ad „officia promtum praestanda, aemulatorem optimorum, inuentorem re„rum nouarum, et absque magistri opera proficientem, moribus mode„ratis, curiosum rerum medicarum, studiosum miraculorum, architec„tum, captiosum, dolosum, amarulentum, arcanorum gnarum, so„brium, industrium, laboriosum, diligentem, solertem, in diem viuen„tem, nugacem, religionis contemtorem, iniuriae illatae memorem, in„uidum, tristem, insidiatorem, proditorem, magum, incantatorem, „frequentibus calamitatibus obnoxium, suorum osorem, turpi libidini „deditum, solitarium, inamoenum, austerum, sponte etiam diuinantem, „zelotypum, lasciuum, obscoenum, maledicum, obsequiosum, senum „conuersatione se delectantem, varium, ancipitem, impurum, dolis mu„lierum obnoxium, calumniatorem, et omnino incognitum, PROPTER „NATVRAE ET MORVM REPVGNANTIAM, etiam his, „cum quibus assidue versetur.“ Quae licet de dispositione astrorum tantum intelligenda esse videantur, tantum tamen abest, vt disciplinae bonitate ea emendata esse crediderit Cardanus, vt potius luculenta in tractatu de vita propria testimonia descripserit, ex quibus indubitato constat, eundem reuera illum fuisse, qualem sidera praedixisse, ex intima sui conscientia, ad quam prouocat, delineat. Et magnum quidem sui admira-

Character Cardani.

r) Conf. TEISSIER l. c. p. 104.
s) loc. cit.
t) De Arte nihil sciendi p. 193.
u) In Genitur. XII. p. 84.

torem fuiſſe, inſanaque opinione de ſe ſuaque praeſtantia et dotium excellentiſſimarum vſu occupatum, totus ille commentarius loquitur, in quo [x] tanto veritatis ſtudio ſe flagraſſe ait, vt mendacium ſe dixiſſe, haud recordetur, gratum quoque fuiſſe, et iuſtitiae amantem, contemtorem honorum et diuitiarum, animo magnum et in aduerſis patientem, in ſecundis moderatum, et maximis difficultatibus ferendis tollendisque parem, moribus inuariabilem et conſtantem, ſtudiis deditiſſimum et peruicacem, amicitia fidelem, tacendi peritum et gratum fouiſſe, et naturae vitia arte et diſciplina emendauiſſe. Aſt proprio, quod de ſe nobis obtrudit, teſtimonio fidendum ſecure non eſſe, recte viris doctis obſeruatum eſt; falſum enim eſſe, monent, quod frequenter iactat, nunquam ſe mentitum eſſe, et ſecurum de mendacii ſuſpicione, vt qui in veritatis ſtudio conſenuerit. Fateturque GABRIEL NAVDAEVS [z], cetera virtutum Cardani admirator, ſe mendaciſſimum illum fuiſſe deprehendiſſe, et ab hoc vitio reliqua demum velut e fonte promanaſſe, quae a nonnullis deliramenta vocantur, non leuibus de cauſſis ſe exiſtimare. Quod ne a ſe dictum inconſulto fuiſſe, quis ſibi perſuadeat, ſignatis id tabulis confirmat, et manifeſtas contradictiones, quarum vna neceſſario mendacio efficta eſſe debet, Cardano in hac vitae ſuae hiſtoria reliquisque eius ſcriptis excidiſſe luculenter demonſtrat. Auaritiae autem et habendi cupiditati ſine modo litauiſſe, ſi non alibi conſtaret vna, quam HILARIVS PIRCKAYMERVS exhibet [a], narratio ſatis ſuperque confirmat. „Is enim cum „Cardanum ſalutandi gratia adiret, interrogatum ſe eſſe, tradit, ab eo: „num pecuniam afferret? cumque ille, ſe praeter neceſſarios ad iter nu„mos quicquam attuliſſe, negaret, reſpondiſſe Cardanum: ſe non cura„re transalpinos, niſi numos adferrent. Et ex eo tempore ſe, ait, non „Cardanum amplius, ſed Κερδαῖνον eum vocauiſſe.“ Neque in ea temperamenti, morum, fortunaeque varietate id valde mirandum eſt: cum et ipſe Cardanus ludis rem omnem haud ſemel perderet, et inopia vltima valde premeretur, et temperamenti melancholici inclinatione ad αἰχροκερδίαν ferretur. Quamuis autem ab ambitioſis ſe moribus alienum eſſe clamet, falſum tamen id eſſe, et inſigni mendacio affirmatum, ipſe incautus prodidit. Integro enim capite [b], cogitationem de nomine perpetuando explicat, ita quidem, vt delirus potius videatur, cum et ipſe fateatur, *cupiditatem ſuam gloriae inter tot et aduerſa, et impedimenta, ſtolidam, non tantum ſtultam, fuiſſe; non tamen vnquam concupiuiſſe gloriam et honores, imo ſpreuiſſe* [c]. Et tota quoque quam de genitura ſua ſcripſit, tractatio id euincit, in qua inter alia *multum intereſſe veritatis*, ait [d], *ſi ſe laudauerit, cum non tam turpe ſit, ſeipſum laudare, quam*

x) Vid. c. 14. p. 46. c. 22. p. 61.
z) In Iudicio de Cardano.
a) De Ratione peregrinandi, MORHOF. Polyhiſt. T. I. L. I. c. 15. §. 40. p. 163.
b) c. 9. p. 28.
c) Nempe cum ambitione hominis certabat timor, ſuſpicio, et meticuloſa diffidentia, quae honores oblatos et deſideratos eum accipere impediebant.
d) p. 83. conf. IAC. THOMAS. de Plagio §. 376. 377.

quam iucundum, quod iuſte id facere poſſit. Contendit quoque mores ſuos tales eſſe, vt nec laudare citra iactantiam, nec vituperare citra amentiam poſſe videatur. Quod annon ineptum gloriae captatorem prodat, lectori expendendum relinquimus. Illud recte THOMASINO obſeruatum; *laudis ac gloriae maxime appetentem fuiſſe, ac immodica ſciendi cupiditate ideo flagraſſe, vt ad immortalitatis apicem perueniret, ac ob eam rem ſtudiorum labores omnes et moleſtias alacrem exantlaſſe.* Quamquam autem pertinaciter negare nolumus, non vitiis modo, ſed virtutum quoque ſpecie Cardanum illuſtrem fuiſſe: virtutis tamen verae indolem conſiderantibus, manifeſtum eſt, mixturam quandam temperamenti, et circumſtantiarum moralium, laruam tantummodo virtutum exhibuiſſe, cum ſine voluntatis emendatione a ſtultitiae morbo et affectuum imperio, quibus laborabat Cardani animus, virtus vera eſſe nequeat. Vnde qualis mixtura dementiae, quam magnis ingeniis ſemper fere adeſſe dixit Seneca, Cardanum exagitauiſſe, dici poſſit, et quid de eius virtutibus iudicandum ſit, intelligitur. Illud recte obſeruatum NAVDAEO: *Cardanum ex intemperie quadam animi nusquam aequalis et compoſiti abſurda multa feciſſe, et minime ſibi in omnibus conſentanea locutum fuiſſe: eſſe enim melancholicos plerosque ſuperbos, nimiumque ſibi blandientes, et elatos, ventoſaque habere ingenia, et magnarum rerum, vt nominis, honoris, auctoritatis deſiderio flagrantia; eſſe praeterea ſuſpicaces, moroſos, inuidos, maleuolos, ſimultatum tenaces, immites* ἀξέργους, *et velut in extremo confinio naturae humanae poſitos, vt coeleſtem vel belluinam aut mixtam interdum ex vtraque, leuiſſimo impulſu ſuſcipiant.* Talem enim reuera Cardanum fuiſſe, ipſe, vt in ebuccinandis vitiis ſuis laudem gloriamque quaerebat, non inficias iuit. Ait enim [e], „ſe natura ſua eſſe „iracundum, ſimplicem, Veneri deditum, et ex his tanquam principiis „profluxiſſe ſaeuitiam, pertinaciam contentioſam, aſperitatem, imprudentiam, iracundiam, vltionis deſiderium, etiam vltra vires. Eſſe ſe „frigidi cordis timidum, et cerebri calidi, aſſueuiſſe vultum in contrarium „ſemper efformare, ideo ſimulare ſe poſſe: parum eſſe pium et lingua incontinentem, maxime iratum, vt pudeat et taedeat ſui, vitam ſe Sardanapaleam anno, quo praefuit gymnaſio Patauino egiſſe. Praecipue inter vitia „ſua ſingulare et magnum ſe agnoſcere et tamen ſequi fatetur, vt libentius „nil dicat, quam quod audientibus non diſpliceat, atque in hoc ſciens ac volens perſeueret, licet non ignoret, quantum inimicorum vel hoc ſolum „conciliet. Eſſe ſe incontinentem in vita, cum noſceret optime, quae ſequi „expediret, et oporteret, in deliberando porro celerem nimis, et pene praecipitis ob hoc conſilii, et in quouis negotio impatientem morae. Deditum „quoque fuiſſe immodice ab ipſa adoleſcentia ludo latrunculorum, quo, quantam familiaris rei iacturam paſſus ſit, compendio nullo non eſſe facile dictu. „Sed aleam etiam longe deterius ceſſiſſe, filiis ad aleam inſtructis, et domo „aleato-

e) c. 13. p. 40.

„aleatoribus saepe patefacta.“ Quae omnia ita tantum excusat Cardanus, vt omnes homines manes suos pati dicat, et ignorantiam conditionis esse asserat, nolle scire, quae scimus, et rem vi velle comprimere. Quod socios quidem illi stultitiae haud paucos esse probat, a vitiorum sentina vero non absoluit. Neque haec vitia soli naturae malignitati et siderum influentiae, quod caussatur, tribuenda sunt, sed caussa haud leuis haesit in habitu animi acquisito, et praua voluntatis dispositione crebrioribus actibus in alteram naturam transeunte. Quanquam enim accepisse indolem a natura ἀνομάλον videri poterat, eam tamen tantum abest, vt sapientiae praeceptis emendauerit, vt potius insolenti morum pertinacia confirmauerit. Cuius testimonium esse potest, quod tot damna expertus, ludorum amorem non deposuerit, adeo vt omnes pene facultates decoxerit, et ad caedem vsque eapropter progressus sit, quod iracundiae locum tam amplum fecerit, vt a vulneribus et plagis haud abesset, et quae his sunt similia. Parum quoque a voluntario stultitiae charactere eum absoluit, quod ad conuersationem, praesertim senex, parum idoneus fuerit, solitudinis cum daemone suo, quem sibi fingebat, amantior, et nullius fere, vt ipse testatur, amicus, eo quod omnes vermibus, pediculis, foetore, anima insidiosa et improba gaudere iniquissima suspicione crederet, et nihil ex hominum conuersatione speraret, vt alias leues et siculneas quas affert [f], rationes taceamus. Talis cum animus esset, incessus, qui animum prodere solet, non nisi singularis et dementis similis esse potuit. Eum enim inaequalem esse, tacitisque cogitationibus varia ratione commotum, et mox properantem, mox lentum, prout impetus animi et cogitatio perpetua dominabatur, ipse fassus est [g]. Nec in vestitu sapientis constantiam praebuit. Quem cum saepe mutaret, mox splendida veste comparuit, mox vilissima et detrita [h]. Et hanc quidem haud raro rationum oeconomicarum negligentia genuit, cum multoties cum inopia et paupertate colluctaretur. Nam et parentum opibus casu detritis, et dignitate vana ornatus, et multa in detrimentum rei ab aemulis passus, et familia multa exhaustus, et a collegio medicorum diu reiectus, ipse quandoque prodigus et inconsideratus: corpore infirmus, furtis dilapidatus profusus in emendis libris, loco domicilii saepe cum damno mutato, alea aduersa oppignoratis ornamentis vxoris et supellectile, mirum, ipse fatetur [i], esse, quod non carens mendicare coeperit. Addi his potest, quod porro tradit [k], ab obitu patris ad annum vsque XLVI perpetuo ferme litigauisse, et quae alia sunt, quae indolem vitamque ἀνόμαλον et a recta via prorsus deflectentem produnt, quae facilius est excusatione pingere, quam ad virtutis praecepta exigere. Ast mirari desinemus, virum, cui insolitus eruditionis vigor, praetereaque, certo tempore magnus animus et acies ingenii praeclara aderat, in tantae dementiae circulis oberrauisse. Tota enim hominis vita παράδοξος fuit, peregri-

f) c. 53. p. 224.
g) c. 21. p. 60. 61.
h) c. 20. p. 59.
i) c. 25. p. 67.
k) c. 28. p. 73.

peregrina, et delirans, vt certissimum sit, cum temperamenti vitio imaginationem deuiantem et extra obitam vagantem accepisset, ad extrema quaeuis admittenda fuisse proniſſimum, et facile attentis persuadere, quod helleboro ad purgandum cerebrum opus habuerit. Talia enim de se praedicat, quae a sanae mentis homine proficiſci haud possunt, et nemini quoque persuadebuntur, nisi qui eadem cum Cardano chorda oberrauerit. Hinc eiusmodi de se singularia et ex parte quoque θαυμαστὰ iactauit, quae

Credat Iudaeus Apella, non ego.

Talia sunt: praeuisa futura in somniis et interdiu monito per voces de iis, quae se absente gererentur, adhibita ecstasis quoties vellet, conspecta sole splendente sidera atque luna, visa spectra atque lemures, splendor circa se obseruatus, qui eum muniret aduersus aemulos, et imprimis genius ille, quem se variis modis monuisse et dormientem et vigilantem et futurorum praesentientem feciſſe, tum peculiari capite libri *de Vita propria* tum in aliis scriptis, ostendat. Quae aut hominem cum impudentia et insania de se mentientem produnt, aut caput Anticyris dignum, et ita imaginationis deliriis corruptum, vt febricitantium somnia pro summis veritatibus haberet, et aliis quoque persuaderi cuperet. Et NAUDAEVS quoque haec pro mendaciis et nugis habet, quas Cardanus, cum non ita sui compos esset, velut in publicum theatrum ridenda inuexerit; ductus potissimum loco quodam libri *de Rerum Varietate* [m], quo sibi nullum daemonem aut genium adesse, fatetur, sed pro bono genio datam esse rationem, patientiamque magnam in laboribus bonum animum, et alia, ait. Ast, licet praefracte negare nolimus, in haud paucis gloriae ex singulari fato hauriendae studio fuisse mentitum Cardanum, et vafre quaedam excogitauisse, ita tamen comparatum est temperamentum Cardani, vt et superstitioni apertas ianuas monstrauerit, et ad imaginationis per interualla quaedam viuaciori impetu exagitatae deliria fuerit proniſſimum, quibus occupatus et abreptus Cardanus ea se sentire, videre, audire credidit, quae nullibi, nisi in emoto eius cerebro, accidere [n]. Id commentarium eius *de Vita propria* legenti innumeris speciminibus constare potest, ex quibus discas, furenti et insanienti, quam prudenti et cum ratione agenti viro eum fuisse similiorem. Qualia sunt, quod pannosus aliquando, mox ornatus in publicum prodierit, quod Romae diuerso ab aliis cultu spectandus incesserit; quod Bononiae curru vectus sit, tribus tantum rotis suffulto; quod mox concitato gressu, mox valde lentus ambulauerit, quod doloris ita amans fuerit, vt si eo careret, dentibus mor-

l) c. 47. p. 186.

m) L. XVI. c. 93.

n) Accepisse Cardanum ineptam de genio παρέδρῳ opinionem a patre Facio, ipso filio in hoc argumento magis nugiuendulo ex iis intelligi potest, quae affert ANTONIVS RVSCA de Inferno Statu Daemonum L. IV. c. 15. p. 377. cuius verba affert THOMAS BANGIVS in Coelo orientis exercit. I. p. 60.

mordendo eum sibi concitauerit; quod ad demonstrandum animum heroicum, se ipsum interficere cogitauerit, et quae alia sunt quam plurima, quae non sine taedio lectoribus centies in biographia sua occinit, quae testimonio sunt luculentissimo, Cardanum haud raro rationis deliquium passum fuisse maximum, et tum ex temperamento, tum ex arte nimia insaniuisse. Quales homines corruptae et exorbitantis imaginationis deliria pro certissimis veritatibus habere, nemini ignotum esse putamus, qui semel huius commatis homines vidit et differentes audiuit.

Intellectus vitia in Cardano maxime superstitio.

§. IV. Oedipo opus non habet Lector, vt intelligat, ex qua fonte tot dementiae specimina orta sint, quae inter praeclaras doctrinae virtutes Cardani vitam contaminarunt. Hominem enim huius generis deliria suis vicibus patientem inepta multa et absurda facere, mirum haud est. Dolendum autem non in vitae modo actionibus eiusmodi insaniam Cardanum ostendisse, sed habuisse quoque eam influxum satis magnum in intellectum eius atque eruditionem ipsam, quam egregiam cetera aluit et produxit. Et insigniter quidem ea se dementia prodidit in anili superstitione, qua omnem veri philosophi characterem turpiter conspurcauit. Licet enim se religionis et Dei cultus obseruantissimum iactet [o], velitque is videri, qui stupenda illa et admiranda, quibus se praeditum esse gloriatur, dona ad vnius Numinis fontem referat, totus quoque religione occupatus compareat, si verum tamen fatendum, anili superstitione corruptus nihil minus quam verae pietatis indolem expressit. Religiosum enim se tantum in spectrorum, lemurum, somniorum, ominum, et quas alias naenias plenis horreis affert, apud ipsum legendas [p], consideratione et attentione praestitit, et tam turpiter se dedit, vt mirandum sit, virum philosophiae praesidiis munitum tam egregie in his rebus nugari, eaque pro certissimis veritatibus nobis obtrudere potuisse, quae nonnisi febricitantium deliriis similia pueris atque vetulis possunt persuaderi. Et haec quidem tum temperamenti melancholici dispositione, tum parentis similiter ineptientis educatione ipsi naturaliter contigisse, non negamus. At emendare naturalem stultitiam cum debuisset philosophiae praeceptis, nobilissimam scientiam ad incrustandum superstitionis ineptae patrocinium adhibuit. Cuius exemplum esse potest, quod insomnia tanti fecerit, vt SYNESII tractationem *de Insomniis* edendo inque eam commentando, velut pretiosam philosophiae partem earum interpretationes commendauerit. Eiusdem prorsus commatis est, insanum quod astrologiae iudiciariae, quam puer iam a patre didicit, statuit pretium, quo posset, colore philosophico incrustatum. Tanta enim huius artis vanissimae veneratione captus est, vt in CLAVDII PTOLEMAEI *libros quatuor de astrorum iudiciis libros*, qui *constructionis quadripartitae* titulo noti sunt, prolixos commentarios ediderit, in quorum prooemio, acerbissimam illis dicam scribit, *qui cum gloriam ex maledicto, quam eruditione comparare non poterant, quaerentes*,

o) c. 22. p. 61. 62.

p) c. 43. p. 147. et passim.

tes, ſacrae huic diſciplinae, inter ceteras vt ſplendidiſſimae bellum intentaſſent, procaciori lingua, incertum an ſtultius an imperitius, impudentius, an inconſtantius aduerſus illam prophano eo ore, quo tanta mentiuntur, debacchati ſunt. Viri quidem, in re non bene perſpecta imperitiſſimi, indeque iudices iniquiſſimi: in ceteris audaciſſimi et petulantiſſimi, nec plus nouis quam antiquis inſtitutis, aut amicis quam inimicis, conformes ac fidi. Nec his contentus, vt fiduciae, quam in ea arte collocauit, oſtentationem adderet, *duodecim geniturarum* exempla in calce adiecit, ex CC. geniturarum exemplis ſelecta, quas praeclare fidem facere arti iſti ſciebat. Aſt quam turpiter fallat, fallaturque, vel ex vno, quod prolixe deſcripſit, themate ſuo genethliaco patet, quod licet vaferrime ſuis circumſtantiis attemperauiſſet, attamen multa habet falſa, et quae vanitatem eius fruſtrato euentu produnt. Similia illi obiecerunt viri docti paſſim, et imprimis hoſtes aſtrologiae, quod nec in themate Ioannis Baptiſtae filii, aut Aimari Raconeti, vel Edoardi VI, aliisue quicquam horum euentuum, qui poſtea conſecuti ſunt, obſeruarit: neque enim laqueum filio, mortem violentam Raconeto, breuem aetatem Edoardo praedixiſſe, ſed ſucceſſus e directo contrarios. Vnde miramur, tantopere fidem habuiſſe apud multos Cardanum, vt crederent, plus eum praedixiſſe, quod euentu probaretur, quam humano conſilio et coniiciendi arte fieri queat [q]. Maxime vero maculam famae ſuae affricuit, et iudicii defectum prodidit Cardanus, quod ſtatuiſſet miracula omnemque, quae IESV CHRISTO θεανθρώπῳ euenit, vitae fatorumque ſeriem ex themate eius genethliaco poſſe deriuari [r]. Nam non ſolum acerbe virorum doctorum cenſuris ideo notatus eſt [s], ſed et, ſi fides editori Scaligeranorum [t], Romae in carcere ideo detentus eſt, quod genethliacon Chriſto ſcripſiſſet, et ſi NAVDAEVS [u] audiendus eſt, ideo in diſcrimen capitis venit. Immo et plagii et malitioſi animi in eiusmodi impietatis nugis gloriam quaerentis ideo ſuſpectus factus eſt, eo quod ante ipſum ſimile tentauerint Albumaſar, Albertus M. Petrus de Alliaco et Tyberius Ruſſilianus, Sextus Calaber, ipſe tamen, qui ex Bacchone, Pico Mirandulano, aut Commentariis Roberti Holkot id ſcire poterat, vaferrime id reticuerit, vt gloria ipſum maneret, quod primus fuerit, qui Chriſtum commentitiis aſtrorum iudiciis ſubiecerit. Fuerunt quoque nonnulli, qui de religione eum ſuſpectum eo nomine habuerunt, et atheiſmi maculam ideo inuſſerunt, vt infra dicemus. Apologiam tamen ſuo modo pro Cardano ſcripſit GABR. NAVDAEVS, non quod leuitate et dementia eum vacare in ea re crederet, ſed quod exempla virorum in eccleſia magni habitorum ſecutum fuiſſe oſtenderet. Nos ab inſigni amentiae et delirii culpa liberari

q) THVANVS loc. cit.

r) Comm. in Ptolem. de Iudiciis aſtrorum L. II. p. m. 369. ſeqq. edit. Lugdun.

s) Vid. THVANVS, SCALIGER, NAVDAEVS, BAYLE ll. cc. Obſ. Halenſ. T. X, Obſ. 9. §. 7. p. 221. IO. ANDR. SCHMIDIVS Diſſ. de Themate Chriſti natalitio impie et abſurde erecto, aliique.

t) Scaligerana prima p. m. 48.

u) loc. cit.

rari non posse ea propter Cardanum, recte iudicari, putamus, cum conatus ille leuitatis et delirantis ingenii characterem haud vnum habeat. Ex vero enim de eo scripsit TANAQVIL FABER x: *Hunc libellum Cardani etiamnum adolescens legi. Miratus sum, et risi, et nunc rideo; nam excitata memoria est. Quid enim si de die natali Iesu Christi non constet? (et verum est, non constare;) Quid si alius eodem solo, eodem coelo, eodem momento natus esset, an is fuisset, qui fuit Christus? dein genethliacum illius scribere, qui ex Spiritu S. conceptus esset? quae res? an quia in Euangelio scriptum legimus: nondum venit hora mea? apage.* Possent et aliae rationes afferri, quibus constat, inter dementiae specimina quae Cardanus edidit, hoc praeclarissimum esse, nisi breuitati esset litandum. Quae caussa quoque permouit editores operum Cardani, Basileensem an. cIↃIↃLXXVIII, et Sponium, vt hunc locum plane omitterent; vnde editiones, in quibus comparet, Basileensis anni cIↃIↃLIV, fol. et Lugdunensis anni cIↃIↃLV, in forma octaua, factae sunt rarissimae y. Aſt, fatemur quoque, iniuriam illi feciſſe SCALIGERVM z, ex cuius ore plerique, qui librum rarissimum non viderunt, id repetunt, scribentem, *cymbalum hoc genethliacorum*, ita Cardanum apposite vocat, *Domini nostri Iesu Christi thema edidisse, et omnia, quae illi acciderunt, ex positu stellarum necessario contigisse, ratiocinatum esse.* Nam hoc a scopo Cardani alienum prorsus esse, et turpem impietatis notam praeter meritum ei inurere, ipsa nos docet verborum Cardani inspectio. Dabimus ea, cum editiones haud castratae rarissime occurrant, sunt vero ista: *Ex his tandem deuenio ad id, quod est pro exemplo maximo omnium eorum, quae dicta sunt: et est genesis domini nostri Iesu Christi, in qua tot videbis et tanta mirabilia, vt iudices, quod etsi naturalibus rationibus solum insistendum esset, Christi natiuitatem fuisse admirabilem, naturamque illi tribuisse, quantum concursu omnium coelorum excogitari poterat, et naturaliter legem nostram esse legem pietatis, iustitiae, fidei, simplicitatis, charitatis, optimeque institutam: nullumque habituram finem, nisi post reditum eclipticarum, in quo fiet nouus status vniuersi. Nec tamen me velle credas dicere, quod vel diuinitas in Christo vel miracula eius, vel vitae sanctitas, vel legis promulgatio ab astris pendeant. Sed sicut natura illum ornauit optimo temperamento, pulchritudine corporis, sanitate perpetua, grauitate intuitus, quae omnia ferme ex Iosephi in de bello Iudaico testimonio colliguntur, sic etiam Deus optimus et glorioſus optima constitutione astrorum atque admirabili genesin illius adornauit etc.* Satis clare Cardanus quaestionis statum explicat, et Christi diuinitatem, miracula, vitam, legem astris subiecta fuisse negat: adeoque contrarium eorum affirmat, quae post Scaligerum ab omnibus ei imputantur. Sed id modo contendit, cum in tam graui momento omnia prorsus sapientissima

x) Ad l. c. Scaligeran.
z) Praef. in Manilium.
y) Vid. Cl. VOGTIVS in Cat. libror. rar. pag. 167. seq.

ma constituisset diuina sapientia, praeter diuina, miraculosa extraordinaria accessisse etiam in ea hora, quam illius natiuitati decreuerat, illum astrorum positum, ex quo in res naturales, quaeque eorum influxui subiacent, praeclara, singularia, magnifica, glorioſa et tanto concursu digna necessario fuissent deriuanda. Quae satis quidem inepta sunt, cum et incertissimis artis regulis, et vanissimae hypotheſi, astrorum irradiationibus res naturales subesse, et falsae opinioni ecclesiam, diem, horam et momentum horae natiuitatis Domini constanter obseruauisse, inaedificentur, ast cuncta, quae pro salute hominum fecit Saluator, astrorum necessitati non submittunt, et non nisi fauentem coeli dispositionem ex libera Dei voluntate electam innuunt. Verum quamuis a religionis contemtu ex hac parte liberandum esse censeamus, fatemur tamen, cerebri emoti et artis leuissimae amore furentis specimina haud pauca in hac genitura D. N. comparere. Etsi enim adeo ferocit, vt ex hoc themate secundum Ptolemaei regulas explicato, tantum arti isti praesidium oriri putet, vt non nisi stulte et absurde ea reiici possit: inaudita tamen confingit, v. g. cometen in natiuitate I. C. comparuisse, et momentum natiuitatis pro lubitu comminiscitur, et adeo ineptit, vt stellam Herculem vocatam, praesignificauisse tot ordines militum sacrorum, Teutonicorum, Ensiferorum etc. nugetur. Tacemus reliqua his neque meliora neque prudentiora, quae Cardano merito inter delirantes ex arte locum faciunt.

§. V. In caussa fuit haec animi Cardani ἀνομαλία, vt de impietate esset suspectus, et variis de caussis nonnullis viris doctis ob atheismum vapularet. Inter quos agmen ducit MARTINVS DEL-RIO [a], qui composuisse eum, ait, librum de animae mortalitate, nunquam editum, sed amicis familiaribus furtim tantummodo ostensum. Eum secutus est MARINVS MERSENNVS [b], qui vt ardenti in atheos zelo flagrauit, ita potissimum inter impietatis patronos Cardanum numerare, eumque inter atheorum monstra referre nullus dubitauit; commotus maxime, loco quodam libri *de Subtilitate* [c], quo quatuor religionum genera, Christianum, gentile, Muhamedanum et Iudaicum, inter se disputando committit, nulli victoria decreta. Vnde colligit, Cardanum librum de tribus impostoribus non tantum referre, sed et approbare, vel saltem eandem doctrinam propagare videri. THEOPHILO RAYNAVDO [d] vero ideo homo nullius fidei et religionis audit, quod inter clancularios atheos secundi ordinis aeuo suo principem locum obtinuisset. Aliorum loca, diligenter adducta a S. rev. REIMMANNO [e] tacemus. Ast alii viri docti, qui paulo magis temperandum sibi esse in inurenda atheismi nota prudenter statuunt, eo

Cardanus an Atheus?

a) Disquis. magic. Tom. I. Lib. II. q. 26. s. 2. pag. 550.

b) In libro longe rarissimo, quem Q. q. in Genesin appellauit, p. 1830.

c) Lib. XI. p. m. 449. Repetit ea MORHOFIVS Polyhist. T. I. Lib. I. c. 8. §. 6. p. 70.

d) Erotem. de bonis et malis libris erot. IV. pag. 44.

e) Hist. Atheism. Sect. III. C. 4. §. 11. p. 365. add. quos adducunt TEISSIER l. c. et Iac. Thomasius apud IOACH. FELLER. Monum. inedit. trim. XI. art. 1. p. 543.

magis ab hoc ἐγκλήματι liberandum esse Cardanum autumant, quo certius ex historia eius constat, non tam impietate quam superstitione, quod extremorum in religione, alterum est, atheismo contrarium, potissimum peccauisse, et proinde magis pro demente et insaniente habendum esse, quam pro impietatis vindice. Non excitabimus nomina auctorum, facile apud Cel. REIMANNVM f. inuenienda, sed ad vnum SAMVELEM PARCKERVM g prouocamus, qui eleganter de imputato Cardano atheismo disseruit. „Is enim postquam obseruauisset, ideo Caesalpino, Berigardo „et huius generis atheis aliis nonnullos Cardanum annumerandum cen„sere, quod omnia diuinae prouidentiae phaenomena astris aliisque caussis „naturalibus adscribi voluerit, statuatque ad generationem animalium „perfectorum non aliud principium requiri, nisi calorem coelestem, ex „quo sequi putent, omnia animalium genera sine numinis prouidentia sed „sola siderum vi gigni: monet, iudicium nimis acre de eo minime vafro „illos ferre, et veniam ei dandam esse, si quid impium forsan dixerit. „Magnum enim eius ingenium magna dementiae mixtura eum contami„nasse, vnde cum per interualla in insaniam incideret, idem illi, quod „aliis omnibus insanis contigerit, vt qui multa dicant, quae nec sentiant „nec meminerint. Quod vbi luculentis exemplis a Naudaeo collectis de„monstrauisset, et imprimis obseruauisset, imprudenter dictorum partim „ab inaequalitate ingenii atque morum, partim ab immensa et immode„rata gloriae cupiditate haud postremam caussam deriuandam esse, extre„mam vitae calamitatem eum in tantas angustias redegisse contendit, vt „insanire coactus fuerit, id quod luculentis quoque testimoniis confirmat. „Addit autem, alioqui in omni philosophiae genere tam pie philosophatum „esse, vt philosophorum nemo religiosius: in scriptis quae ad mores „spectant, religionem vitaeque futurae spem vnicum vitae beatae fundum „esse statuere, vbique clamare, nullam mortalium, nisi a morte, felici„tatem esse, denique hoc vno momento res humanas stare, si summi „Numinis prouidentiae curae simus, etc. In physicis Deo omnium aucto„re semper vsum esse, atque rerum naturae rationes a finibus, quos ipse „in mundo condendo habuit, inuestigandas esse, voluisse, eosque ipsum „complures inuenisse et exposuisse, eo animi acumine, vt magnus philo„sophus fuisset, si Peripateticus non esse ausus fuisset. Et denique in „astrologicis, quamquam tantam astris vim adscribi voluerit, astra tamen „Numinis prouidentiae subiecisse, neque iis tanquam caussis principibus „vsum fuisse, sed tanquam primae ministris, et tam varia vbique, cum in „astrologia sua, tum in ceteris suis inanibus disciplinis, de Deo diuina„que prouidentia commentatum esse, vt, quicunque legat, non omnino „atheum, sed totum fanaticum fuisse concluserit.“ Hactenus Parckerus, cuius iudicium de Cardano ideo adduximus, quoniam totam fere caussam pro eo ita perorauit, vt facile ab hac macula absolui possit. Quare pauca addimus,

f) loc. cit.

g) De Deo Disp. I. S. 25. p. 72.

addimus, et ea modo monemus, quae ſpeciali quadam ratione Cardano obiiciuntur. Inter quae ingenii futilitas in definiendis fatis Chriſti Saluatoris demonſtrata haud paucos coëgit, vt crederent, et religionem Chriſtianam, et omnem Numinis prouidentiam intus et in cute riſiſſe Cardanum. Id vero falſum eſſe, ex adductis ſupra eius verbis manifeſtum eſt, in quibus diuinitatem, miracula, religionemque a Chriſto conditam minime ſe pro naturali aſtrorum effectu habere, fatetur. Qui autem ſuſpicione contemtae clanculum religionis eum premunt, quod n *Naudaeanorum* [h] & *Menagianorum* [i] collectione traditur, vel incertos rumuſculos ſequuntur, vel interdum a delirante et ſibi ipſi haud conſcio temere effuſa et imprudenter dicta male ad ſyſtema impietatis illi imputandum rapiunt. Nec meliora ſunt, quae de mortalitate animae ab eo aſſerta dicuntur, quo et Auerroiſmus illi a SCALIGERO [k] obiectus pertinet. Librum enim illum quod ſcripſerit, nondum euictum eſt, animae autem immortalitatem toties omne mortalis vitae et infandarum calamitatum ſolatium adducit [l], vt qua ratione Auerroiſmo fauere potuerit, non appareat. Nec contentio illa inter religiones dominantes quam ei obiicit Merſennus, euincit, eum eandem tibiam inflauiſſe, cum modo intendat, oſtendere, eſſe in hominis natura diſſenſum ab aliis. Ita vero partes Chriſtiani roborat, et reliquorum inſtruit, vt cauſſae bonae nihil inde ſit timendum. Igitur tametſi imprudenter, et inepte nonnulla dixiſſe Cardanum, quibus impietas facile abuti poſſit, fateamur, ab atheiſmo tamen hominem non tam malitioſum, quam dementem abſoluendum eſſe cenſemus. Noſtri hac in parte ſunt, G. ARNOLDVS [m], P. BAYLE [n], Io. FR. BVDDEVS [o], I. FR. REIMMANNVS [p], G. D. MORHOFIVS [q], SAM. PARCKERVS [r].

§. VI. Altera quae Cardano inuritur ignominia, magia eſt, cuius ſuſpectus fuiſſe dicitur BODINO [s], quamque ſuſpicionem potiſſimum apud Scotos inualuiſſe hiſtoriae Scoticae ſcriptores obſeruant [t], eo quod Ioannem Hamiltonum, archiepiſcopum S. Andreae, primatem Scotiae a deplorato fruſtraque a medicis tentato morbo liberauiſſet, fatalem vitae exitum, quem ſuſpenſus tandem paſſus eſt, praedixiſſet. Et hac quoque occaſione praedictiones eius aſtrologicae in partes vocantur, quibus, teſte THVANO *iudiciariae fidem apud multos adſtruxit, dum certiora per eam, quam ex arte poſſint, plerumque promeret.* Eas enim ſine commercio impuro cum ſpiritu aliquo fatidico fieri non potuiſſe iudicant. Aſt praeter ius fasque hac ignominia obruitur Cardani memoria. Memorabilis

Cardanus magiae an ſuſpectus?

h) p. 117.
i) T. IV. p. 408.
k) Exerc. CCCVII. in Card.
l) De Vita propr. p. 66. librum autem de Immortalitate animae ſe conſcripſiſſe tradit.
m) Hiſt. eccleſ. et haeret. P. II. L. XVII. p. 824.
n) l. c. not. D.
o) Theſ. de Atheiſmo l. c. §. 24.
p) loc. cit.
q) l. c. p. 110.
r) loc. cit.
s) De Mag. daem. p. 438.
t) Vid. quos affert BAYLE l. c. not. E.

rabilis enim ista curatio archiepiscopi, quam ipse admirandam fuisse, depraedicat, aut artis et experientiae medicae Cardano non denegandae opus fuit, aut casus fortuiti [u], certe tanta non fuit, vt sine daemonum commercio fieri non potuerit. Quae vero de praedicta eius morte ignominiosa traduntur, testimonio fide digno carent, et ex vulgi rumusculis sunt, inde forte orta, quod huic archiepiscopo commentarios *de Astrorum iudiciis* inscripsisset. In qua dedicatione tamen vestigium eius rei vel adamatae ab Hamiltono artis iudiciariae apparet nullum. Vt taceamus, vix ausurum fuisse Cardanum viro, quem inter maximos Moecenates retulerat, exitus adeo lugubres et funestos praedicere. Quae vero vaticinia eius astrologica concernunt, sane ridiculi illi sunt, qui spirituum reuelationes in partes vocant. Non iam contendemus, vtrum verum sit, quod multa praedixerit, quae euentu postea sunt comprobata, cum in genituris illis, quas typis vulgauit, aperta falsitatum et mendaciorum exempla sint, et vna de filio infelici praedictio magno eius malo Cardanum fefellerit: sed id in praesentia monemus, et coniectandi acumine, et hariolandi audacia, et prognosticorum ambiguitate, et euentu nonnullorum ex accidente, totam illam felicitatem constitisse, vt palpare possunt, qui occasionem habent, libellum *de Genituris* inspiciendi. Frustra quoque daemon Cardani, quo toties gloriatus est, in partes vocatur. Ille enim aut delirantis cerebri, aut mendacis [x] oris opus fuit, vt supra obseruatum; certe huc plane nihil facit, cum non nisi praesensionibus quibusdam eum se cognouisse Cardanus asserat, quae aliunde quoque, si ex morbida imaginatione non fuissent profectae, ortum habere potuissent. Rectius illi agunt, qui Cardano, licet lucidis nonnunquam interuallis illustri, cerebrum delirii vehementia a pueritia emotum et educationis prauitate quoque corruptum, tum fatorum aduersitate et calamitatibus in praeceps actum, atque ingentium et singularium operum meditatione perpetua extra orbitam raptum, adeoque ingenium fanaticum et enthusiasticum tribuunt, quod innumeris ἀνομαλίαις demonstrauit, furenti haud raro similiorem fuisse quam sapienti. Quamuis autem talis fuisse omnino censendus sit, non potest tamen negari, ingenium Cardani, vbi ex paroxysmo vires collegit, sibique redditum est, magnis passibus ad praeclara fuisse progressum. Ea enim huius generis hominum natura est, vt post grauissima deliria et mille ineptias, aliquam aestuantis animi remissionem nacti, acutius haud raro aliis cernant, et interdum pulchra atque egregia proferant. Nec dubitandum, quin inter maxima orbis ingenia Cardanus eminuisset, nisi illa amentiae mixtura dotes a natura datas, corrupisset. Verum haec interdum mortalitatis fata sunt.

Eruditio Cardani imprimis philosophica.

§. VII. Talis et vitae moribus et ingenii charactere fuit Cardanus. Eruditionem eius magnam fuisse, et praeclaram apud omnes in confesso est.

u) Id ipse totum non negat, c. 40. pag. 133.

x) Id visum NAVDAEO l. c. et in Apologia magiae accusatorum c. 13. p. m. 245.

est. Inde illustria, quae a viris doctis certatim meruit, elogia profecta sunt, quibus ipse peculiare caput libri *de Vita propria* [y] auxit, inter quos fuisse quoque quosdam sibi parum fauentes notat. Alia cumulauit editor libelli *de Vita propria* [z], Thuani, Martini Henrici, Iulii Caesaris Scaligeri, Ioannis Baptistae Situatici, Iacobi Philippi Thomasini, Iulii Capacii, Petri Rami, Thomae Campanellae aliorumque. Quibus ea addi possunt, quae collegerunt THOMAS POPE-BLOVNT [a], TEISSIERIVS [b], P. BAYLE [c], IAC. THOMASIVS [d], quae facile augeri possent [e], si id ageremus. Consentiunt in eo viri doctissimi, quod aduersarii eius, SCALIGERI [f], verbis describimus, fuisse virum maximum atque incomparabilem, et ingenium habuisse diuinum, licet ob eius inaequalitatem in pluribus desipiat. Nec tacendum vocari eum ab Andrea Alciato, singulari elogii genere, virum inuentionum. Neque tamen in perspiciendis eius erroribus, et naeuis, qui ex anomalia temperamenti et mixtura ingenii orti sunt, coecutierunt viri docti, qui passim eum notauerunt [ff]. Inter quos, similis ingenii homo est, IORDANVS BRVNVS [g], qui eum rudem et amentem fabulatorem, licet, ipso centies doctiorem vocat. Maxime vero ob tot obseruationes nouas, singulares, valdeque doctas, quibus philosophiam et artem salutarem locupletauit, extolli solet. Quibus non modo nouator, sed et reformator philosophiae potuisset haberi, si satis animi habuisset, vt a communi via in totum deflecteret [h], et satis prudentiae constantis et diuturnae, vt integro systemate philosophiam transformare potuisset. Ipse in libro *de Vita propria*, peculiari capite [i] ea enarrat, quae in diuersis disciplinis digna adinuenerit. Inter quae, vt mathematica et medica praetereamus, haec sunt, in dialectica: „Quod cum vna fuisset nota, Aristotelica, rem et vsum diuiserit, „vt singuli, discipuli Euclidisticae, Ptolemaicae, Archimedicae, Hippo„craticae, Galenicae et Scoticae praecepta perciperent. Praeterea quod „dilemmatis vsum extenderit, amplificationis splendorem auxerit, labo„remque plurium mensium, vnius horae spatium imitari, supplere aut „aequare docuerit. Quod in naturali philosophia sustulerit ignem ab ele„mentorum numero, omnia docuerit esse frigida: non commutari ele„menta inuicem; palingenesiam; qualitates veras esse tantum duas, calo„rem et humidum, vim salis et olei, non esse in mistis principium ad ge„nerationem animalium perfectorum, nisi calorem coelestem; Deum „debere dici immensum: omnia quae partes habent diuersas ordinatas, „animam

y) Cap. 48. p. 192. seq.
z) p. 229. seqq.
a) Cens. celebr. auct. p. 641.
b) loc. cit.
c) loc. cit.
d) In FELLERI Monumentis ineditis l. c.
e) Conf. MIRAEVS de Script. eccl. Sec. XVI. c. 80. p. 175. SCIOPP. Amphotid. Sciopp. p. 120. BOECLER. Bibl. crit. pag. 489. LEIBNIZ. Theodic. §. 254.
f) Praef. in Manilium.
ff) Vid. TEISSIER. l. c. BVDDEVS Hist. phil. c. VI. §. 12. p. 406.
g) De Immenso et innumerabili L. VI. p. 405.
h) PARCKER. l. c.
i) c. 44. p. 166.

„animam habere, et vitam; animae noſtrae immortalitatem iuxta philo„ſophos veram, non vmbratilem: numero omnia conſtare, vt in plan„tis foliorum et ſeminum certo: principium ſimilitudinis eſſe modum „agendi ab vno agente et vna materia, ab hoc ſequi tot varietates et pul„chritudinem; terram eſſe per ſe, et non vt miſtum cum aqua: inde „prominere in partibus oppoſitis ſaepe: cur oriens ſit melior occidente? „cur recedente ſole poſt ſolſtitia, tam calor quam frigus multis diebus „augeatur? quid fatum et quomodo: de cauſſis rerum mirabilium, velut „cur mille aleae in mille iactibus, ſi ſint legitimae, neceſſario iaciant „monadem? ab omnibus foliis plantarum putridis diuerſum iuxta folio„rum naturam animal generari: naturam nullam eſſe, ſed rem fictam et „vanam, principium multorum errorum ab Ariſtotele introductam, ſo„lum vt Platonis opinionem nomine euerteret. Deducendam contem„plationem rerum naturalium ad artem et opus. In morali philoſophia, „quod docuerit, aequalitatem conditionis omnium non ſolum hominum, „ſed etiam viuentium: vnde coniectari naturaliter licet compenſationem „a morte actionum in hominibus vtilitatem capere ex aduerſis: quaenam „optima vita, et quomodo cum aequalitate ſtare poſſit? tria eſſe regna: „quod in regno humano melius perſaepe eſſet, neſcire quid bonum vel „malum, ſi neſcias quantitatem, in aliis autem ſecus; ſicut etiam de fe„licitate in vnoquoque: cognitio morum hominum primo in genere poſt, „iuxta gentes, et reliqua, vt conſuetudines, demum huius proprie vel „alterius.“ Haec ipſe noua et a ſe inuenta deſignat Cardanus. Fatendum quoque Cardanum ingenio fertiliſſimo et inuentionibus ſupra modum apto vſum, vbi a paroxyſmo delirii vacuus fuit, multa egregie protuliſſe, acumen haud raro ſingulare demonſtrauiſſe, et cogitationibus valde ſupra vulgus philoſophorum ſe extuliſſe, eam autem lectionis copiam demonſtrauiſſe, quam omnino mireris. His-acceſſit animus ſatis magnus et erectus ad conculcandos errores temporis diuturnitate et errantium auctoritate confirmatos et in vſum receptos. Cuius memorabile ſpecimen dedit in libro, quem *de Methodo medendi* inſcripſit, in quo magna animi fiducia, *graue*, ita ipſe ſcribit [k], *certamen aggreſſus inueteratos errores, ac apud totum pene orbem diutino vſu firmatos abolere tentauit*, non ſolum errores ipſos, cauſſamque errorum retexens, ſed et veram medendi rationem explicans. Quae animi conſtantia acerbam quoque ſatyram in medicos genuit, quae *Sectionis primae* epilogum abſoluit. Quod ſi ea conſiderantur, quae de argumento naturali ſcripſit, quo celeberrimi libri *de Subtilitate* & *varietate rerum* pertinent, omnino agnoſcendum, aliam dare Cardanum philoſophiam naturalem potuiſſe, ſi et integrum ſyſtema condere voluiſſet, et iudicio integro et accurato ſemper vti, ſibique ab imaginationis morbis cauere valuiſſet. Cuius vt ſpecimen habeamus, en ex multis ſelecta pauca, vt de philoſophia Cardani lectori conſtet:

k) Praef. p. 5.

ſtet: Statuit nempe Cardanus: dari materiam primam etiam actu, eandemque quantitatem quandam retinere; cumque omnem ab initio orbem compleuiſſet, vacuum eſſe non potuiſſe, eo quod vacuo aucto materiam tolli neceſſe eſſet. Eſſe tria principia vbique materiam, formam et animam: eſſe tres in vniuerſum motus naturales, primum ac validiſſimum a forma elementi, ſecundum e directo huic contrarium, tertium grauium ad inferna, leuium ad ſuperna: accedere principiis naturalibus locum et motum. Tria tantum eſſe elementa, aquam, terram, aërem, et ex horum numero eximendum ignem. Eſſe ea omnia frigidiſſima et caloris expertia, diſſidere autem in humido: omnem vero lucem eſſe calidam et miſcere, et omne aſtrum ob id eſſe calidum. Eſſe autem proprie elementum, quod nec pabulo indiget, nec ſponte corrumpitur, nec vagatur, ſed certam tenet ſedem, maximam habens molem, eamque ſecundum naturam ac ad generationem paratam. Ignem eſſe ſummam caliditatem cum ſiccitate coniunctam; frigus nihil eſſe actu, ſed ſolam eſſe caloris priuationem: tria tantum vere in miſtis eſſe, terram et aquam pro materia, et coeleſtem calorem agentem: aërem ideo eſſe, vt ſubiiciatur radiis ſiderum, illorumque vires excipiat; eum ſemper moueri: terram eſſe in medio mundi, flumina oriri, quia aër in aquam tranſeat, niue et imbribus aſſiduis ad hoc non parum conducentibus. Subſtantiam coeli eſſe variam et inaequalem: lunae lumen non vniuerſum a ſole pendere, multo minus ſiderum reliquorum; ſed propriam quoque lucem habere. Habere omnia ſidera lumen, motum, ac magnitudinem propriam: lumen eſſe lucis ſimilitudinem, iunctam habentem et claritatem et calorem; coelum nunquam quieſcere, et vbique praeſentem habere animam, nec fatigari poſſe. Cometen eſſe globum in coelo conſtitutum, qui a ſole illuminatus videtur, et dum radii tranſeunt barbae aut caudae effigiem formant. Generari colores omnes ex tribus, ſubiecta materia, luce, ſeu potius lumine, quod ei miſcetur, et medio. Plantas habere ſenſum, etenim et odiſſe, et amare, et membra habere functionibus plena; generari animalia imperfectiora ex putridis, eamque generationem intendi a natura, quod exiguo tempore abſoluatur. Hominem non eſſe animal, quia praeter animam, mentem quoque acceperit. Intellectum eſſe rem ipſam quae intelligitur, voluntatem autem cum fertur extra, nec eſt idem obiecto huic, ſed ſimilis. Haec ex innumeris Cardanus in libris *de Subtilitate*, quae mira, vt ſolet, materiarum confuſione et cumulo ſpargit magis, quam diſponit, vt facile intelligas, ingenium foecundum plus ſubminiſtraſſe, quam ordinare poterat iudicium. Idem in libris *de Varietate rerum* obtinet, quae ſupplementum eſſe poſſunt librorum *de Subtilitate*. Etiam in iis ſuis cogitationibus infixus, haud raro a trita via diſcedit, et ſibi propria habet. Talia ſunt: cometen nulla ſubſtantia propria conſtare, ſed in coelo fieri, neque vno ſolo, ſed in ſingulis, quemadmodum et lactea via; eorum effectus prodire a tenuitate aëris, ſine qua non conſpician-

ſpiciantur. Non eſſe qualitates primas, praeter duas calorem et humidum. Mentem, vt remotiſſima eſt a primis principiis, eo eſſe praeſtantiorem. Multorum eſſe intellectum vnum, eumque videri ſingulorum eſſe, quia plures vni idem ſunt [l]. Mentem non ipſam errare, nec offuſcari, ſed turbari ea, quae ſunt ante illam, quibus functio eius impeditur. Eſſe etiam per ſe perſpicuam et aeternam extrinſecus aduenientem, adeoque falſo mortalem exiſtimari. Terram eſſe velut ſpongiam aqua plenam. Res et affectus naturales ſenſim declinare ex vna in aliam, omniaque, quae natura participans, affectu etiam participare, atque ideo in eis quicquam inueniri raro ſincerum: ſi legibus aſtrorum ſtandum, neceſſe eſſe anno Chriſti cIↃ IↃ c c c magnam mutationem facturam eſſe [m] in Chriſti lege; lunam in eccentrico orbe non reuolui: eſſe influxum ſiderum, eamque vim occultam, qua omnia mortalia reguntur, quod qui negant, longe magis eos Heroſtrato impios eſſe: daemones in res naturales nihil poſſe, nec caſu omnia fieri, ſed ordinem in coeleſtibus et mirum et conſtantem manifeſtiſſimum eſſe: eſſe autem influxum, quam certam caloris coeleſtis menſuram in magnitudine, vi, tempore actionis, nobis autem incerta. Cauſſam cur plures ſe morti, ob religionis cultum expoſuerint, non eſſe a Deo, ſed humorem illum atrum, qui quosdam ſtupefacit, alios facit amentes: Deum enim innocentium calamitate non delectari [n], ſed ſuam cuique ſtultitiam damno eſſe. Gigni itaque has diſpoſitiones generalibus ſiderum conſtitutionibus, quae cum validae ſint, in his, qui in philoſophia exercitati non ſunt, opiniones firmiſſimas et abſonas gignere, quae poſtquam per peſſimos quosdam et auariſſimos viros in vnam redigantur atque firmantur: inde eſſe plurimas ſectas atque inuicem directe pugnantes, quas non pudeat dicere: Dei hoc eſſe dogma. Mentem eſſe ſempiternam ſubſtantiam, imaginem verarum rerum a materia ſecretarum, extrinſecus homini aduenientem [o]: indigere autem vehiculo, quo corrupto eius operatio corrumpatur. Eſſe immortalem, quinque modis demonſtrari poſſe, nec pluribus, nempe ex propria ſubſtantia, ex iis, quae illi eadem ſunt, ex operationis modo, ex ſimilibus in opere ipſo intus, aut extra. Eſſe mentem quidem et intellectum omnem extenſum, et quaſi immenſum, ſed non limitibus comprehenſum, ſed absque termino, et quaſi coëxtendi omnibus: contrahi et extendi, fulgere et obſcurari, ſilere et operari, hocque praeſertim, quoniam initium operis eius a quodam corporeo originem ducat, quo corrupto intellectus operatio marceſcat: Eſſe quoque aliam plenam ſuis numeris aliam imperfectam, quae imperfectio in rebus aeternis quoque locum habeat. Cum mens ipſa ardens fuerit in Deo, tunc noſtram naturam ſupra ſe ipſam efferri, miraculaque contingere:

l) Patet ex adiecta ratione, cur vnus tantum ſit intellectus, diſtare Cardanum ab opinione Auerrois.

m) Ita in editis. Scribere volebat, factum iri.

n) Haec L. II. p. m. 111. dicta ex eorum genere ſunt, quae incogitanter effudit Cardanus non recordatus, ita martyrum beatorum gloriam pro inſania haberi.

o) P. 524. Haec Platonice magis quam Peripatetice dixit Cardanus.

re [p]: traduci enim humanam mentem ac quasi copulatam altiori corpus secum eleuare. Haec ex ingenti obseruationum naturalium farragine a Cardano allato facile ostendunt, Cardano nec nouitatem philosophicarum sententiarum, nec varietatem denegari posse, quibus addi merito debet immensa lectionis copia innumeris experimentis et obseruationibus rerum naturalium suffulta, quae hylen quandam physicam haud contemnendam peritis lectoribus, qui iudicio instructi sunt, suppeditare potest. Ast conuincet quoque lectorem ipsa vtriusque libri lectio, certis principiis raro inhaesisse Cardanum, et innumeris imaginibus cerebrum replendo, adeo vagari in tractatione rerum, vt Phaëtontis instar extra orbitam raptus nesciat, quo deferatur. Hinc factum, vt iudicandi acie prorsus suffocata in eiusmodi virum hunc praecipitia deiecerit furens suique impotens imaginatio, vt tandem casu grauissimo praeceps datus sit. Inde non modo ordine in meditatione nullo vtitur, sed ad eiusmodi quoque opiniones deducitur, quae iudicandi vim emotae mentis vitio aegrotauisse sole meridiano clarius loquuntur. Et quamuis satis subtiliter distinguat, claras tamen ideas non consectando, ipse, quid sibi velit, haud raro non intelligit. Maxime autem contradicendi studium, quo se impense delectari fassus est, in deuia eum deduxit, cumque Aristotelem oppugnare constituisset, magnoque Peripateticorum odio duceretur [q], quos aequo se animo ferre non posse profitetur, et tamen Peripateticis notionibus, terminis et principiis affatim esset imbutus, non potuit non frequenter Andabatarum more pugnare, et verbis magis, quam rebus, philosophiam innouare. Ex quibus, nisi nos omnia fallunt, recte concluditur, quamuis emendare nouamque dare philosophiam Cardanus tentauerit, quo nomine etiam inter restauratores philosophiae eum collocat SORELIVS [r]; et quamuis, in interuallis illis lucidis, quae dementiae insultuum expertia fuere, multa praeclare viderit dixeritque; attamen ingenio vere phantastico corruptum parum vtilitatis et emendationis philosophiam ab eo accepisse, nec in albo philosophorum magnum eum nomen mereri; quod si reliquam doctrinae supellectilem consideres, ei doctrinam magnam denegandam magnopere non esse existimamus, quemadmodum non pertinaciter repugnabimus, si quis contenderit, in medendi arte plurimum illum non experientia tantum, sed et ratiocinatione valuisse, de qua tamen eius eruditionis laude medicorum filii dispicient. Nos, ineptum ad reformandam philosophiam Cardanum fuisse, vel ex eo solo colligi posse putamus, quod scripserit [s]: *Delectatus sum in philosophia Aristotele, et Plotino mysticisque illis inuentionibus.* Quas vehementer eum deperiisse, vel ex vna, quam in li-

p) Etiam hic prodit, quod alibi gloriatur, a Plotino non parum mysteriorum philosophiae se didicisse.

q) Vid. de Var. L. III. p. 147. L. VI. p. 242. s. L. VII. p. 277. et sic passim, de Aristotelis sectatoribus L. VII. p. 267. Aristotelem tamen inter viros duodecim subtilitate praestantes numerat de Subtil. L. XVI. p. m. 573. edit. Bas. 1664. quae optima est.

r) De Perfect. hom. L. III. p. 429. vers. Germ.

s) De Vita propr. c. 18. p. 58.

bris *de Rerum varietate* inſtituit, tractatione de mente humana, eiüsque vnione cum Deo, et mediis eo ducentibus, conſtat, ea enim tota myſticos ſapit, et enthuſiaſmo repletum habuiſſe Cardanum caput, euincit. Nec meliorem characterem Cardani nobis effingunt, omina, ſomnia, ſpectra, auguria, vaticinia, quibus velut vermibus ſcatet tota Cardani hiſtoria ff, vel inſanus Aſtrologiae apoteleſmaticae amor, quo ductum non puduit iniurias in eos euomere atrociſſimas, qui huius generis nugas vilipendunt t. Accedit his confuſio in eius cerebro regnans, quae ſe toties in ſcriptis eius prodit, et infinitis digreſſionibus moleſtam lectionem facit; quamque veram obſcuritatis eius matrem fuiſſe recte pronuntiauit Naudaeus. Innumeris enim cogitationibus repletus aliter ſcribere non potuit, licet veriſimillimum ſit, paupertatem, quam ſuo ſibi iumento attulit, quamque ephimeridibus ſcribendis ſe leuauiſſe aliquando, ait, eum coëgiſſe, vt et ſcriptiones ſuas maturando minus digereret, et dicendorum copia oneraret, vt amplius largiusque inde praemium laboris referret. Nec ſilentio praetereundum, quod exemplis quoque probauit NAVDAEVS u, expilaſſe Cardanum interdum alios, ſuppreſſo eorum nomine, vnde paſſim x inter plagii reos eum connumerari videas.

Scripta Cardani et ſtili ratio.

§. VIII. Scripſit multa vir magna diligentia et extemporanea ſcribendi facultate gaudens, ex quibus edita plurima, quaedam vel affecta tantum vel ſuppreſſa et neglecta deliteſcunt. Catalogum eorum ipſe dedit y, et repetiit THOMASIVS z, ordine diſpoſuit GABR. NAVDAEVS a, et ex huius conſilio decem voluminibus collegit vulgauitque CAROLVS SPONIVS b. Eorum pleraque ad naturalem philoſophiam artemque ſalutarem ſpectant, quaedam mathemata illuſtrant. Logicam tamen attigit, et in argumento morali deſudans, *de Vtilitate capienda ex aduerſis*, *de Conſolatione*, *de Summo Bono*, *de Humana Conditione*, *de Arcanis politicis* differuit. Quorum libellorum editiones indicat Cl. STOLLIVS c, quem vide. In his ſcribendi ratione vſus eſt libera, et aperta, aſt nec comta, nec elaborata, ita tamen, vt ab inquinato Aponenſis, Pomponatii aliorumque medicorum ſtilo et negligentia in dicendo ſibi caueret. Recte quoque obſeruatum NAVDAEO, elegantius eum ſcribere, et veneres amoeniſſimas ſectari, cum libet; credo, quod interdum maiori, quam ſolebat, ſtudio in ſcribendo exerceretur. Obſcuritas itaque Cardani non ab elocutione deriuanda eſt, quae ſatis aperta eſt et perſpicua, ſed a rerum obſcuritate, notionum vagarum incertitudine, principiorum confuſione et frequen-

ff) Similibus nugis ſcatet Liber XVI. de Var. rerum, vbi talia de daemonibus et mortuis tanquam veriſſima narrat, e. g. daemones incubos monſtra ex foeminis gignentes, et ſimilia, vt aperte pateat, ſanum illi ſynciput non fuiſſe.

t) Vid. Praef. in Ptolemaeum de Iudiciis Aſtrorum, et in libris de Subtilitate paſſim.

u) loc. cit. p. 31.

x) TEISSIER l. c. THOMASIVS de Plagio n. 376. p. 109. MORHOF. Polyh. T. II. L. II. c. 2. §. 11.

y) De Vita propr. c. 45. p. 170.

z) loc. cit. p. 55.

a) loc. cit.

b) Lugduni 1663. fol.

c) Hiſt. Lit. P. II. et III.

frequentibus etiam digreſſionibus, quibus lectorem nihil tale expectantem a via deducit, vt vix redire ad priſtina veſtigia valeat. Tacemus multa ſuppoſita et breuiter dicta, aut in differendi contentione animo magis comprehenſa, quam expreſſa literis, quo pacto ſcriptores haud raro tranſilire nonnulla ſolent, quae magnas lectoribus tenebras offundunt.

§. IX. Multos ſibi eruditionis copia amicos comparauit Cardanus, quorum indicem ipſe in libro *de Vita propria* [d], exhibet; in quo magna comparent nomina, non modo virorum doctrinae laude clariſſimorum, ſed et munerum generisque dignitate illuſtriſſimorum. Inter quos Chriſtophorus Madratius cardinalis, epiſcopus Tridentinus, beneficiis et liberalitate egentem ſuſtentauit. Laudat etiam Caroli Borromaei et Marci Antonii Amulii cardinalium amicitiam, quemadmodum Ioannem Hamiltonum primatem Scotiae magno eum fauore complexum fuiſſe, ſupra docuimus. Aſt qui fautorum et amicorum beneuolentia recreabatur, innumeris quoque inimicorum atque aemulorum odiis, conuiciis, inſidiis periclitabatur, quas et emergendi ſtudium, et vitae varietas, et imprimis contradicendi pertinacia ipſi comparauere. Maxime medicorum natio acerbe in eum inuecta eſt, cui tam inuiſus fuit Cardanus, vt diu in medicorum collegium in ipſa patria recipi non poſſet. Horum enim vlcera ita fortiter tangebat, vt mirum non ſit, pugnis illos atque calcibus Cardanum, ſtrenuum ἰατρομαχίαν petiuiſſe. Et hos quidem nonſolum ſpernere ſe didiciſſe, ſed eorum vanitatis miſereri ſcribit [e], aſt dolorem tamen ex indignatione profectum paſſim prodidit, contemtu eorum inuidiam vlturus. Non acerbiorem autem aduerſarium nactus eſt, Iulio Caeſare Scaligero, viro ſummo. Is quamuis artis criticae et diſciplinarum philologicarum, quam philoſophicarum, eſſet peritior, gloriae Cardani tamen inuidia accenſus, cum et ipſe artem ſalutarem profiteretur, arma contra Cardanum mouenda eſſe conſtituit, et libros de ſubtilitate, magna tum doctrinae fama apud omnes commendatos aggreſſus eſt. Nouem tamen, a prima editione annos elabi paſſus eſt, antequam contra Cardanum librum vulgaret, tandem ſatis ſpiſſum opus *Exercitationum exotericarum de ſubtilitate aduerſus Hieronymum Cardanum* edidit, quod valde tum quidem commendauit illuſtris auctoris fama apud omnes maxima et praeclara de doctrina eius vniuerſali opinio [f]. In huius ſcriptionis praefatione, magnificas quidem laudes tribuit Cardano, et ſuam ſcribendi induſtriam valde extenuat, in ipſa autem tractatione toties Cardano, de fama detrahit, quoties carpi eum poſſe iudicabat. Inde factum, vt, vbi rebus non valeret, verbis eum perimere, et critico obelo configere contenderet, eum autem, quem ambitioſe in praefatione laudauerat, mille conuiciis laceraret. Hinc

Amici et inimici Cardani.

d) c. 15. p. 49.
e) c. 16. p. 53.
f) Vid. Epiſtola Io. CRATONIS ad Ioſephum Scaligerum, editioni Wechelianae anni 1582. praemiſſa.

Hinc accenſus ira, quod Ariſtotelem contemſiſſet, conuiciatorem, latratorem, canem vocat [g], et commentarios eius confuſiſſimam rhapſodiam nominat, et ſententias illi nequitiae et impietatis imputat [h], inter quas imprimis ille intellectus vnus eſt, quem ſenſu illi Auerroiſtico tribuit; et millies deliria, nugas pueriles, ingenium turbidum, inſcitiam, temeritatem, ventoſum ingenium et ſimilia exprobrat, vt facile appareat, laudes in Cardanum cumulatas in limine, amaram tantum ſatyram exhibere. Reſpondit ad opus Scaligeri prolixum Cardanus, *Actionemque primam* edidit *in calumniatorem librorum de ſubtilitate*, in quo praetermiſſo ex contemtu et indignatione nomine, hunc calumniatorem librorum ſuorum de ſubtilitate ait, dum moliri ſuo Marte nihil audeat, opus ſuum ideo aggreſſum eſſe, vt mutuis altercationibus hominibus innoteſceret: eum autem, putat, aut non admodum iudicio valuiſſe, aut liuore quodam victum eſſe, cum tantus non ſit, quantum ſui illi gnathones fuerint in re literaria. Reprehendit autem in eo, quod calumniis ac criminationibus, tum maledictis absque offenſa, immo etiam absque cognitione hominis vlla ipſum inceſſerit, et laudationem in epiſtola praemiſſa ad calumniam et iniuriam irriſionem adiecerit, malo quoque animo de religione accuſare nitatur: quae violentiſſimi inimici aut virulentiſſimi animi indicia manifeſta eſſe pronuntiat, illique obiicit, quod toties Ariſtotelis atque Auerrois innixus principiis atque auctoritate, (qua ſcilicet ſalua mundi aeternitate ab illis probata Chriſti diuinitas et ſpes remunerationis bonorum atque malorum auferatur,) ipſum audeat de impietate inſimulare. Quibus integritatem pietatemque ſuam a nemine hactenus in dubium vocatam opponit, licet de ruſticitate et odio ſuorum conquerendi cauſſam habeat, et quo poteſt modo eruditionem Scaligeri in dubium vocat, intimam ei barbariem obiicit, et ridet, quod cum ne quidem grammaticus eſſet, de omnibus diſciplinis ſcribere auſus ſit. Et hoc quidem pacto magno animo et acerbo dicendi genere Scaligero reſpondet, quem maleuolo et inepto ſcripſiſſe animo in tota hac actione more ſuo demonſtrat, et eum rodit, quod vitia editionis primae, non attendens ad emendationes poſterioris, ipſi imputauerit. Dici non poteſt, quantum exiſtimationi ſuae hac lite Scaliger nocuerit, cum ex comparatione ſcripti vtriusque clariſſime conſtaret, impotente Scaligerum animo et ambitione atque inuidia lymphatum ſupra vires ſuas hanc contentionis ferram reciprocare coepiſſe. Vt enim innumera ſophiſmata taceamus, quibus Cardanum aggreſſus eſt, recte obſeruatum Ger. Io. Vossio [i], *contradicendi ſtudium, ſophiſta dignius eſſe quam philoſopho, et maiorem etiam modeſtiam, dum falſe adeo tractet Cardanum, merito paſſim requiri, praeſertim ſi cogites, ſcribere aduerſus virum ſummum, ſtudiis quidem humanitatis et metaphyſicis non paulo inferiorem: at non ſcientia naturae, matheſios autem omnibus diſciplinis, in quibus parum*

g) pag. 153.
h) pag. 987.
i) De Theolog. gentili Libr. III. cap. 8. pag. 1163.

rum omnino Scaliger viderit, albis quod dicitur, equis praeuertentem. Quod Voſſii iudicium aequiſſimum eſſe, et ipſa comparatio docet, et dudum a viris doctis, Io. Sperlingio [k] et Rvdolpho Goclenio [l], qui in exercitationes Scaligeri animaduerterunt, eſt oſtenſum; id quod breui quoque at accurata obſeruatione factum a Sorellio [m]. Paſſim [n] ideo Scaligeri praecipitantiam, et in hoc quidem doctrinae genere ἀπαιδευσίαν reprehendi notarique videas, licet variarum rerum, ad hiſtoriam naturalem pertinentium copiam, quam ex vaſtae literaturae penu Scaliger depromebat, aequus quilibet laudauerit. Mirandum ergo, et nominis potiſſimum magnitudini, qua fruebatur Scaliger, adſcribendum eſt, quod teſte B. Io. Fr. Bvddeo [o] tantae olim hic liber auctoritatis fuerit, vt nemo philoſophus cenſeretur, qui eum non legiſſet, et, quod Paganinvs Gavdentivs [p] indignatur, *multi cum profiterentur ſe adhaerere doctrinae Peripateticae, ex volumine de ſubtilitate contra Cardanum depromſerint dicta ac ſententias, inque iis conquieuerint, nihil vltra quaerentes, perinde ac ſi voces forent atque oracula ex cortina Lycei ex fonte Ariſtotelici Peripati prolata. Cum tamen multoties vel non intellexerit Ariſtotelem et perperam interpretatus ſit, vel ab eo receſſerit.* Id quod integra diſſertatione demonſtrauit luculenter idem Gavdentivs [q]. Quodſi parcius in Cardanum fuiſſet inuectus, ſi verum quaeſtionis ſtatum excuſiſſet, ſi a vocum diſceptatione et criticis diſquiſitionibus ſibi temperauiſſet, ſi doctrinam attuliſſet, in philoſophia naturali et mathematicis magis exercitatam, ſique ſuis ipſe monitis fuiſſet obſecutus, famae ſuae, qua illuſtri et maxima fruebatur, hanc labem non aſperſiſſet. Prudenter enim monuit [r], *non deſunt circumſcripti animi quorundam et ſeruiles, qui in tenebris ignauo marceſcere otio, quam in luce ac puluere cum labore verſari malunt. Quid turpius, quam ex omnium rerum domino atque dictatore, intellectu noſtro efficere mancipium alienae libidinis?*

k) In Meditationibus ſuper ſubtilitates Scaligeri.
l) In Aduerſariis ad exotericas aliquot I. C. Scaligeri exercitationes.
m) loc. cit.
n) Naudaevs l. c. p. 19. 20. Bayle l. c. not. X. Boecler, Bibl. crit. pag. 602. Stollivs Hiſt. lit. p. 547. Sorel. l. c. p. 431.
o) Introd. in hiſt. theol. L. I. p. 265.
p) In Excuſſione exoterica de nonnullis, quae non Peripatetice dixiſſe videtur I. C. Scaliger in opere de Subtilitate, quae in Sylloge differtt. cum tr. de Pythagorea animarum tranſmigratione Piſis 1641. 4. prodiit, p. 200.
q) loc. cit.
r) Ex. VI. § 4. p. 29.

****

CAPVT QVARTVM,
DE FRANCISCO BACONO VERVLAMIO.

§. I.

Historia Baconi de Verulamio vnde petenda?

Infeliciter hactenus emendatio philosophiae susceptа fuit. Aut enim parum viderunt philosophi, qui relicta via sectaria nouam tentare aggressi sunt, aut, cum quaedam vidissent, nec animi nec ingenii satis habuerunt ad telam, quam exorsi erant, pertexendam, et ad nugas diuertentes philosophiam parum reformauerunt. Et hoc quidem fato seculum XVI vsum est. Miserata vero humani intellectus tandem diuina prouidentia seculo XVII lucem clariorem restituit, et elegantiorem atque perfectiorem philosophandi modum introduxit, excitato Francisco Bacono, Barone de Verulamio, Vice-Comite S. Albani, Angliae cancellario, quo vix maius et excelsius ingenium ista aetas tulit, vt praeiudiciorum errorumque fontes detegeret, nouam viam panderet, hylen ad philosophiam emendandam afferret prorsus egregiam, et, cum nouum ipse philosophiae systema condere in animo non haberet, eas tamen obseruationes, regulasque spargeret, quibus aetas subsecuta diligenter vsa tandem emendatos philosophiae vultus restituit. Hunc itaque verum primumque parentem philosophiae eclecticae, virumque de philosophia omnium maxime et praestantissime meritum recte appellaueris, dignum, cuius historiam accurate teneamus. Quam primus descripsit, documentis domesticis et ἀυτοψίᾳ adiutus GVILELMVS RAWLEY, illustrissimo viro, cum in viuis esset, et post eius funera reginae Angliae a sacris, et theologiae professor, eamque operum Verulamii a se editorum *tomo vltimo* [a] adiunxit. Ex quo hauserunt sua, qui historiam literariam seculi XVII enarrantes hoc ornamentum non praetermiserunt FREHERVS [b], WITTIVS [c], BAYLE [d], DE LA HOVSSAYE [e], auctores *Bibliothecae Thomasianae* [f], alii. Recentissima aetate cum nouae scriptorum Verulamii editiones a Britannis cuderentur, semel atque iterum summi viri vita adiecta est. Eam enim *Epistolis* et aliis a Verulamio relictis scriptis praefixit, et hoc *Supplementum operum* [g] eius in limine hoc pacto ornauit ROBERTVS STEPHANVS [h]. Cumque pleniorem ex chartis passim delitescentibus operum Verulamii editionem vulgaret MALLETVS [i], nouam et ipse biographiam maximi viri attexuit, quam se ex fontibus fide dignissimis

a) Tom. VI. edit. Amstelod. 1663. 12.
b) In theatro p. 773.
c) Memor. philos. Dec. II. p. 150.
d) Dict. T. I. art. Bacon. p. 417. quem interpretes Britanni valde auxerunt. n. XVII.
e) Memoires critiques T. I. p. 358.
f) Vol. II. p. 704.
g) Lettres and remains of the Lord Chancellor Bacon Lond. 1734. 4.
h) Vid. Litter. magazine 1735. Ian. art. 1.
i) Lond. 1740.

gnissimis et intemeratis rerum testimoniis hausisse affirmat [k]. His ducibus nos quoque, instituto nostro insistentes vitam eius viri delineabimus, quem vnum plus ad verae philosophiae nitorem restituendum contulisse, quam seculorum, ante eum plurimorum philosophos primi nominis, fatebuntur, qui acutissimi viri meditationes, obseruationes et inuenta cum veteris et medii orbis philosophici luminibus sine partis studio comparabunt.

Natiuitas et educatio Baconi.

§. II. Editus est in lucem FRANCISCVS BACONVS, BARO DE VERVLAMIO, VICE-COMES S. ALBANI in Anglia magnorum ingeniorum ferace anno cIↃ IↃ LX, XI Cal. Febr. [l] Patrem habuit Nicolaum Baconum, Elisabethae reginae a consiliis, equitem auratum, magni sigilli Angliae custodem, virum et eruditionis, praesertim iurisprudentiae, nomine celebrem, et in tanto generis et honoris fastigio modestiae laude GILB. BVRNETO [m] commendatissimum; matrem Annam Cocam, Antonii Coci equitis aurati, qui Eduardi sexti institutioni praefectus fuit, filiam, quam et pietate virtuteque eminuisse et doctrina praepollentem fuisse testatur biographus Baconi, RAVLAEVS [n]. Fauente Numine illud Bacono natiuitatis tempus contigit, quo valde amabantur literae, etiam apud illustres viros ipsamque procerum regni purpuram commendatissimae. Quam amplum autem a natura indolis optimae fundum accepisset, et quae vis ignea ingenii illi inesset, non modo postea proditum est, cum emendare philosophiam insigni felicitate esset aggressus: sed mature quoque et in ipsa pueritia apparuit, ipsamque Elisabetham reginam, excelsi animi et ingenii foeminam, testem habuit. Cum enim insolita acuminis admirandi, et doctrinae in tam tenera aetate inusitatae specimina puer praecox subinde ederet, istis commendatus summis, qui in aula viuebant, proceribus, ipsi tandem reginae traditus est. Quae vt versatissima ingenii diuitiis fuit, ita Baconum puerum difficilioribus quaestionibus tentare haud semel, iucundum habuit. Ad quas tanta iudicii maturitate, tanta dicendi grauitate respondit, vt supra modum contenta regina, puerique indolem felicissimam et prorsus diuinam admirata eum dominum custodem sigilli minorem appellarit. Inerat enim responsis eius et iudicandi vigor in aetate puerili infrequens, et ingenii iucunditas atque elegantia, quibus mire captus est reginae animus. Cuius exemplum narrant [o]: interroganti, quot annos natus esset? ingeniose, puerum adhuc, respondisse, se regimine eius felici duobus annis iuniorem esse. Talis cum esset, maturandum, quo ad literarum studia properabat, iter rati parentes, annos natum duodecim in academiam Cantabrigiensem miserunt, tutela commissum Ioannis Whitgifti, qui S. Trinitatis collegio,

k) Vid. Bibl. Britannique Tom. XV. P. I. art. 3.

l) Qui annum 1561. ponunt, eos falli ex epitaphio constare potest.

m) Hist. reform. Angliae P. II. p. 380. ed. Angl.

n) l. c. p. 5. vbi linguarum, quae eruditae vocantur, callentem fuisse, narrat.

o) Citati.

cui adſcriptus eſt, tunc praeerat, Cantuarienſem autem archiepiſcopatum magna poſtea prudentiae doctrinaeque laude ornauit. Et tum quidem magno ardore diſcendique deſiderio in artes liberales et philoſophiam Ariſtotelicam, quae vna tunc in ſcholis Angliae perſonabat, incubuit. Quam tamen, nondum ſedecim annos natus vilipendere coepit, non quod Ariſtoteli diuini ingenii laudem denegaret, hanc enim illi ſaepe, poſtea quoque, tribuit, ſed quod diſputationibus et contentionibus eam tantummodo natam, humanae vitae commodis autem inueniendis et promouendis ineptam ſterilemque eſſe, probe cerneret p). Ipſe itaque, admodum adoleſcens ſine cortice nauare, et excellentiſſimis, quas a natura acceperat, animi dotibus ad tentandam nouam philoſophandi viam vti conſtituit.

Aetas iuuenilis Bacon.

§. III. Emenſus artium liberalium, et philoſophiae, quale definiri in academia ſolet, iter a parente ad artes politicas efformari coepit. Cum enim inter fratres natu eſſet minimus, terris patriis fratribus datis opus erat, vt ingenii copiis ad accipienda praeclara munera aditum ſibi pararet. In Galliam ideo in comitatu legati ad Gallorum regem, Amicii Powletti, miſſus eſt. Quamuis autem iuuenilis aetas prudentia carere videri poterat, indolis tamen bonitas ita annorum adoleſcentiam emendauit, vt maximam ex eo itinere vtilitatem referret, et prudentiam quoque ſingularem conſcriptis anno aetatis vndeuigeſimo obſeruationibus, *de Statu Europae* oſtenderet. A legato quoque ad reginam miſſus in Galliam remeauit, eo conſilio, vt iudicium inter peregrinos perfecte matureſceret. Magna tamen clades eum inopinantem in hac peregrinatione oppreſſit. Pater enim illi praematuro fato ereptus eſt, eumque terras patrias fratres iure occupaſſent, pecunia quoque, quam pater illi patrimonio carenti ad coëmenda quaedam latifundia deſtinauerat, inter quinque fratres diuiſa eſt. Paulo duriori ergo fortuna eo tempore vſus fuit, quam tamen virtutis et doctrinae magiſtram habuit. De vitae genere vero poſt reditum ex Gallia ſtatuenti, iuris Angliae municipalis ſtudium et profeſſio placuit, ſine dubio, vt ita ſibi de neceſſariis aliquanto felicius diſpicere poſſet. Breui autem ingenio optimo et diligentia iugi adiutus ita profecit, vt, licet, velut παρέργον, vt ipſe poſtea dictare ſolebat, et ſubſidiariam operam iſtud ſtudium haberet, mature tamen tractationibus exaſciatis, quales pauci dare poſſunt, oſtenderet, ſe myſteria iuris legumque, praecipue quae ad patriam ſpectabant, omnia intime pernouiſſe. Itaque nondum in legis ſcientia tyrocinium egreſſus inter aduocatos extraordinarios a regina allectus eſt, hoſpitiumque ſibi in ſocietate Greienſi delegit. Maxime tamen ad emendandas diſciplinas, et praecipue philoſophiam emaculandam, natiuoque nitori reſtituendam reſpicere nunquam oblitus eſt. Cuius eo tempore ſpecimen edidit, quod: *Temporis partus maximus*, inſcripſit; quod cum periiſſet, *Inſtauratio* inde eius *magna* enata eſt.

§. IV.

p) Hoc ex ore eius auditum refert RAVLAEVS l. c. p. 7.

§. IV. Legum cuſtodiae et iuris ſacris deſtinatus quidem Baconus erat et conuictu, et vitae profeſſione; at animo tamen et affectu in artes politicas et officia ſtatus magis propendebat. Quare aulae ſe tradere, et fortunam tentare, qua et ipſe poſſit volitare per ora virûm, conſtituit. Quamuis autem indoles egregia et doctrina praeſtantiſſima Baconum in aula commendatiſſimum feciſſent, ita vt nec colloqui cum eo dedignaretur regina, nec de iure legibusque, ipſisque regni negotiis eum conſulere negligeret, hincque facilior et liberior illi ad aulam principis, quam reliquis eius profeſſionis, aditus pateret, neque munere tamen, neque emolumento frui potuit inſigni: vno munere ſubſtituti regiſtrarii in camera ſtellata excepto; cuius cauſſam fuiſſe dicit MALLETVS, quod in clientelam ſe comiti Eſſexiae dediſſet, qui, cum noſtrum promouere conaretur, ab inimicis, quos iam tum habebat potentiſſimos, impeditus eſt. Quod cum aegerrime ferret Baconus, adeo vt inſulae relinquendae conſilium caperet, ab eo a comite reuocatus eſt, qui, vt patriae tantum pignus ſeruaret, latifundium ei aliquod CIↃ IↃ CCC libris Anglicis venale ex ſuis facultatibus comparauit. Addit, quem ſequimur, MALLETVS, (reliqui enim hoc tacent) ingratiſſimum tamen ſe tanto Moecenati praeſtitiſſe Baconum, inductum ab eius aduerſariis, vt detectionem criminis perduellionis infelicis huius comitis poſt eius exitium ederet, qua perfidia apud Anglos nominis tot meritis alias illuſtris celebritatem mire conſpurcauerit. Quam vero fortunae fauorem patrocinio apud Eliſabetham conſequi non poterat, ingenii doctrinaeque commendatione nactus eſt. Valde enim gratioſus factus eſt in aula Iacobi I. apud quem literis valde fauentem commendatiſſimum fecit liber praeſtantiſſimus, *de Augmentis ſcientiarum.* Aulae tamen fata hoc loco expertus eſt, obſtante praeter alios eius fortunae Eduardo Coco, equite aurato, gloriae ex literis Bacono partae valde aemulo. Peruicit autem Baconi conſtantia, regique probata eruditio, qua ita illi traditus eſt, vt eum anno CIↃ IↃ CVII ſolicitatorem generalem conſtitueret. Quo tamen munere impediri non potuit, quo minus philoſophiae inſeruiret, cuius teſtimonium fuit edita anno CIↃ IↃ CX tractatio *de Sapientia veterum.* Fatis autem erepto Cecilio comite, qui viuus valde Bacono aduerſatus erat, muneri ſplendido et opimo Atturnati regis generalis ſiue procuratoris primarii et generalis praefectus, et emolumentis atque reditibus valde ditatus eſt. Quos cum dos quoque vxoris poſtea auxiſſet, quam partim numerata pecunia, partim terris quoque lautam et ampliſſimam acceperat, tantum tamen abeſt, vt in re ſplendida ad rationes oeconomicas attenderet, et familiae magnificentiam atque ſeruitiorum licentiam paulo arctius reſtringeret, vt potius magnam ex neglectu earum opum iacturam ſentiret, ſcilicet ſtudiis magis et meditationi intentus. Quod non vno hoc illi nomine noxium fuit, ſed ad artes quoque in aulis exerceri ſolitas viam ſtrauit, quibus ſibi ipſi exitium parauit. Nempe corrumpi ſe muneribus paſſum eſſe, virum cetera admirabilem,

Aetatis virilis fata.

fide dignis sibi constare testimoniis MALLETVS affirmat. Et tum quidem in dies fauentior illum fortuna arrisit, in sanctius enim consilium regis adoptatus et anno cIↃ IↃ c xvii auxilio Villierii, qui ducis Buckinghamiensis nomine orbi innotuit, quemque rex vehementer amauit, custodiae regni sigilli praefectus est. Hic enim cum minus quam nostet, eruditione et prudentia valeret, Baconi doctrina et iudicio vti solebat. Eo itaque parario tandem anno cIↃ IↃ c xix cancellarius Angliae, Baro Verulamius, et sequente anno, Vice-Comes S. Albani constitutus est. Illustri autem aulae splendore licet fulgeret Baconus, literarum curam tamen non deposuit, sed inter media aulae statusque, quem vocant, negotia, anno cIↃ IↃ c xx *Nouum organum* edidit, opus duodeuiginti annorum, at immortalis gloriae.

Baconi fata aduersa et vita ad mortem vsque.

§. V. Hactenus fauentissimis sideribus vsus erat Baconus, et doctrinae claritate illustris, et negotiorum publicorum administratione satis felix. Ast decreuit subito, quae incrementa hactenus laetissima sumserat, fortuna Verulamii. Rem totam tacet Raulaeus, ita vero narrant scriptores Britanni citati: Pecuniae indigens rex, eas sibi artes delegerat, quas regni leges non solent permittere. Quales cum nonnulli, vt solet in aulis, proponerent, qui monopolium quoddam regi persuadebant, quod non poterat non graue esse et exitiale regni subditis; illi a Buckinghamiae duce commendati, id apud regem obtinuerunt, vt regio diplomate confirmarentur. Id patroni sui suasu, et munerum illecebris inductus, regni sigillo roborauerat Baconus, qui in corradendis facultatibus ad eas artes confugiebat, vt familiae, quam splendidam habebat, alendae sufficeret. Non potuit non res ea displicere regni proceribus, qui facile intelligebant, exitialia huiusmodi consilia fore patriae. Grauiter itaque de hac iniuria in comitiis regni conquesti sunt. Qui cum in auctorem eius inquirerent, dux Buckinghamiae negotio periculoso se extricaturus regi persuasit, vt in cancellarium omnem eius rei culpam transferret. Rex, vt solicitudine se liberaret, Baconum permouit, vt periculo caput exponeret, nec culpam deprecaretur, pollicitus, curaturum se, ne detrimentum ex ea re caperet. Damnatus ergo a iudicibus est, indicta mulcta quatuor millium librarum, expunctus ex numero procerum regni, et carceri in castello Londinensi traditus. Cui cum breui tempore esset inclusus, a rege liber dimissus, sententia autem ista, post aliquot annos, reuocata et irrita declarata, restitutusque honoribus Baconus, adeo vt primis comitiis, sub Carolo I. rege indictis, interesse, iterum iuberetur, et reuirescceret ingentium meritorum eius memoria, obliteratis obliuione his, quas memorauimus, famae eius maculis. Ab eo tempore, quamuis reparato honore et fama, id posset, a negotiis aulae regnique tractandis abstinuit, sibique et Musis suis vixit: fortunae aulicae inconstantiam et leuitatem, studiorum dulcedine ac philosophiae iucunditate pensando. Cum autem nec oeconomicas rationes valde curaret,

curaret, nec fido seruitio vteretur, tandem paupertate vir maximus et meliore fato dignus ita pressus est, vt et regem, et regni heredem supplex adiisse nonnullis dicatur [q], vt inopiae suae succurrerent. Vixit itaque in vmbra et otio studiis et contemplationibus addictus, quas luci et tumultui aulico expertus caute praeferebat, tempusque et legendo et scribendo terens, vtilem se reipublicae literariae praestare sategit. Vltimo enim quinquennio, quo se totum negotiis ciuilibus subtraxit, scriptorum suorum maximam partem exarauit. Tandem anno cIↃ IↃ cxxvi, III. Id. April. febri catarrhali lenta extinctus anno aetatis LXVI in aedibus comitis Arundeliae, in villa de High-Gate prope Londinum, ad quas animi tantum reficiendi causa diuerterat, obiit, exuuiae mortalitatis in ecclesia S. Michaëlis fano S. Albani vicina depositae; quia ecclesia illa ex vrbis vetustae Verulamii ruderibus sola supersest, epitaphio scripto, quale viro meritis illustri debebatur [r].

Character et merita eruditionis Baconi.

§. VI. Factum esse a natura Verulamium ad emendandas scientias, maxime philosophicas, et scripta eius docent, et indoles, quam acceperat, loquitur. Cum enim a pueritia meditationi esset addictus, iudicio autem vteretur acerrimo, facileque in nexum veritatum et ipsa rerum principia atque fundamenta alte penetraret, haud difficile fuit viro summo, disciplinarum naeuos et defectus detegere, et magis sana atque salubria suppeditare. Et prima quidem tentamina, at quae ad iustam maturitatem et perfectionem quandam excreuere, ciuitati eruditae anno cIↃ IↃ v. exposuit, edita incomparabili aetatemque latura tractatione *de Augmentis scientiarum*. Eam patrio sermone Verulamius conscripserat, Latina autem veste donari curauerat a Playfero, professore Cantabrigiensi. Qui cum verborum, quam rerum, magis esset curiosus, ipse Baconus manum admouendo, virosque doctos Herbertum, Hobbesium, aliosque in partes curarum vocando, opus perfecit. Ergo comparate intelligendus est. RAVLAEVS scribens, *in hoc opere e lingua vernacula proprio Marte in Latinam transferendo auctorem plurimum desudauisse, et multis subinde ac variis additionibus locupletauisse.* Ipse enim Raulaeus in *Praefatione operis ad lectorem* scribit, *Baconum, cum animum adiecisset, vt liber in Latinam linguam verteretur, quod inaudiuisset, illud apud exteros expeti, eius translationem ab insignioribus quibusdam eloquentiae viris elaboratam propria quoque recensione castigatam iam emittere.* Dici vix potest, quanta comprobatione et plausu virorum doctorum et tum, cum ederetur, opus sit exceptum, et ad nostros dies in honore habitum. Id quod immensae, quae in id congestae sunt laudes satis demonstrant. Vnus nobis, at quantus vir! LEIBNITIVS [s], testis omni exceptio-

Tr. de augmentis scientiarum.

q) Bibl. vniu. T. XI. p. 45. BAYLE l. c. non tamen ad extremam paupertatem redactum, quamuis nec diuitiis affluentem obiisse ait Malletus.

r) Extat apud POPE-BLOVNT l. c. in eo, scientiarum lumen, facundiae lex vocatur, et laudatur, quod omnia sapientiae naturalis et ciuilis arcana euoluisset.

s) In noua methodo iurisprudentiae P. I. §. 32. conf. BVDDEVS Praef. ad Artem cogitandi p. 15.

ceptione maior est, cui liber audit incomparabilis. Quanquam autem ad doctrinam de eruditione vniuersali, siue in genere considerata opus proprie pertinet, quo nomine integrum hoc loco recensere supersedemus, ipsi Lectori vtilissimi et ad augendas intellectus copias vtilissimi lectionem iterum iterumque commendantes: non praetereundum tamen hoc loco est, illustrissimum auctorem omnium scientiarum partitiones exorsum, omnem doctrinam, secundum tres facultates intellectus: memoriam, phantasiam, rationem, in tres classes fuisse partitum, in historiam, poësin et philosophiam. Ita enim, his positis classibus, non historiam modo acute distribuit, itemque poësin, sed philosophiam quoque. Cuius matrem communem constituit philosophiam primam, tria autem genera ponit, de numine, de natura, de homine. Et illam quidem, quae de numine tractat, philosophiam, theologiam naturalem vocat, eique adiicit appendicem doctrinam de angelis et spiritibus. Naturalem philosophiam autem in speculatiuam et operatiuam distribuit; et illius dicit partes esse physicam et metaphysicam; illam in caussam efficientem et materiem; hanc in caussam finalem et formam inquirere. Refert autem ad physicam speculatiuam doctrinam de principiis rerum, de fabrica rerum, siue de mundo et de varietate rerum, quae vel de concretis agit, et historiam naturalem complectitur, vel de abstractis, vbi de schematismis materiae et de motibus agi debet. Metaphysicam partitur in doctrinam de formis et de caussis finalibus. Operatiuam doctrinam de natura distinguit in mechanicam et magiam, expurgata significatione sumto hoc vocabulo, illique duas tribuit appendices, inuentarium opum humanarum, et catalogum polychrestorum. Mathematicam quoque et puram et impuram ad appendicem magis philosophiae naturalis, quam ad scientias substantiuas, referendam esse asserit. Porro doctrinam de homine, in philosophiam humanitatis et ciuilem distribuit, et illius capita constituit, de corpore, et de anima hominis, quoad statum siue personam, et foedus animae ac corporis. Personam hominis autem secundum eius miseriam et praerogatiuas considerat; foedus secundum indicationes et impressiones, quo etiam physiognomiam et interpretationem somniorum naturalium refert. Dein corpus hominis considerando, medicinam in cosmeticam, athleticam et voluptuariam diuidit, et medicinae tria assignat officia, conseruationem sanitatis, curationem morborum, et prolongationem vitae. Philosophiae humanae circa animas, partes esse vult doctrinam de spiraculo, de anima sensibili siue producta; tum de substantia et facultatibus animae, earumque vsu et obiectis. Ad quas appendicem constituit, doctrinam de diuinatione naturali et de fascinatione, et facultates animae tres facit, sensibilem, in motum et sensum. Vsum porro ex obiecto facultatum animae humanae expendens, logicam inde et ethicam oriri docet. Et partes quidem logicae facit quatuor, inueniendi, iudicandi, retinendi et tradendi. Inuentiuam autem artium et argumentorum esse monet, et ex illa experientiam literatam et organum nouum extruit;

ex

ex hac promtuariam et topicam facit, generalem atque ſpecialem. Iudicandi artem vel inductione vel ſyllogiſmo abſolui, et hunc reductionem rectam et inuerſam comprehendere, obſeruat; tum analyticam et de elenchis huc pertinere, ait, elenchos autem eſſe, vel ſophismatum, vel hermeniae, vel idolorum, oſtendit, idola partitur in imagines tribus, ſpecus et fori. Arti retinendi doctrinam de memoria ipſa, eius praenotionem et emblema vindicat. Traditiuae diſciplinae doctrinam omnem de ſermone eiusque methodo, illuſtratione, organo, locutione, ſcriptione, totamque grammaticam, literariam atque philoſophantem etc. propriam eſſe vult, ſingularem quoque tradendi prudentiam extruit, et huc varia methodorum genera reuocat: tum rhetoricam, et quae illi adhaerent, illuſtrationem ſermonis abſoluere tradit, qua occaſione de critica quoque et paedagogica agit. Tandem Ethicam in doctrinam de exemplari, ſiue bono ſimplici et comparato, et georgica animi partitur, et diuiſiones boni varias affert, culturam animi autem doctrina de characteribus animorum, de affectibus et curationibus ſiue remediis abſoluit. Ciuilem doctrinam de conuerſatione, de negotiis et de republica praecipere iubet. Et negotia vel vitae ambitum, vel occaſiones ſparſas comprehendere monet. Doctrinam autem de imperio omittit, et deſiderata tantum addit, de proferendis finibus imperii, et de iuſtitia vniuerſali ſiue de fontibus iuris. Epilogum vero de legitimo vſu rationis humanae in diuinis, de gradibus vnitatis in ciuitate Dei, et de emanationibus ſcripturarum, occupatum eſſe iubet. Conſtare ex breui hac διατυπώσει operis praeſtantiſſimi, poteſt, quanta ingenii vaſtitate et iudicii acumine omnem ſcientiarum circulum Verulamius complexus ſit; et imprimis, quod ad rem noſtram pertinet, quanta et quotuplicia noua ad philoſophiam pertinere viderit, monuerit, viamque monſtrauerit. Quae ſi cum antecedentibus temporibus, et ſeculo ipſius aetatem ſequente comparantur, admirationem lectorem ſubire neceſſe eſt, quod vnus vir tot et tanta viderit et obſeruauerit, quae tot ſecula ignorarunt, et noſtrorum temporum felicitas eius veſtigiis inſiſtens, eoque facem praeferente ſingulatim demum explorauit expoſuitque. Tacemus deſideria per omnes ferme ſcientias ſparſa, quibus maximo iudicio defectus in diſciplinis etiam philoſophicis detexit, occaſionemque exhibuit caſtius philoſophaturis ea explendi, quibus antecedens aetas caruerat.

§. VII. Ita praeparata via reſeratisque diſciplinarum adytis, de nouo quoque, qui fideliter ad veritatem viam monſtraret, duce ſollicitus fuit Verulamius. Qui licet eo tempore magnis muneris publici curis detineretur, philoſophiae incrementa et emendationem tamen promouere non neglexit. Enatum inde ſpatio annorum, quod nonnulli volunt duodeuiginti Nouum Organum, tanti laboris, induſtriae et acuminis inſoliti opus, vt primarium inter ſua ſcripta locum obtinere ipſe auctor iudicauerit [t]. *Nouum organum.*

Cum

t) RAVLAEVS, l. c. p. 16.

Cum enim probe intelligeret [w], logicam, quae velut inſtrumentum veritatis inquirendae in ſcholis tunc tradebatur, aptiorem eſſe diſputationi„bus ſcholaſticis fouendis, quam rerum naturae detegendae, probe autem „noſſet, intellectum humanum ſibi ipſi hoc pacto negotium faceſſere, „neque auxiliis veris, quae in hominis poteſtate ſunt, vti ſobrie et com„mode, indeque multiplicem rerum ignorationem, et ex ignoratione „rerum detrimenta innumera: omni ope connitendum exiſtimauit, ſi „quo modo commercium iſtud mentis et rerum reſtitui poſſet in in„tegrum, aut ſaltem in melius deduci. Quoniam autem id fieri „poſſe ex auxiliis atque adminiculis Dialecticae nulla prorſus ſpes ſuberat, „propterea quod notiones rerum primae, quas mens hauſtu facili et ſu„pino recondit atque accumulat, vnde reliqua omnia fluunt, vitioſae ſint „et confuſae et temere a rebus abſtractae; neque minor ſit in ſecundis et „reliquis libido et inconſtantia; ex quo fit, vt vniuerſa iſta ratio humana, „qua vtimur, quoad inquiſitionem naturae, non bene congeſta et aedifi„cata ſit, ſed tanquam moles aliqua magnifica ſine fundamento: ideo de „melioribus praeſidiis diſpiciendum eſſe ratus eſt, quibus ſcientiarum et „artium atque omnis humanae doctrinae in vniuerſum inſtauratio a debi„tis excitata fundamentis, praeſtaretur.“ Cum autem in priore, quem *de Augmento ſcientiarum* ſcripſit, tractatu obſeruauiſſet, ratiocinationem omnem fieri aut ſyllogiſmo, aut inductione, illo ſcholis relicto, hanc potiſſimum regulis atque praeceptis muniendam ſibi ſumſit. Probe enim videbat iſto ſyllogiſmorum nectendorum artificio veritatem iuuari eiusque cognitionem promoueri parum poſſe. Qua de re, quae momentum habet, dignus eſt, qui ipſe audiatur. Ita vero diſſerit [x]: „Nos demonſtra„tionem per ſyllogiſmum reiicimus, eo quod confuſius agat, et naturam „emittat e manibus. Tametſi enim nemini dubium eſſe poſſit, quin, „quae in medio termino conueniunt, ea et inter ſe conueniant, quod eſt „mathematicae cuiusdam certitudinis: nihilominus hoc ſubeſt fraudis, „quod ſyllogiſmus ex propoſitionibus conſtet, propoſitiones ex ver„bis, verba autem notionum teſſerae et ſigna ſint. Itaque ſi notio„nes ipſae mentis, quae verborum quaſi anima ſunt, et totius huiusmo„di ſtructurae ac fabricae baſis, male ac temere a rebus abſtractae et va„gae, nec ſatis definitae et circumſcriptae, denique multis modis vitio„ſae fuerint, omnia ruunt. Reiicimus igitur ſyllogiſmum, neque id „ſolum quoad principia, ſed etiam quoad propoſitiones medias, quas edu„cit ſane atque parturit vtcunque ſyllogiſmus, ſed operum ſteriles, et „a practica remotas, et plane quoad partem actiuam ſcientiarum in„competentes. Quamuis igitur relinquamus ſyllogiſmo et huiusmodi „demonſtrationibus famoſis ac iactatis iurisdictionem in artes populares „et opinabiles, tamen ad naturam rerum, inductione per omnia, et tam „ad minores propoſitiones, quam ad maiores, vtimur. Inductionem „enim

w) Ita ipſe in Praefatione. x) p. 4. ſeq.

„enim cenſemus eam eſſe demonſtrandi formam: quae ſenſus tuetur, „et naturam premit, et operibus imminet, ac fere immiſcetur.“ Nempe ſenſuum potius, quam abſtractionum miniſterio auxilia conquirenda eſſe ſtatuit, et ad experimenta deſcendendum eſſe iudicat, quibus ſenſuum imperfectio tolli queat. Maxime autem impedimenta illa, quae ex idolis oriuntur (hoc autem nomine praeiudicia, quae recentiores vocant, intelligit) remouenda eſſe, commendat, quae vel ex philoſophorum placitis et ſectis, et ex peruerſis demonſtrationum legibus, vel ex innato intellectus vitio oriuntur. Quare redargutionem, vt ipſe vocat, ſiue emendationem philoſophiae explicandam eſſe, et tum demum oſtendendum, qua ratione intellectus atque res, ſiue mens et vniuerſum inter ſe concordent, docet, et tum vias quoque ineundas eſſe ſtatuit, quibus ad metam peruenīri poſſit. Quem in finem phaenomena vniuerſi, hoc eſt, omnigenam experientiam atque hiſtoriam naturalem adiungit, vt interpretis loco ſit, in explicanda rerum natura. Ex quibus intelligitur, Verulamium, hanc logicam ſiue organum ſuum proprie philoſophiae naturali dedicauiſſe, et ideo experientiam et hiſtoriam fundamenti loco ſtrauiſſe, ne, quod a Peripateticis factum eſt, vanis et incertis notionibus generalibus, abſtractis, vagis, nihilque ſignificantibus, quae naturam rerum nunquam recludunt, humanus intellectus decipiatur, ſed in ipſum naturae conclaue a certo fidoque duce introducatur. Quo pacto autem illuſtris auctor hunc finem obtinendum eſſe putauerit, et quibus regulis intellectum inſtruxerit, vt metam hanc conſequatur, prolixa enarratione depingere hoc loco breuitati conſulentibus non licet: et legenda ipſa nobiliſſima tractatio ab illis eſt, qui in rerum naturalium inquiſitione feliciter progredi cupiunt. Quae ſi paulo plus luminis et perſpicuitatis haberet, et nouorum terminorum et partitionum artificio lectorem non remoraretur, longe plura, quam factum eſt, contuliſſet ad philoſophiae emendationem. His enim obſtantibus a plerisque hoc organum nouum neglectum eſt [y]. In quo ſi hae labeculae negligantur, obſeruationes praeſtantiſſimae continentur, quibus rerum naturalium et ſcientiarum fere omnium termini egregie poſſunt amplificari. Nullibi enim ſectae inhaeret, vel nouam ſectam condere cupit, pulchre de ea re pronuntians [z]: *Primo poſtulandum videtur, ne exiſtiment homines, nos more antiquorum Graecorum aut quorundam nouorum hominum, Teleſii, Patricii, Seuerini, ſectam aliquam in philoſophia condere velle. Neque enim hoc agimus, neque etiam multum intereſſe putamus, ad hominum fortunas, quales quis opiniones abſtractas de natura et rerum principiis habeat: neque dubium eſt, quin multa huiusmodi, et vetera reuocari, et noua introduci poſſint; quemadmodum et complura themata coeli ſupponi poſſunt, quae cum phaenomenis ſat bene conueniunt, inter*

y) Vid. WALCH. Hiſt. logic. in Parerg. Acad. p. 639. STOLLIVS Hiſt. liter. P. II. c. 2. §. 22. p. 441.
z) c. 116. p. 123.

se tamen dissentiunt. At nos de huiusmodi rebus opinabilibus, et simul inutilibus non laboramus. Quae a magno sapientiae naturalis antistite prudenter pronuntiata, vtinam nostro tempore omnium versarentur ob oculos, quo hypothesium plena sunt omnia, et in tanta eclecticae philosophiae luce, sectaria passim nomina audiuntur. Sed vt ad Baconi Organum reuertamur, illud imprimis, quantiuis id pretii opus esse demonstrat, quod praeiudiciorum absurditatem, et damna, quae ex iis intellectui in veritate inquirenda subnascuntur, maxima luculenter ostenderit. Obesse enim veritati monet [a], quod homines id sibi modo proponant, vt ex ea, quae praesto est, massa, nihil amplius sumant, aut quaerant, quam quantum ad vsum professorium, aut lucrum, aut existimationem, aut huiusmodi compendia conuertere possint: quod omnia hactenus vel traditionum caligini, vel argumentorum vertigini et turbini, vel casus et experientiae vagae et inconditae vndis et ambagibus, permissa fuerint. Quod antiquitatis opinio inepta iudicium detineat, cum nostra potissimum tempora respectu mundi, grandaeuitatem et antiquitatem, atque ideo senilem quoque prudentiam et maturius iudicium inuoluant. Quod pusillanimitas sit, auctoribus infinita tribuere, auctori autem auctorum, tempori, ius suum denegare, cum veritas non auctoritatis, sed temporis filia sit. Quod ipsorum operum, quorum copia iam pridem facta est humano generi, admiratio, ad acquiescendum in iis homines compulerit, incremento accedente admiratione simplici et prope puerili ab eorum astu et artificio, qui scientias tractauerunt et tradiderunt. Quod homines vaniloqui et phantastici, qui partim ex credulitate, partim ex impostura, genus humanum promissis onerarunt, omnem conatuum magnanimitatem destruxerint. Quod a pusillanimitate et pensorum, quae humana industria sibi proposuit paruitate et tenuitate, detrimenta in scientias inuecta sint, artis infirmitate in naturae calumniam conuersa. Quod superstitio et zelus religionis coecus et immoderatus, aduersarius, molestus et difficilis philosophiae euaserit, vel falsa et sectaria philosophia corpori religionis immixta, vel aditu alicui philosophiae, quamuis emendatae, pene intercluso. Quod in moribus et institutis scholarum, academiarum, collegiorum, et similium conuentuum, qui doctorum hominum sedibus et culturae eruditionis destinantur, omnia progressui scientiarum aduersa inueniantur; inuidia, auctoritate, nouorum odio, dominantibus, et bonorum conatibus praemiis carentibus. Quodque tandem desperatio hominum et impossibilitatis suppositio maximum progressibus scientiarum et nouis pensis ac prouinciis in iis suscipiendis obstaculum posuerit. Quae omnia, vt ingentes intellectus humani morbos viuidis depingunt coloribus, causasque per tot secula impeditorum profectuum atque incrementorum disciplinarum certissimas exponunt, ita, quantam ad artium et philosophiae emendationem Verulamius attulerit, manifestum faciunt. Recte itaque

a) c. 81. seqq. p. 82. seqq.

itaque et ex merito laudarunt viri docti [b] hoc nouum Organum, quo oculos philosophantibus Baconus aperuit, ut deuiis tandem aliquando relictis in via regia philosophari inciperent.

Reliqui labores philosophici Verulamii.

§. VIII. His praeclaris laboribus periclitanti philosophiae succurrere, et aegrotanti intellectui humano medicinam afferre tentauit Verulamius regni adhuc negotiis districtus. Vbi autem ex aulae tempestate ad philosophiam solam, velut in tranquillum portum, se contulisset, totus id sibi muneris datum esse putauit, vt eiectis scholarum nugis meliorem philosophiam restitueret. Quam licet vniuersam emendare cuperet, ad naturalem tamen partem animi quadam propensione inclinauit. Inde enata scripta maximi viri praestantissima, cedroque digna, quae ingenii vastitatem et iudicii acerrimi profunditatem in eo probant. Quibus licet opus, quod moliebatur, ad perfectionem non perduxerit, fatendum tamen est, hylen rerum atque obseruationum praestantissimarum posteritati virum summum exhibuisse, ex qua cautius atque prudentius philosophantes vberrimum sapientiae sincerioris argumentum hauserint, verumque esse, quod grato ore professus est SAM. PVFENDORFIVS [c], eam, quae est pulchrius nostro tempore efflorescentis philosophiae gratiam, isti viro non minima ex parte deberi. Testamur scripta excellentissimi auctoris non lucernam modo olentia, sed et iudicium testantia et ingenii felicitatem singularem: *Historiam naturalem ventorum, densi et rari, sympathiae, vitae et mortis, de forma calidi, de motu, cogitata et visa physica, descriptionem globi intellectualis, thema coeli, de fluxu et refluxu maris; Parmenidis, Telesii et Democriti philosophiam, indicia de interpretatione naturae, siue impetus philosophicos, de sapientia veterum, syluam syluarum siue historiam uaturalem, nouam Atlantidem.* Et haec quidem omnia ad naturalem disciplinam pertinent. Neque tamen, vt animo vasto cuncta erat complexus a morali philosophia emendanda perficiendaque abstinuit; scripsit enim *Sermones fideles ethicos, politicos, oeconomicos*, vt alia minora taceamus. Et in illis quidem systematico, a qua scholarum methodo valde abhorrebat, ordine non progreditur, obseruationes autem partim ex humanae mentis natura deductas, partim ex aliis scriptoribus, maxime Michaële Montano et Machiauello, collectas suisque meditationibus apte innexas porrigit, et hoc quoque pacto eclectice philosophatur. Ipse autem in *dedicatione* ad ducem Buckinghamiae, *ex fructibus optimis, quos calami sui laboribus exhibere potuerit, hos sermones esse, et acceptissimos quoque fuisse, scribit, quia videantur praeteris hominum negotia stringere, et in sinus fluere.* Id quod verum esse, ipsa attenta harum meditationum ex philosophia practica haustarum consideratio docet. Quae profundae quidem sunt, et intellectu difficiles, adeoque lectorem poscunt in philosophiae mysteriis non inexercitatum,

b) Vid. BAYLE l. c. et quos laudat.

c) Specim. controuers. 6. I. §. 5. Erid. Scand. p. 205.

attentum et meditationis moleſtiam non ſubterfugientem: aſt fracto putamine dulciſſimos nucleos ſe offerre, fatebuntur, qui eius rei experientiam habuerint. Accurate enim virtutum vitiorumque characteres, confinia malorum, laruas ſimulationis, rationem temperamentorum oſtendit, dignus qui iterum iterumque legatur. Quae cauſſa fuit, vt commendatiſſima diu fuerit elegantis libelli lectio, praeſertim, cum narrationibus, exemplis, apophthegmatibus, ſententiis, comparationibus iucundus ſit; dignus itaque ille viſus fuit, qui et Gallico et Germanico veſtitu aliquoties compareret [d]. Adeo autem in morali argumento Verulamius placuit RAPINO [e], vt in eo plus valuiſſe, quam in reliquis, cenſeret. Nos vero vbique Baconum magnum deprehendi, maiorem futurum, ſi luculentior eſſet, ſine contrarii metu pronuntiamus, et ad ſcipta quoque hiſtorica, inter quae hiſtoria Henrici VII, Angliae regis eminet, prouocamus, in quibus quanta prudentia et accuratione rerum geſtarum ſeriem ad vitam et actionem retulerit, ſatis demonſtrauit. Laudandi itaque ſunt, qui viri ſummi, et poſteritati nunquam obliuiſcendi, ſcripta collegerunt, vnoque faſce, comprehenſa ediderunt, quod apud Batauos [f], Germanos [g] et ipſos tandem Britannos [h] factum, quibus ampliſſimam ſcriptorum Verulamianorum ſyllogen debemus.

Deſiderata in Bacono.

§. IX. Intelligi ex hactenus dictis poteſt, qualis quantusque vir fuerit Baconus, quidque ad perficiendam emendandamque philoſophiam contulerit. Dolendumque et ipſam viri maximi ingenii profunditatem, moremque meditandi, et quandam terminologiae nouae et inſolitae atque partiendi affectationem, et argumenti difficultatem, aliquam praeterea ſermonis Latini repugnantiam, quae auctori obſtitit, vt commode et perſpicue mentem ſuam exprimeret, et cui medicam aliorum virorum doctorum manum interdum admouiſſe ſupra diximus, obſcuram et moleſtam facere lectionem libellorum cetera aureorum. Quibus ſi lector obtingat accuratus, attentus, et philoſophicorum myſteriorum non ignarus, meditationi autem adſuetus, et relegendi laboris patiens, innumeros veritatis theſauros exhibent, et horreum aliquod rerum praeſtantiſſimarum atque obſeruationum pulcherrimarum ſubminiſtrant. In quibus tamen caueas, nouum ſyſtema philoſophiae quaeras: illud enim docendi genus auerſatum fuiſſe Baconum ſupra monuimus. Id autem conſtitutum ſibi habuit vir ſummus, vt duplici ratione laboranti philoſophiae ſuccurreret. Nam et defectus, naeuos et errores, quos in omni ſcientiarum genere detexerat, vniuerſales oculis lectorum exponere, et viam oſtendere ſategit, qua iugi meditatione illi tolli, et augeri emendarique diſciplinae artesque poſſint. Cui fini tot regulas, cautiones, media adaptauit, vt merito

d) Et Gallicam Balduini et Germanicam enarrat STOLLIVS l. c. P. III. c. I. §. 58. p. 621. conf. Biblioth. Thomaſiana Vol. II. p. 704.
e) Reflex. ſur la morale, §. 9.
f) Amſtelod. 1662. VI. Vol. in 12. quibus VII. volumen poſtea acceſſit. Ea editione nos vtimur.
g) Francofurti 1665. Lipſ. 1694. fol.
h) London. 1740. IV. Vol. lingua Anglica.

rito immortalis eius inter philosophos hodie quoque sit memoria. Et ad perennaturam eius gloriam omnino pertinere censendum est, quod eius consiliis occasio suppeditata sit Britannorum genti ab eo tempore tanta cum laude naturalem philosophiam artesque mathematicas perficienti, excitandi societatem scientiarum, tamdiu cum gloria superaturam, quamdiu honos erit literis [i]. Non silebimus tamen, fuisse quaedam, quae in tanto laudum cumulo nonnullis in Bacono displicuerint. Nam et pulcherrimis corporibus sui naeui sunt, et nihil est in mortalitate ab omni parte beatum, vt taceamus, non omnibus placere potuisse Verulamium, qui nemini, nisi veritati placere studuerat; et ita in inuestiganda veritate incessisse, vt ab omni sectae studio longissime discederet. Id quod illis non potuit non displicere, qui saluam sectae suae auctoritatem cupiebant, licet ingenii magnitudo, quam vbique prodit Verulamius, eum laudare illos coëgerit. Inter quos imprimis notandi CONRINGIVS et RAPINVS. Et ille [k] quidem ita de Bacono pronunciat: *Baconis scripta non eandem merentur laudem. Homo ingenio fuit vasto, sed nec a veterum doctrina instructus, nec quidquam moderati agitans, dum principatum affectat per nouitates in omni philosophia. In physicis eius libellis nihil placet, praeter empiricam industriam, quam laudo; perinde ac rideo eius ἀπαιδευσίαν, vt Aristotelice loquar. Inter politica perplacet historia Henrici VII. Reliqua vt non asperneris, tamen non est, quod laudes.* Et alio loco ita de eius libris sententiam pronunciat: *De Verulamii libro, quem de augmentis scientiarum inscripsit, nec dum aliter sentio, quam ante hac. Veterum et verae προπαιδευτικῆς doctrinae plane imperitus fuit; imo supinus et superbus veterum omnium contemtor. Laudaueris illum librum ob studium promouendi boni eruditionis publici, ob commendatam experientiam rerum, quae vulgo negligi solet, ob pauca quaedam, non vane monita alia. Cetera solet ludere vocabulis, noua scilicet fingere, aut vetera flectere in nouum sensum, et sub illo schemate meras ineptias producere, tanquam nouiter a se obseruata, et inuenta doctrinae oracula: ingenio tamen valuit, nec a iudicio fuit destitutus. Sermones fideles ipsius plurimum habent bonae frugis; nec displicet sapientia veterum saltem ob verisimiles coniecturas diuitis ingenii, nec enim sub fabularum inuolucro, multum adeo sapientiae latitare mihi persuadet. Scio sane, iam olim Stoicos theologiam gentilium ausos ita interpretari, sed irrito et nostris quoque aurei aeui Christianis irriso conatu. Inter omnia autem Verulamii perplacet Henrici VII. Angliae regis historia, quamuis et ibi obseruaueris hominis καινοφιλίαν et vocabulariam ostentationem atque insolentiam.* Non expendemus veritatem eorum, quae a Conringio Bacono obiiciuntur, hoc enim alium locum, aliud-

i) THOMAS SPRAAT. Hist. de la societé royale L. I. s. 16. p. m. 43.

k) Conringiana p. 19. 76. 77.

aliudque inſtitutum poſtulat; ſed id modo obſeruamus, Conringium licet virum inſigniter doctum, in naturali philoſophia impenſe fuiſſe delectatum Ariſtotele, quem ſupplendum potius et experientia recentiorum augendum, quam exagitandum atque deſerendum putabat: literaturae autem veteris fuiſſe peritiſſimum, et ſine ea ad verum eruditionis cultum neminem perueniri poſſe, credidiſſe, adeoque nec Ariſtotelicae, nec veteris doctrinae contemtum atque neglectum potuiſſe pati. In omnia alia autem abibat Verulamius, non tam πολυϊστορίας laude, quam philoſophiae cognitione, inclareſcens. Is enim reiecta omni auctoritate non homines, ſed naturam ſequi conſtituerat, vt eius indolem et arcana rimaretur; credebatque antiquitatis opinionem non pueraſcenti mundo, ſed feneſcenti aetati noſtrae deberi. Itaque veterum doctrinas impedimentum in natura ſeceſſibus perquirendis nectere ſtatuebat, et ſpeculationes inutiles oſtentationi magis profuturas, quam vtilitati: qua ratione inductus profeſſorias conſuetudines hominum academicorum, quibus vnius auctoris ſententiae, velut carceri, includuntur, ridebat contemnebatque. Id quod non potuit non altum Conringio vulnus infligere, qui hanc academicam eruditionem maximo loco ponebat. Fatendum tamen, non prorſus abire a vero Conringii cenſuram, Verulamio affectationem vocabulorum nouorum, et terminorum ſine neceſſitate innouatorum obiicientem. Nouam enim hanc philoſophandi linguam obeſſe magis quam prodeſſe philoſophantibus, experientia multis exemplis docuit. Nec dubitandum, quin haec potiſſimum cauſſa alleganda ſit, cur ſcripta Verulamii, vtut egregia et optimae frugis plena, magis laudentur, quam legantur. Deterret enim iſta vocabularia obſcuritas, moleſtiam in legendo afferens, lectoris animum, qui ſpectra ſibi et lemures adduci ſuſpicatur. Aliud diſplicuit RAPINO [l], qui ingenium Bacono vagum tribuit, quod de rebus nunquam enucleate differit; et nimiam eius doctrinam illum accuratum non eſſe ſinere putat: vnde pleraque eius dogmata, vlterioris meditationis potius anſam praebere, quam axiomata, quae ſequi poſſimus autumat. Non negat, opiniones eius aliquid acuti et ſplendentis habere, at, ſi verum dicendum, ignis potius ſcintillas, quam conſtantem et natiuam lucem referre iudicat. Credulitatem quoque circa relationes obſeruationum naturalium ei obiicit, in moralibus tamen plus ingenii, quam in ceteris emicare contendit. Poteſt ex parte concedi Rapino, quod in Verulamio reprehendit; nam plenas ſcientiae naturalis inſtitutiones eum tradere minime voluiſſe, contentum, ſi in viam philoſophantes deduxiſſet, ſupra obſeruauimus. Aſt quam lucem in Verulamio deſiderat, timendum, ne Rapinus ignem fatuum intellexerit, ſine flamma, ſine virtute, externo ſplendore micantem. Narrationibus autem interdum deceptum fuiſſe, quod et THOMAS SPRAAT [m] obſeruat, ignoſcendum viro per maximam vitae partem negotiis publicis occupato, et bona fide aliorum teſtimo-

l) Reflexions ſur la philoſophie §. 18. m) loc. cit.

teſtimoniis nitenti. Specioſe magis illud a *συμπαθειάταις* SAM. PARCKERO [n] et RAD. CVDWORTHO [o] reprehenditur, quod finalium cauſſarum inquiſitionem longe a phyſicae ſuae prouinciis amouiſſet, eo quod illa remorarum inſtar ſcientiarum quaſi velificationem retardauerit, quod cum hominis ſpecioſis iſtis et vmbratilibus cauſſis adhaereſcant, non vlterius in phyſicae ſcientiae curſu velificare curarint. Quo pacto eneruari contemplationem atque demonſtrationem ſapientiae diuinae exiſtimat. Quo nomine imprimis Cudworthum magno viro minus fauere, eumque inter occultos impietatis erga Deum patronos numeraſſe videri obſeruatum eſt eruditiſſimo MOSHEMIO [p]: certe nullam occaſionem negligit ſententias et verba eius tacite perſtringendi, forte odio Hobbeſii ductus, quem apud Verulamium plurimum valuiſſe conſtat. Verum iniuriam fieri Verulamio ea in re, eleganter pieque de Deo ſtatuenti, ex eius ſcriptis eſt euidentiſſimum: qui ideo cauſſas finales ex phyſica proſcripſit, et ad theologiam remiſit, ne ab inquiſitione cauſſae formalis et materialis retinerentur philoſophi, ſed naturam ipſam conſulerent: quo nomine Democritum Platoni praetulit, indignante Cudwortho, cui ideo Plato tantopere deamatus eſt, quod diſciplinam naturalem omnem diuinitatis conſideratione repleuiſſet. Non diſputabimus hoc loco, vtrum recte hoc fiat, nec ne, facile id intelligent, qui didicerint ex recentiorum philoſophorum obſeruationibus, etiam finales cauſſas facere ad rerum naturam cognoſcendam: aſt excuſandum tamen eſſe Baconum iudicamus, qui, cum malo ſcopo minime duceretur, ab exoterica philoſophia, ad pernoſcendos interiores naturae receſſus philoſophantes ducere voluit, et ablegatis inanium campum principiis metaphyſicis ſenſum et experientiam veros duces ſequendos eſſe ſtatuit, non eo, quo Hobbeſium ductum fuiſſe animo conqueruntur, vt pietatis ſenſum ſubrueret. Alia quae manibus viri illuſtriſſimi obiiciuntur, qualis eſt, hiſtoriae literariae conſilium impoſſibile, hoc loco, ad quem non pertinet, praeterimus.

§. X. Meruit his praeclarae doctrinae ſpeciminibus Verulamius laudes, quae homini erudito tribui poſſunt, maximas, conſentiente in eo tota ciuitate erudita, eſſe Baconum inter maxima ingenia et vtiliſſima recentioris aetatis praeſidia numerandum, eumque fuiſſe, qui praecipue noſtro ſeculo velut claſſicum cecinerit, et ſignum ſuſtulerit, vt in rebus philoſophicis aliquid vlterius et exquiſitius tentaretur. Qua de re iudicia virorum doctorum collecta a THOMA POPE-BLOVNTIO [q] conſuli poſſunt, quibus haud minor farrago addi poſſet, ſi id ageremus. Videndi autem ſunt THOMAS SPRAAT [r] et P. BAYLE [s] aliique. Nec minoribus animi, quam ingenii virtutibus excelluit, ſi verum eſt, quod *Laudes Baconi.*

n) Diſp. III. de Deo §. 16. p. 283.
o) Syſt. intell. p. 820. ſeq. 829.
p) Ad loc. cit.
q) loc. cit.
r) loc. cit.
s) loc. cit.

quod de eo narrat, qui a sacris domesticis fuit Bacono GVIL. RAVLAEVS. Is enim praeter ingenium vere philosophicum, pietatem eius cultumque diuinum extulit laudibus, maxime quod hoc philosophiae suae principium posuerit: philosophiam primoribus tantum labiis degustatam a Deo abducere, vtpote quae causas secundas vltra debitum magni faceret, philosophiam autem plene haustam ad Deum denuo ducere. Cum regium procuratorem ageret, capite damnatis iudicem se semper iustum, aequum, quin misericordem quoque praebuit. Quanquam autem regi erat deuotissimus, adeo, vt suae calamitatis inde faber existeret, vt supra narratum, a consiliorum tamen vehementia et violentia abhorruit, prudentiamque atque moderationem in consulendo adhibuit. In amicorum conuersatione ita se iucundum vtilemque ac modestum praebuit, vt ipsa mensa Platonicum conuiuium exhiberet, et non venter magis atque palatum, quam aures et animus, reficerentur. Ipsos vero inimicos venia magis, amore et misericordia, quam vindicta persequutus est. Qualis cum esset, mirum non est, tum in magna fortuna singularem modestiam, tum rebus secundis euersis magnam illum constantiam atque patientiam conseruauisse. Vixit autem sobrius, et licet diaeta minime parca, sed liberali potius, vteretur, ab omni tamen voluptatis consectatione abhorruit, maxime ad stomachum attentus. Seruandae sanitatis caussa autem mane grana circiter tria nitri quotidie in iusculo tenui et tepido sumsit, et quoties humores excrementitios corpus grauare sentiret, infuso rhabarbari aliquoties repetito illud leuauit: ab aliis medicaminibus abstinuit, nisi quod podagrae dolores interdum medicamento, quod ipse inuenerat, feliciter extinxerit [1]. Singulare autem est, et memoria dignum, quoties luna defeciisset, ipso quoque id ignorante, animi eum deliquium passum fuisse, redeuntibus illico viribus, quamprimum splendorem luna recuperauisset. Alium Baconum aeui medii Anglorum ornamentum haud leue, suo nobis loco memoratum, caue confundas cum Angliae cancellario.

1) Extat ad calcem Hist. nat. Vol. IV.

CAPVT

* *

CAPVT QVINTVM.

DE THOMA CAMPANELLA.

§. I.

Fontes historiae Campanellae.

Iisdem, quibus Verulamius in Britannia renouare philosophiam aggressus est, temporibus in Italia comparuit THOMAS CAMPANELLA [a] miri ingenii homo et ad nouandas res valde pronus, qui et ipse sinceriorem philosophiae vultum exprimere, et meliorem eius sensum restituere magna industria conatus est. Cuius historia tum ob nouum, quod formare coepit, philosophiae genus, tum ob mira, quae eius auctor habuit fata, aduersa pleraque et dura, valde memorabilis est. Eam ipse in syntagmate *de Libris propriis et recta ratione studendi* [b] haud parum illustrauit, multi autem viri diuersissimis hominum iudiciis famosi historiam obiter tetigerunt, hoc loco non enumerandi. Vir quoque celeberrimus, magnaque doctrinae gloria hodie clarissimus, ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS, *Vitam Campanellae* paulo pleniorem iustaque tractatione digestam dare constituit. Quam cum *Academico Programmate* prius delineauisset, tandem vitam Campanellae integram delineauit, apud Amstelodamenses editam [c]. Quae cum eleganter, vt solet vir doctissimus scripta esset, coëmta tandem in officinis librariis disparuit. Eam itaque desideratam a lectoribus cum recudere statuissent bibliopolae, insigne auctarium addidit [d] doctorum virorum de Campanellae vita, philosophia et libris schediasmata complectens. Comprehenditur in eo MORHOFII *Examen philosophiae Campanellae de sensu rerum*, ex eius dissertatione *de Paradoxis sensuum* repetitum; GABR. NAVDAEI *Epistola ad Campanellam; Vita Campanellae*, a IACOBO ECHARDO, monacho Dominicano in *Tomo secundo Scriptorum ordinis Praedicatorum* enarrata, cui amplam adiecit recensionem scriptorum Campanellae, iudiciorumque virorum doctorum de iis expositionem, et varia eruditorum testimonia de Campanella. Cumque in nonnullis acrius fugillasset Cyprianum Echardus, quod ferre non posset libere, notari reprehendique a Scriptore protestantium sacris addicto hominem Dominicanae olim familiae adscriptum, et in communione ecclesiae Romanae fatis functum, ad ea more suo docte modesteque in *Praefatione* respondit. Alios, qui historiam literariam enarrarunt, quales sunt

a) Campanellae nomen tintinnabulum innuit. Hinc imagini eius apud CRASSVM Tom. II. p. 246. hoc Epigramma additum:

Exprimit elatae sat nomen mentis abyssum
Exprimit agnomen famae et vbique sonum.

Et huc sine dubio respexit ipse Campanella frontispicio Tomi I. Operum Parisiis editorum, quod Noalliis, episcopo et duci fratribus inscripsit, campanam praefigens cum insignibus illius gentis, et epigraphe: *a la schola del primo senno.*

b) Prodiit Paris. 1642. 8. curante G. NAVDAEO et in Collectione scriptorum de methodo studiorum Elzeuiriana pag. 368. itemque in Creniana.

c) 1705. 8.

d) 1722. 8.

TOPPIVS [e], NICODEMVS [f], ERYTHRAEVS [g], CRASSVS [h], NICERONIVS [i], aliosque per se notos, facileque, vbi libet, consulendos, ex parte quoque infra allegandos, hoc loco praeterimus. In his tamen omnibus iudicio et attentione ad fidei historicae leges opus est, vt selectis vel veris vel verisimilibus recta inde emergat viri laudati ab his, culpati ab illis, historia.

Campanellae natiuitas, educatio, adolescentia.

§. II. Edidit Campanellam Calabria, olim magna Graecia dicta, et sodalitii Pythagoreorum olim et recentiori aetate Telesii tentaminibus, in philosophiae historia satis celebrata, in ea enim Stylum patriam habuit, virorum doctorum haud infoecundam. In eo oppido honestae famae atque conditionis parentibus natus est anno cIↃIↃLXVIII, III. Non. Sept. Puer quinquennis adhuc, quod ipse narrat [k], literulis ac pietati adeo studiosam operam dedit, vt quicquid vel sui vel paedagogi de diuinis ecclesiasticisque rebus dicerent, animo conderet. Anno autem decimo tertio, grammaticae, poëticaeque artis praecepta ita tenuit, vt, quicquid liberet, prosa ac metro posset eloqui, et carmina haud infelici vena plurima funderet. Talis cum esset adolescens praecocis ingenii a parentibus literarum studiis dicatus est. Qui cum Neapoli Iulium Campanellam, iurisprudentiae lectorem, agnatum haberet, ab eo vocatus, illuc concedere a parente iussus est. Aliam autem, et quidem sanctiorem eruditionis partem, et praeterea militiam sacram vt eligeret, effecere exempla summorum virorum Alberti M. atque Thomae, quos in familia S. Dominici ad ingens gloriae culmen fuisse enixos didicerat [l]. Itaque cum ex ea familia concionatorem eloquentiae laude florentem audiuisset, logicesque ab eodem principia praegustasset, illi ordini nomen dedit. Vnde falsum esse constat, quod ERYTHRAEVS [m] tradit, Campanellam, tredecim annorum adolescentem sacris, quas Dominicus praescripsit, legibus nomen dedisse. Postea ad coenobium S. Georgii, oppidi in Brutiis, quod Morgentia quoque dicitur, missus est, vt literarum cursum, quem ingressus erat, prosequeretur, logicam et philosophiae partes reliquas auditurus. Quo loco, cum extemporali fingendi facultate valeret, carminibus conditis, aliquod sibi nomen adolescens comparauit. Tum in Consentinum conuentum translatus, dici non potest, quanta animi alacritate, et ignea quadam vi animi in philosophiam totus incubuerit. Et fuit nonnemo [n], qui ex condiscipulo quodam Campanellae, viro graui et fide digno se accepisse, dixit; „inter commilitones Campanellam rudiori Minerua effictum „visum, adeoque in contemtu et risu habitum fuisse. Accidisse autem „dum per claustrum deambularet, vt in peregrinum quendam incideret, „quem

e) In Bibliotheca Neapolitana.
f) In Additionibus ad B. N.
g) Pinacoth. vir. illustr. P. I. p. 41.
h) loc. cit.
i) Memor. liter. Tom. I.
k) De Vita propria art. 1. p. 369. ed. Elzeuir.
l) Ibid.
m) loc. cit.
n) Carolus Caffa, professor linguarum exoticarum Ienensis, qui in Calabria monachus olim vixit, apud CYPRIAN. l. c. p. 4.

„quem in muſeolum adductum per octiduum ſeorſim ſecum habuerit, et „ab eo arcana diſciplinarum miro artificio in eo temporis ſpatio didicerit, „adeo, vt alius prorſus homo euaderet, ſtudiorum dexteritate ac ingenii „excellentia prorſus mutatus. Hunc autem peregrinum fuiſſe rabbi„num quendam, qui Cabbalae beneficio per pauca et breuiſſima principia „tantum Campanellae doctrinae lumen accenderit, vt is breui tempore eſ„ſet, quem alii ſtuperent.“ Cui narrationi vt fides detrahatur, vt alia, quae veriſimilitudinis leges migrant taceamus, vna ipſius Campanellae narratio ſufficit, qui ſe valde adoleſcentem ingenio effloruiſſe narrat. Vnde patet, virum illum doctum, ex cuius epiſtola hanc narratiunculam attulit praeſtantiſſimus CYPRIANVS, a Campanellae condiſcipulo deceptum fuiſſe, praeſertim cum talia de Campanella nugiuenduli Conſentini conuentus alumni traderent, quae vel admirationem vel inuidiam conflare apta videbantur. Propius ad veritatem accedit, et memorabile magis hoc loco eſt, quod de ſtudiis ſuis, et mature contemta philoſophia Peripati ipſe Campanella recitat [o]: *Cum eſſet anxius, quod veritas non ſincera, ſed potius falſitas pro veritate in Peripato verſari ſibi videretur, Ariſtotelis commentatores Graecos atque Latinos Arabesque ſe examinauiſſe omnes, et haeſitare magis coepiſſe, in dogmatis eorum, ideoque perſcrutari voluiſſe, an quae dixerint ipſi in mundo etiam Dei legantur, quem codicem eſſe Dei viuum ex doctrinis ſapientum intellexerit. Cumque doctores ſuis argumentis ſatisfacere haud poſſent, quae contra ipſorum lectiones promeret, ſtatuiſſe ipſum libros omnes percurrere, Platonis, Plinii, Galeni, Stoicorum et Democriticorum, praecipue vero Teleſianos, ac cum mundi codice primario conferre, vt ex originali et autographo, quid veri exemplaria haberent, et quid falſi, agnoſceret.* Dignus eſt hic locus Campanellae, vt attente conſideretur, diſci enim ex eo poteſt, quo potiſſimum modo ad philoſophiam nouam condendam mature delatus ſit. Nempe non tam Ariſtotelis contemtum, cuius ingenium mirifice alias extulit, quam philoſophiae Peripateticae, praecipue qualis ſcholaſtica methodo in monaſteriis tradi ſolebat, ieiunam atque ſterilem conditionem Campanellae nauſeam mouiſſe, et aliam melioremque philoſophiam appetendam commendauiſſe, ex hac narratione eſt manifeſtiſſimum. Nam acute vidit Campanella, naeuosque Lycei mature perſpexit, et quam egregie Peripatetica philoſophia deficeret, praeclare intellexit. Teſtem damus tractationem eius *de Gentiliſmo non retinendo* [p], in qua, affirmata prius quaeſtione: vtrum liceat nouam poſt gentiles condere philoſophiam, id quod auctoritate PP. Graecanicam philoſophiam velut inutilem reiicientium exemplisque Teleſii, Valeſii et Paracelſi confirmat, et ex ſacris oraculis philoſophiam haurire ſuadet, ad quaeſtionem, vtrum liceat Ariſtoteli contradicere? ita reſpondet, vt Ariſtotelicae phyſiologiae

o) loc. cit.

p) Integer titulus hic eſt: Ad doctorem gentium Thomae Campanellae Stylenſis O. Pr. de gentiliſmo non retinendo quaeſtio vnica. Pariſ. 1593.

capitales, propter quos reprobari debet, errores non sine acumine detegat atque enarret. Recte enim obseruat, docere Aristotelis philosophiam, mundum carere initio esseque aeternum, non dari prouidentiam, Deum rerum extra se existentium ideas non habere, esseque illum agens necessarium sine libertate, nec mouere physice sed moraliter et obiectiue; esse inter homines casum et fortunam; religionem inuentam esse ad ducendam plebem, et futurorum spem metumque a legislatoribus eum in finem esse inuentum, cum nec praemiis post mortem nec poenae locus sit; esse animas mortales, nec alios dari angelos, nisi intelligentias sphaerarum motrices, earumque essentiam in intelligendo constare: tandem non dari inspirationem diuinam. Quae omnia et PP. testimoniis roborat, et haeresium matrem Lycei philosophiam esse eamque Auerroismum et Machiauellismum genuisse contendit, et Iandunum, Niphum, Pomponatium, Portum aliosque, Aristotelis sequaces immortalitatem animae ex vera mentis suae sententia non fuisse professos arbitratur. His subiicit, licere a magistro, in cuius verba iuraueris, discisscere, praesertim cum imperium Aristoteles eo tempore obtinuerit, quo ad eam ignorantiam et barbariem defecerit clerus, vt vix legere posset. Quae satis ostendunt, Campanellam mature, et accurate quidem tum ipsius philosophiae Peripateticae consideratione, tum historiae face praeeunte intellexisse, quam inepta sit ea philosophandi ratio iis, qui veritatem sitiunt. Porro et id non sine attentione dimittendum est, abiecto semel sectariae philosophiae praeiudicio Campanellam per omnium sectarum libros decurrentem veritatem vbique quaesiuisse, et quae tradita a philosophis inuenit, ad naturam rerum, cui veritatem a conditore impressam esse cernebat, exegisse. Quod consilium vt vere eclecticum est, ita dubium non est, quin veram viam Campanella inuenisset, si naturam, quam ingenium suum consulere, maluisset.

Campanella ad Telesium transiens.

§. III. Sed vt e diuerticulo, quo nos ratio philosophandi a Campanella adolescente inita deduxit, reuertamur, cum libero tunc coelo, suisque se viribus permittere, et veriorem, quam inter Peripateticos inueniri posse videbat, philosophiam sectari constituisset, ex secessu quem Baldiae, Brutiorum in oppido sibi delegit, ad nouam philosophiam condendam duodeuiginti annorum iuuenis progressus est. Occasionem eius rei ita narrat ERYTHRAEVS [q], quem sequitur more suo LAVR. CRASSVS [r]: *Magister, vnde prima doctrinae rudimenta acceperat, a fratribus Franciscanis Conuentualibus ad publicas disputationes Consentiam inuitatus, cum subito implicitus morbo venire non potuisset, subrogauit in suum locum Thomam; qui ita praeclare, ita docte, traditas sibi partes exegit, vt esset omnibus miraculo, ac Telesii, cuius ille ne nomen quidem inaudierat, ingenium in eum immigrasse diceretur: quo ille audito, eius philosophi librum intra paucos dies deuorauit, eiusque philosophandi rationem penitus perspexit ac probauit.* Valde vero veremur,

q) loc. cit. r) loc. cit. vt

vt haec attento lectori se probent, cum verisimile non sit, Campanellam iuuenem qui nihil prorsus de Telesio audiuerat eius nouam philosophiam ita tenuisse. Certe ipse Campanella aliter nobis rem narrat. Scribit enim *s*: *Cum publice disputaret Consentiae, nedum cum fratribus suis priuatim, inuenisse se parum quietis in responsis illorum; sed Telesium ipsum delectauisse, tum ob libertatem philosophandi, tum quia ex rerum natura, non ex dictis hominum penderet, propterea eaque cum mortuo Telesio, quem viuentem alloqui non licuisset, elegeiam afixisset, Altum montem oppidum adiuisse ibique Platonicorum et medicorum libros ab optimis viris subministratos perlegisse.* Ex his enim, recte, nisi fallimur, colligitur, Campanellam, cui inter Calabros Consentiae versanti Telesii nomen et philosophia, tunc recenti fama per ora virorum volitans ignota esse non poterat, vidisse et legisse Telesianum *de rerum natura* opus, captumque libertate philosophandi, qua vsus est Telesius, tum quidem in castra eius transiuisse. Eo enim tempore recens et magna erat celeberrimi viri apud Calabros gloria, quae iuuenem altos spiritus gerentem, et supra vulgus philosophorum se efferre cupientem inuitasse videtur, vt ex sterili deserto philosophiae Peripateticae ad iucundos Telesianae philosophiae campos deflecteret. Vbi autem in secessu suo philosophico Telesianam de natura rerum sapientiam didicisset, ad eam publico in certamine defendendam progressus est. Nempe Telesium impugnauerat IACOBVS ANTONIVS MARTA *t* Neapolitanus, edito libro, quem *Pugnaculum Aristotelis* inscripsit, vt *Tomo tertio* dictum. Qui cum valde aduersario pro Aristotele instaret, excitatus est Campanella a Ioanne Francisco Brancha Castrouillarensi medico, et Plinio quodam, itidem medico, vt contra hunc antagonistam in aciem procederet. Hi cum animum librosque ipsi subministrarent, apologiam tandem contra Telesii oppugnatorem confecit, in qua *se*, ait *t*, *totam philosophiam Peripateticam in examen adduxisse, philosophorum priscorum ac medicorum decretis simulque naturae placitis et sensu confutauisse pugnaculum istius auctoris, sic vt quem defendere profitebatur, hunc potius offendere palam ostenderit.* Librum hunc dum supra viginti annos vix natus vndecim mensibus, si fides ERYTHRAEO *u*, scripsit, cum vndecim annis opus suum Marta parturiuisset. Quem, vt excuderetur, Neapolin Campanella attulit. Qua occasione mirum est, quod illi accidisse idem narrat: *E navi egressus cum praeter aedem S. Mariae Nouae Franciscanorum, ligneo vtentium socco transiret, ex turba euntium ac praetereuntium intensum esse cupiditate cognoscendi, quid intus rei ageretur; atque disputationibus operam dari cognouisse, in quibus cuiuis contradisserendi facultas daretur. Itaque sese certamini, vna cum aliis, obiecisse, coepisseque*

s) loc. cit.
t) Conf. B. IO. GEORGIVS LOTTERVS nostras, in eleganti schediasmate de Bernardino Telesio eiusque philosophia c. 10. p. 31. seqq.
t) loc. cit.
u) loc. cit.

pisseque ea, quae tanquam firma et rata ponebantur, tot argumentis, tam validis, tam apte arguteque conclusis, labefactare atque conuellere, vt ouanti similis reductus sit domum, a fratribus sui ordinis, ac postero die, et aliis deinceps multis, coactus sit in eruditam illam aciem certamenque descendere, vnde semper, magna cum laude victor discedebat. Fieri id potuisse, a iuuene alacri, et disputandi peritissimo, nemo temere negauerit; maiorem tamen, quam vnius Erythraei habet testimonium, fidem et verisimilitudinem desideramus. Quicquid autem eius rei fuit, illud certum, eo tempore Campanellam Neapolin concessisse, eaque in vrbe librum apologeticum contra Martam pro Telesio typis commisisse. Quod licet incertum esse putet MORHOFIVS [x], minime tamen de eo dubitandum est. Extat enim liber hoc titulo: *Philosophia sensibus demonstrata, et in octo disputationes distincta, aduersus eos, qui proprio arbitratu non autem sensata duce natura philosophati sunt: vbi errores Aristotelis et assectarum ex propriis dictis, et naturae decretis conuinceuntur, et singulae imaginationes pro ea a Peripateticis fictae prorsus reiiciuntur, cum vera defensione Bernardini Telesii Consentini, philosophorum maximi antiquorum sententiis, quae hic dilucidantur et defenduntur, praecipue Platonicorum confirmata: ac dum pro Aristotele pugnat Iacobus Antonius Marta, contra se ipsum et illum pugnare ostenditur* [y]. Ex quo libri titulo patet, Campanellam tum quidem in Telesii castra transiisse, et ex magni viri, qui summam in istis oris celebritatem nominis consecutus erat, apologia gloriam quaesiuisse. Totum enim Telesianum factum non esse Campanellam, et proprium, quod sibi finxit systema probat, et inde constat, quod Telesium in haud paucis, tum in libris *de re astronomica, tum de sensu rerum* [z] refutauerit. Verum tum quidem satius erat Campanellae, magni celebrisque viri nomine ad innouandam philosophiam vti, quam proprium fundum consulendo, novum systema dare, quod in homine iuuene facile contemni posset.

Fata Campanellae libere philosophantis.

§. IV. Magnam ex ista contentione inuidiam Campanellae fuisse exortam, facile intelligere potest, qui ad mores Scholasticorum tum adhuc regnantium attenderit, quibus piaculum fuit, Aristotelis auctoritatem contemnere. Praesertim cum a cucullato fratre id fieret, cuius sodales in verba Stagiritae iurauerant, et quibus decorum videbatur, pro Aristotele intra sacros limites recepto tanquam pro aris et focis pugnare. Accessit satis acerba et audax Campanellae disputandi ratio, qui cum acerrimo ingenio esset praeditus, et praecepta infido atque arenoso fundamento innixa magnis arietibus concuteret, nec auctoritate fratrum, quamuis superiorum aetate, moueretur, et praeterea a philosophia, simili modo ad sanctiorem disciplinam progrederetur, suis contentionibus et disputationibus crabrones non irritare non poterat. Id quod appositе monet ERY-

x) Polybist. Tom. II. Lib. II. Part I. cap. 13. pag. 213.

y) Neapoli apud Horatium Saluianum 1591. 4.

z) Vid. L. L. c. 13. p. 43. 44. edit. Germ.

ERYTHRAEVS, narrans: *Illud sui nominis famam, supra quam dici potest, in immensum auxisse, quod cum in illis disputationibus, theologorum quoddam placitum in contentionem certamenque deductum esset, ac multa docte argute que in vtramque partem essent allata, nescio quod docti cuiusdam, ex suo ordine, senis dictum, vtpote verum cum plausu excepisse, et in coelum laudibus extulisse: at senem iratum, tacesis, dixisse, nec te immisce, de theologicis hic rebus ambigitur, quas tu ne primoribus quidem labris attigisti. Ea hominis in primis iracundi dicto exarsisse illum, nec tulisse; ac, vide, dixisse quam ego sim harum rerum ignarus ac rudis, vt possim te decem annos in disciplina habere, ac postea adigere, vt fatearis, te nihil scire, vel intelligere. Ac reprehensum senis illius argumentum, et sanctorum patrum sacrarumque literarum testimoniis confirmatum, tanquam amentatam hastam, ita coepisse ingenii lacertis ac viribus intorquere, vt omnium concessu fuerit iudicatum, a Campanella semper omnes, illo autem die, etiam ipsum a sese superatum. Hanc victoriam magnos illi, in omnem vitam, bellorum tumultus excitauisse: primum a sene illo, cuius contumaciam retudisset, apud quaestores fidei accusatum, quod tantam vim doctrinae, cuius ne literam quidem didicisset, ex inferorum fontibus hausiam ebibisset etc.* Et his quidem insultibus, cum animum fortem et imperterritum, tum potentiam Marchionis Lauelli, Mario Tuso filio fauente opposuit, et in reformanda philosophia gnauiter perrexit. Scripsit enim in ea domo commentarios duos, vnum *de sensu rerum*, de quo infra dicendum, alterum vero *de Inuestigatione*. Et ad libros quidem de sensu a se componendos, fuisse se commotum, ait [a], *disputatione habita in comitiis publicis, et seorsim a Ioanne Baptista Porta, qui scripserit physiognomoniam, vbi sympathiae et antipathiae rerum dixerit non posse reddi rationem, cum eius librum examinauisset. De inuestigatione autem scripsisse, quoniam visus sibi sit Peripatetismus et Platonismus largam per viam, et non rectam ad rerum notitiam perducere adolescentulos. Propterea ex solo sensu, et his, quae per sensum nouimus, redactis ad nouem genera sensibilium, putauisse, se facere posse, vt quilibet de quacunque re, non per vocabula tantum, vt Raymundo Lullio mos est, sed per sensibilia obiecta ratiocinari posset.* Eo quoque tempore scripsit quoddam *Metaphysicae Nouae* exordium, in quo metaphysicorum principia statuebat, necessitatem, fatum, harmoniam. Sed et Pythagoricam philosophiam carmine Lucretiano auspicatus erat, motus ex Ocelli Lucani lectione et Platonicorum dictis. Neque tamen vel animi magnitudo vel patroni potentia securitatem illi praestare, et ab aduersariorum insultibus et insidiis liberum reddere potuit, ipsa doctrinae eius excellentia in inuidiam conuersa, cum, vnde tam subito doctus euasisset, se nescire, et nescio quos eruditionis fontes accusandos

a) loc. cit. Art. I. p. 371.

dos esse obtrectatores dicerent. Itaque cedendum ratus Romam se contulit, verum et hoc loco virtutis comitem non modo gloriam, sed inuidiam quoque expertus est, id quod factum anno clɔ Iɔ XCII. Vt igitur tutius sibi asylum inueniret, Florentiam se conuertit, quo loco Ferdinandum primum magnum Hetruriae ducem amplissime fauere philosophis intellexerat. Huic itaque librum *de Sensu rerum magno* dedicauit. Neque tamen fortunam ex omni parte fauentem ibi expertum fuisse oportet; abiit enim Venetias, ac Patauium, libros ibi editurus. Cum autem Bononiae haereret, illi dicti libri omnes, cum physiologiae edendae libro primo, quo contra omnes sectas disputauerat, furto sublata sunt. Neque tamen aduerso hoc foetuum suorum fato deterritus, Patauii coepit Empedoclis philosophiam instaurare, scripsit quoque nouam physiologiam secundum propria principia, et Telesium defendit statuentem animal esse vniuersum et cetera [b]. Hos tamen libros omnes in itinere, quod Romam fecit, amisit, Bononiae subductos inuenit in sancto officio, quos tamen non repetiit, meliores denuo refecturus. Romae meliorem, quam antea, fortunam expertus, et amicos quoque nactus est complures sacri collegii patres. Eo loco dictauit praeter alia multa physiologiae compendiolum, quod postea TOBIAS ADAMVS in Germania edidit [c], *Prodromi totius philosophiae Campanellae* nomine, de quo infra dicendum. Vnde perperam fuisse suspicatum, patet, Iacobum Thomasium [d], Adamum hoc compendium ex scriptis Campanellae ipsum compilasse. Anno vero clɔ Iɔ XCVIII Neapolim repetiit, et paululum ibi commoratus recessit inde in patriam ac Styli sedem fixit. Eo autem tempore non modo acerrimus Romanae ecclesiae promachus videri, sed et Thomistarum partibus addictissimus censeri voluit. Illud enim multae, quas contra haereticos pro stabilienda pontificis Romani auctoritate scripsit, lucubrationes quas ipse copiose enumerat [e], testantur; hoc susceptа in patria Styli contra Molinam de auxiliis gratiae disputatio euincit. Quales tamen contentiones eum ideo potissimum iniisse verisimile est, vt noua eius philosophia, sub orthodoxiae clypeo tutius lateret.

Carcer et miseria Campanellae.

§. V. Vitam hactenus desultoriam egerat Campanella, iam stabilem, at aerumnosam et miserabilem, ei destinauere fata durissima. Nempe inopinantem oppressit carceris molestia et grauis inquisitio apud Neapolitanos, sic vt de vita periclitaretur, eo quod maiestatis reus haberetur. Obscurum vero est, qua potissimum de caussa ita inclementer Campanella habitus sit. Rem autem ita se habuisse narrat CAESARIVS A BRANCHEDORO [f], Taurinensis: *Omnium fidem superarent, si quae nostra memoria atque nuper adeo Dominicanus monachus fuit molitus,*

b) Ibid.
c) 1617. 4. Francofurti.
d) In FELLERI Monumentis ineditis trim. XII. p. 637.
e) Art. 2. p. 372. seq.
f) In Orat. praemonitoria de Ortu pontificum, quae extat in monitis politicis de curiae Romanae potentia moderanda, vnde repetiit CYPRIANVS l. c. c. 1. p. 17.

litus, euentum sortiri potuissent. Is est frater Thomas Campanella, etiamnum in viuis, et fruitur aura squalidi carceris Neapolitani. Qui elati ingenii monachus, cum nullo esset apud Romanos numero, et ad magna procedere sese posse desperaret, praesentem vitae statum stomachatus, Roma in regnum Neapolitanum concessit, nouam ibi religionem, nouumque imperium spirans. Sed homo nudus et incustoditus cum rem tantam tamque arduam aggredi non valeret, nec pestiferi sui virus contagione proceres vlli inficerentur, armis viam sibi faciundam satius duxit. Itaque cum Turcis de Crotone, nobilissima Italiae in sinu Tarentino ciuitate, quam ille instituto suo peropportunam ratus vnice delegit, tradenda et consignanda pepigit, Zigalemque bassam cum classe Turcica euocauit. Ea enim in potestatem redacta cogitabat cum exercitu ad montana Calabriae rectis itineribus contendere, illisque occupatis atque insessis, excogitatae suae religionis leges ac ceremonias, tanquam a Deo in montium fastigiis acceptas, prorogare, et mellito eloquentiae flumine, cuius naturali suauitate cuncta exorabula aduocatorum, et decipulas magorum, et artificia dicentium facile conciliauit, inundatos vulgi animos scite permulcere, et ad imperata sibi facienda conformare. Ad hunc enim modum dictitare solet, omnes legum latores noua orsuros imperia, omnesque generis humani seductores, horrorem mandatis suis et obsequelam parasse, vt montana in speciem religionis, sed reuera sui caussa praesidii, aduersus repentinos tumultus aut finitimorum vim, anticiparent: ita Nembrodum, Abrahamum, Moysem, Dauidem, ipsum Christum [a], ita Minoëm, Numam, Mahometum alios, fecisse, asseuerat. Non cogitauit homo miser, non bellorum, sed pacis auctorem Deum esse, et ceteras religiones, quippe falsas, vi aut astu fundatas, solam Christianam, vt veram et vnicam, iustitia, lacrymis, precibus stabilitam fuisse, veteres Christianos occidi, quam occidere maluisse, sic cognominatos, quod fidei sui testimonium proprio sanguine obsirmauerunt. Verum, dum ita totius Italiae imperium animo suo agitat, et iam classis Turcica in alto apparet, ab vno ex complicibus, siue atrocitate inauditi facinoris, patratuque periculosissimi, territo, seu poenitentia, vt aiunt coniurationis ducto, proditio detegitur, Campanellaque captus et vinctus Neapolim perducitur. Quo in carcere vbi plusquam Spartana nobilitate crudelia tormentorum genera superauit, de proregis sententia ad perpetuam custodiam condemnatus. Difficile est, de hac narratione, quantum veritatis ei insit, statuere. Illud dubio caret, aulam Hispanicam eum similis culpae habuisse suspectissimum, fuisseque societatem coniuratorum, qui cum eo in eandem suspicionem inciderint. Ipse enim refert, non solum se comprehensum fuisse, sed calamitatis socios habuisse cruciatos et peremtos. Habuisse autem istam accusationem plurimum coloris inde colligitur, quod adeo quaestione fue-

a) Blasphemiam hic cum horrore deprecatur auctor.

rit cruciatus, vt dici vix possit. Testatur quoque ERYTHRAEVS, *Neapolis perduellionis reum factum, quod regnum illud hostibus prodere conatus esset, eiusque criminis suspicione coniectum in carcerem esse, ita crudeliter habitum, vt ruptis circa sedem venis arteriisque omnibus sanguinis vis sisti haud posset.* Vtrum autem ab eo crimine innocens fuerit, difficulter res omnis expediri potest. Quamuis enim septies, vt ipse scribit [h] tormento durissimo examinaretur, postremumque perduraret horis quadraginta; funiculis arctissimis ossa vsque secantibus ligatus, pendens manibus retro contortis de fune super acutissimum lignum, qui carnis sextertium in posterioribus ipsi deuorauit, et decem sanguinis libras tellus ebibit; nullius tamen criminis conuinci potuit. Neque si apertam perfidiam in regem Hispaniae admisisset, ex carcere tandem fuisset dimissus. Ast quasdam tamen circumstantias valde verisimiles exasperasse aulam, et inquisitores permouisse, vt crudelissima quaestione toties eum examinarent, extra dubium quoque ponendum esse videtur. Et ipse quidem in *Prooemio Atheismi triumphati ad Scioppium* scripto, quod vulgauit BVRCARDVS GOTTHELF STRVVIVS ὁ πάνυ, de examinis quaestionibus haec refert: *Quinquies citatus in iudicium, primo caussam dixi interrogantibus, qui literas scit, cum non didicerit? ergone daemonium habes. At ego respondi, me plus olei, quam ipsi vini, consumsisse, et mihi ab eis dictum fuisse sacra suscipienti: accipe spiritum sanctum. Secundo accusatus, quod tempore nocturno quid contra praelatum parauerim, quod sane mihi non modo propter philosophiam non admittenti, sed visus defectu laboranti erat impossibile. Deinde accusarunt me, quod composuerim librum de tribus impostoribus, qui tamen inuenitur typis excusus annos triginta ante ortum meum ex vtero matris. Deinde quod sentirem cum Democrito: quoniam ego iam contra Democritum libros ederam. Item quod de ecclesiae republica et doctrina male sentirem, cum tamen ipse de Monarchia Christianorum scripserim, vbi ostendi, nullum philosophum potuisse sic rectam depingere rempublicam, vt Romae ab Apostolis instituta est. Item quod sim haereticus; ego autem scripseram dialogum contra haereticos nostri temporis. Nunc tandem me rebellem haereticumque fecerunt, quoniam praedico signa in sole et luna et stellis contra Aristotelem aeternantem mundum. Hoc autem facimus rebellionis molimen esse interpretantur, quicunque Machiauellistico sunt animo, putantes omnem doctrinam et conatum esse dominandi gratia excogitatum etc.* Verum haec ipsam quaestionem primariam nondum recludunt. Et fuere nonnulli, qui ex verbis TOBIAE ADAMI, Campanellae addictissimi concludunt, innocentem eum haud fuisse; scribit enim [i]: *Virum istum, cum donis suis abuti velle visus esset, occulto Dei iudicio ad frugem ipsum reuocante, ingenti-*

h) In Prooemio Atheismi triumphati, quod exstat in STRVVII Act. literar. fascic. II.

i) In Praef. Prodromi.

gentibus miseriarum fluctibus tanquam exemplar fragilitatis humanae inuolutum esse etc. Alii huc ipsius Campanellae verba rapiunt fatentis [k]: *Ego non me bonum vendico, sed vnum ex his sceleſtiſſimum. Hoc ergo tantum asſero, eos non habere contra me tantum, quantum ſufficit meo iudicio ad punitionem meam. Nemo iniuſtus punitur, ſed multi iniuſte agunt. At etſi diabolus eſſem, inauditus mori contra canones et leges non debeo, praeſertim cum pollicear eccleſiae Dei tot tantaque beneficia ipſique regi. Quid prodeſt regi et eccleſiae mors mea? At ſi promiſſa praeſtitero, ingentia bona erunt illis.* Verum vt candide fateamur, nihil esse in vtroque loco putamus, quod cauſſam innocentiae Campanellae perimat. Quamquam enim facile concedi poteſt, Campanellam dotibus animi doctrinaeque auctis intumuiſſe, ideoque eum ad humilitatis conditionem depreſſiſſe diuinam prouidentiam; inde vero eum animi ſui miſeriam et imprudentiam agnouiſſe; non tamen ex eo colligi poteſt, illum in fidem regi ſuo debitam tam infolenter peccauiſſe, ſed communis ſortis ea confeſſio eſt, quae vera humilitate errores natiuos agnoſcit, vnde ad perduellionis crimen conſequentia haud valet. In tanta vero rei et circumſtantiarum varietate difficile eſt, aliquid certi ſtatuere. Quod ſi tamen coniecturae locus eſt, conſpiratio quaedam in regem, maxima culpae illi tributae cauſſa fuiſſe videtur, quod nempe eam vel exorſus ſit, vel nutriuerit. Vix enim ratio quam alia dari poteſt, quare plurimi alii ſimul capti tormentis ſubiecti, et peremti fuerint, qui eorum accuſari non potuerunt, quorum ille accuſatus eſt. Et prius quidem enarratae hactenus circumſtantiae minime ſuadent: poſterius autem nobis omnino probabile eſt, ipſo Campanella in verbis ſupra ex *Prooemio Atheiſmi triumphati* recitatis clauem praebente. Eo enim loco conqueritur, *rebellem ipſum feciſſe aduerſarios, quoniam praedixerit ſigna in ſole et luna et ſtellis - - hoc autem facinus rebellionis molimen eſſe eos arbitrari, putantes omnem doctrinam et conatum eſſe dominandi gratia excogitatum.* Ex his vero colligimus, Campanellam aſtrologiae iudiciariae nimis deditum, vt ex libris eius aſtrologicis patet, ex ſiderum poſitu et conſtellatione magnam dominatus mutationem lymphatum, vt ſolent hi homines, praedixiſſe [l]: quibus cum nonnulli, qui coniurationem contra regem inierant, confirmarentur, hancque praedictionem in rem ſuam verterent, et forte ad Campanellam prouocarent, omnino factum eſſe, vt coniurationis iſtius particeps habitus ideoque duriſſimis tormentis cruciatus ſit. Quae cum primam capiendi eum et quaeſtioni ſubiiciendi occaſionem ſuppeditauiſſent, ipſe autem nefandi facinoris conuinci tantum non potuiſſet, quantum illi dicebant, vt ipſe luculenter ſcribit, omnem his

k) loc. cit.

l) Dabimus verba eius ex ſched. de Libris propriis arr. 3. p. m. 376. quibus ſatis luculenter haec „coniectura confirmatur: „Compoſui paulo poſt „articulos propheriales quindecim pro defenſione „dictorum meorum, vnde anſam arripuerant ſa„ciendi me reum maieſtatis, et hoc ex dictis pro„pherarum Sibyllarum et ſanctorum, et ex politi„ca et aſtrologica praedictione. Paulo ante au„tem dixerat, perſecutionem, quae tot alios tamdiu „exercuit, ipſum quoque maieſtatis reum feciſſe.“

verbis rei ſuſpicionem non a ſe remouens [m]; aliae dein accuſationes de eius doctrina atque vita dictante aduerſariorum, praecipue cucullatorum, inuidia et perſecutione excogitatae ſunt, quibus miſer tot annis vexatus eſt. Fanatica enim huius furfuris inſania exagitatum fuiſſe Campanellam ex loco quodam atheiſmi [n] clarum eſt, vbi ita ineptit: *Ad impiorum opprobrium praeſtolor etiam in terra praeludium paradiſi coeleſtis, aureum ſeculum, felicitate plenum, a quo facto iterum flagello de funiculis creaturarum, vt inquit S. Catharina Senenſis, excludentur increduli deriſores pietatis.* Sed quaecunque cauſſa immanis, quae in Campanellam exercita eſt ſaeuitiae fuit, illud ex ipſius narratione [o] certum, quinquaginta eum carceribus hucusque clauſum et afflictum fuiſſe. Viginti enim atque ſeptem circiter annis detentus fuit modo in caſtro Oui, modo in arce noua, vel etiam in caſtro S. Ermi. Adeo autem ſaeuiit furor hoſtium in Campanellam, vt librorum ei copia denegaretur, et a ſtudiis prorſus prohiberetur: qui tamen non diu durauit. Reſtituta igitur ſcribendi, ipſiusque literarii commercii cum viris eruditis licentia, carceris taedia ſcribendis libris leuauit, viros autem doctos, quotquot Neapolin venerant, familiariter, praeſentibus tamen cuſtodibus alloqui, et nouam philoſophiam docere potuit. Inter quos cum etiam eſſet Tobias Adami nobilis Saxo [p], qui admodum philoſophematis Campanellae capiebatur, is domum reuerſus, partem lucubrationum, quas Campanella eius fidei crediderat, vulgauit. Qualia autem eo tempore ſcripſerit, ipſe in ſchediaſmate *de Libris propriis* prolixe enarrauit, quod, ne nimii ſimus, adeundum eſt. Memorari autem inter ea merentur, liber *de Monarchia Hiſpanorum* [q], *et philoſophia realis in quatuor partes ſecta*, quem vtrumque foetum in Germania Adamus edidit. Quae vero in carcere elaborauit, ea anno CIↃ IↃ C X I, vrgente nuntio apoſtolico ei erepta ſunt. Commiſerati tamen infelicis philoſophi ſunt Fuggeri noſtrates, tum in aulis archiducum Auſtriae valde gratioſi et potentes, et pro eo liberando in aula regis Hiſpaniarum omnem lapidem mouerunt. Paulus V. quoque P. M. de ea re multoties per nuntios tractauit, et anno CIↃ IↃ C VIII Neapolim Scioppium miſit, qui eum a miniſterio Hiſpanico obtineret. Et fortaſſe ſucceſſiſſent patrocinantium preces, niſi denuo ſidere infauſto afflatus Campanella nouam de ſe ſuſpicionem excitauiſſet. Tradit enim

ECHAR-

m) Haud parum confirmatur iſta coniectura verbis Campanellae de Libris propr. p. 375. „Scripſi rythmos prophetales et pſalmodiam quadruplicem de Deo et omnibus ſeius operibus, atque hac poëtica ratione roboraui etiam amicos, ne in tormentis deficerent."

n) c. 15.

o) Prooem. l. c.

p) Is cum nobili quodam Bunavio per Graeciam, Syriam, Palaeſtinam iter fecit, reduxque Neapoli octo menſes haeſit, vbi Campanellae familiariter innotuit. Obiit conſiliarius Saxo-Vinarienſis anno 1643. Laudat eum BESOLDVS Diſſ. de Educatione, c. 8. Politicorum L. VI. conf. TENZELII Colloquia menſtrua 1689. p. 1278.

q) Edoctum ſe, aliter ſentientem, eſſe, Campanellam librum tum demum ſuum de monarchia Hiſpanica compoſuiſſe, cum ex Hiſpanorum vinculis eſſet liberatus, ſcribit LEIBNIZIVS Epp. Vol. IV. p. 11. ſed falſum in eo eſſe, ex ipſius Campanellae narratione de Libris propriis art. 3. p. 377. patet. Verum tamen eſt, quod contra G. Arnoldum obſeruat, librum hunc carceris cauſſam non fuiſſe, quem in carcere demum ſcripſit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ECHARDVS [r]: celebrem illum Petrum Giron, Ossunae ducem anno cIↃ IↃ cxi Neapolitanum proregem constitutum, Campanellam in carcere inuisere solitum, eiusque consiliis in administratione regni vsum fuisse; id autem Campanellae exitio fuisse. Nam prorege illo affectati regni accusato et proditionis reo deprehenso, velut eiusdem sceleris participem Thomam iterum durius vexari coepisse, eiusque carcerem in plures annos esse prorogatum.

Liberatio Campanellae et acta ad vitae finem.

§. VI. Tandem, cum inaudita pertinacia Campanellam fortuna sinistra tot annos misere exercuisset, fauentior eius vultus illum respexit, et liberationis hora, post tam diuturnum carcerem appropinquauit. Sedente enim Vrbano VIII, qui vt ipse literatissimus erat, et viris doctis impense fauebat, ita Campanellam ex pluribus in eius gratiam scriptis noscebat, et amabat, interprete et mediatore Innocentio Maximo, episcopo Catanensi, et partes quoque suas, atque auctoritatem, qua in aula fruebatur, interponente Seraphino Rinaldi Nucerino, Dominici sodalitio adscripto eo res deducta est, vt iubente rege catholico Philippo IV. a prorege Neapolitano Albae duce, quoad causam regiam innocens declararetur [s]. Factum id anno cIↃ IↃ cxxvi, quo Id. Maii liber dimissus, Romae ad S. Officium accelerauit. Romae tamen in S. Officio carcere quidem detentus est, sed nomine magis quam re tali, cum amicis liberrimus ad eum aditus pateret. Cuius causam ipse quidem nunquam enarrauit, sunt autem qui tradant, illum haeresin simulasse, et ab inquisitionis Hispanicae tribunali, ad quod delatus fuerat, ad sacrum tribunal Romanum appellasse, in vrbemque ea ratione deductum, tum aperta stropha, quam eo tantum struxerit animo, vt a diutina illa durissimaque captiuitate Neapolitana liberaretur, ab Vrbano VIII beneuole exceptum [t]. Alii autem contendunt, summum pontificem Thomam sacro tribunali sistendum postulasse, quod aduersus doctrinam catholicam scripsisset, cum perduellionis hactenus nullo modo conuinci potuerit. Quae verisimilitudine non carent, eo quod aliquo modo in custodia S. Officii detentus est. Tandem anno cIↃ IↃ cxxix plenae libertati Campanella restitutus est, et iubente pontifice codices eius quoque illi redditi sunt, quos magister S. palatii hactenus detinuerat. Cumque inopia rerum et paupertate premeretur, constitutum ei a pontifice in singulos menses honestissimum stipendium, admissus inter domesticos atque familiares, multisque gratiarum documentis cumulatus est. Id quod occasionem suppeditauit Gabrieli Naudaeo, quo amicissimo Campanella vtebatur [u], pontificem maximum publico panegyrico in consessu omnium ordinum anno cIↃ IↃ cxxxii, ob collata in Campanellam beneficia publice laudandi. Neque tamen tanto praesidio securus viuere in vrbe potuit, Hispanis ministris aegre ferentibus, quod quaecunque scripsisset, dixissetque ex curiae Romanae sententia impune ferret. Morde-

r) loc. cit.
s) Conf ECHARDVS loc. cit.
t) Citati, et imprimis ipse l. c. art. 5. p. 382.
u) Vid. Epist. Naudaean. 82. p. 623.

Mordebat quoque homines, quod ad Gallos conuersus eorum amicitia frequentius vteretur: vnde nouarum molitionum metu, licet vano, excitato, iterum insidiae illi paratae sunt, vt clam surreptus Neapolin iterum duceretur. Quas cum intellexisset, conspirante pontifice cum legato Galliae Francisco de Noailles, mutata veste Minimorumque habitu indutus, in curru legati Vrbe anno clo Ioc xxxiv clam egressus est, in via literis legati vrbium proceribus passim commendatus [u]. In via Massiliam appellens, lectica a Nicolao Peirescio Aquas Sextias accersitus, et opipare in eius domo exceptus, atque liberaliter aliquot menses habitus est. Ita ex longinquo malo recreatus et a Peirescio sumtibus ad faciendum iter instructus Lutetiam anno clo Ioc xxxv aduenit, regemque Ludouicum XIII salutauit. Ibi fauentem expertus est primum regni administrum Armandum cardinalem Richelaeum: quo pararo a rege annuo stipendio mille librarum regia munificentia donatus est. In ea vrbe, eruditorum asylo, reliquum vitae exegit apud praedicatores ad S. Honorati vicum, rege ita requirente. Narratque Echardvs [x], honorabiliori exceptum hospitio ab eruditis vel etiam magnatibus saepius inuisum, vt cuius ingenium in colloquiis mire emicaret, a rege etiam identidem in consilium accersitum, vbi praesertim de rebus Italiae ageretur: vsumque amicitia Puteanorum, Moraei, Diodati, Vayerii, Gassendi, Gaffarelli, Patini, Mersenni, aliorumque, tandem grauiori febri correptum, spiritum Deo pie reddidisse anno clo Ioc xxxix, VII. Cal. Iunii, aetatis LXXI. Quem annum sibi fatalem futurum fatumque sibi fiderale metuisse ab eclipsi refert Idem, illum tamen diem viuendo non attigit.

Character ingenii Campanellae.

§. VII. Fuisse Campanellam virum ingentis, et portentosi ingenii, apud omnes in confesso est. Egregiis enim atque abundantissimis naturae muneribus instructus, fertilitate autem facultatis, quae imagines fingit, maxima gauisus est. Ex quo potissimum fundo magnus ille scriptorum numerus promanauit, in quibus mira imaginationis Campanellae foecunditas velut in speculo quodam resplendescit. Immo, si de iis taceamus, tot tamen scientiarum typi, quos delineauit, tot depicta operum conamina, quae in tractatu de *Libris propriis* enarrauit, luculenta eius rei sunt testimonia. Tacemus alia, adducta a Cel. Stollio [y], qui videndus. Nec deneganda est Campanellae lectio satis prolixa et cum attentione instituta, atque in optimis disciplinarum auctoribus magna diligentia versata, id quod vel ex vna, quam schediasmati *de Libris propriis* adiecit tractatione *de Recta ratione studendi* elucet, in qua de plerisque veterum scriptoribus celebrioribus, et de recentioribus haud paucis philosophis, poëtis, oratoribus, historicis, scriptoribus epistolarum, mathematicis, medicis, legistis, theologis, iisque qui varia scripserunt, ita differit, vt pateat, non nudos

u) Multis haec narrat et beneficia Noailliae gentis depraedicat in Opp. philosophic. Tomi I. dedicatione.

x) loc. cit.

y) Histor. Literar. P. II. c. 1. §. 91. p. 404. seq.

nudos eum librorum titulos inſpexiſſe, ſed cum cura euoluiſſe totos, et attentionem in iis examinandis haud paruam adhibuiſſe. Nec dubium eſt, quod nonnullis viris doctis obſeruatum [z], quin Cardanum potiſſimum ob oculos habuerit, quem valde ea aetate commendauit lectionis vaſtitas. Inde ſimia Cardani dictus eſt, nec immerito. Nam non virtutibus modo intellectus ſed naeuis quoque Cardano omnino ſimilis eſt, maxime in eo, quod imaginationis vis iudicandi facultatem ſuppreſſit, et imprimis eam partem perdidit, qua prudenter ſtudiorum curſus ſolet regi. Illius multa quidem in omnibus eius operibus occurrunt veſtigia, non tamen luculentiora ſpecimina ſunt, quam quae de diuinis et coeleſtibus, deque hominum cum iis connexione et commercio ſatis παραδοξῶς differit. Qualia ſunt: immutaturum hominem, Deum amicum habenten, fide rerum naturalium curſum, et miracula perpetraturum, ita vt ſopitum rerum naturalium ſenſum moueat, ac ſibi obedientem reddat [a]: inſtare praeludium paradiſi coeleſtis, aureum ſeculum, felicitate plenum in terris [b], dari magiam, non modo diuinam, ſed et naturalem, quae exiſtat ex ſtellarum et medicinae notitia, coniuncta cum religione et fiducia, ſitque adeo excellens Dei donum, vt ea rite vſi, ſaepe ad ſupernaturalem magiam et commercium cum ſuperis perueniant [c]. Poſſe hominem, ſi ſimilem ſibi cum aliquo faciem et cetera corporis membra eſſe ſibi perſuaſerit, non ingenium tantum illius, ſed et animi ſenſa illico cognoſcere. Et quis quaeſo non in eo iudicium deſiderauerit, qui ſe iactat ſanatum a morbo lienis cuiusdam mulieris verbis et precibus, in aſpectu deficientis lunae [d]? qui vaticiniis per cribrum fidem certam adhibuit [e]? qui futura homini fata praedicere auſus eſt [f], qui perſuaſum ſibi habet, cum mali quippiam ipſi immineat, inter ſomnum et vigiliam audire ſe ſolere vocem clare loquentem et nomen ſuum inuocantem [g]? qui ſibi apparere daemonas et colloqui tradit. Aſt haec et ſimilia tum in libro *de Senſu Rerum*, tum alibi vendit Campanella: ſatis iſtis nugis prodens, quo potiſſimum morbo animus eius aegrotauerit. Maxime vero praeter ſingularia, paradoxa et peregrina innumera, quae per ſcripta ſua ſparſit Campanella, inepta, quam aſtrologiae μαντικῇ tribuebat fiducia, et opinio de ea, philoſopho prorſus indigna, euincit, abreptum Campanellam ardentis imaginationis furore, limites a iudicandi vi luxurianti facultati poſitos prorſus euertiſſe, vagumque ita et habenis laxatis incertum diſcurriſſe. Id quod ex *Aſtrologicorum* libris [h], quos edidit, abunde patet, in quibus ſiderum influxum diuinae quidem

z) Sorberiana p. 59. STOLL. l. c. ipſe ad Cardanum interdum prouocat, vid. Aſtrolog. L. V. c. 3. art. I. p. 203.

a) De Senſu rerum L. IV. c. 2. p. 265.

b) Atheiſm. triumph. c. 18.

c) De Senſu rerum L. IV. c. 1. p. 260. ſeqq.

d) Ibid. Lib. IV. c. 13. p. 340. vbi plura huius generis deliria reperies.

e) Ibid.

f) Conf. CYPRIAN. l. c. p. 48.

g) Multo ineptius eſt, quod hanc vocem ex ſenſu aëris eſſe putat l. c. Lib. III. c. 10. p. 235.

h) Vtimur editione Francofurt. 1630. 4.

quidem prouidentiae directioni non subtrahit, at magnam tamen illis vim tribuit, et posse eam remediis repelli vel declinari statuit. Et profecto, pueriles nugas, omni iudicandi potestate erepta, fouisse Campanellam ex his institutionibus astrologicis luculenter conspicitur: monet enim, fatales eclipsium euentus (qualem ipse in anno emortuali valde timuit, et ad anilia superstitionis remedia recurrit, quanquam eam viuendo postea non attigit, vt supra dictum) euitari posse, clausa diligenter domo, incenso suffitu aromatico; instructa musica Venerea, aliisque mediis magicis. Nonnunquam autem plane ineptit, e. c. monens, vt, cui captiuitatem praedicant siderum vaticinia, in pedibus auxilium quaerat et fuga dilabatur, id quod auctorem, qui sibi captiuitatem praenuntiasse siderum constellationes asserit [i], non feciſſe, nec durum et longinquum carcerem maturata fuga euitauisse, merito miramur. Ex quibus omnibus, parca licet, vt in his decet, manu allatis, sole meridiano clarius est, Campanellam ad emendandam philosophiam et sistendam nouam eius et elegantiorem faciem prorsus fuisse ineptum. Nec mirandum adeo, quamuis errori audacter se opposuerit, et animo ingenti ad reformandam philosophiam accesserit [k], quibus animi virtutibus solent accingi, qui philosophiam emendare aggrediuntur, multum eum mouendo nihil promouisse. Destituebatur enim iudicio in veras rerum rationes, naturam atque connexionem penetrante, et decipiebatur frequenter imaginationis ferocientis insania et furore; quo factum, vt magna quidem, excelsa, sublimia haud pauca sibi animo fingeret, et ad ea efformanda consilia conferret, at delatus ad paradoxa, inepta, vaga ex inania post montes parturientes enatum tantum murem viderit. Certe qui scripta eius philosophica considerant, duo, nisi fallimur, certissime inuenient; nempe et παραδοξοφιλίαν ineptam et solido fundamento nullo nixam, et contradictiones frequentes, saltem dissidia auctoris a se ipso. Id quod aliter euenire non potuit, cum haud semel tantum systema suum mutauerit, auxerit, castigauerit, adeo vt difficile sit Campanellam secum conciliare, ne dicamus, cum aliis.

Laudes et merita Campanellae.

§. VIII. Quamuis autem inter ingenia heteroclita Campanellam non minus, quam Cardanum, numerandum esse, ex dictis sit manifestissimum: fatendum tamen, feliciora eum habuisse et valde lucida interualla, quibus multo acutius, quam alii, viderit. Vnde non negamus, veritates haud paucas easque egregias in scriptis Campanellae deprehendi. Cuius vna tractatio *de Gentilismo non retinendo* pulchrum prorsus et eruditum specimen est, in quo, naeuos philosophiae Peripateticae mira felicitate detexit. Et simili pacto in regulis illis, quibus de recta ratione studendi, et imprimis philosophandi praecepit, multa sunt prorsus salutaria et digna, quae philosophiae studiosi diligenter sequantur. Maxime autem in ciuili argumento eius doctrina eminuit, cuius liber *de Monarchia Hispanica*,

i) Lib. V. c. 3. art. 1. p. 52. seqq.
k) Laudatur ideo a SORELLO de Perfectione hominis P. III. p. m. 485.

Hiſpanica, quem in carcere dictauit nobili cuidam Auſtrico ſpem liberationis ipſi facienti [l], exemplum eſt, in quo peritiam rerum publicarum praecipuarum huius aeui in dudum captiuo vtique admirandam eſſe iudicauit HERM. CONRINGIVS [m]. Qui et *Aphoriſmos* eius *Politicos*, quos Latine verſos *partem tertiam philoſophiae realis* inſcripſit Tobias Adami valde laudat, quod arguant capax atque verſutum auctoris ingenium: licet fateatur quoque, eos tangere perquam multa politicae philoſophiae, plene autem nihil exſequi; plura etiam docere perperam. Sed et illud inter ſplendores ingenii Campanellae, a nebulis imaginationis non ſuppreſſos pertinet, quod ſobrie et acute haud raro de ſcriptoribus, maxime philoſophicis, iudicauerit, ſatis lynceus in perſpiciendis aliorum naeuis, qui in ſuis dignoſcendis talpa fuit coecior. Cuius ſi quis exemplum deſideret, eum illa legere iubemus [n], quae de Ariſtotele prudenter monuit, et in quibus laudata ingenii Ariſtotelici ſublimitate et magnitudine reprehendit in eo obſcuritatem, euitatas et neglectas quaeſtiones arduas, tectam callide ſententiam, cum in rebus parui momenti prolixus eſſet, et minutiſſima ſectaretur; porro contemtum veterum philoſophorum; quodque in metaphyſicis grammaticum magis quam philoſophum ſe praeſtiterit, et aliena magis, quam ſua tradiderit, ſaepe etiam contradictionem incurrat, dum ex diuerſis auctoribus ſua philoſophemata depromat: denique quod in logicis ſuperfluus ſit in tractatis et mancus in tractandis, et quae alia ſunt, ſuo loco quaerenda, quae magno iudicio dicta eſſe intelligent, qui Ariſtotelem attente et ſine praeiudicio legerunt. Imprimis autem praeclare vidit Campanella, quibus mediis ſanctior philoſophandi ratio poſſet promoueri, nec dubitandum eſt, quin ad veram philoſophiae naturam totus peruenisſet, ſi hac via incedere, quam ingenium ſuum ſequi, maluiſſet. „Pulcherrime enim „monet [o]; philoſophantes ante omnia rei, de qua philoſophari cupiunt, „hiſtoriam exploratam ſibi, non ex parte, ſed totam habere debere, eam„que per teſtes non deceptos nec deceptores eſſe cognoſcendam et exa„minandam: nulli philoſophorum aut legislatorum ſectae ita eſſe inhae„rendum, vt putes ipſos ab errore fuiſſe immunes: omnium hominum „libros legendos, nec ſtatim reſpuendos, quae noſtro intellectui diſſo„nant. Cum impoſſibilis aliqua propoſitio nobis apparuerit, non ſtatim „eam pro impoſſibili habendam ac praedicandam, ſed retinendum aſſen„ſum, donec vndique conquiſitis rationibus veritas eruatur.“ Quanquam autem nugatus eſt Campanella, quod leuibus ratiociniis rebus omnibus ſenſum ineſſe, mundumque totum animal eſſe machinamque viuentem et ſentientem ſtatuit, laudandus tamen in eo eſt vehementer, quod in naturali diſciplina ad ſenſum magis et experientiam, quam ad abſtractiones vanas et inutiles prouocauerit. Quod vtinam in metaphyſicis non feciſſet, et a tentanda ſpirituum natura abſtinuiſſet, in quibus conatibus

l) Conringiana p. 315.
m) De ciuili prudentia c. 14.
n) De recta ratione ſtudendi p. 398.
o) loc. cit.

somniis haud raro, quae pro experientia excipiebat, innixus turpiter deluſus eſt.

Culpata in Campanella.

§. IX. Et haec quidem omnia in Campanella laude ſua non fraudanda eſſe, aequus rerum iudex facile pronunciauerit: aſt ſunt alia in hoc viro, atro imprimis colore notata, quae animum philoſophica, ne dicam, Chriſtiana pietate recte imbutum, et contra falſas regulas minime munitum produnt. Inter quae id recte notatum fuiſſe in Campanella a praeſtantiſſimo CYPRIANO p), quod extinguendos fuiſſe poſt comitia Auguſtana proteſtantes, ne haereſis latius ſerperet, ſcripſerit q), fatebuntur omnes, quotquot indolem ciuitatis Chriſtianae, legumque quas princeps illi optimus tulit, intelligunt, noruntque omnem eas violentiam a Chriſtiano populo longe arcere, et aliis prorſus armis defendere ſua moenia, quam quae Campanella malis artibus inſtructus ſuadet. Quod quamuis mire diſpliceat ECHARDO, ſodalem ſuum impietatis ideo poſtulari, qui principes Proteſtantes antiquam religionem euertiſſe, cupiditate ſtabiliendi imperii ſui clamat, et Campanellam recte potuiſſe ſuum regem excitare ac vrgere ad tuendam catholicam Romanamque eccleſiam putat; impudens tamen monachus, rerum in Germania tum geſtarum prorſus ignarus non vidit, ſummis principibus, qui in comitiis Auguſtanis aderant, et contra vim apertam fuerant proteſtati, nihil minus cordi fuiſſe, quam religione abuti, qui fidem Carolo V toties praeſtitere. Vt taceamus, ſi verum id eſſet, commendaſſe tamen Campanellam factioſa et ad bella ſerenda apta principia, nec in ciuitate ſerenda, nec in eccleſia audienda. Nos non miramur hanc impudentiam et malignitatem animi in Campanella, recordantes et temporis illius, quo vixit miſer philoſophus, quod huiusmodi conſiliis ferale bellum accendit: et miſeriae eius, cum aulae Romanae blandiri quouis modo, ad obtinendam ex diuturno et moleſto carcere liberationem conatus ſit, et hoc quoque pacto tandem Hiſpanorum crudelitatem euaſerit. Hoc vero peſſimo principio poſito mirum non eſt, plurima eum admiſiſſe conſectaria, quae ciuilem doctrinam caſtiorem nempe et prudentiorem, contaminant. Qualia ſunt, quod militares copias paſſim ad tuendam et amplificandam Romani pontificis auctoritatem et potentiam ſuadeat: quod Auſtriacis contra Proteſtantes in Germania commendet, vt ſpargantur inter eos perpetua diſcordiae ſemina, commota quaeſtione de praeeminentia; quod dolos fraudesque ſubuertendae paci aptas ſuppeditauerit: et quae alia ſunt, quae non facile ſpongia inſultantis ſcriptoris abſterguntur, et a candidis viris, cui non ignota eſt legis Chriſtianae indoles, etiam in ipſo eccleſiae Romanae gremio merito reprobantur.

Campanella atheiſmi poſtulatus.

§. X. Grauius adhuc ἔγκλημα eſt, et haud leuem famae Thomae maculam adſpergit, obiecta impietas, et atheiſmi haud facile excuſanda impudentia. Quamuis enim aperte impiis Numinis oſoribus patrocinatum

p) p. 32. q) De Monarch. Hiſpan. c. 27.

tum fuisse eum nemo dixerit, haud obscuris tamen rationibus sibi constare contendunt, qui eius apologiam pro religione, quam *Atheismi triumphati* titulo ornauit, legerunt, tacito pectore hanc perfidiam animo Campanellam pressisse, et ita frigide caussam Dei egisse, vt eam prodere voluisse hostibus sit manifestissimum. Ita CONRINGIVS [r], BOECLERVS [s], MORHOFIVS [t], BVDDEVS [u], alii [x] laudati a Ven. REIMMANNO [y]. Et iam viuo Campanellae similem impietatem fuisse obiectam, ex prologo eius libri constat, quo accusatum se esse ait, quod librum de tribus impostoribus composuerit. Auxere hanc suspicionem libri eius *de Sensu rerum et magia*, quos dignissimos esse putauit MAR. MERSENNVS [z], qui flammam sentiant et fumo incantentur, quae alibi [a] repetit, licet alias Campanellam magni fecerit, eumque inter amicos numerauerit [b]. Vnde eos magno conatu refutauit Athanasius Rhetor, Graecus presbyter Byzantinus, Campanellae aequalis, qui acriter eo nomine castigasse Thomam dicitur [c]. Fatemur nos, nimis acres durosque esse censores Campanellae in inurenda atheismi nota. Non obiiciemus, quod imprudenter ECHARDO excidit: *Hanc obiectionem esse heterodoxorum ex odio catholicae Romanaeque ecclesiae, cui noster mirum, ipsis etiam testibus, affectus fuerit, et cuius desertores vbique oppugnet et premat acrius, profectam, adeoque parui pendendam;* adeo enim immemor sui fuit scriptor Dominicanae familiae, vt non recordatus sit, quod ipse nos docebat, Mersennum nec heterodoxum: nec odio ecclesiae Romanae detentum flammis dignam profanam Campanellae impietatem iudicauisse; nec monebimus, leuiora esse Campanellae tela, quam quae protestantibus eius generis iram extorqueant. Sed ad ipsa Campanellae scripta et assertiones prouocamus, quorum magna pars consistere non posset sublato Numine. Id quod vnam, quam de immortalitate animae in suspectis *de Rerum sensu* [d] libris habet, demonstrationem consulenti est manifestissimum. Et tantum abest, vt atheismo fauerit Campanella, vt potius in contrarium delapsus esse vitium censendus sit, nempe enthusiasmum. Nec iure obiici posse Campanellae excogitata noua atheorum dubia et infirmitatem responsionum, ex indole hominis et assueta insuper docendi scribendique methodo patet. Supra enim euictum, iudicio plerumque defeciisse Campanellam, ingenio supra modum lasciuiuisse. Huic enim excogitatarum obiectionum multitudo adscribenda erat, postulante insuper methodo scholastica, quam in claustro didicerat, vt, quotquot exsculpi possent, dubiorum cateruae adducantur: illi responsionum debilitas et eneruis actio tribuenda. Nec defuisse ani-

r) Conringiana p. 52.
s) In Ann. Taciti L. I c. 3. p. 57.
t) Polyhist. L. I. c. 8. §. 21.
u) Thes. de Atheismo c. 1 §. 24. p. 132.
x) LA CROZE Entretiens p. 381.
y) Hist. Atheismi Sect. III. c. 4. §. 18. p. 378.
z) Qu. in Genesin col. 1164.
a) p. 130. 707. 708. 939.
b) ECHARD. l. c.
c) IDEM l. c.
d) L. II. c. 25. p. 145.

mum Campanellae, impietatis fautores refutandi, ex variis scriptorum eius locis constat, quibus atheorum insaniam ridet et perstringit. Non negamus, inesse scriptis Campanellae quaedam, quae et pie et caute magis possent dici, et animum prodere solent, Numinis metu et religionis reuerentia non satis munitum, plura esse, quae si consequentias vrseris, malam sententiam euincunt. Ast cum hoc iniquum esse ac ineptam de atheismo statuendi regulam, aequus Lector ipse intelligit, tum illa non tam animo a Dei cultu et religione abhorrenti, quam imprudentiae ingenii Campanellae anomali tribuenda sunt. Magis enim iudicii defectum, quam voluntatis perfidiam testantur. Quae vero de sensu rerum scripsit, inepta quidem sunt, et philosopho reformatoris personam induente indigna, at nec noua tamen, sed multoties, et ante Campanellam a Telesio recocta, et in Numen minime iniuria, quod omnino supponunt. Ferri autem debent in homine tot calamitatibus iactato, tot ingenii praecipitiis tentato, tot librorum lectione et scriptione obruto, et inde iudicii deliquium passo istae anomaliae, et infirmitati magis, quam malitiae adscribenda ea sunt, quae a vera regula sensuque pietatis recedere videntur.

Scripta Campanellae.

§. XI. Scripsit fere innumera Campanella, adolescens, iuuenis atque vir; neque senis industria emarcuit. Multa incepit, et affecta reliquit haud pauca furto vique sublata amisit et resuscitauit, quam plurima amicis tradidit edenda, qui eius pennis postea se exornarunt. Multa adhuc sunt, quae extant a Campanella profecta, licet rarius occurrentia [e]: nec pauciora, quae passim in bibliothecis latent, nondum vulgata. Et plerorumque indicem quidem atque historiam ipse Campanella enarrauit in schediasmate *de Libris propriis;* accurate et editos et enarratos recensuit I. ECHARDVS, qui triplicem scriptorum Campanellae dedit catalogum; primum iuxta syntagma *de Libris propriis*, alterum, prout ab eo fuerunt in X Tomos distributa ad calcem *Philosophiae rationalis:* tertium operum, quae reuera typis prodierunt, seruata editionum chronologia, et additis virorum eruditorum, si quae emanauerunt, censuris. Addidit his indicem quartum operum, quae typis non prodierunt, sed MSc. in bibliothecis variis delitescunt. Hunc consulat, qui de scriptis Campanellae certior fieri, eiusque literariam historiam plenius noscere cupit. Multa ex his scriptis in Galliam secum adsportauerat, sed cum nec doctrina de praedestinatione Thomistis placeret, qualem ille tradebat, nec ferre possent multa in pontificis maximi gratiam dicta, Galli eo quod ecclesiae Gallicanae libertati intolerabilia viderentur, ea edere in vulgus ausus non est. Notari autem ex editis a nobis merentur, *philosophia sensibus demonstrata, prodromus philosophiae instaurandae; de Sensu rerum et magia; Realis philosophiae epilogisticae partes quatuor; Atheismus triumphatus; de Gentilismo non retinendo; Astrologicorum libri sex; Philosophiae*

e) Vid. SINCERI Obseruationes de Libris rarioribus T. I. p. 194. T. II. p. 25. 209. VOGT. Cat. libr. rar. p. 161. 162.

ſophiae rationalis partes quinque, ciuitas ſolis, quae eſt idea reipublicae imaginariae; Vniuerſalis philoſophiae ſeu metaphyſicarum rerum iuxta propria dogmata partes tres: de Monarchia Hiſpanica et de libris propriis et recta ratione ſtudendi. In his quae affatim carpas, complura inuenies; multa autem deprehendes, quae laudem merentur, et doctrinam ſpirant. Vnde haud pauci Campanellae eruditionem laudibus extulerunt, quorum loca congeſſere CYPRIANVS [f], ECHARDVS [g], POPE-BLOVNTIVS [h].

§. XII. Integrum philoſophiae curſum reformare conſtituerat Campanella; non in iuuentute ſolum, qua eas tractationes edidit, quas ſupra enarrauimus, ſed ſenex quoque, et ad maiorem animi fatorumque tranquillitatem perductus. Quem in finem opera in decem tomos diſtributa edere in animo habuit, vulgatoque tomo primo ſubiunxit huius conſilii adumbrationem, ex qua patet, dare eum voluiſſe praeter *Philoſophiae rationalis partes quinque, grammaticam, dialecticam, rhetoricam, poëticam, hiſtoriographiam*, quae typis editae ſunt, *Philoſophiam realem phyſiologiam, ethicam, politicam, oeconomicam complectentem;* et libros ſimul *de Senſu rerum et magia, et aſtrologicos* exhibentes: tum *Philoſophiae vniuerſalis ſiue metaphyſicae* partes tres. Vt taceamus *Opuſcula miſcellanea*; ex parte quoque argumentum philoſophicum complectentia. Eorum autem nihil praeter partem primam et quartam prodiit. Ex qua, vt ex libris ſupra enarratis, *de Senſu rerum*, ex *Prodromo philoſophiae inſtaurandae* et ex *Vniuerſali philoſophia*, et ex *Reali philoſophia epilogiſtica*, eius nouum, quod condere coepit ſyſtema hauriendum eſt. Non patitur locus et inſtituti noſtri ratio, vt plenam doctrinae philoſophicae Campanellae exhibeamus διατύπωσιν; in infinitum fere ſi hanc viam ſequi velimus, excurſura huius vltimae partis tractatione. Vt tamen conſtet, quibus potiſſimum hypotheſibus emineat Campanellae philoſophia, ſingulares eius ſententias, quae potiores ſunt ſtrictim enarrabimus; iis omiſſis, quae vel contra Peripateticos, vel pro Teleſio diſputauit, quae ad philoſophiam polemicam pertinent, et alio loco delineanda ſunt. *Philoſophia Campanellae.*

§. XIII. In dialecticis hae potiſſimum Campanellae aſſertiones memorabiles ſunt [i]: *Dialectica Campanellae.*

I. Dialectica eſt ars, ſeu inſtrumentum rationale ſapientis, quo ſermocinationem in omni ſcientia moderantur.

II. Tres ſunt partes logicae, definitiua, enunciatiua, at argumentiua, nempe ſecundum tres actus intellectus, conceptionem, enunciationem, et diſcurſum.

III. De-

f) loc. cit.
g) loc. cit.
h) Cenſ. cel. auct. p. 436. LOTTER. de Teleſio p. 56. ſeq.
i) Dabimus paulo pleniorem logicae Campanellae διατύπωσιν, cum, qui hiſtoriam philoſophiae rationalis ſcripſerunt, eam vix nominetenus adducant, vid. cel. WALCHII Hiſt. log. §. 19. Parerg. acad. p. 661, cuius ſine dubio cauſa eſt libri raritas.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

III. Definitio idem est, ac terminus; ille vero vel perfectus vel imperfectus.

IV. Termini sunt semina, definitiones vero principia doctrinalium: inuentio ad metaphysicum spectat, doctrina ad logicum.

V. Logica naturalis est participatio quaedam diuinae artis et rationis, seu verbi Dei, a quo dicimur rationales: logica artificialis est ars directiua, actuum rationes humanae in omni scientia.

VI. Terminus est signum notionum mentis quo, quicquid cognoscit, distincte notificat, et ita orationis constitutiuum est.

VII. Quid sint transcendens, genus, species, differentia, proprium et accidens, physice et notionaliter ex vnitiua et diuisiua notionum operatione animae declarandum est.

VIII. In diuino intellectu est vniuersale causatiuum, modo significatorum a se; in intellectu humano est vniuersale causatum ab ipso intellectu ex similitudine multorum singularium comprehensorum in vnum, vnoque propter hoc nomine donatorum, ideoque significatiuum et praedicatiuum de indiuiduis. Non itaque datur vniuersale a parte rei.

IX. Transcendens est terminus, vniuersalissimam communitatum omnium rerum communitatem significans.

X. Genus est terminus significans similitudinem essentialem multorum communitatum particularium.

XI. Species est terminus significans communitatem et similitudinem essentialem indiuiduorum.

XII. Indiuiduum vagum, est terminus significans existentiam incommunicabilem, communem omnibus indiuiduis signatis, id est singularitatibus cuiusque rei finitae.

XIII. Differentia est terminus, significans id, quod per se diuiditur genus, et constituitur species, et praedicatur de genere disiunctim, et de specie copulatim, et de indiuiduis sicut species.

XIV. Definitio est terminus complexus ex genere et differentia, praedicabilis conuertibiliter de definito, et de suis suppositis.

XV. Proprium est terminus, significans rerum conditiones peculiares.

XVI. Accidens est terminus significans id, quod rebus accidit praeter earum essentiam, aut potentiam, aut intentionem, aut voluntatem, aut ordinem, aut consuetudinem.

XVII. Repugnans praedicabile est terminus indicans effectum impotentiae vel non entitatis, vel finitatis, quam omne finitum ens participat.

XVIII. Transcendens vnum est, omnia continens, propterea secundum rem non facit praedicationes: sed secundum rationem plures notiones de eodem comtemplante fiunt praedicationes et praedicamentum metaphysicum.

XIX. Ens non distinguitur per singularitates sicut species, nec per differentias, sicut genera, sed per diuersos modos essendi, diuersa genera constituentes generalissima.

XX.

XX. Praedicamentum est coordinatio praedicabilium a generalissimo vsque ad indiuidua per specierum differentias progrediendo.

XXI. Venari praedicamenta, metaphysici est

XXII. Ens finitum vel per se est, vel subest, vel ineſt, vel praeest, vel adest, vel coëxistit, vel inexistit, vel prodest etc.

XXIII. Quatuor sunt praedicamentorum genera; alia enim praedicant existentialiter et coexistentialiter de subsistentibus; alia praedicant essentiam partialiter, alia totaliter: alia genus habent analogum.

XXIV. Prima substantia, quae basis omnium, nec in vllo subiecto est, est spatium vniuersitati corporum substans: hoc sensu Deus improprie est substantia.

XXV. Secunda substantia, quae proprie et principaliter, sed non maxime subsstat, nec subsistit, nisi forte imperfecte tertia, quae certo subsistit.

XXVI. Est itaque substantia ens finitum, reale, per se subsistens, perfectum, accidentium per se proximumque subiectum.

XXVII. Quantitas, quae secundum praedicamentum est, est intima mensura substantiae materialis, estque triplex; numerus, pondus, moles siue mensura.

XXVIII. Tertium praedicamentum constituit forma seu figura, quae est qualitas, seu modus et dispositio termini substantiae ad vsum regnantis potestatis ordinata. Transfertur autem, ad ipsam rei intrinsecam qualitatem essentialem, terminantem rei constitutionem.

XXIX. Quartum praedicamentum est vis seu facultas, quae est potestatiuae essentialitatis virtus, ad actum et actionem emergens. Reducuntur autem omnes facultates, ad potestatiuas, cognoscitiuas, et appetitiuas.

XXX. Quintum praedicamentum est operatio siue actus: estque perennis actus habitualis internae virtutis conseruans essentiam in sua existentia propter se editus et non in aliud.

XXXI. Sextum praedicamentum est actio: quae est potentiae actus effusiuus, similitudinis caussae agentis in patientem.

XXXII. Septimum praedicamentum est passio, quae est actus impotentiae deperditiuus propriae entitatis et receptio alienae.

XXXIII. Octauum praedicamentum est similitudo, quae est influxus vnitatis participiumque.

XXXIV. Dissimilitudo est nonum praedicamentum, estque vere diuisionis influxus.

XXXV. Decimum praedicamentum est circumstantia, quae est, quicquid circa aliquid est ipsi inhaerens, siue adhaerens, siue inoperans, siue alio pacto ad ipsum pertinens, non tamen illius essentiam ingreditur.

XXXVI. Diuisio est totius in partes, quae sibi insunt redactio, siue sit quantitatiuum, siue integrale, siue essentiale, siue potestatiuum, siue vniuersale.

XXXVII. Definitiones fiunt ex his, quae sentimus, et transferuntur ad insensilia.

XXXVIII. Vocabula sunt definitiones secundum naturam, non autem secundum nos.

XXXIX. Definitio est epilogus considerabilium circa rem vnamquamque, et quod eis per sensum colligitur: constatque ex similitudine et dissimilitudine.

XL. Modus definiendi varius est, quia varius modus essendi.

XLI. Non entium datur definitio, vt et singularium.

XLII. Quorum esse est vnum simplex, definitio est vna et simplex; et vice versa, deesse compositio. Deus autem caret definitione, non enim suscipit differentiam, nisi negatiuam.

XLIII. Descriptio est oratio indicans essentiam rei per proprietates et effectus et similitudines.

XLIV. Nomen est terminus per se significans essentiam, pure rerum; verbum, actum rerum.

XLV. Praepositio est oratio perfecta indicatiua, verum vel falsum significans: estque vel simplex vel composita etc.

XLVI. Propositio categorica est vel absoluta vel modalis.

XLVII. Suppositio est acceptio termini substantiui in propositione extremaliter se habentis ad standum pro aliquo suo significato.

XLVIII. Argumentatio est processus intellectus a noto ad ignotum cognoscendum et declarandum et probandum.

XLIX. Fundamentum scientiae humanae est sensus.

L. Syllogismus sensatus fit ex duabus propositionibus, in quarum altera praedicatur subiectum conclusionis, in altera praedicatum, de pronomine demonstratiuo.

LI. Inductio est argumentatio a partibus sufficienter enumeratis ad suum totum vniuersale.

LII. Expositio est probatio vnius propositionis per clariores et aequipollentes propositiones.

LIII. Consequentia est propositio composita ex duabus, quarum altera ex altera dependet, et per illatiuam notam perficitur.

LIV. Syllogismus est oratio perfecta complexa tribus terminis et duabus propositionibus: ex quibus positis et rite ordinatis, necesse est conclusionem euenire: habetque formas quatuor.

LV. Enthymema est syllogismus truncatus, in quo tacetur vel maior vel minor, quoniam est notissima.

LVI. Exemplum est aliquid ostendere de vno singulari per aliud singulare, in quo idem praedicatum inest.

LVII. Argumentum est vel demonstratiuum, quod causat scientiam, vel probabile quod causat opinionem.

LVIII.

LVIII. Scire, est rem per causas nosse; impossibile autem est, id fieri posse perfecte.

LIX. Ex sensitiua demonstratione oritur intellectiua.

LX. Sentire est scire, estque scientia de singularibus et contingentibus saepe maior, quam de vniuersalibus, aeternis et necessariis.

LXI. Intrant quidem principia communia omnem demonstrationem, sed virtualiter et mediate, immediate autem sola propria.

LXII. Ignorantia est triplex, alia negatiua, alia priuatiua, alia contraria, huc sophismata pertinent.

LXIII. Propositiones probabiles sunt, quae videntur probabiles aut multis, aut paucis iisque doctis.

LXIV. Sunt autem earum sedes quatuor, testimonium, caussa, effectus et signum.

Summa haec est logicae Campanellae, quam innumeris fere distinctionibus, axiomatibus regulis repleuit. In qua id sibi potissimum constitutum habuit, vt ab Aristotele recederet. Quod an semper re ipsa, et non magis nomine, et termino fecerit? an pleniora et lucidiora attulerit? an non eandem, quam Peripatetici meruerunt, dicam patiatur? an ad veritatem inquirendam viam aperuerit planiorem et apertiorem, Lectori, philosophiae rationalis perito examinandum atque definiendum relinquimus.

§. XIV. In naturali philosophia, si *prodromum philosophiae instaurandae*, siue *compendium dissertationis de natura rerum* sequimur, ita statuendum esse censuit Campanella: *Physica Campanellae.*

I. Duce sensu philosophandum est: eius enim cognitio omnis certissima est, quia fit obiecto praesente.

II. Sensus distinguitur in praesentem sensationem et anticipationem, siue sensationem praeteritam, quae secundum certitudinis locum occupat, vt tertium obtinet discursus, qui fit ab his notis per sensum ad ea quae non sentimus, sed similitudine horum indagantur.

III. Vltimum intellectio tenet, quae separat communia a particularibus.

IV. Communis scientiae sedes est discursus et ratio, quia non omnia possumus sentire: et ratio eo certior est, quo sensu vicinior est: e contra imbecillior, quo imaginatione magis appropinquat et a sensu se alienat.

V. Rerum essentia et existentia vnum idemque est, quae enim non habent existere non habent esse.

VI. Quaecunque physica existunt in loco aliquo existunt.

VII. Locus est substantia prima incorporea, immobilis apta ad receptandum omne corpus.

VIII. Locus non habet contrarium; potest enim omnia corpora recipere.

IX. Non igitur datur sursum et deorsum, nec graue et leue, nisi sicut a nobis inuenta signa.

X. Locus est extra mundum et forte infinitus.

XI. Vacuum non datur, quia omnia corpora sentiunt, et mutuo tactu gaudent, at datur per violentiam.

XII. Tempus est duratio successiua rerum; estque numerus motus non secundum se, sed secundum existimationem nostram.

XIII. Omnis mensura est mensura respectu animae; sic tempus mensura nobis est motus, et secundum se est duratio essentiae vniuersorum.

XIV. Tempus mensurat quietem, et potest apprehendi sine motu: componiturque ex instantibus, sensu indiuisibilibus, quae imaginatio tamen diuidit semper, sed frustra.

XV. Tempus incepisse non probatur; sed creditur cum spatio simul factum esse.

XVI. In medio spatii vacui Deus posuit materiam, id est, corpus inconstructum, aptum ad constructionem recipiendam; eique appositas causas agentes duas, calorem scilicet et frigus, quae in communem massam, vt suam, egerunt.

XVII. Inde duo mundi corpora prima effecerunt, calor scilicet coelum ex materia deuicta et attenuata, frigus terram, ex portione correpta et condensata.

XVIII. Robustior calor cito attenuauit portionem suam, et vndiquaque prosiliens in peripheriam, vbi dicimus sursum accessit, frigus inimicum fugiens, et in gyrum actus coelos expandit, ac sentiens suam tenuitatem a frigore corripi exsuperarique, in quibusdam partibus se vniit, et refulsit, et ibi coelum stella dicitur.

XIX. In extremo coeli, vbi sua vnio a frigore terrae non poterat impediri, facta est multitudo stellarum, quae fixae dicuntur.

XX. Luna, quia vicina est terrae, ex partibus minus tutis est constituta, ex se non lucentibus.

XXI. Sol vero ex longe copioso vnitoque calore constitutus est, et calor vnitus lucem emisit, et factus est tantus, qui terram continuo possit oppugnare.

XXII. Frigus, alia agens causa, abire in gyrum, sentiens calorem, mole sua constipauit, et vndequaque fugare volens, inimicum circularem fecit, ideo terra se sustinet in sublimiori medio immota, quia quodcunque moueretur, a calore oppugnaretur.

XXIII. Sol circa terram circumuolutus eam oppugnando, si attenuat, facit aërem, et vaporem, partes nostri coeli: si eliquat, aquam; si indurat, lapides, si vtrumque plantas; si eliquat simul, indurat et attenuat, animalia. Sed ex liquore et vapore fiunt innumerae rerum species.

XXIV. Materia est corpus: quia sine corpore nihil est, nisi chimaera.

XXV. Forma est materia extremitas et finis.

XXVI. Componuntur autem res ex causa patiente et agente cum suis integritatibus tantum.

XXVII.

XXVII. Non habet corpus conſtructionem niſi a calore et frigore illud in effigies efformantibus.

XXVIII. Corpus non agit, ſed recipit rerum actiones et formas.

XXIX. Materia inuiſibilis eſt, et ideo nigra.

XXX. Omnes colores componuntur ex tenebris materiae et luce ſolis.

XXXI. Lux eſt albedo viua; albedo viciniſſima eſt luci, poſtea albidum, deinde puniceum, inde croceum, viride, purpureum, albugnum fuſcum, poſtremum tenebris contiguum.

XXXII. Lux eſt caloris color et ſpecies, facies, apparentia, lux, vt oculis obiicitur, vt tactui, calor.

XXXIII. Frigoris facies eſt ignota, quia non aduenit ad nos, forte eſt nigrum, nempe contemtum facie materiae.

XXXIV. Coelum tenuiſſimum, aptum ad motum, terra denſiſſima propter quietem, illud calidiſſimum, haec frigidiſſima.

XXXV. Omnis ignis mundi a ſole eſt deriuatus.

XXXVI. Sol mouetur continuo, et nunquam eandem terrae portionem calefacit.

XXXVII. Planetae parui ſunt, qui nequeunt ad nos, qui urat, calorem demandare.

XXXVIII. Putrefieri non poteſt coelum, quia ignis non putreſcit, extranea admittendo, quibus fiat putredo.

XXXIX. Formae non latent in materiae ſinu, ſed ſunt omnes portiones cauſſarum agentium; figurae vero, quae verae formae ſunt, efficiuntur in corpore ab agentibus.

XL. Aqua non habet frigus ſummum.

XLI. Sunt itaque duo elementa, quae videmus, ſol et terra, omnia ex ſe ipſis generantes.

XLII. Sunt autém lux et tenebrae eorum facies, motus et quies operationes eorundem, rarum et denſum, humidum et ſiccum, effectus in materia.

XLIII. De principiis autem quaerentibus intelliguntur non vniuerſalia logica, ſed phyſica et realia, id eſt, in efficiendo, non in praedicando.

XLIV. Accidens eſt illud, quod praeter intentionem agentis fit; hinc calor et frigus non ſunt accidentia, quia ſunt intenta a natura.

XLV. Neque tamen calor et frigus ſubſtantiae ſunt, quia non ſunt res ſubiectae, ſed cauſſae agentes: nihil autem accidens eſt in natura, niſi in reſpectu.

XLVI. Conditiones Elementorum ſunt, vt maxima omnium ſint corpora, vt habeant actiuas cauſſas, ſint maxime contraria, et ab aliis non generentur, ſed ſeſe generent, ſuis facultatibus.

XLVII. Duae extremae ſunt materiae diſpoſitiones, denſitas et tenuitas; haec efficitur ab vno calore, illa ab vno frigore.

XLVIII. Dum calor agit in denſitatem, antequam veniat ad tenuitatem,

in hos deducit gradus: in lentorem, mollitiem, viſcoſitatem, lubricitatem, fluorem, vaporem et tenuitatem.

XLIX. Tenuitas eſt ſumma explicatio materiae denſitas ſumma conſtrictio, et ideo denſa non admittunt terminum tangentis.

L. Calor non generat ſiccitatem, ſed latentem manifeſtat.

LI. Cometae fiunt ex vaporibus tenuibus copioſisque a luce ſolis illuminatis, efficientibus comam in aduerſa parte; quando transvehitur lux, mouentur autem ad motum coeli.

LII. Aër non eſt elementum, quia non poteſt aërem generare, ſed generatur a ſole: nec habet actiuitatem ſummam: ſed eſt omnis portio coeli, a frigore terrae oppugnata et ſolis calore refecta.

LIII. Similiter aqua non eſt elementum, non poteſt enim generare aquam; nec eſt frigida ſed calida.

LIV. Mare gignitur in profundis terrae partibus vbi terra fit liquida, nec partes tenues poſſunt abſcedere, et ipſa exuſta terra liquoribus mixta liquefit, exque talibus fontibus fit mare.

LV. Aquae dulces gignuntur ex vaporibus terrae in cauitatibus condenſatis, et exeunt ad orificium fontis: in aëre autem aquae fiunt ex delatis illuc vaporibus, et ſpiſſatis.

LVI. Non datur niſi vnus locus: quia locus loco non eſt contrarius, et motus non fit ratione loci, ſed contrarii fuga et conſeruationis appetitu.

LVII. Terrae purae nulius motus competit; coelum vero mouetur propter calorem.

LVIII. Motus diuiditur in actionem et operationem: actio requirit patiens, nam eſt effuſio ſimilitudinis agentis in patiens: paſſio vero eſt eiusdem receptio. Actio tendit ad finem; operatio vero non, ſed ſi finiatur, deſtruitur operans.

LIX. Motus, qui eſt operatio, eſt actus exiſtentis in actu; ſed qui eſt paſſio, eſt actus entis in potentia et ideo terminabilis.

LX. Vnum eſt coelum, et ſtellae mouentur ſuo calore, pro diuerſitate gradus caloris.

LXI. Non datur motus raptus, nec excentrici nec epicycli, ſed eleuantur et deprimuntur planetae ſecundum acceſſum et receſſum a ſole, a quo lucem participant maiorem.

LXII. Feruntur in obliquum, quia poli mundi non ſunt ſtabiles, ſed mouentur trepidando, modo in auſtrum inclinati, modo in ſeptentrionem.

LXIII. Ens vnum quodque agit, vt ſe ipſum conſeruet in eſſe, quo eſt: ideo alterius entis contrarium ſentiens illud deſtruere ſtudet, et ſuam indere ſimilitudinem in contrarii entis materia, vt tuto viuat in ſuo. Hinc innoteſcunt actiones: calore terram frigidam deſtruere exoptante.

LXIV. Quoniam ſol longe terra eſt maior viribusque robuſtior, quaecunque generat, ſua donat natura, ſcilicet calore. Omnia enim entia

noſtra

noſtra natura calida ſunt: quia vero frigus et denſitas terrae reſiſtit, dantur tantum eis medii gradus caloris.

LXV. Fit ergo rerum diuerſitas ex diuerſis modis agendi et gradibus diuerſis ipſius caloris diuerſaque e materia.

LXVI. Cum agit calor, primum ſe indit materiae, in quam agit, dein attenuat materiam, licet in re diſſimilari partes remanentes craſſiores reddantur. Pars autem attenuata ſubito eleuatur; et tum alba efficitur: poſtremo rem attenuatam mouet.

LXVII. Hoc pacto generantur, nix, grandines, fulmina etc.

LXVIII. Lapides alii fiunt ex fluore terrae a calore fuſo, deinde a frigore ſtricto, vel tenuium abſceſſu, alii fiunt ex materia liquida deuictaque a calore, vnde perſpicui ſunt.

LXIX. Ex eiusmodi viſcoſo fluore in quo tamen partes inſunt tenues, et ideo extra ſuperficiem terrae exſudante, fiunt plantae.

LXX. Animal omne fit vbi calor tenuis ingenerat ſpiritum, qui elabi non potens e craſſitie, in cuius medio gignitur, ad ſui ingenium. Itaque ſentiens a contrariis ſe ſuamque domum oppugnari, et calore proprio reſolui, fingit ſibi organa apta ad ſui nutrimentum et vitam.

LXXI. Quicquid eſt in corpore, inſtrumentum eſt ſpiritus animalis in cerebro reſidentis, qui per neruos diſcurrens, totum, quo vult, agitat corpus, ſique ſentit ſe ſeruari, bonum iudicat, ſi deſtrui, malum.

LXXII. Animalia dupliciter fiunt: alia enim ſponte oriuntur, ingenito a ſole ſpiritu in craſſa mole, quae tunc fieri maxime contingit, cum entia noſtra putrefieri inceperint, quae vero e pluribus conſtant portionibus, diſſimilaribusque nequaquam ſponte oriri poſſunt: hinc ſimilia ex ſimilibus animantibus naſcuntur.

LXXIII. Differentia maris et foeminae ex inopia copiaque caloris fit.

LXXIV. Falſum eſt, foeminas non emittere ſemen, nam teſtes habent interius, ſed minus calidum habent minusque craſſum.

LXXV. Semen animatum eſſe oportet.

LXXVI. Omnes animalis operationes actionesque ab vna eduntur anima.

LXXVII. Idem ſpiritus omnia operatur in omnibus ſenſoriis.

LXXVIII. Omnia ſentiunt: omnes autem ſenſationes tactus ſunt.

LXXIX. Senſus quilibet immutatio eſt ſpiritus ab obiecto ſuo vires effundente.

LXXX. Tactus eſt in corpore vniuerſo, magis vero exquiſitus, vbi ſpiritus ad externorum bonorum malorumue vires diſcernendas opus habet magis.

LXXXI. In cerebro ſenſus princeps eſt.

LXXXII. Obiectum oculorum, lux eſt non color.

LXXXIII. Quicquid auditur eſt ſonus, id eſt motus robuſtior noſtri ſpiritus motione continua.

LXXXIV.

LXXXIV. Odor rei tenuis est substantia, quae spiritum in spongia narium attingens immutat, estque realis.

LXXXV. Sapor est actio innati caloris sapidorum, linguae calore perciti et materialiter agentis.

LXXXVI. Sensationes, quae in sensoriis fiunt, ad cerebri spiritum deferuntur, qui omnia iudicat, ab his quidem immutationibus immutatus vires bonas malasue discernens.

LXXXVII. Sensus vnus est, at sensationes organaque sentiendi plura. Vna discurrens sentiensque anima.

LXXXVIII. Quia anima cogitando supra coelum in infinitum ducitur, ideo a caussa infinita et diuina, Deo esse concluditur, adeoque immortalis.

LXXXIX. Triplici viuimus substantia, corpore scilicet spiritu et mente. Corpus est organum, spiritus vehiculum mentis, mens vero apex animae in horizonte habitans, quae spiritum et corpus informat.

XC. Fontes omnium passionum sunt duo oppositi dolor et voluptas; hic sensus boni, ille mali, ad haec sequuntur ceteri affectus, et hinc etiam virtutes sumunt ortum, quae prout magis conseruant, magis virtutes sunt.

Pauca haec sunt ex innumeris, quae in libris physicis Campanella multis rationibus, methodo haud raro vsus scholastica incrustauit. Quae magnam eum partem ex veteribus Parmenidi, et ex recentioribus Telesio debere, instituta comparatio ad oculum demonstrabit. Ex his itaque de Campanellae quoque physiologia facile iudicare licet.

Summa tractationis de sensu rerum.

§. XV. Satis haec de naturalis philosophiae placitis ex mente Campanellae dicta videri possunt; ast, tantam sibi fecit Thomas vel famam vel infamiam hypothesi illa, qua sensum rebus omnibus tribuit, eaque est libri, in quo illam explicuit, raritas, vt deesse aliquid narrationi nostrae conquesturi sint, qui his rebus delectantur, nisi singularis atque paradoxae opinionis summam atque rationes explicemus. Enarrabimus ideo Campanellae de sensu rerum sententiam, qua licet breuitate, vt ex ea constet, vtrum vel vera dixerit vel impietati affinia, et sanis omnibus explodenda. Huc autem potiora redeunt:

I. Ens nullum aliis dare potest, quod ipsum in se non habet: adeoque, quicquid est in affectibus, est etiam in caussis [k].

II. Cum vero animalia sensum habeant, sensus autem ex nihil non oriatur, necessario affirmandum est, elementa, ipsorum caussas sentire, et quidem omnia.

III. Sentit ergo coelum et terra et mundus animaliaque inter ipsum manent, sicut vermes intra ventrem corporis humani, qui hominis intellectum et voluntatem et sensum non percipiunt, quoniam ipsorum sensui non proportionantur.

IV. Sensus

k) Lib. I. c. 1. p. 2.

IV. Senſus eſt perceptio paſſionis cum diſcurſu rei exiſtentis actu; et non potentiae purae informatio eiusque differentiae [l].

V. Eſt autem ſenſus non ſola paſſio perfectiua, ſed etiam corruptiua.

VI. Cum quid ſentimus, non totam illius vim et formam ſuſcipimus.

VII. Senſus itaque fit non per informationem, ſed per immutationem.

VIII. Senſus non ſolum paſſio eſt, ſed fit ſimul cum diſcurſu tam celeri, quod non percipitur.

IX. Memoria eſt ſenſus anticipatus, reminiſcentia autem reñouatus in ſimili.

X. Diſcurſus eſt ſenſus ſimilis in ſimili.

XI. Omnia animalia habent ſpiritum liberum intra cellas proprias, habent et memoriam et diſcurſum: non autem plantae, quia ligatum in anguſta craſſitie obtuſumque ſunt ſortitae ſpiritum.

XII. Anima eſt res tenuis, patibilisque ab omni re ſibi diſſimili, non autem a prorſus ſimili, vnde ſpiritus ſpiritum et aërem minus ſentit.

XIII. Si ſenſus eſt paſſio, omniaque elementa ac elementata patiuntur, omnia ergo ſentiunt.

XIV. Senſus non paſſio ſola eſt, ſed perceptio paſſionis et iudicium de obiecto paſſionem inferente.

XV. Sine ſenſu mundus eſt chaos, nec corruptio aut generatio ſequitur; quae ſine contrario, eiusque ſenſu non datur.

XVI. Rerum naturalium operationes, in quibus ipſarum manifeſtatur ſenſus, non a Deo, nec ab angelis, nec ab anima mundi, nec a [illegible]lectu agente, ſed ab ipſis formis naturalibus fit, at non ſine Deo [m].

XVII. Inſtinctus eſt impulſus ſentientis naturae; hinc qui inſtinctu res agi ponunt, ſenſu ponant, oportet. Concedunt enim, naturalia omnia agere propter finem: eum igitur cognoſcant, ſitque inſtinctus impulſus cognoſcentis naturae, neceſſe eſt [n].

XVIII. Quaecunque accidentia ab inſtinctu fiunt, effectus ſunt ſenſus partium, totiusque mundi [o].

XIX. Cuncta entia abhorrent vacuum, ergo ſentiunt, mutuoque gaudent contactu, mundusque eſt animal [p].

XX. Datur autem vacuum tantum violenter non vero naturaliter [q].

XXI. Spatium natum ad locandum trahit ad ſe corpora, non quidem inſtrumentis, ſed appetitiuo ſenſu: nam et illi ineſt potentia, ſenſus et amor, eſſendi tale, quale a Deo creatum eſt: non poteſt autem eſſe ipſe Deus: ſed eſt baſis vniuerſalis entitatis, creata vna cum corporibus. Ideo res cum voluptate ad ipſum trahuntur, accurruntque ad id implendum. Ex quo ſequitur, non modo ſenſu mutui contactus vniri mundum, ſed et gaudio ex repletione vacui, in quo res ſe dilatant et multiplicant [r].

XXII. Con-

l) c. 2. p. 11. m) c. 6. p. 16. n) c. 7. p. 21. o) c. 8. p. 25. p) c. 9. p. 35. q) c. 10. p. 37. r) c. 12. p. 48.

XXII. Contrarietas non diſſoluit mundum, immo ad vnionem incitat, et partes ad pugnandum alteram contra alteram, et ad ſuccurrendum inani, certando prae altera, alteram occupare illud, et ſe amplificare, generare et effundere ab inimica timentem, ac ſpontanea ira congredi conſpiciuntur [s].

XXIII. Stultum eſt, afferere mundum ſenſus expertem eſſe, quoniam caret oculis, auribus, pedibus et manibus. Haec enim inſtrumenta conueniunt ſpiritui animali, materia craſſa circumſepto: at mundo ad motum ſufficit rotunda figura, manus eius ſunt radii et virtus diffuſiua, oculi, ſtellae ac luminaria.

XXIV. Materia vniuerſalis, quae eſt locus omnium formarum, moles eſt corporea. Ea autem non patitur in vim formarum ſuſceptione, ſed gaudet et appetit formas, ergo ſentit: omnis enim appetitus a cognitione ſuboritur [t]. Eius autem appetitus ſenſusque conformatur ad ſenſum omnis formae: et quia inuiſibilis eſt et tenebroſa appetit colorem, variisque ornari formis [u].

XXV. Neque anima, neque ſenſus neque forma vlla de materiae ſinu educitur, ſed ab agentibus effunditur cauſſis [x].

XXVI. Ex fabrica et origine animalis conſtat, animam eſſe ſpiritum tenuem, calidum, mobilem, aptum pati proptereaque ſentire [z].

XXVII. Vere omnia animae ſunt plena, vt patet ex ſponte natis, quoniam omnibus ineſt calor [a].

XXVIII. Omnia entia ab igne motum habent, eſtque anima motiua ſpiritus calidus [b].

XXIX. Idem ſpiritus eſt anima cognoſcens iraſcibilis et concupiſcibilis et motrix: in quibus actibus omnibus neceſſe eſt tribuere ſenſum iraſcibili et concupiſcibili [c].

XXX. Ex concoctione, nutritione, augmento et decremento ſequitur, ſpiritum eſſe animam, operarique vt principale agens, nec poſſe ab anima regi, niſi ipſe ſentiat praeceptum [d].

XXXI. Varii modi ſunt ſentiendi, ſignificandique, illi autem oſtendunt vnicum eſſe ſenſum in omni re, et res ſentire, reſentire, exiſtimare, et tranſcurrere, et perſpicere, et ſapere [e].

XXXII. Omnes ſenſus ſunt tactus; at ſenſoria et ſentiendi modi differunt, propter craſſitiem et gracilitatem organorum ob id formatorum [f].

XXXIII. Res ergo duriſſimae modicum ſentiunt, magis plantae, et his melius liquores: ventus autem et aër facillime ſentiunt: lux vero et calor maxime ſenſitiua ſunt entium omnium, quae in mundo ſunt: mundus ipſe

s) Illuſtrationis cauſſa, ad theoriam ſuam de febribus nouam prouocat p. 46. quae noſtro tempore magno plauſu a medicis ſummis recepta eſt: „febrem eſſe rem vtilem; niſi enim accenderentur „ſpiritus contra morbum, et motus pulſusque „non velociores ſolito vehementiores ederet, et „calorem non augeret, contra inimicum calorem, „remaneret ipſe victus ſubitoque mortuus: quod „fit quando in feruore vincitur," etc.

t) L. II. c. 1. p. 48.
u) c. 2. p. 50.
x) c. 3. p. 52.
z) c. 4. p. 54.
a) p. 59.
b) c. 8. p. 67.
c) c. 9. p. 70.
d) c. 10. p. 80.
e) c. 11. p. 83.
f) c. 12. p. 87.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ipſe ſentit totus, alibi magis alibi minus: vt nares non ſentiunt piperis calorem, nec lingua ſonum aëris, nec auris lucem etc. [g]

XXXIV. Oſſa, pili, nerui, ſanguis, ſpiritus, omnes ſentiunt; licet paſſiones omnium partium non perueniant ad animal, vel non ita valenter [h].

XXXV. Non datur ſenſus communis [i].

XXXVI. Anima non eſt corporis forma, ſed domina et accola, excepta mente humana; nempe eſt agens cauſſa intercluſa et intra operans in corpore [k].

XXXVII. Memoria eſt in ſentiente ſpiritu reponenda, idemque ſentit et recordatur [l].

XXXVIII. Eadem anima ſentiens et memoratiua, eſt etiam imaginatiua et diſcurſiua [m].

XXXIX. Eſt in brutis ſenſus, memoria, diſciplina, diſcurſus et intellectus vniuerſalis, ſed non diuinorum, vt in homine: qui praeſtat eis etiam in omnibus, tum ob meliora organa interiora, tum ob ſpiritum puriorem, lucidiorem et nobiliorem, tum ob perfectionem, quam ſpiritus habet a mente immortali ipſi indita [n]: inde enim rationalis eſt.

XL. Mens autem hominis et immortalis eſt, et diuina: deſcendit enim a cauſſa infinita ad quam tendit, religione. Idem conſtat ex ſcientiis, quas mens hominis tractat [o].

XLI. Omnia entia ſunt et operantur tanquam inſtrumenta primae ſapientiae, ſummumque bonum eſt in aeternitatem conſeruari, omniaque hoc appetere, et ſuo conſequi modo [p].

XLII. Ex imitatione auctoris naturae cognoſcitur homo illi conuenire. Natura autem eſt ars, quam Deus rebus indit omnibus, vt ad fines ſuos perducantur; eſtque intrinſeca cunctis, et conſtat metaphyſicis primalitatibus, potentia, ſapientia, amore, ex quibus ens omne conſtituitur, aliud magis aliud minus [q]. Eſt itaque diuiniſſima hominis natura, quae imitatur intrinſecam naturam animalium, omniumque rerum in exterioribus artificiis.

XLIII. Senſus eſt cognitio vera, abdita vel addita, memoria languida, diſcurſus extranea, intelligentia remota, omnesque communes ſunt menti humanae ac ſpiritui, ipſaque huius forma eſt et immortalis [r].

XLIV. Spiritus aut anima in corpore conſultat diuinam interdum aliquam intelligentiam. Haec intelligentia, ſi prima ſapientia non eſt, erit anima mundi [s].

XLV. Si homini praeter ſpiritum corporeum neceſſaria eſt mens immortalis, multo magis neceſſe eſt ineſſe mundo, nobiliſſimo entium, animam excellentiſſimam quocunque angelo ſuperiorem, quae totius curam gerat.

XLVI. Neceſſaria eſt eiusmodi anima mundi, quia nulla creata natura,

g) p. 93. h) c. 13. p. 94. i) c. 17. p. 115. k) c. 18. p. 117. l) c. 20. p. 123. m) c. 21. p. 126. n) c. 23. p. 138. o) c. 25. p. 145. p) c. 26. p. 156. q) c. 27. p. 164. r) c. 30. p. 174. s) c. 32. p. 194.

praesertim inferior, potest susciperе influxum Dei infinitum, sed cum modificatione finita. Hinc colligitur, mundum habere spiritum, qui est coelum, crassum corpus, quod est terra, sanguinem, qui est mare, mentem isthanc animam.

XLVII. Coelum, stellaeque ignis naturae constant ac sentiunt: calor enim sensitiuus est; ex quo constat, coelum stellasque sensu acutissimo praeditas esse [t].

XLVIII. Coelum stellaeque motu regulari, irregularique a propria virtute sensitiua conseruationis propriae gratia feruntur omnes singulaeque [u].

XLIX. Coelum propria virtute mouetur, stellaeque a seipsis intra coelum, et possibile est eas, non autem sphaeras animari ab angelis [x].

L. Non inepte existimandum videtur, stellas mutuo significare proprias alteram alteri conceptiones, dum lucem quaeque suam in alteram transfundunt: ipsarumque sensum voluptuosum esse; non tamen sciunt, quod tota anima mundi scit, aut mundus totus [y].

LI. Animae beatae habitantes sic viuas lucidasque mansiones, res naturales vident omnes diuinasque ideas: habent quoque lumen glorioſius etc.

LII. Deus sui manifestationes glorioſas plurimum facit in coelo, at nos videre eas non possumus, propter vapores aërem perpetuo occupantes: at cum purgabitur igne mundus, omnia conspicientur [z].

LIII. Egressa anima ex hoc antro opaco, videbit aërem, ventum, angelos, omniaque tenuissima entia; plus autem videbit, quae purior extiterit. Spiritus noster enim aëreus fiet aër et coelum: mens immortalis autem non remanet in aëre, sed vsque ad stellas transfertur, nisi corporis labe maculata fuerit, ibique deificatur et glorificatur.

LIV. Sensum habent, lux, ignis, tenebrae, frigus et terra: habent enim appetitum, et vim, et motum, inimicum opprimendi, et sensus atque operationes eius destruendi [a].

LV. Aëri velut coeli parti sensus negandus non est, licet perturbatior insit. Nutrire enim eum spiritum nostrum, experientia edocti scimus. Idem de ventis dicendum [b].

LVI. Aër est spiritus communis, et defert scientiam spirituum animalibus incluſorum ab altero in alterum. Quapropter multi sagaces spiritus ardentes ex aëre persentiscunt, quod cogitat alter homo; quia cogitatio est motus spiritus, qui exiliter communicatur aëri. Hinc diuinant melancholici: hincque diuersi vocis soni diuersos in animo produnt effectus [c].

LVII. Aër afficitur rebus praesentibus futurisque atque nobis communicatur. Fitque id potissimum in somno: dormiens enim homo cognitionem rerum ab aëre in spiritu captat mirificam, quam vigilando non sentit [d].

LVIII. Quam-

t) L. III. c. 1. p. 197. u) c. 2. p. 200. x) c. 3. p. 206. y) c. 4. p. 203. z) p. 210.
a) p. 211. b) c. 6. p. 216. c) c. 7. p. 218. d) c. 9. p. 225.

LVIII. Quamuis enim insomnia suboriantur aut ab affectibus causisque intrinsecis, aut ex motionibus vigiliae tempore illatis, relictisque in spiritu, aut a Deo, aut ab intelligentiis, sunt tamen plurima quoque, quae aëri tribuenda videntur.

LIX. Prophetia naturalis in spiritu, supernaturalis in mente fit [e].

LX. Omnes aquae et liquores sentiunt, quia a calore, generantur et informantur. Sensum autem habent aëre obtusiorem [f]. Id actiones et appetitus aquarum docet: hinc sympathiae et antipathiae liquorum. Similis ratio est lapidum et metallorum, quorum tamen sensus est obtusissimus [g].

LXI. De sensu plantarum nemini dubitandum est, cum vescantur, nutriantur, crescant, semina et natos producant, non secus ac animalia [h]. Cumque plantis insint ossa, medulla, nerui, venae, fibrae, corium, os, vestes, arma, et prolificatio, ne moriantur penitus, fatendum est, animalia esse, sensuque abundare. Sed et sicca ligna sentiunt, vi enim inflexa et relicta sibi, resiliunt, contrariam enim positionem odio habent et refugiunt.

LXII. Datur triplex magia, diuina, quam homo absque auxilio diuino vix intelligit et nihil operatur; naturalis, ex stellarum et medicinae notitia addita tamen religione, vt fiducia operantis ingeneretur, et diabolica, quae maleficiis et venenis vtitur et a diabolo ludificatur [i].

LXIII. Ad magiam coelestem requiritur amicitia Dei et fides: qua qui fruitur, hic potest in eius amicitia ita confidere, quod res creatas, prout opus est, immutare queat per miraculum. Fides autem requiritur: non haesitans et historica, sed intrinseca, et cordis puritas; non sola imaginatio. Hinc profecta sunt miracula vatum et apostolorum [k].

LXIV. Miracula facta absque Dei amicitia, non vera sunt miracula, sed naturalis magiae opera, aut diaboli, aut astutiae, imperitos ludificantis [l].

LXV. Magia diaboli aemula est diuinae, et naturae viribus occultis nititur [m].

LXVI. Scientiae artesque omnes naturali magiae seruiunt, sed quaedam magis [n].

LXVII. Qui spiritus, qui in homine est, tenuitatem, vel mobilitatem, vel luciditatem vel calorem immutare contrariis vel consimilibus, vel vehementibus vel blandis rebus agendo in ipsum nouit, is affectus quoque immutabit, et bene operabitur magice.

LXVIII. Reperitur in cadaueribus sensus, id experientia confirmat, et ex sensu obtuso constat, qui remanet in corpore mortuo. Hinc ebullire solent cadauera interfectorum praesente homicida [o].

LXIX. In rebus diu consumtis remanet sensus antecedens et recens: experimurque quoque passiones affectusque proprios et peculiares sentien-

e) c. 11. p. 235. g) c. 13. p. 247. i) L. IV. c. 1. p. 263. l) c. 5. p. 271. n) c. 6. p. 282.
f) L. III. c. 12. p. 241. h) c. 14. p. 151. k) c. 2. p. 265. m) c. 5. p. 281. o) c. 9. p. 295.

tis naturae: e. c. pulsato tympano ex pelle lupina, disrumpitur ouinum: quin non modo remanet sensus, consumto sentiente, sed etiam multiplicatur, et alia in se conuertit, vt patet ex morsu araneae Appulae et canis rabidi [p].

LXX. Animalia, plantae ac mineralia propter ea, quod proprias passiones nobis communicant, ingrediuntur omnia magiae vsum.

LXXI. Manat ex oculis vis immutatiua, et per consensum actiua [q].

LXXII. Fiducia naturali soni quoque et characteres afficere possunt animos; mouetur enim efficacissime imaginatio.

LXXIII. Verba quoque et voces in absentes effectus pariunt plurimos; sed saepe daemones dolose interueniunt [r].

LXXIV. Necessaria mago optimo astrologia est. Generatio enim, corruptio, alterationes, anni tempora, aëris mutationes, animalium germinationes efficiuntur luminaribus et stellis.

His potissimum assertionibus decantata illa de sensu rerum fabula Campanellae constat. In qua exornanda, pingenda, commendandaque multam eruditionem et lectionem ampliſſimam ostendisse philosophum infelicem, nemo temere negauerit. Ast eo minus toti tractationi iudicii et luminis inesse, fatebitur, qui perpetuos paralogismos, queis nec prima quidem fundamenta carent, obseruauerit. Maxime vero dum effectus quosdam enumerans, eorum causſam dicit esse sensum, fallaciam non causſae, vt causſae, quam vocant, frequenter admittit, et talia pro rationibus affert, quae quaestionem ipsam tangunt, et illa certiora vel clariora non sunt. Vt taceamus aniles fabulas, quas in libro quarto cumulauit, quas ex Cardano, Porta aliisque hausisse videtur. Recte itaque exposa est haec fabula a viris doctis [s]; licet nec primo nec soli Campanellae arriserit. Quotquot enim ex veteribus mundum fecere ἔμψυχον, ab his placitis abhorrere non potuere: ipse autem Campanella, se hanc assertionem a Telesio accepisse non negat. Tacemus Cabbalistas recentiores aliosque, quibus omnia sensata videntur.

Campanellae metaphysica.

§. XVI. Diu nos detinuit Campanella, rerum naturalium causſas enarrans: ne igitur taedium Lectori obrepat, reliqua, quae dicenda sunt, contrahemus, et paucis verbis exponemus, quid in metaphysicis Campanellae placuerit. In quibus eo foecundior fuit viri paradoxi calamus, quo facilius fuit, nouos terminos, canones, axiomata condere, quibus haud raro voces magis, quam res ipsas innouauit. Summam autem placitorum metaphysicorum nemo breuiori at lucido tamen et perspicuo compendio enarrauit, quam qui in sinum suum depositos habuit foetus Cam-

p) c. 10. p. 299.
q) c. 15. p. 376.
r) c. 18. p. 340.
s) Vid. MORHOFII Diss. de Paradoxis sensuum c. 1. quem locum vitae Campanellae suffixit cel. CYPRIANVS p. 76. seqq. conf. Polyh. lit. T. II. L. II. P. I. c. 14. §. 3. p. 241. seqq.

Campanellae literarios, TOBIAS ADAMVS. Hunc si audis [t], id sibi monstrandum in *Metaphysicorum Libris XIII.* sumsit Campanella, quam „paucum hoc sit et exiguum, quod ab hominibus sciatur de rebus idque „omne mancum et ex parte, et non vti res ipsae sunt in sese, sed prout „capi a nobis possunt. Considerari autem, ait, res creatas, tanquam ex „ente et nihilo compositas, docerique, ens transcendentali sua composi„tione ex tribus primalitatibus, tanquam charactere diuino constare, pa„tientia, sapientia et amore, vti nihilum ex impotentia, ignorantia et odio. „Quia omnis res est, quia potest, scit, et amat esse hoc quod est, et per„dendo hoc posse esse, aut scire, et velle esse, subito etiam ipsum suum „esse perdere, et perire ob nihilitatem illam annexam, (quod non esset „omne vel totum ens,) et in aliam essentiam transire ad transmutatio„nem rerum et generationem. Ex primo itaque ac summo et solo vero „ente (in quo ineffabili modo primalitates illae longe infinities altiori et „incomprehensibili essentiali simplicitate et perfectione sine vlla nihilita„tis admistione, tanquam in fonte concurrant, et vnum sint, ratione „tamen distinctae) quod omnes res ex nihilo produxerit, creaturarum „naturam in tali compositione deriuari, quarum primalitatum obiecta sint „essentia, veritas, bonitas supra quae seminentur et influant necessitas, fa„tum et harmonia. Hoc modo primum et vnum ens ideas suas inexhau„stibiles variis modis per durationem rerum, (quae sit tempus, imago „semper idem permanentis aeternitatis) transportari facere cum instrumen„tis suis, siue caussis agentibus calore et frigore, in materiam, siue molem „corpoream, sustentatam in spatio seu loco, basi huius mundi, quod in „Deo habeat suam firmitudinem vel stabilitatem. Haec principia illa me„taphysica sunt, quibus nouum aedificium inaedificat Campanella, disputans pressius de Deo, de intelligentiis et angelis et anima, de origine „ipsorum, de principio et vita mundi, de symptomatis seu morbis et mor„te mundi, seu interitu et renouatione, de hominibus et ipsorum legibus, „de vero, de falso, de vno, de numeris, et multitudine, de veritate reli„gionum, et de essentia rerum inuisibilium, de mutatione rerum coele„stium, et humanarum, et de examine principiorum omnium sectarum „et scientiarum etc. Donec tandem ad beatitudinem deuoluatur, quam „demonstrat, nihil aliud quam ipsam essentiam esse, vel huius perfectio„nem et vnitatem, ad quam religione et puritate adscendatur, vt animi „quasi sulciantur et religentur. Extraque Deum quaeri non posse, qui „ipse solus sit fons et finis omnium, quae esse habent aut desiderant, „aeternus, gloriosus, benedictus in omnia secula. Hactenus Adamus. Similia ipse CAMPANELLA enarrat [u], cum his conferendus, qui libros quoque XXIX. *de Theologia* se scripsisse ait iuxta metaphysicam suam. Sed et mathematicas scientias se metaphysica ratione fundandas instaurare coepisse ait. Vbique enim primalitatibus suis intentus Campanella, omnes disci-

t) In Praefat. Prodromi. u) De Libris propriis art. 3. p. 379.

Campanellae philosophia moralis.

disciplinas in hunc modum refinxit et reformauit x). Mirum itaque non est, politicam eius quoque istis speculationibus metaphysicis inniti, vt ex ciuitate solis patet, quam longe praestantiorem esse Platonica aut alia quauis ipse iactat, viri autem docti longe infra MORI *Vtopiam* esse iudicauerunt. Verum de his longius differere instituti ratio, et prolixior, quam postulat, tractatio prohibent. Consulendus autem CAMPANELLAE *Epilogisinus* a TOBIA ADAMO editus, quem valde commendat GABR. NAVDAEVS y), quem tamen nimium dedisse auctoris amicitiae omnino pronunciandum est. Summa enim eo tendit: in essentia Dei esse tres primalitates, siue ens primum essentiari potentia, sapientia et amore, atque omnes huius trinitatis effectus, hoc est, omnes creaturas, eam repraesentare, earumque quamlibet in tantum existere, et viuere, in quantum in ea perseuerarent, potestatis, sapientiae et amoris radii ac participationes. Quippe vnumquemque mortalium communi lege aut tanquam potentem viuere, aut tanquam sapientem, aut tanquam amantem et bonum, fierique posse, vt hae dotes omnes, aut saltem duae, in vno homine appareant. Degenerasse autem mortales ab his diuinitatis radiis, et obtentu potentiae, sapientiae et amoris diuini ad omnem libidinem abuti; huc ergo reuocandos et emendandos esse hominum animos. Quae quo loco habenda sint, Lector rerum moralium non ignarus, nobis non monentibus intelligit. Certe si metaphysica haec principia in moralem doctrinam traducta, inter se comparentur, patebit, haud procul ab enthusiasmo Campanellam abfuisse. Quem ingenii eius characterem vel vna, quam de magia diuina dedit, tractatio satis superque comprobat. Talis cum fuerit Campanella, non felicior fuisse in reformanda philosophia, quam in reliquis conatibus suis, censendus est.

x) p. 375. y) Bibliograph. c. 2. p. m. 25.

CAPVT

* *

CAPVT SEXTVM.

DE THOMA HOBBESIO.

§. I.

Fontes historiae litterariae Hobbesii.

Quod in Britannia magnis moliminibus exorsus est, perficere autem, quod ad alia vocaretur, non potuit illustris philosophus Franciscus Baconus de Verulamio, id, eius sine dubio exemplo excitatus, et forte consiliis quoque adiutus praestare conatus est THOMAS HOBBIVS, vel, vt plerique pronuntiant, HOBBESIVS. Cui viro natura larga manu ea dona distribuit, quae ad maximos in philosophia profectus suscipiendos sufficiunt. Quae cum ita adhibuerit, vt singulari inde fama in orbe philosophico inclarescceret, eius memoria hoc loco suo iure meritoque renouanda est. Et ipse quidem nobis reliquit vitae suae historiam, quam versibus comprehendit senex annos quatuor supra octoginta natus: paulo prolixiorem scripsit nonnemo [a] et auctario illustratam Carolopoli cIↃ IↃ CLXXXI edidit anonymus, literis R. B. nominis aliquod indicium faciens. Quem Radulphum Bathurst esse, virum magna de Hobbesio opinione occupatum [b], plerisque viris doctis visum est [c]: verum autem auctorem esse Richardum Blackburn obseruauit PETRVS BAYLE [d]. Praeter hunc ANTONIVS WOOD quoque, cui amplum *Historiae et antiquitatum academiae Oxonienſis* opus debemus, Hobbesii res gestas in hoc commentario historico enarrauit; quae tamen narratio a censoris manu magnam mutationem passa est, quamuis viuo adhuc Hobbesio ista celeberrimi philosophi biographia esset conscripta [e]. Et hos quidem fontes adierunt, quotquot de Hobbesii vita exponere, eiusque fata literaria descripserunt, quos, velut notissimos, hoc loco non excitamus, in sequentibus ex parte adducendos. Nos eos ipsos fontes non negli-

a) Esse hunc Io. Awbrey, contendit CHR. THOMASIVS Hist. iur. natur. p. 82.

b) Vid. Poëma eius in honorem Hobbesii scriptum, quod libro de Natura hominis praefixum repetiit THOM POPE-BLOVNT, Cens. cel. auct. p. 1046 seqq.

c) Vid. REIMMANN. Hist. liter. Germ. P. I. p. 101. PLACCIVS de Pseudon. p. 311. MOLLER. ad MORHOF. Polyh. T. II. p. 118. STRVVIVS Introd. in Hist. liter. c. 9. alii.

d) Lettr. T. III. p. 829.

e) Rem paucis sic habe: Inseruerat Woodius Historiae Oxonienſis vniuersitatis L. II. p. 376. seq. elogium Hobbesii, siue suo calamo, siue, quod non nulli volunt, Auberii exaratum. Quod cum latine verteretur, aedis Christi decanus autem, Ioannes Fellus, episcopus postea Oxonienſis vir celeberrimus, et versionis et editionis sumtus faceret, multa mutauit, laudes Hobbesio detraxit, censorias voces appossuit. Id cum auctor aegre ferret, nec mutare posset, ad Hobbesium retulit. Qui vt suae famae consuleret, epistolam ad auctorem Historiae Oxon. scripsit, et ad ea, quae sibi iniuria videbantur, respondit, quae epistola quoque Oxonii vulgata est. Eam pessime tulit Fellus, et reprehenso Woodio, quod cum Hobbesio rem communicasset, ad finem Antiquitt. Ox. epistolam satis acerbam in Malmesburienſem philosophum adiecit, eo quod Hobbesius, re ad regem delata veniam famae suae defendendae accepisset. Nihil tamen ad hanc epistolam reposuit Hobbesius capularis iam senex et liticularum pertaesus. Ipsas epistolas et elogium exhibet biographus p. 54. seqq.

negligemus, addemus autem ex obseruationum literariarum penu, quod lucem vitae famigeratissimi philosophi accendere aptum est.

Natiuitas, educatio, iuuentus Hobbesii.

§. II. Natus est Thomas Hobbes in Anglia, Malbesburiae, agri Wiltonienſis oppido, Non. Aprilis anno cIↃ IↃ LXXXVIII. Patrem habuit ecclesiasten eius loci, cui Thomam mater peperit Hispanae classis, quae inuincibilis dicebatur, et exitium minabatur Britanniae, metu adeo perculsa, vt puellum praematuro partu enitteretur. Quod licet animo viuaci et valenti minime nocuerit, causſa tamen fuit valetudinis tenerioris, quam tamen exercitatione prudenti firmauit, et iusta diaetae ratione atque viuendi moderatione ad extremam senectutem perduxit. Praemature autem in puero ingens vis animi emicuit, octennis enim tantam docilitatem praeceptoribus ostendit, vt linguarum eruditarum praecepta et artium elementa insolita felicitate discceret, cuius, puer adhuc, specimen dedit, Euripidis Medeam metro Latino ex Graeco elegantes conuertendo. Qua animi acris et ingenii promptissimi praestantia adeo carus praeceptori factus est, vt eum in sinu gestaret, et hunc solum ante aequales incitaret atque excoleret. Iactis hunc in modum praecoci industria literarum fundamentis, dignus iudicatus est, qui non obstante tenera aetate (annos enim natus erat quatuordecim,) ad Oxonienses Musas anno cIↃ IↃ c III ablegaretur, auunculo, Francisco Hobbesio sumtus studiorum faciente, qui moriens quoque modicum ei fundum testamento legauit. In ea academia quinquennium studiis operam nauans, logicam et physicam peripateticam accurate didicit, et lauream quoque philosophicam nactus est. Ita consueto studiorum cursu absoluto in familiam Guilelmi Cauendish, baronis de Hardwick, ac non multo post comitis Deuoniae transiit, qui moribus atque studiis filii natu maximi regendis eum praefecerat. Quam spartam ita ornauit, vt et hero suo esset carissimus, et magnos profectus sentiret adolescens nobilis. Prudentiam viuendi autem tantopere patri probauit, vt eum iuueni iter Gallicum et Italicum suscipienti comitem adiungeret. In quo alimenta eruditionis quaesiuit Hobbesius, viros doctrinae laude florentes compellauit, indolem populorum et rerum publicarum explorauit, veneranda antiquitatis monumenta contemplatus est, et imprimis ad philosophiam et elegantiores literas respexit. Ita collectis doctrinae diuitiis cum domum rediisset, largius in domo heri sui otium nactus ad priora studia reuersus, magnoque literaturae academicae taedio affectus est. Probe enim videbat, scholae pulueri atque vmbris eam magis conuenire, quam luci ciuili, parumque vsus praestare in vita humana atque societate. Ipsa quoque philosophia Peripatetica mature ei suspecta visa est, tum quod logicis et metaphysicis argutiis bella magis seri inania, quam veritatem erui cerneret, tum quod ethicam imaginariis notionibus animum decipere intelligeret, et physicam non experientia naturae, sed ingeniorum somniis niti perspiceret. Haec itaque senticeta perhor-

perhorrescens, et vulgaris philosophiae odio ductus ad lectionem veterum scriptorum se accinxit, et quos doctissimos inter Graecos et Latinos nouerat, philosophos, poëtas, historicos, rhetores, diurna nocturnaque manu versauit, et apiculae instar quae praestantissima et dulcissima iudicabat, in suos fauos retulit. Qua contentione studiorum licet totus occuparetur, nulli tamen veterum ingenium suum mancipauit, nec suo ingenio fidens contemtis aliis scenicam sibi philosophiam conflauit, sed eas doctrinae opes ex vniuerso scientiarum orbe congessit, quibus accedente iudicii maturitate praestantissima effingi doctrina posset. Talis cum esset, maximo viro, Francisco Bacono Verulamio commendatus est, quem viros quosdam doctos secum habuisse, vt in Latine vertendis scriptis suis ipsum adiuuarent, supra diximus. Qua occasione quoque Edoardo Herberto de Cherbury innotuit, quorum virorum summorum amicitia factum est, vt magnis animis ad philosophiam eclecticam, et conculcandam philosophiam vulgarem excitaretur. Valde tum in Anglia feruebant dissidia democratiae fauentium, quae cum magna patriae mala fouere noster cerneret, ciues suos ad meliores et saniores regulas reuocaturus Thucydidem in Anglicum sermonem traduxit, et Britannis legendum tradidit *f*, quam versionem anno cIↃ IↃ cxxviii, additis tabulis geographicis et indice, praefixaque dissertatione de vita et scriptis Thucydidis edidit, recusam apud Londinenses anno cIↃ IↃ cxxxiv. Quo labore licet diligentiae laudem retulerit, visus tamen est *g* nonnunquam nimia licentia a fontibus Graecis discedens, virtutem interpretis neglexisse. Ita dum elegantioribus literis delectatur, et philosophiae sensum, tum ex veterum lectione, tum ex consuetudine Verulamii, haurit, a consueta eam tradendi ratione valde diuersum, magnum methodi scholasticae ipsarumque scholarum odium sensit enasci, quae causa est, cur toties in scriptis suis non in docendi modum tantum, qui in academiis obtinebat, sed in ipsas quoque scholas declamauerit, vt vel ex vno *Leuiathanis capite quadragesimo sexto*, quod *de tenebris ab inani philosophia* inscripsit *b*, patet. Ex quo tamen specimine

T 2

f) Conf. Fabric. Bibl. Graec. Vol. I. p. 828.

g) Not. ad Marmora Arundelliana.

h) Potiora quae more suo magna fiducia hoc loco disserit Hobbesius eo redeunt: Veram originem philosophiae dedisse tranquillitatem atque otium, a quo scholae nomen acceperit: non autem dari otium nisi in pace; nec pacem sperari alibi posse, quam in rebus publicis maioribus. Quales cum veteres Graeci non habuerint, ideo philosophiam apud eos florere non potuisse, vsque dum Persis deuictis Athenienses caput efferre coeperint. Tunc enim restituta tranquillitate, otiosos homines, et agendi incurios philosophiam excolere atque docere coepisse. Inde enatas esse sectas philosophorum scholasque earum publicas, exiguo societatis humanae vsu, aut plane nullo. Expertem enim fuisse Platonis academiam geometriae, qua Archimedi accepta referenda sit, Peripateticam scholam autem in argutiis dialecticis et rhetoricis consenuisse. Neque tamen in vnam omnes sectam coniurauisse. Transisse autem Graecanicam philosophiam ad Iudaeos quoque; et in ecclesia Christiana vereri tum caput efferre coepisse, cum Graecorum plurimi sacrae ciuitati adscriberentur. Maxime autem tum Aristotelicam obtinuisse; ex qua exortae sint haereses damnatae a synodo Nicaena, non consultis Lycei praeceptis: eam tamen sobrietatem sequentia tempora interpretationibus friuolis corrupisse. Tum incrementa maxima coepisse Peripateticismum, et illis imprimis, qui Aristotelis formas separatas deperierint, daemonologiam Homeri et Hesiodi placuisse. Romano Pontifice autem ad regiam potestatem euecto, Leonem instigauisse Carolum, vt scholas publicas erigeret, idque factum primo apud Parisios, et tum alibi. Cum autem ex voluntate et placito

mine constare quoque potest, multa commiscuisse Hobbesium, et imprimis philosophicae historiae non multum fuisse peritum, eo quod meditationi plus tribueret, quam lectioni.

Aetas adulta Hobbesii.

§. III. Magnam autem cladem acceptura videbatur fortuna Hobbesii, cum anno clc Ioc xxvi, Guilelmus Deuoniae comes, et biennio post, filius quoque, cuius studiorum moderator ille fuerat, acerbo satis Candisianae domui fato extinguerentur. Orbatus enim Moecenate optimo et beneficentissimo, noua de futura sorte sua consilia agitare coactus est. Leniendi vero doloris captandaeque occasionis gratia iter literarium suscepit, relictaque patria ad Gallos profectus est, conditionem ei offerente Geruasio Clifton, viro nobilissimo, qui eum filio suo peregre profecturo comitem in itinere iungere cupiebat, et hoc duce in aliena terra studiorum incrementa eum quaerere praeoptabat. Annum iam quadragesimum tum transgressus erat Hobbesius, adeoque iudicio maturo ad omnia attendebat, et accuratas sibi notiones fingere, atque concinno ratiocinari ordine conabatur. Quem scopum vt vtilissimum, immo necessarium esse philosophiae studio vidit, ita artium mathematicarum praesidio obtinere se posse sperauit. Quamuis enim abstractarum meditationum iucunditate parum tangeretur, nec subtilitatem ingenii in demonstrationibus mathematicorum supra modum extolleret, eo quod a communis vitae vsu remotiores esse crederet, vidit tamen pulchre, earum methodo in inquirenda veritate egregie intellectum iuuari, et cynosuram inueniri, qua inter scopulos ad certitudinis portum nauigare liceat. Euclidi itaque operam dare coepit, cuius demonstrandi rationem cum percepisset, nauseare coepit vulgaris philosophiae confusionem, quae vt calx sine arena, misere con-

placito pontificis omnia gererentur, factum inde esse, vt Scholastici, Aristotelem cum Scriptura S. confunderent, eiusque doctrinam vnam proponerent, eo potissimum respicientes, vt dogmata ecclesiae Romanae defenderentur, et ad obsequium pontifici praestandum homines commouerentur. Ita ex philosophia Aristotelica enatam fuisse theologiam Scholasticam, in qua cuncta eo redeant, vt statuatur: dari essentias quasdam ab entibus suis superatas, quales sint intelligentiae Aristotelicorum orbibus assistentes. Ex his autem essentiis et formis substantialibus separatis irrepsisse in ecclesiam daemonologiam eam ineptam, quae cuncta superstitione repleuerit. Sed et hunc inde errorem fuisse prognatum, dari substantias incorporeas, omni quantitate destitutas, inde qualitates occultas, specificas, et similes nugas prodiisse: inde didicisse homines, libertatem voluntatis suae extollere, bella sacra commendare, et similia probare: immo omnem labem horum seculorum ex philosophia Graecanica in scholas publicas introducta fuisse enatam. Patet ex breui hoc dissertationis Hobbesianae compendio, quam inuisae scholae et academiae Hobbesio fuerint; nam nec Protestantium scholas eum excepisse, inde constat, quod Scholastica philosophia tum inter Anglos adhuc valde floruerit. Ast falsum fuisse in plerisque Hobbesium, ex iis, quae de philosophia medii aeui dicta sunt, euidenter patet; et manifestum est, aut valde coecutisse in eius historia Hobbesium, aut obtorto collo eam rapuisse, vt placitis illam suis attemperarer, id quod candide fassus est, magnus cetera Hobbesii defensor Nicol. Hier. Gvndlingivs ὁπάν, Gundlingian. Vol. II. p. 338. Falsum enim est, philosophiam apud Graecos ante Persas deuictos et Platonis aetatem non floruisse, aut hunc philosophum de Geometria nihil meruisse; falsum quoque, Lyceum in logicis et rhetoricis tantum fuisse versatum; falsum, Aristotelem asseruisse formas substantiales separatas; falsum, daemonologiam mythologorum cum eo conspirare; falsum, in primitiua ecclesia valuisse ante alios Aristotelem; falsum, cultus angelorum primarium fontem aperuisse Peripateticam philosophiam etc. Ita ex nobilissimae scientiae neglectu errores pariunt magni saepe philosophi.

connexa, ruinam ipsi minari palam videbatur, cum ex mathematicarum disciplinarum fundamentis, et certis principiis vtilissimas in genus humanum veritates perueniisse vidisset. Dolet autem biographus eius, serius illum animum ad matheſin adieciſſe, feliciorem futurum in eruendis veritatibus, et aduersariorum ictibus minus exponendum, si his se praesidiis citius muniuisset. Et his quidem studiis in Italico itinere delectatus est Hobbesius: domum autem redux reuocatus a vidua comitis Deuoniae anno cIↃ IↃc xxxi, filium tredecennem melioribus literis erudiendum accepit, et ad pulchra quaeuis egregie formauit.

§. IV. Adolescente paulo discipulo, cum terris peregrinis inuisendis aptus videretur, Hobbesius delectus est, qui ducem se ei per Galliae prouincias praeberet. Factum id anno cIↃ IↃ cxxxiv, qua aetate virilem maturitatem attigerat vis iudicandi in Hobbesio. Campum autem in hoc regno nactus est amplissimum, eo, quo cupiebat, modo in philosophia proficiendi. „Cuius incitamentum ipsi praebuisse ait biographus, quod „ex iis, quae longo rerum vsu atque acri mentis studio compererat, ani„mo alte defixa insedisset sententia, in natura omnia mechanice fieri, et „ex vna materia variis motuum generibus et mensuris agitata vniuersa re„rum phaenomena exsurgere, tam quoad animalium sensationes, quam „ceterorum corporum affectiones.“ His igitur rationibus commotus magna diligentia scientiae naturali explorandae se tradidit. Magna eo tempore contentione feruebat philosophiae studium Lutetiae, magnique viri contemtis sterilibus Aristotelis nugis de sanioribus et pulchrioribus sapientiae praeceptis cogitabant. Igitur non sibi soli fidens, cum videret viros nonnullos praeclaros atque doctissimos magna industria in rerum philosophicarum, maxime quod ad rerum naturam attinebat, adyta penetrare, eorum amicitia atque consuetudine vti constituit. Inter quos imprimis Petrus Gassendus fuit, qui eo tempore magnis molimínibus philosophiam Epicuream restaurabat. Quae cum mechanicis atque corporeis notionibus pleraque definire videretur, valde arrisit Hobbesio, eandem mechanicarum regularum normam, sensionibus ideisque hominis adaptanti. Et gratissima quoque fuit Gassendo Hobbesii amicitia, eo quod abiectis eum praeiudiciis libere philosophari, et receptas hypotheses alacriter conculcare cerneret. Eadem philosophandi industria commendauit quoque Hobbesium Marino Mersenno, cuius in *Tomo antecedente* iam facta est mentio. Is enim cum impense virorum doctorum amicitia delectaretur, in omni philosophiae genere autem haud parum esset versatus, vinculum quasi, teste Sorbierio i) fuit, quo viri docti communi amicitia coalescerent, et canalis, quo inter se meditationes suas philosophi communicarent. Adeo autem eruditioni fauebat Mersennus, vt licet Minimorum ordini esset adscriptus, viros tamen doctos a Romanae

Iter Hobbesii Gallicum prius.

i) In Vita Gassendi.

ecclesiae communione secessum facientes non perhorresceret, sed iustum doctrinae morumque integritati pretium statueret. Et hi quidem duumuiri magnifice de Hobbesii eruditione et philosophia statuebant: adeo vt Gassendus ad Sorberium scripserit [k]: „Neminem se nosse, qui sit inter „philosophandum magis a praeiudicio liber, quique penitius, quicquid „rerum ediſſeruerit, introspiciat." Mersennus autem iudicauerit, incomparabilem virum esse Hobbesium, et singulis difficultatibus ita satisfacere, vt planum iter exhibeat. Sed haec tum maxime de Hobbesio pronuntiata sunt, cum libello de ciue philosophiae suae specimen edidisset, vt infra dicemus. Et his quidem instigantibus et calcar addentibus magno animo in exploranda rerum morumque natura Hobbesius progressus est. Postea ex Gallia in Italiam profectus Pisis aliquandiu haesit; quo loco cum magna doctrinae fama viueret Galilaeus Galilaei, qui in sideralí scientia tum maxime omnium valere iudicabatur, eius consuetudine Hobbesius eo lubentius vsus est, quod rerum naturalium interpretem esse longe feliciſſimum comperisset. Qui cum idem studiorum genus complecteretur, et eandem quoque morum atque temperamenti rationem teneret, amicitia inde inter eos enata est arctissima; ecclesiasticorum virorum inuidia, quod biographus obseruat, vtrumque censuris acerrimis vexante. Qua de re infra dicendum.

Hobbesii studia politica.

§. V. Collectis animi diuitiis cum comite suo anno cIↃ IↃ cxxxvii domum rediens Hobbesius, amicitiam, quam cum viris praestantissimis in Gallia et Italia inierat, instituto literarum commercio coluit atque continuauit. Maxime autem cum Mersenno illam summa necessitudine copulatam conseruauit. Gliscere eo tempore iam coeperant dissidia Britannorum, bello intestino accendendo aptissima, quae in apertam postea flammam eruperunt. Nempe democratico regimini valde fauentes Scoti episcoporum factioni ipsique aulae ministerio graues esse non desinebant, et aliam sibi reipublicae faciem exoptabant. Aegre id tulit Hobbesius, cumque, quod biographus eius narrat [l], et maximo regem officio obsequioque prosequeretur, et decumano in democraticos odio laboraret, de medicina animis ex philosophiae remediis afferenda cogitare, deque eiusmodi principiis dispicere coepit, quibus maiestatis ius, potentia, necessitas, commoda supra omnem dubitationem ponerentur, et intelligerent ciues sui, quantum patriae interesset, ab intestino bello abstinere. Ex quibus meditationibus enatus est liber eius *de Ciue*, et post hunc ille, quem *Leuiathanis* nomine inscripsit, quibus et clarum sibi et famosum valde apud suos nomen fecit, prout nempe lectores reperit. Eo autem res omnis ab eo, interprete biographo, reuocabatur: *Sine pace impossibilem esse incolumitatem, sine imperio pacem, sine armis imperium, sine opibus in vnam manum collatis nihil valere arma, neque metu armorum quic-*

k) Epistola vtrique praefixa est libro de Ciue. l) p. 25.

quicquam ad pacem proficere posse illos, quos ad pugnandum concitat malum morte magis formidandum: nempe dum consensum non sit de iis rebus, quae ad salutem aeternam necessariae creduntur, pacem inter ciues non posse esse aeternam. Sed de his in sequentibus dicemus. Hoc loco autem id notandum, Hobbesium circa id tempus ideo de his principiis disseminandis cogitasse, vt seditiosorum animos cohibendo imperii maiestatem, quibus posset, artibus, confirmaret, et futura bella intestina auerteret. Non negat id ipse Hobbesius, qui in *Praefatione ad lectores* diserte ita: „Feci non eo consilio vt laudarer, sed vestri caussa, „lectores, qui cum doctrinam, quam affero, cognitam et perspectam „haberetis, sperabam fore, vt aliqua incommoda in re familiari, quoniam „res humanae sine incommodo esse non possunt, aequo animo ferre, quam „reipublicae statum conturbare malletis. Vt iustitiam earum rerum, quas „facere cogitatis, non sermone vel consilio priuatorum, sed legibus ciui„tatis metientes, non amplius sanguine vestro ad suam potentiam ambi„tiosos homines abuti pateremini. Vt statu praesenti, etsi non optimo, „vos ipsos frui, quam bello excitato, vobis interfectis, vel aetate con„sumtis, alios homines alio seculo statum habere reformatiorem, satius „duceretis. Praeterea qui magistratui ciuili subditos sese esse nolunt, „onerumque publicorum immunes esse volunt, in ciuitate tamen esse, atque „ab ea protegi et vi et iniuriis postulant, ne illos, ciues, sed hostes explorato„resque esse putaretis, neque omnia, quae illi pro verbo Dei vobis vel palam, „vel secreto proponunt, temere reciperetis.“ Quibus alia adiungit, queis in concionatores et confessores inuehitur, qui imperantem interfici, foedusque ciuium contra ciues et rebellionem iniri posse tradant. Quae in eius aetatis homines seditionem mouentes, et contra aulam se erigentes dictitasse Hobbesio summum, quo regias partes prosequebatur, studium, et odium partis aduersae, vidit, quam primum libellum acrem et eruditum legit Ren. Cartesivs [m], et ex istius temporis circumstantiis erudite obseruauit illustris Gilb. Bvrnetvs [n]. Neque id valde mirandum videbitur ad circumstantias Hobbesii paulo curatius attendenti. A pueritia enim in obsequio hominum monarchiae addictissimorum, et in regis fidem coniurantium erat educatus, et a Deuoniae comite magnis beneficiis sustentatus, vnde et filio eundem librum inscripsit, quod axiomata haec in ea familia inualuissent. Vehementer autem a tumultu et seditione populi abhorrebat Hobbesii animus, meditationi, otium et tranquillitatem poscenti, addictissimus. Praeterea et Peripateticam philosophiam, et scholas, in quibus ea docebatur, et doctores eius, valde odio habebat, vt supra dictum, quos imperio non vehementer fauere credebat. Ast ex huius quidem generis hominibus tum constabat, regni senatus, quem Parlamentum vocant, qui aulae atque imperio parum fauebant; vnde

m) Epist. T. III. p. 104. Baillet, Vit. Cartesii T. II. p. 174.

n) Hist. temporis sui T. I. ad ann. 1661. conf. Bayle Dict. T. II. Art. Hobbes, not. E.

vnde motus illi surgere coeperunt, ex quibus ferale tandem bellum ciuile inter Britannos enatum est. Hos dum improbat, dum alia et contraria inculcat, dum sartam et inuiolatam et omni ciuium potestate superiorem maiestatem cupit, et aulae partes strenue tuetur, in odium Democraticorum incurrit vehementissimum, quod exilium illi genuisse mox dicemus. His itaque circumstantiis, quae circa haec, de quibus differimus, tempora contigerunt, ita concurrentibus aliter fieri non potuit, quam vt tot pessimorum hominum moliminibus consideratis, omnes homines natura malos esse statueret, et ad eos reprimendos supra modum, regis maiestatem et potentiam extolleret. Neque a veri similitudine prorsus abit cel. BVDDEI [o] coniectura, fabulam eam status naturalis ideo effinxisse Hobbesium, vt Carolo II. placeret. Certe tum, cum librum edidit, inter Gallos versatus, huc respexisse, valde est probabile. Sed de his postea quoque nonnulla dicemus. Iam ad Hobbesii historiam redeundum.

Hobbesii fuga in Gallium.

§. VI. Latuerant hactenus sub cinere seditionum inter Britannos molimina; omnibus autem in peius ruentibus, circa annum clo Io c xl futurae calamitatis signa haud incerta prudentiores praeuidebant. Nempe indies auctis Scotorum Anglorumque dissidiis, cum regiae partes valde premi coepissent, indictum est mense Nouembri generale regni concilium, quod cum aulae factionem tuiturum esse speraretur, contrarium accidit, et in ipso congressu atque senatus istius initiis tantus animorum aestus regi infensus comparuit, vt quae inde exorturae essent calamitates prudens quilibet non sine dolore persentisceret. Maxime autem, inito statuum regni foedere cum Scotis, regis auctoritas diminui, episcoporum partes premi, quique regis potentiam tuebantur, magnis cladibus poenisque affici coeperunt. Inter quos cum acerrime nomen profiteretur suum Hobbesius, praeuidit fore, vt in tuto amplius manere salus sua nequeat. Cedendum itaque Democraticorum furori censens spontaneum exilium elegit, et incolumitatis suae asylum Galliam respexit, in qua habere se amicos potentes fauentesque, honoremque haberi literis intelligebat. Concessit autem Lutetiam Parisiorum, vt consuetudine virorum doctorum frui, et conuersationis dulcedine exilii molestiam leuare posset. Id quod eo facilius fieri potuit, cum in hoc eruditorum Prytaneum vndiquaque conduxisset viros doctrinae laude celeberrimos, eminentissimi Richelii cardinalis, qui tunc ad gubernacula imperii sedebat, munificentia. Cum his ergo sermones quotidianos conferebat, horum conuentibus diligenter intererat, cum his de quaestionibus philosophicis et mathematicis differebat, hos in examinanda experimentis natura adiuuabat, his suas meditationes explorandas et diiudicandas offerebat, verbo, his vtebatur ad egregie promouendos doctrinae suae limites. Maxime autem Gassendi et Mersenni amicitia, dudum sibi conciliata, non sine delectatione frui Hobbesio licuit, cum quaedam opinionum similitudo eos, imprimis Dinien-

sem

o) Hist. iuris natur. p. 34.

sem philosophum coniunxisset. Mersenno autem intercedente circa idem tempus cum Cartesio quoque amicitiam iniit, et commercium epistolicum instituit, in quo de natura ac legibus motus quam directi, quam reflexi aliisque argumentis ad dioptricen spectantibus vterque philosophus amice inter se concertarunt. Sed ad argumentum quoque philosophicum transgressi sunt. Cartesius enim, vt infra dicendum, meditationes suas philosophicas de Deo menteque humana, reliquisque philosophiae principiis generalibus, quas suo loco ex instituto describemus, ad Mersennum miserat, vt virorum doctorum de iis iudicium exploraret. Qui cum omnibus fere eruditis amicitia esset coniunctus, passim censuras virorum doctorum collegit, et Hobbesio quoque, quem acerrime philosophari sciebat, has meditationes examinandas tradidit. Is cum eas examini suo more subiecisset, quid ipsi videretur, Mersenno scripto consignauit. Valde autem ab ipso Cartesii principio dissentiebat Hobbesius, qui substantiam incorpoream ne cogitari quidem posse credebat, adeoque ex hoc primo axiomate, quod Cartesius statuminauerat: Ego cogito, ergo sum, concludebat, rem cogitantem esse corporeum quid; eo quod subiecta omnium actuum videantur intelligi solummodo sub ratione corporea, siue sub ratione materiae. Hinc ampla disputandi materia enata. Quamuis autem BAILLETVS [p] scribat, Cartesium, gauisum quidem, quod egregio philosopho et praestantissimae doctrinae homine philosophorum numerum auctum esse ex Mersenno intellexisset, non potuisse vero ex his obiectionibus de ingenii eius soliditate et profunditate iudicium facere; fatebuntur tamen, qui responsiones Cartesii cum obiectionibus Hobbesii comparabunt [q], valde pressisse Malmesburiensem philosophum Cartesium, et ad angustias redegisse. Sane Cartesius vlterioris disceptationis cum Hobbesio aleam apud Mersennum studiose declinauit, nec se porro cum hoc Anglo congredi velle, indicauit, eo quod ingenium pertinax, singulare et huius affectatione periculosum illi inesse crederet, quod nec accuratione nec ratiocinandi virtute valde valeret. Quod annon victoriam Hobbesio adscribat, aduersario contemtu magis, quam rationibus pugnante, certe an causam suam non prodiderit Cartesius, Lectori expendendum relinquimus.

§. VII. Viuebat tum securitatis causa Parisiis Carolus, Anglicani regni haeres, princeps Walliae, cui noster commendatus est, vt philosophiae disciplinarumque mathematicarum elementa illi traderet. Ita nouis vinculis regiae parti mancipatus, cum in patria eius res prorsus euerti cerneret, et imprimis religionis obtentu imperium concuti, regem misere premi, Democratiam maximo regni malo erigi cerneret, mederi animis philosophiae ope *Editae meditationes ciuiles ab Hobbesio.*

p) BAILLET. Vit. Cartesii L. VI. c. 3.
q) Extant tertio loco inter Obi. et Resp. T. I. Opp. philos. CARTESII p. m. 89. seqq.

ope conatus, meditationes suas de ciuitate, quas iam diu presserat perfecit, librumque de Ciue, anno cIↃ IↃ c XLII absolutum edidit, pauca tamen exemplaria inter amicos distribuenda imprimi curauit. Quem foetum tamen cum lambere et emendare subinde perrexisset, tandem anno cIↃ IↃ c XLVII in eam formam redegit, qua nunc habemus. Qui cum egregie Gassendo atque Mersenno placuisset, quorum de ista tractatione epistolae laudibus Hobbesii plenae libello solent praefigi, eorum commendatione Samuel Sorbierius in Hollandiam profecturus, exemplum, quod vltimam auctoris limam iam erat expertum, ad Batauos attulit, editionemque curauit, qui anno cIↃ IↃ c XLIX quoque Gallicam eius libri versionem confecit et in vulgus edidit, auctoris et libri elogio praemisso. Egisse id in isto libro Hobbesium, vt coniurationes et seditiones ciuium contra regem et naturae imperii et vtilitati ac securitati subditorum esse aduersas ostenderet, sanguinolenta, quae iam tum nonnulli fouebant, consilia, quae regi tandem exitialia fuerunt, perimeret, et sectariorum proteruiam, late tunc grassantem perdomaret, supra iam tetigimus. Hoc itaque tempore vulgatiorem fieri libri editionem facile permittebat Hobbesius, licet primam editionem valde carceribus pressisset, et intra amicos tantum vulgasset. Tum enim singularia prorsus axiomata et principia sua, et populo ingrata et hominibus ecclesiasticis, imperium supra modum euehentia displicitura esse plurimis ciuibus suis intelligebat, et inuidiam ex eo pertimescebat haud paruam. Ast cum omnia in patria euerti conculcarique regis auctoritatem, immo prorsus imperium perire videret, nec, quod in patria speraret, haberet, tandem mentem suam aperte declarare eo minus veritus est, quo magis sperabat fore, vt in tanta rerum confusione iterum regia causa euaderet superior, ex qua sibi quoque emolumentum, cum in regii principis familia esset, promittebat. Mirum itaque non est talia praecepisse Hobbesium in eo libro, quae moderata principia in imperio sectantibus displicere solent. Sed et eodem tempore, ampliori Commentario, rem omnem illustrare, et rationibus philosophicis immanem et furentem populi belluam aggredi constituit, ex quo *Leuiathan* eius enatus est; quo haud parum apud theologos Angliae sibi obfuit, vt deinceps dicemus.

Controuersia Hobbesii de necessitate, libertate, fato et fortuna.

§. VIII. Nouae autem controuersiae anno cIↃ IↃ c XLVI, agitatae ferram reciprocauit, haerens apud Parisienses Hobbesius cum episcopo Derienſi Bramhallo, de libertate, necessitate, et fortuna, quae libellis quoque eristicis agitata est. Quae cum momentum habeat in philosophiae historia, paucis tangenda hoc loco est, facem nobis praeferente illustri LEIBNIZIO, qui summam quoque sententiae Hobbesianae exposuit, moreque suo erudite illustrauit r). Conuenerant apud Noui Castri ducem Derhamus et Hobbesius, et de libertate, fato, necessitate, quatenus in res hominum, et praecipue in eius animum influxum habent, disse-

r) App. ad Theodiceam p. m. 425. seqq.

differere, et rationes inter se miscere coeperant. Cum autem in isto colloquio rem non satis enucleatam crederet episcopus, misit ad ducem dissertationem de eo argumento, eo consilio, vt haberet Hobbesius, cui perspicue ordineque responderet. Non tacuit Malmesburiensis philosophus, sed quae sibi viderentur, acute regessit, rogauit autem ducem, caueret, ne in vulgus exiret ipsius responsio, facile enim fieri posse, vt assertionibus, licet per se verissimis abuterentur homines non satis rem omnem edocti. Ipsius tamen Hobbesii culpa factum, vt foetus iste in vulgus prodiret. Cum enim amico cuidam Gallo, communicare eum promisisset, a iuuene aliquo Anglo in Gallicam linguam verti curauit; qui eius ἀπόγραφον sibi seruatum post reditum in Angliam inscio Hobbesio vulgauit. Qua editione commotus Bramhallus iterum, et publice quidem, ad illam dissertationem respondendi consilium cepit. Cui responsioni editae nouas rationes oppositi Hobbesius, et hos libellos vno fasciculo comprehensos postea Londini anno cIↃ IↃ c LVI typis commisit [s]. Sunt in his libellis, vt solet plerumque in eristicis fieri, nonnulla, quae animum acerbiorem, et quodam partis aduersae odio flagrantem produnt, cum episcopus, sui ordinis auctoritate securus vehementer interdum disputet, Hobbesius, vt magno animo theologos et omnem scholarum doctrinam contemnebat, aduersario quamuis dignitate illustri non parcat. Sed in ipsa quoque disputatione hunc affirmauisse nonnulla, narrat Leibnizius, quae ἀνθολῆς vitium ipsi persuasisse, est verisimile, qualia sunt, quae defendi nullo modo possunt: doctrinam de Deo deque diuinis pendere ex determinatione imperantis, Deumque non magis caussam esse bonarum actionum, quae a creaturis eduntur, quam malarum; Deum ideo iustum esse, quoniam a nemine puniri cogique possit. Quae tamen et similia, nemo mirabitur, qui cogitauerit, Hobbesium potestatis, quae suprema est, absolutae notione occupatum, qua scilicet firmari posse imperium credebat, ad eam retulisse, quicquid de Deo statuendum esse credebat, et praeterea, inepto praeiudicio, non nisi corpora esse posse substantias, talia admittere debuisse, quae et in Deum iniuria sunt, et prouidentiae eius parum honorifica, et materialismo cuidam incrustando aptissima. His enim principiis physicis atque moralibus semel positis non potest non necessitas quaedam physica, libertati maxime aduersa oriri. Ast statuit Hobbesius [t]: *In regno Dei naturali regnandi, et puniendi eos, qui leges suas violant, ius Deo esse a sola potentia irresistibili: indeque ius oriri, a quo decedendum nemini sit, si quis ceteros potentia in tantum anteeat, vt resistere ei ne omnes quidem coniunctis viribus possint.* Ex quo, quod ipse non negat, sequitur, *posse Deum iuste affligere vel etiam interficere peccatorem, etsi non peccasset.* Quae omnia fatalem quandam atque ineuitabilem necessitatem inuoluunt, cum quaecunque ex absoluta Dei voluntate fieri debent,

s) Questions touchant la liberté, la necessité et le hazard eclaircies et debatues entre les Dr. Bramhall, eveque de Derry et Thomas Hobbes de Malmesbury. t) De Ciue c. 15. §. 5. p. m. 248.

bent, ea fieri neceſſe ſit, eo quod nihil eius potentiam remorari poſſit, et ſi minus illud fiat, Deum potentia carere, qua id efficiat, dicendum ſit. Qualia dogmata Hobbeſio in mentem veniſſe eo minus mirandum eſt, quo pauciores eo tempore erant, qui Arminii partibus fauentes Caluini dogmati de praedeſtinatione nuntium mittere volebant, recte id obſeruante GILB. BVRNETO V.C. [u]. Ita vero euerſa iuſti aequique notione et fundamento, cum ad vnam abſolutam potentiam res imperii omnis, etiam diuini, reuocaretur, via patuit aperta Hobbeſio regis normam ad vnam potentiam reducendi. Aſt hoc quidem pacto illi ipſi parti, cuius cauſſam tantis moliminibus tuebatur Hobbeſius, vehementer nocuit, cum non potuerit non ille abſolutiſmus, et quae inde exſurgit neceſſitas fieri ſuſpectiſſima. Neque dubitandum, quin ab his quoque cauſſis deriuandum ſit quod abſolutam illam neceſſitatem reiicere coeperint magni nominis et auctoritatis praeſules, qui Anglicanae eccleſiae praefuerunt. Quibus non minus exoſa eſt [x] abſoluta illa Hobbeſii potentia, omni iuſto aequoque euertendo apta, quam decretum Caluini abſolutum, cum vtrumque eo redeat, cuncta hominum neceſſitatis lege teneri. Eandem poſtea tibiam inflauit BEN. SPINOZA [y].

Hobbeſius regis gratia excidens.

§. IX. Verum redeundum in viam, et hiſtoria Hobbeſii pertexenda eſt. Is anno cIↃ IↃ C XLIX vehementi febri correptus de vita periclitauit: quem cum ad Romanae eccleſiae gremium reuocare vellet Merſennus, ſuſcepta diſſertatione de poteſtate eccleſiae Romanae remittendi peccata, reſponſum accepit ab Hobbeſio: *Mi pater, haec omnia iamdudum mecum diſputaui; eadem diſputare nunc moleſtum erit. Habes, quae dicas amoeniora? Quando vidiſti Gaſſendum.* Ex quibus facile intellexit Merſennus, hominem patriae ſuae ſacris valde addictum mutari haud poſſe. Is quoque ſacra ipſi adminiſtrante epiſcopo Dunelmenſi, ſecundum ritus eccleſiae Anglicanae, ſupremo viatico ſe muniuit; praeter omnium ſpem tamen iterum conualuit. Anno cIↃ IↃ CL ſermone patrio vulgauit librum *de Natura humana, et corpore politico;* praefationem praemiſit vir celeberrimus Sethus Wardus, tunc aſtronomiae profeſſor Sauilianus, poſtea epiſcopus Sarisberienſis; quem librum reliquis Hobbeſii praefert, qui mores Britannorum critico oculo ſpeculatus eſt RICH. STEELE [z], carmine autem maximopere extulit RADVLPHVS BATHVRST [a], eo quod communem doctrinam et vulgi placita relinquere ſit auſus. Canit enim:

Non hic ſcholarum friuola aut caſſi logi
Quales per annos forte plus ſeptem legit,
Vt folle pleno prodeat, rixae artifex,

Vanas-

u) Hiſt. ſui Temp. ad ann. 1661. T. I. p. m. 211.
x) Vid. S. Reu. MENZERVS de Doctrina eccleſiae Anglicanae, de Praeſentia reali in S. coena er de Praedeſtinatione p. 65. ſeq. MOSHEM. ad Cudw. p. 1202.
y) In Tract. pol. I. II. §. 250.
z) Specter. T. I. p. 223.
a) Conf. POPE-BLOVNT. Cenſ. cel. auct. p. 1043.

Vanasque merces futili lingua crepet,
Sed sancta rerum pondera, et sensus graues,
Quales parari decuit, ipsa cum fuit
Pingenda ratio, et vindici suo adstitit.

In hac vero tractatione cum fundamenta iecisset illius, quod systemati suo ciuili substernendam esse iudicauit, dogmatis de natura, inclinatione et affectibus hominis: anno sequente ipsam doctrinam politicam, vel si mauis, iuris naturalis iusto fasce comprehensam suisque vinculis connexam vulgauit, edito *Leuiathanis* opere, sermone vernaculo [b]. Quo nomine intelligebat potentiam populi inconditam, quam rationibus euertere, regiam autem potestatem, siue imperium absolutum confirmare, et quae arcana democritia foueat, quae damna afferat, ostendere satagebat. Dici vix potest, quantam attentionem bellua illa politica, quam Leuiathanis nomine insigniuit, ipseque eius auctor Hobbesius illo libro meruerint. Et fatebantur quidem haud pauci, eruditionem, acumen et lumina multa ei inesse, et ciuilis doctrinae aedificium construere singulare quidem et paradoxum, ast mirabile et elegantissimum. Verum displicuit valde theologis, et nil tale metuens Hobbesius suspectus factus est, quod non modo doctrinam puriorem vellicare, sed ipsum quoque regnum, cui tantopere fauere videbatur, subruere et Cromuelli partibus clam fauere videretur. Et fautores quidem Hobbesii iniquam, quae excepit istum librum, famam, quaeque inde auctorem secuta est, inuidiam, quae opus illud scriptis etiam publicis damnauit, et inter monstra philosophica retulit, ex eo potissimum deriuant, quod satellitum spiritualis monarchiae arcanas artes detexisset, et cleri vitia reuelando vlcera tetigisset. Ast si episcopos Angliae, viros graues, audias, ideo suspectus bonis omnibus liber factus est, quod non solum reuelationem variis locis euertere clandestine esset ausus, sed et ad eiusmodi placita tandem descendisset, quae fulciendae democratiae, magno Angliae malo tunc obtinenti essent aptissima. Quod hoc loco definire eo minus opus erit, quoniam in sequentibus famosi libri synopsin et decretorum Hobbesianorum summam exhibere animus est, ex qua ipse Lector attentus facile iudicium discet interponere. Illud autem hoc loco praetermittendum haud est, Hobbesium eo tempore, vel ob Leuiathanis dogmata, vel ob alias causas valde regiae factioni factum esse suspectum, quod Cromuellianis partibus animum adiecisset, forte quod minus fauentes sibi regis amicos fuisset expertus. Nam non solummodo FELLVS [c] obiicit encomiastae Hobbesii, silentio eum pressisse illa, quae ad partes Cromuellianas fouendas egerit Hobbesius, et ipse in vitae suae historia carmine expressa, non silet, hanc suspicionem ipsi fuisse exitiosam. Canit enim:

b) Prodiit Latine Londini 1676. et Belgice per ABR. BERCKELIVM Amst. 1667. 8. Conf. STRVVIVS, Introd. in Hist. lit. c. 9. p. 47. BAYLE, c. not. F.

c) loco supra cit.

Nam regi accusor falso, quod facta probarem,
Impia Cromuelli, ius scelerique darem.
Creditur, aduersis in partibus esse videbar,
Perpetuo iubeor regis abesse domo.

Constanter eam culpam negauit Hobbesius, et causſam omnem, in irritatum clerum Anglicanum coniecit; qua verisimilitudine? hoc loco dispiciendum non est. Illud autem ex dictis patet, Hobbesium regis gratia excidentem, ex eius familia eiectum fuisse, cum animum erga regem mutauisse crederetur. Haec itaque vera causſa fuit, cur Parisiorum vrbem media hyeme saeuiente relinqueret: falsumque est, quod ad declinandam facti inuidiam biographus eius tradit: *Hobbesium, calumniis religionis specie laruatis a praeualentibus aduersariis regia domo eiectum, tantoque praesidio orbatum Romanae ecclesiae, spiritualis monarchiae satellitum metu correptum esse, quorum odium implacabile se se merito incurrisse senserit, ob detectas in Leuiathane ecclesiasticorum technas, regni tenebrarum dolos, et pontificis Romani potestatem malis artibus occupatam, qua in ciuilis potestatis iura inuolando, qua simplici ac imperitae plebeculae sanctis praestigiis illudendo, ideoque Parisiis se minus tutum iudicantem, media hyemis tempestate aufugientem in patriam se contulisse.* Nam a clero Romano eo tempore parum illi periculi metuendum erat, cum liber Anglico idiomate editus extra insulam vix legeretur. Aut vel offensus regis mandato Cromuellianis se partibus iungere voluit, aut, si innocens in ea parte fuit, ab ipsa regis, quae valde potens erat Parisiis, factione sibi timuit. Certe in Angliam delatum cui se parti iungeret incertum haesisse, ideoque virorum doctorum societate animum pascere omissis factionibus ciuilibus voluisse, est verisimile. Eos autem valde sibi, Londino sede electa, fauentes inuenit, interque eos Guilelmum Harueum, et Ioannem Saldenum amicos expertus est.

Acta Hobbesii in Angliam reducis.

§. X. Parum propitias res regni sibi esse credebat Hobbesius, itaque tumultibus vrbis et studiis factionum subducere se prudenter constituit. Praebuit autem fugientibus Hobbesii Musis asylum exoptatissimum Deuonienſium comitum familia: in quam anno cIↃ IↃC LIII receptus totus se philosophiae tradidit, et senii ingruentis taedia meditationibus leuauit. Telam autem quam dudum inceperat, pertexturus, logicam atque physicam tractationibus suis moralibus adiecit: et imprimis librum *de Corpore* in quo rerum naturalium elementa exposuit, absoluit, et Latine primum anno cIↃ IↃ C LV, mox anno vertente vernacula, vna cum sex lectionibus ad professores mathematicae Sauilianos edidit; Geometriam quoque suam tunc vulgauit. In illis multa desiderari posse in Euclide [d] et geometrarum demonstrationibus statuebat, quae res, mirum est, quantum illi motuum et molestiarum concitauerit; nam acerrimum inde mathematicorum bellum

d) Conf. SAM. REYHER. diss. de Euclide c. IV. §. 6. p. 31.

sum enatum est, nec acerbitate carens nec conuiciis, quod vicennium et amplius perdurauit, nec nisi tandem Hobbesii morte extingui potuit. Obiecerunt autem geometrae Hobbesio, magnam in sublimiori geometria ignorantiam, quae cum alto supercilio coniuncta eum seduxerit, vt ea reprehenderet, quae non satis intellexisset. Quod quo iure quaue iniuria factum sit, non hoc loco exponi potest, sed in geometriae historia debet enarrari, consulendaque ipsa scripta ἀμοιβαῖα sunt, quae viri illi docti, non seruata semper animorum modestia tum ediderunt, quorum titulos nominant CHR. THOMASIVS [e] et CL. STOLLIVS [f]. A rerum naturalium consideratione ad hominis contemplationem progressus est philosophus Britannus, eiusque facultates, earumque obiecta, motum et reliqua, quae huc referri solent, more suo suisque principiis vsus explicuit, ex quo secunda philosophiae eius pars enata est, in qua de facultatibus affectibusque humanis, de imaginatione, memoria, intellectu, ratiocinatione, appetitu, voluntate, bono, malo, honesto, turpi et similibus multa singularia et ab aliorum philosophorum decretis abeuntia attulit, edito libro, *de Homine* anno cIↃ IↃC LVIII. Sic vt tribus sectionibus integrum philosophiae suae systema absolueret, quarum prima de corpore, secunda de homine, tertia de ciue tractabat. Primae autem sectioni, logicam, seu, quo nomine ipse appellat, computationem praemisit, inque ea de philosophia in genere, et de nominibus; tum de philosophia prima, siue notionibus generalibus naturali philosophiae praemittendis, de loco et tempore, corpore et accidente, caussa et effectu, potentia et actu differuit. In secunda sectione autem, de homine tractans, occasione argumenti de natura visionis totam fere opticam exposuit. Tertiae notissimos, quos supra tetigimus libros politicos inseruit [g]. Ex quo systemate, constare potest, suo se iudicio totum in philosophiae corpore construendo permisisse Hobbesium, et nouatoris in philosophia, atque philosophi eclectici nomine omnino esse designandum.

§. XI. Secutus annus cIↃ IↃC LX, halcyonia nobilissimae insulae restituit, rebellionum furiis eiectis, profligata tyrannide, et reuocato post multorum annorum exilium Carolo II. quo pacto tota rerum facies mutata est, vt alibi dicendum. Redeuntem principem, cui artium mathematicarum elementa tradiderat, salutare tum constituit Hobbesius, ideoque relicto rure, in quo degebat, Londinum aduolabat, regiae gratiae, qua exciderat, iterum se traditurus. Quem more suo clementer excepit rex; curru enim aedes Sarisburienses, in quibus tunc cum moecenate morabatur Hobbesius, praeteruectus, cum illum conspicatus esset, ad se vocari iussit, et manu ad osculandum porrecta, de rebus eius atque salute scisscitatus est, eumque, se atque res suas deuotissimis precibus eius clementiae

Reliqua Hobbesii vita usque ad mortem.

e) Cautel. circa Praecogn. Iurisprud. c. XI. §. 12. nor. M.

f) Hist. Lit. Part. I. cap. 7. §. 1. p. 227. conf. Biblioth. iuris imperant. cap. I. pos. VII. §. 2. pag. 70.

g) Conf. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 15. p. 117.

mentiae tradentem bono animo esse iussit: saepius quoque, aditum parante Samuele Coopero, pictore praestantissimo ad secretiora colloquia a rege admissus, deque eius gratia certior factus est. Quod mirari quis forte queat, cum suspectus Hobbesius fuerit, quod a partibus regis ad Democraticos clam defeciisset: at mirum tamen videri non debet reputanti, desiisse tum pericula, quae ex illa factione aula metuerat, ipsum quoque Hobbesium, a tumultu turbisque partium ad quieta studia se transtulisse; quibus accedit, satis intellexisse regem, Hobbesium episcopis valde inuisum adhiberi posse, vt illi haberent quocum congrederentur, vnde dixisse regem ferunt [h], vti se Hobbesio ad acuendos molossorum suorum dentes. Ita vero securus Hobbesius in secessu suo philosophiam colere iuuareque gnauiter perrexit, huncque in finem opera philosophica reuisa et emendata vnoque fasce comprehensa emittere in lucem constituit. Quod licet in insula facere prohiberetur, eo quod episcoporum vigilantia cauebat, ne principia et axiomata eius, quae pessimi commatis illis esse videbantur, disseminarentur, obtinuit tamen apud Batauos, et ex officina Blauiana Latine versa in publicum prodire iussit [i]. In cuius sylloges parte prima comprehenduntur logica, philosophia prima, physica et liber de ciue, in secunda, scripta mathematica, in tertia, Leuiathan, in quarta auctoris vita. Ita absoluto, qualem sibi definiuerat, cursu philosophico, ad iurisprudentiam Anglicanam et ad perficiendas artes mathematicas se conuertit, et de iure municipali siue legibus Anglicanis commentarium scripsit, quem doctissimos iuris interpretes in pretio habuisse et in scriniis MSc. seruauisse ait biographus [k]. Tum geometriam, quam innumeris paralogismis foedatam et corruptam hactenus fuisse sibi persuadebat, ab ipsis fundamentis restituere et difficillima problemata ingenii sui felicitate soluere aggressus est. Erat enim in ea opinione [l], naturam se quantitatis, lineae, anguli, rationis seu proportionis primum detexisse, soluereque se illa aenigmata posse, quibus frustra hactenus ingenia mathematica insudauerant, qualia sunt, quadrato aequare circulum; cubum duplicare, datum circuli arcum iuxta datam rationem dispertiri, rectam lineam parabolicae aequalem inuenire etc. Quamuis autem hoc nomine egregie mathematicis passim vapularet, vt infra dicemus, non caruit tamen ingenium, quod acre et excelsum nutriebat, et doctrina minime proletaria admiratoribus cultoribusque, quos et Anglia illi suppeditabat, et exterorum opinio formabat; inter quos legatos quoque atque principes ad Hobbesium, tanquam ad singulare gentis suae ornamentum confluxisse asserit biographus [m], narratque Cosmum Mediceum, Ferdinandi II. filium, Etruriae principem, tanti philosophi fama permotum, illum saepius conuenire dignatum fuisse; et insignem scientiam quamplurimum admiratum iconem

h) PVFENDORF. Erid. Scand. p. 106. Sorbiere, alii.
i) 1668. II. Vol. 4. Nouam editionem olim molitos fuisse Lipsienses nos docet STOLLIVS Histor. literar. Part. II. cap. I. §. 98. pag. 413.
k) Pag. 49.
l) Ibid. p. 53.
m) Pag. 51.

nem eius et libros vniuersos inter rariſſima bibliothecae Mediceae κειμήλια reponendos domum ſecum deportauiſſe. Quibus addi poteſt, in academiis quoque innoteſcere et caput efferre coepiſſe philoſophiam Hobbeſianam, ſtudioſa iuuentute nouitatis auida, vt plerumque accidere nouimus, eius opiniones in publicis velitationibus, paſſim defendente. Id quod tamen famae atque exiſtimationi Hobbeſii ceſſit in opprobrium, incautis iuuenibus eiusmodi aſſertiones fundamentis Hobbeſianis inaedificantibus, quae ſatis periculoſae videbantur. Id quod imprimis Danieli Scargil, artium baccalaureo et collegii corporis Chriſti in academia Cantabrigienſi ſocio, viro feruidi quidem et praecocis ingenii, at vitae ſolutioris, accidit. Is enim principiis Hobbeſianis vſus in publica diſputatione has theſes ventilandas propoſuit: „Ius dominii fundari in potentia; iuſtitiam „moralem pendere a ciuilibus inſtitutis; ſcripturam ſacram in legem ſan„ciri ſolummodo ex auctoritate magiſtratus; ſupremi magiſtratus iuſſis, „etſi legibus diuinis quae de moribus latae ſunt, contrariis obtemperan„dum eſſe.“ Addit, qui haec narrat biographus [n], adieciſſe, vt ſuſpicari licet, aliam inuidiae augendae gratia cenſores: glorioſum eſſe atheum cenſeri. Quibus aſſertionibus ab eo, maxima pertinacia atque acrimonia defenſis, vehementer patres academici, et imprimis theologi commoti ſunt, rati, pietati et moribus inſidias ſtrui, et aperte hiſce dogmatibus hominem impietati patrocinari: vt itaque malo ſerpenti maturato conſilio remedium adhiberent, ad ſenatum academicum citatum atheiſmi criminis poſtulant, et acriter reprehenſum ob proteruiam carcere puniendum eſſe decernunt: tum gradu priuatum et ſodalitate exutum, academia expellunt, poſtquam in templo prius publico theſes has, impias et ex orco profectas, atque humanae ſocietati perniciоſiſſimas eſſe profiteri fuiſſet coactus. Quam tragoediam ſuae famae diſpendio agi facile intellexit Hobbeſius, ideoque quocunque loco potuit, de vi ſibi illata, et ſe tradueto immerito velut omnis pietatis et numinis ipſius hoſte, deque detortis in ſequiorem ſenſum placitis ſuis, adeoque turpiter et inique damnatis conqueſtus eſt, ſurdas autem plerorumque aures inuenit, cum et ipſa παραδοξοφιλία eius bonis omnibus eſſet inuiſa, et principia illa moralia vehementer ſuſpecta haberentur, ipſe autem intempeſtiuis ſatyris academicos doctores, et totum fere ordinem eccleſiaſticum contra ſe irritauiſſet. Satis id ſenſit Hobbeſius, cum elogium eius antiquitatibus Oxonienſibus Latine verſis inſeruiſſet Antonius Wood; expunxiſſe enim ex iis laudes Hobbeſii et ſtigma memoriae eius inuſſiſſe Ioannem Fellum, fruſtra quoque Hobbeſium ſe ſcripta epiſtola apologetica, contra hanc ignominiam defendiſſe, ex iis repetendum eſt, quae initio capitis de hac re diximus. Pertaeſus ergo ſocietatis hominum, quam inuidia non carere, experiebatur, anno cIↃ IↃc LXXIV Londino rus conceſſit, confirmato animo,

n) Pag. 51.

mo, nunquam in vrbem redeundi, id quod etiam aetas valde decrepita ſuadebat, erat enim ſenex capularis, nonagenario proximus. At cum delicias in literis per omnem vitam quaeſiuiſſet, ne in tam prouecta quidem aetate ab iis abſtinuit, et otium, cui ſe tradiderat, matheſeos, poëſeos, et phyſicae praeceptis vſuique dicauit, nec a ſcribendo abſtinuit, ſed libros aliquot ex Homeri Odyſſea, ſpecimen integri operis Homerici mox prodituri, vernaculo ſermone euulgauit; in quo frigus quidem ſenile at Maeonii ſimul ſenis ſpiritum ſermone Anglicano commode expreſſum viri docti obſeruauerunt. Quod cum placere eruditis intellexiſſet, anno ſequente totum Homerum patrio carmine prodire iuſſit, diſſertatione *de Heroici poëmatis virtutibus* praemiſſa. Anno cIↃ IↃ CLXXVI controuerſiam de libertate et neceſſitate humanarum actionum cum Beniamino Laney, epiſcopo Elienſi olim agitatam eruditis viris ſcripto cognoſcendam tradidit, et biennio poſt *Decameron phyſiologicum*, ſiue *de Naturali philoſophia libros decem* luce donauit. Nec ab argumento politico abſtinuit, ſed *Belli ciuilis Anglicani hiſtoriam* conſcripſit. Quam cum regi obtuliſſet, vt imprimendi facultatem concederet, repulſam tulit; ab amico autem, inſcio Hobbeſio in lucem ea emerſit, quod ne fraudi ipſi apud regem eſſet, diligenter cauit, metuens ne ea propter regis indignationem experiretur [o]. Aſt metu eum liberauit inſtans fatum; circa medium Octobris enim anno cIↃ IↃ CLXXIX vrinae ſuppreſſione correptus eſt, deſperantibus de ſalute eius medicis, quod aetate grandiori vires corporis prorſus exhauſtas noſſent: acceſſit paucis poſt diebus dexteri lateris paralyſis, quae linguae vſu eum priuauit. Quo caſu ita vires ſenio exhauſtae defecerunt, vt tandem prid. Non. Decembr. eius anni mortalitatis exuuias deponeret, patroni ſui cura funere ſatis decoro, licet pompa non magna elatus. Vixit coelebs, licet a commercio cum foeminis non abhorreret [p], annos XCI.

Character Hobbeſii.

§. XII. Concedenda Hobbeſio laus ingenii magni, iudicii acris et profundi, et doctrinae haud vulgaris, quam ſi non meditatione tantummodo, ſed lectione quoque formare augereque voluiſſet, pulchrior ea atque ſolidiori habitu ornata prodiiſſet. Patet enim ex ſcriptis eius, quae argumentum hiſtoricum tangunt, qualis *Hiſtoria eccleſiaſtica* eſt *Carmine elegiaco* concinnata [q], in qua papatus hiſtoriam delineauit, non defuiſſe ei acrimoniam iudicii ad cauſſas arcanas prudenter reſpicientis et obſeruationes pulcherrimas inde deriuantis; aſt caruiſſe eum lectione ſufficienti et ad integra rerum momenta ſe ita extendenti, vt vera inde rerum conſideratio emergere poſſit; tacemus morem praepoſterum hiſtoriae documenta ad hypotheſes ſuas transferendi, easque eo loco inueniendi, quo alii iſtis opinionibus non occupati nihil huius generis vident. Factum autem

o) p. 75. p) Hoc ab aduerſariis ei obiectum. Quod apologia diluit more ſuo GVNDLINGIVS Obſ. T. I. Obſ. II. §. 2. p. 40.

q) Prodiit Londini 1688. 8. Vid. Bibl. Thomaſ. Vol. I. p. 314.

autem ista iudicandi peritia, vt, licet systematis atque hypotheseos praeiudicio occupatus, multas veritates detegeret, et passim scriptis suis inspergeret, quae si lectorem prudentem et intelligentem inueniunt, vsum haud exiguum praestare possunt. Sed adiutus valde ea in re Hobbesius est, a mathematicarum disciplinarum methodo, qua accurate ratiocinari, et ordine progredi edoctus est, nec dubitandum est, quin in inquirendae veritatis itinere plurimum profeciisset, si deamatae hypothesi minus inhaesisset, nec semel suppositio falso aliquo axiomate, ex vno fonte, eiusdem mathematicae methodi ductu innumera consectaria deduxisset, quae cum πρώτῳ ψεύδει intimo nexu cohaerentia non potuere non specie demonstrationis mathematicae lectorem decipere, id quod vel ex vno independentis atque absolutae potentiae axiomate admisso satis superque liquet. Et ex hoc quoque opinionis semel electae studio, non autem ex iudicandi inopia, aut methodi ignorantia deriuandum esse videtur, quod sibi ipsi interdum contradicat, incertusque haereat, quo pacto elabi possit, ne sententiam deserere cogatur. Nempe veritates interdum obstabant euidentes, quae cum negari non possent, torqueri eas, et ἑκόντας ἄκοντας in partes rapi necesse erat: quod commune vitium eorum esse, qui systemata condunt, et ex hypothesi ita philosophantur, vt vno cothurno omnia adaptent, experientia, plurimis exemplis nos docuit. Cetera autem praeiudicia, et imprimis illud, quod ab auctoritate et antiquitate peti solet, magno animo exuerat, et plus suo iudicio, quam aliorum tribuerat, sectae autem studium, cane peius et angue nouerat, et suo Marte atque ingenio quam aliorum ductu, philosophari malebat, attentionemque et industriam haud paruam in meditando ostendebat: quibus accessit experientia haud vulgaris, partim enata ex vitae longioris vsu, partim acquisita ex hominum magnorum et exercitatione subactorum consuetudine, partim aucta temporum difficillimorum occasionibus. Quibus circumstantiis omnino meretur philosophorum magni nominis albo adscribi. Et euitasset forte Hobbesius illos scopulos, ad quos in philosophando naufragium fecisse plerisque censetur, si in alia tempora incidisset. Tanta enim ista aetas corruptione laborabat inter Britannos, et ad ea extrema progressa erat Presbyterianorum, quos vocant, factio, cuius furor tandem in regicidium desiit, vt mirum non sit, Hobbesium, hominem acrem, et episcopalium partibus, quas meliori iure vti statuebat, mirum quantum addictum infenso in illam animo fuisse accensum, et ad opprimendam rationibus eius insaniam in eiusmodi principia conspirasse, quae paulo liberior animus vix potest admittere. Testem damus virum summum GILBERTVM BVRNETVM r), qui quantis tum vitiis inquinatus fuerit Presbyterianorum clerus, luculentis Duglasii, Diksoni, Blairii, Rutherfordii, Bailii, Cantii Gillispysii, Godwini, Oweni, Carrii, Herrii aliorumque exemplis probatum dedit. Cumque eodem historico fide dignissimo

r) Hist. sui temporis T. I. p. m. 36. 92. 150. 151. 199. 218.

gnissimo auctore, ipse quoque episcopalis factionis clerus insignibus naeuis non caruerit, et ignauia atque negligentia res ecclesiae perdiderit, mirum non est, Hobbesium, qui opinionibus paradoxis et satyris acerbis genus irritabile vatum alte vulnerauerat, eoque nomine magnam cleri inuidiam patiebatur, vehementer in ecclesiasticum ordinem fuisse inuectum, et huius odio imperii potentiam tantopere euexisse. Sane in hos animum Hobbesii vehementer fuisse accensum, non reticuit biographus, cui Hobbesius intus et in cute notus erat. Is enim ipsi titulo narrationis suae Hobbesii characterem expressurus, hoc ANGELI POLITIANI [s] epigramma aculeatum atque acerbum in limine apposuit:

- - Qui nos damnant, histriones sunt maximi,
Nam Curios simulant, et viuunt Bacchanalia.
Hi sunt praecipue quidam clamosi, leues,
Cucullati, lignipedes, cincti funibus,
Supercilioſum incurui - ceruicum pecus.
Qui quod ab aliis habitu et cultu dissentiunt,
Tristesque vultu vendunt sanctimonies,
Censuram sibi quandam, et tyrannidem occupant,
Pauidamque plebem territant minaciis.

Plura de hoc, quod inter clerum Anglicanum et Hobbesium interceſſit, odio dicere opus non est, quia satis id ex illis patebit, quae infra de eius aduersariis dicemus. Tot igitur tantaeque existimationis homines, cum infensissimos se hostes habere crederet, non potuit non animus eius sauciari, et vindictae causſa ad eiusmodi decreta delabi, quae sine hoc odio, qua erat animi sagacitate, ipse forte expunxisset. Fatendum tamen, temperamenti quoque rationem Hobbesio obstitisse, quo minus in saniori philosophia recto itinere progrederetur, quamuis abunde dotibus ingenii ad id a natura instructus. Nempe temperamento vtebatur cholerico-melancholico [t], quod et sui fiduciam ei satis magnam ingerebat, et contra quosuis illum contradictionibus omnis generis armabat, et quandam morum difficultatem inspirabat, quae odio magis, quam beneuolentia, aduersus illos, quos alte despiciebat, se extulit. Quam animi indolem auxit educatio, cum pleraque, contemtis scholis αὐτοδίδακτος didicisset, cuius generis homines spiritu plerumque contradictorio regi, experientia docet atque exempla comprobant. Solent autem, qui receptis omnibus opinionibus se opponunt, ex contradicendi studio haud raro in contraria, eaque inepta currere, suisque plerumque luminibus obesse. Quod vitium in Hobbesii scriptis sine magno labore lector deprehendet, et in ipso eo conflictu, de quo supra egimus, sibi proditum esse, affirmauit Cartesius: Ioannes

s) Prolog. in PLAVTI Menaechmos.

t) Id ex computatione actionum Hobbesii facile colligi potest: nec audiendus est biographus, qui temperamentum sanguineo-melancholicum ei tribuit.

Ioannes Fellus autem ad locum quendam libelli *de Principiis et ratiocinatione geometrarum* prouocat [u], quo scripsit Hobbesius: *In magno quidem periculo versari video existimationem meam, qui a geometris fere omnibus dissentio. Eorum enim, qui de iisdem rebus mecum aliquid ediderunt, aut solus ego insanio, aut solus non insanio; tertium non est, nisi quid, dicet forte aliquis, insaniamus omnes.* Quae licet ab aduersario adducta sint, et suspecta ideo videri queant, non reiiciendum tamen magni LEIBNIZII testimonium [x], quem acerrimum pariter et aequissimum ingeniorum arbitrum fuisse apud omnes in confesso est; is Hobbesii animum ad paradoxa inclinauisse, eumque commouisse, vt aliis contrarium se demonstraret, adeo, vt nec ab argumento ab inuidia ducto abstinuerit, obseruat. Ipsa enim scriptorum Hobbesianorum lectio satis id superque confirmat.

§. XIII. Coniiciet ex hoc Hobbesii charactere a nobis depicto lector attentus, non defuisse laudatores pariter atque reprehensores Hobbesio: nempe prout vel addictos parti suae vel aduersos reperit. Et magnas quidem eum laudes reportauisse, ex vna vitae eius historia, et, quae illi praefixa sunt, carminibus encomiasticis satis superque notum est, plura autem virorum doctorum elogia de eo collegerunt THOMAS POPE-BLOVNT [y] et MAGIRVS [z], quibus multa addi possent, si id ageremus. Non praetereundum autem, quod non parum honorificum Hobbesio est, Carolum Ludouicum, Palatinum electorem, quo inter principes vix vnus rectius viris doctis pretium statuere nouit, praeclare de Hobbesio sensisse [a]. Extollunt autem, qui Hobbesio fauent, magnam in eo linguarum, Graecae Latinaeque, peritiam, et in hodiernis exercitationem haud vulgarem; iudicium acerrimum, et in societatis humanae et ciuilis compagem altissime penetrans, adeo, vt, vbi etiam a vero aberret, occasionem tamen ad talia meditanda afferat, quae fortasse alias nemini in mentem veniissent. Maxime autem in eo laudant, quod vnus omnium in philosophando a praeiudiciis liberrimus sit, et penitissime quicquid rerum edisserit, introspiciat, vel profundissime quoque argumentum scrutetur [b]. His testimonium vitae laudabiliter et philosophum decenter actae adiiciunt amici eius [c], laudantes in eo Dei auctoris et originis rerum omnium, intra angustos tamen humanae rationis cancellos nullatenus circumscribendi agnitionem; religionisque, quatenus in ecclesia Anglicana, refectis superstitionis ineptiis legibus regni stabilitur, ex animo receptae constantiam et defensionem: officiorum, patriae, regi, societati vtilissimorum commendationem, fidelitatem regi praestitam, amicitiam sancte custoditam; munificentiam in cognatos testamento quo-

Laudes Hobbesii.

u) In Epist. adiecta calci Antiqq. Oxon.
x) loc. cit.
y) Cens. cel. auct. p. 1043. conf. Biographus p. 109.
z) Eponymol. crit. p. 448.
a) Leibniziana p. 187.
b) GASSENDVS l. c.
c) Biographus p. 52.

que atque donationibus demonstratam, liberalitatem erga pauperes, grauitatem sermonis, facetiis tempestiuis temperatam; animum apertum, simplicem, aliosque instruendi cupidum, et ad conceptus animi impertiendos facillimum: tum, comem et mansuetum, nisi forsan nouitii aliqui, ingenii ostentandi gratia friuolis ipsum quaestionibus et cauillis torquerent; quique in neminem inueheretur, nisi qui laeserit prius. Quibus addunt eius encomiastae, ingenium ad omnia natum atque institutum, iudicium perspicax, animum indefesse cogitabundum, et in ea, cui se addixisset materia, pertinacissime commorantem, lectionem non magnam quidem, at in optimis tamen auctoribus versatam, et ab intempestiua legendi intemperie, qua ignorantia et confusio alitur, prudenter sibi temperantem, eum tandem, quem illustrissimi aliique summi viri amicitia sua iudicauerint dignissimum.

Reprehensiones Hobbesii.

§. XIV. Pulcherrimas esse has laudis Hobbesianae tabulas nemo negauerit; at si alios, et hos quidem et numero et auctoritate non minores, audias, vix peius vnquam philosophus quisquam audiit. Non negauit id, qui plenis plaustris encomia in Hobbesium congessit, vitae eius enarrator [d], indignatus illis, *qui magnam in republica literaria tyrannidem affectant, et talem tantumque virum, vt humani generis pestem et capitalem religionis, omnisque ciuilis consortii inimicum proscribant, eiusque philosophiam tamquam pessime moratam, impietate, iniustitia, nequitia, discordia denique foetam e manibus hominum excutere contendant.* Inter quos fuisse multos intempestiuo contra Hobbesium affectu concitatos eo minus negandum esse videtur, quo certius est, multos in eum insurrexisse solo inuiso nomine audito; haud paucos, quod pulchre SAMVEL PVFENDORFIVS obseruauit [e], eum maximo cum supercilio condemnauisse, abs quibus minime lectus fuerit aut intellectus. Ast displicuisse tamen vehementer Hobbesium viris quoque prudentibus, moderatis atque grauissimis, et non personae magis, quam opinionum paradoxarum odio ductis, quos tyrannidem in republica literaria exercuisse dici non potest, fatendum est. Id quod ipse Lector intelliget, si ea potissimum capita enarrauerimus, in quibus atro carbone notandus Hobbesius visus est. Ea vel ad animi vitia, vel ad opinionum et placitorum impietatem referri videas. Et culpari quidem videas in Hobbesio magnam in artibus mathematicis ignorantiam. Quanquam enim omnibus se vnum geometris opponebat, et totam mathematicorum gentem prae se contemnebat, errorisque arguebat, infantiam tamen et meros eosque pueriles paralogismos illi obiecerunt, Wallisius, Roberuallius, Schottenius alii, qui aduersus eum satis infestis et contumeliosis signis concurrerunt: idque eo magis, cum, fatente eius biographo [f], ab arithmetica speciosa, tanquam blanda ingeniorum seductrice prorsus abhorruerit. Aliis eius naturalis philosophia minus placuit, qui ferre non potuerunt, imaginariis eum hypothe-

d) pag. 92. e) Praef. ad I. N. et G. f) pag. 49.

potheſibus plus detuliſſe, quam experientiae, ſolidis atque accuratis obſeruationibus nixae. Quo nomine in regiam, quae Londini congregari coeperat, ſocietatem, inuectus eſt, quam etſi laudauiſſe videri voluit, reprehendit tamen [g], quod de generali motus doctrina excolenda minus „ſollicita proletariis experimentorum minutiis ſe addiceret nimis, ſaepe„numero dicere ſolitus: ſi ex multifaria experimentorum farragine con„geſta philoſophi titulus exſurgeret, nihil obſtare, quo minus muliercu„lae, olitores, pharmacopoei, et ciniflones chymici in philoſophorum al„bum referrentur.“ Quales voces excidere potuiſſe Hobbeſio iuuentutem in magni Verulamii conſortio exigenti et illuſtrem philoſophum inductionem experimentis factam toties inculcantem audienti, merito miramur. Quae res effecit, vt a naturae ſacerdotibus maxime Boyleo magnis arietibus confoderetur, conuincereturque ſatis modice apud eum habitare philoſophiam [h]. Plura et extantiora ſunt, quae in morali philoſophia Hobbeſii acutiſſimorum virorum ſeueritas reprehendenda notauit, et quae multis libris aduerſariorum ei caterua obiecit. Monent enim: tetram eam eſſe, et litibus in aeternum ſerendis atque humanae ſocietati euertendae aptam, eoque minus ferendam, quo minus diſſentientibus inter ſe opinionibus conſtet, quarum vna tollat alteram atque conficiat. Apertam ſapere impietatem πρῶτον ψεῦδος ab Hobbeſio fundamenti loco poſitum: nihil eſſe natura iuſtum vel iniuſtum, bonum et malum, honeſtum vel inhoneſtum, ſed omnem hanc actionum humanarum moralitatem ex pactis, et ſummi potiſſimum magiſtratus iudicio, voluntate atque decreto eſſe deriuandam: id enim velle ius omnium in omnia, in ſtatu naturali ab Hobbeſio tantis niſibus aſſertum et defenſum: eoque legem naturalem omnem, et hominis obligationem, antequam imperio alterius ſe aut vi coactus, aut metu compulſus ſubiecerit, plane tolli. Sequi autem inde, quod ipſum quoque Hobbeſio non diſplicuerit: imperium, ſiue poteſtatem ſummam, abſolutam eſſe, nec legibus vllis circumſcriptam. Quod quam nefarium et a Chriſtiana, immo naturali quoque pietate alienum ſit, cum vidiſſet Hobbeſius, eo quod omnem religionem ad legis ciuilis eam conſtituentis auctoritatem reuocet; ipſum a ſuo principio defeciſſe, ne omnem Numinis ſenſum ac religionem exuiſſe videretur, ideoque religionem aliquam communem, et pietatem quandam naturalem, quae a priuatis et a magiſtratu non dependeat, admiſiſſe [i], coactumque leges quasdam naturales concedere, pacto non ſtabilitas, quas naturaliter migrare nefas ſit [k]. Porro quoque inconſtantem Hobbeſii animum, monent, turpiter in ipſam illam poteſtatem, quam regi velificaturus tantopere euexerat, peccauiſſe, eo quod Cromuellianis partibus poſtea fauentior, ad illas partes philoſophiam ſuam attemperauiſſet: hincque contradictiones philoſopho indignas eſſe enatas, cum enim homini in ſtatu naturali ius

g) Ibid. p. 47.
h) Conf. BVRNET. l. c. T. I. p. m. 211. et ſcripta Mathematicorum recenſita a biographo et in Bibliotheca iuris imperantium c. 1. poſ. 7. §. 8. p. 77.
i) De Homine c. 14. p. 78.
k) De Ciue c. 6. §. 13.

ius in omnia tribuiſſet, vt pacto tamen, quo imperium ad vnum deuoluitur, ſua conſtet firmitas, ad leges iterum naturales, dictamenque rectae rationis circa ea, quae agenda vel omittenda ſunt prouocauiſſe l), at vt elabendi rimam haberet, in concluſiones eas logicas, de rebus agendis aut omittendis commutauiſſe, hoc vero pacto ſummi imperantis potentiae neruos incidiſſe, fruſtraque ad ſcripturae auctoritatem prouocauiſſe, quam ipſam quoque vim legis ex voluntate ſummae poteſtatis habere aſſeruerit. Maxime autem vrgent, qui Hobbeſio infeſta ſigna oppoſuerunt, bella, inimicitias, lites armorumque vim neceſſario ex hoc iure naturali Hobbeſii oriri, cum ex iure hominis ſalutem ſuam vi, et belli auxilio quaerendi, ſi pax deſit, id neceſſario ſequatur. Fas enim hoc pacto eſſe homini, ea moliri omnia, quae ad vitam ſuam conſeruandam facere poſſunt, quin republicas ideo ab hominibus ſceleratis turbari poſſe, ſi aliter vitae ſalutique ſuae conſulere nequeant, eo quod ad ſui conſeruationem id facere intelligant. Nec obſtare huic naturali principio ab Hobbeſio poſito renuntiationem iuris ſui et conſenſionem in imperium alterius, cum, ſi ſceleratus ſuae conſeruationi obeſſe poteſtatem ſupremam intelligat, neceſſario ad legem illam vniuerſalem, quae cauſſa conſenſus ſui fuerat, recurrat. Non enim obtemperaturum eſſe hominem illi, in quem ius ſuum transtulit, ſi ſe conſeruare eius ope non poſſe intelligat, ſicque facem ſeditionibus praeferri, et ad omnia audenda animum facinoroſis accendi poſſe. Praeterea obſeruant, iuris illius ad omnia, quod ſummi habent imperantes, nullum plane vſum in iure gentium eſſe, cum ſinguli reges atque principes ſumma poteſtate regnantes ius ita habeant faciendi, quod libet, et hoc modo infinita bella ſerendi occaſionem inueniant titulosque iuſtiſſimos. Sunt et alia, quae magna indignatione in hac Malmesburienſi philoſophia reprehendunt viri docti, e. c. leges a ſola potentia, cui reſiſti nequeat, deriuatae, et ex metu poenae obortae; qua definitione ſalua nemo pro ſalute imperantis et reipublicae ſe obiiciat, vel ſceleris licentiam atque impunitatem nactus, et vinculo, quod poenae metus iniicere ſolet, ſolutus, a violando iure abſtineat. Sed his immorari diutius ob rationes inſtituti noſtri non licet m). Non tacendum tamen fuiſſe viros nonnullos doctos quibus viſum nec tam inepte, nec tam impie philoſophatum fuiſſe Hobbeſium a plerisque non ſatis intellectum. Non enim iuris naturalis, aeterni et diuini inſtitutiones eum voluiſſe ſcribere contendunt, ſed politicam artem tradere, quae ſuppoſita hominum natura, corrupta et affectuum intemperie turbata, quid faciendum ſit principi, quid ſubditis vtiliſſimum et ſuadendum ſit, exponat. In quo ſaxo voluendo imprimis induſtriam atque acumen ingenii demonſtrauit cel. GVNDLINGIVS n), quo colore et veriſimilitudine? hoc loco definiri non poteſt, facileque ex *Leuiathane Hobbeſii* intelliget Lector paulo attentior.

§. XV.

l) De Ciue L. II. c. 1. § 9.

m) Conf. CVDWORTHVS Syſt. int. paſſim et MOSHEM. ad eum p. 1199.

n) Diſſ. de Statu naturali Hobbeſii in corpore iuris ciuilis defenſo et defendendo Hal. 1709.

§. XV. Praeter haec, quae in ipso systemate Hobbesiano reprehenderunt philosophi, alia quoque sunt, quae in eo solent culpari. Et paedagogicos quidem mores, quos nouo vocabulo paedantismum vocare solemus, ei obiicit cl. VLRICVS HVBERVS [o], *eo quod in morali philosophia, quas plerasque nouas et inauditas habebat sententias, adeo certas indubitatasque praedicet, vt se non disputare, sed computare atque demonstrare affirmet: tam inusitatae certitudinis vnam dicat hanc esse rationem, quod nemo eorum, qui de iisdem rebus scripsere, commodo vsus sit docendi principio. Esse autem illud: incipit in ipsis dubitandi tenebris filum quoddam rationis, cuius ductu euaditur in lucem clarissimam. Hinc omnia eum Graecorum Romanorumque aliaque morum scita, tanquam praeiudicia missa facere, etiam talia, quae omnium prima putabantur, veluti, hominem esse socialem etc. quod autem e dubitandi tenebris emergens clare distincteque perceperit, hoc eiusmodi esse credidisse, vt ipsum fallere haud posset, nisi, Deum mentis et cogitationis artificem fallaciae arguere vellet; hincque se computare, se demonstrare, se γεωμετρεῖν gloriari. Hanc studendi viam ingressum, cum in rationalibus sibi plauderet, facile ad existimandum adductum esse, nec in literis Dei interpretandis quicquam illi methodo esse anteuertendum. Hac vero ratione, dum ex ea positione, quicquid clare et distincte percipio illud verum est, concludat, in rebus etiam incertis obscurisque iudicandis nihilo magis se falli posse, quam Deus O. M. deceptor esse queat: vehementer metuendum esse, eam lucem clarissimam, quae ex tenebris methodicae vniuersaeque dubitationis oriatur, nihil esse, quam arrogantem δοκησισοφίαν et abruptam αὐτογνωμοσύνην, quae cum aliorum contemtu iunctae sint verissimi characteres formidabilis paedantismi, quem nobilis ille philosophus palam prae se ferat, quando regibus et principibus operam suam venditet emendandi reformandique omnes academias et professionum disciplinas, vt missis veterum institutis sua principia et instituta pro geometricis veritatibus vbique haberentur. Quam dubitandi viam licet alii quoque hoc vitio non correpti receperint, posse tamen eam Hobbesio ad probandum eius paedantismum obici, eo quod ad doctrinae fastum pergat.* Miramur, Clarissimum virum, dum hanc vitii literarii maculam Hobbesio inurit, maluisse in principio quodam logico haerere, et obscure satis atque ambigue ex eo paedantismi suspicionem alere, quam ad apertos eius vitii characteres recurrere, quos expressisse Hobbesium, negari non potest. Spiritu enim contradictorio occupatum, omnibus bella denuntiasse, et ambitione plenum sui vnius lumina toti orbi mathematico velut infantenti opposuisse, contradictionis autem impatientem, et ab opinione semel recepta deflectere nescium fuisse, et magna pertinacia, ad inuidiam vsque progressa disputauisse, supra iam obseruauimus, quae

Paedantismus et alia vitia Hobbesio obiecta.

o) Orat. de Paedantismo p. m. 66.

quae omnino scholasticos illos mores philosopho indignos produnt. Addi his potest intolerabilis iactantia dudum a viris doctis in Hobbesio reprehensa, qua se solum aliquid vidisse, et ad suam vsque aetatem omnem terrarum orbem coecutiisse non credebat modo ipse, sed aliis quoque persuadere conabatur. Quod non praeter rem illi vitio verti, vel vna quam libello *de Ciue* praemisit, praefatio satis potest ostendere, in qua ad suam vsque aetatem veros iuris naturalis fontes neminem vidisse, se vero eos detexisse, magna fiducia gloriatur. Vnde facile persuademur, verum esse quod de Hobbesio narrat CONRINGIVS [p]: eum edito libro de Ciue non dubitauisse his verbis gloriari: *Physica res nouitia est, sed philosophia ciuilis multo adhuc magis, vt quae antiquior non sit libro, quem de ciue scripsi.* Id quod EIDEM [q] occasionem suppeditarit Hobbesio ingenium tribuendi nouitatum studiosum maxime temerarium, praesidens, ineptum. Addi his potest, quod maximopere in Hobbesio reprehenditur, et ex studio hypothesin semel electam mordicus defendendi omnibusque contradicendi sequitur, philosophum Malmesburiensem sibi ipsi contrarium saepe numero esse, atque sibi non constare; cuius vitii supra iam exempla attulimus. Obiecitque ei RAPINVS [r], eruditionis eius et ingenii, cetera laudator, adeo inconstantem esse et a se diuersum, vt cum toties in Epicuri hortos transiuerit, Aristotelem tamen sequi haud semel voluerit.

Profanus erga C. R. animus obiectus Hobbesio.

§. XVI. Nullum tamen ἔγκλημα animum Hobbesii sauciauit magis, et foediorem memoriae eius maculam inussit, quam suspicio clandestini atheismi, toties ei viuo ab Anglicanae ecclesiae theologis obiecti, et mortuo quoque ad hunc diem imputati. Eum enim fuisse contendunt, qui, dum clero infensior malas nonnullorum artes castigare contenderet, in ipsam sanctissimam Christianorum fidem, et oracula sacra iniurium se praestiterit, talia autem principia admiserit, quae Deum quidem externa professione afferant, at reconditam tamen et indirecte probatam impietatem sapiant, et generi ideo humano sint longe periculosissima. Cum autem duo sint accusationis huius capita, vnum de conculcata ab Hobbesio religione reuelata, alterum de eiecta proditaue religione naturali, vtrumque paulo plenius excutiendum est. Et religionis quidem Christianae mysteria euiluisse Hobbesio, plerique qui calamum in eum strinxerunt, conquesti sunt, et ex nostrae quoque ecclesiae gremio obseruauerunt magni nominis theologi IO. FRANC. BVDDEVS [s] et IO. LAVR. MOSHEMIVS [t]. Quod ita quidem ab heroë suo depellit, qui elogium eius scripsit, anonymus [u], vt dicat, *religionem Christianam eum quatenus in ecclesia Anglicana, resectis superstitionis ineptiis regni legibus stabilitur, ex*

p) De ciu. prud. c. 14. HVBER. l. c. BOECLER. praef. Comm. in Grotium, MORHOF. Polyhist. Tom. II. pag. 116. MOSHEM. ad CVDWORTH. loc. cit.
q) Conringiana p. 76.
r) Reflexions sur la philosophie p. 55. MOSHEM. ad Cudworth. p. 74. 1197. Catal. Biblioth. Reimmann. p. 985.
s) Introd. in hist. theolog. p. 1448. 1765.
t) Ad Cudw. p. 1198.
u) pag. 80.

ex animo amplexum esse, eamque contra pontificiorum simul et sectariorum insultus strenue propugnauisse: controuersias quidem theologicas maxime auersatum esse; quicquid autem ad pietatis exercitia aut bonos mores conferret, plurimi fecisse: sanctius illi et reuerentius visum de Deo credere, quam scire. Sacerdotes interim inculpare solitum esse, qui Christianam religionem absolutam atque simplicem vel superstitione macularent, vel inanibus interdum et profanis speculationibus implicarent. Optime autem populo consultum fore censuisse, si scholasticorum dogmatum vice, aequi rectique praecepta, et cuiusque imperii leges ciuiles publice recitarentur, quibus homines ad suum erga magistratus obsequium, mutuaque vitae ciuilis officia formarentur. Ipsum etiam conatum esse maxime, vt post rectos de summo Numine conceptus dictis vitae officiis, tam publicis, quam priuatis ad virtutis et prudentiae dictamen rite fungeretur. Verum enim vero valde veremur, vt haec speciose quidem et in laudem Hobbesii dicta illi sufficere videantur, qui verba sibi dari non passus, ipsa Hobbesii Φιλοσοφούμενα, praecipue ea, quae in *Leuiathane* proposuit, attente considerauerit. Talia enim ibi occurrunt, quae a viro Christianae legi ex animo addicto proficisci minime possunt, et leuitatis in religione reuelata Hobbesium magnis argumentis arguunt. Quod ne ad inuidiam in celeberrimum philosophum cumulandam dixisse, videamur, ad *caput trigesimum tertium* dicti libri prouocamus, et aequum atque sanctissimae fidei nostrae amantem Lectorem arbitrum poscimus. In eo enim loco de numero, antiquitate, scopo, auctoritate et interpretibus librorum sacrorum ita differit, vt a profano animo parum abfuisse, et pleraque, quae reuelatio tradit, ad sacerdotum inuentiones retulisse merito videatur. Docet enim: *Libros illos solos canonicos, id est, leges esse in vnaquaque ciuitate, quae summi imperantis auctoritate latae sint; imperantium omnium imperatorem Deum quidem esse, et illi a ciuibus praestandam obedientiam, quicquid in contrarium iubeat rex terrenus. Sed de obedientia Deo praestanda controuersiam nullam esse, sed quando et quid locutus sit Deus, idque ab iis, quibus nulla data est reuelatio supranaturalis, sciri non posse, nisi per rationem illam naturalem, qua pacis et iustitiae obtinendae caussa auctoritati summarum potestatum se submiserunt. Quatenus non differant scripturae a legibus naturae, dubium non esse, quin sint leges Dei, auctoritatemque habeant, omnibus, qui ratione naturali praediti sunt, manifestam. Sed auctoritatem hanc non aliam esse, quam quae doctrinae omni morali, si vera sit, attribuenda sit; si leges a Deo ipso factae sint, nempe leges diuinae positiuae, nulla accedente auctoritate humana, illis solis leges esse, quibus Deus ipsas ita promulgauerit, vt nulla illis per ignorantiam relinquatur excusatio. Illos igitur, quibus Deus non reuelauerit supernaturaliter, quod scripturae ab illo sint, vel eos, qui illas praedicant, ab eo missos esse, nulla, vt eas recipiant, auctoritate obligari, praeterquam*

eius, qui summam habet in ciuitate potestatem. Hanc autem vel ciuilem esse vel ecclesiasticam: ecclesiam autem siue ciuitatem ecclesiasticam vniuersalem non existere: adeoque quicunque habeat potestatem legitimam faciendi, vt scriptura aliqua pro lege habeatur, potestatem etiam habere, eiusdem scripturae interpretationem approbandi et improbandi. Non colligemus plura hoc loco, vbi alia omnia agenda sunt, cum haec sufficiant pio lectori, vt ipsi constet, quam periculosae sint et exitiales Hobbesii hypotheses ciuitati Christi: his enim innumera superstruit, quae omnino sunt suspectissima, v. g. non habendos pro prophetis illos, qui religionem aliam docent, quam quae ab eo, qui personam Dei in ciuitate gerit, legibus permittitur etc. Tacemus paradoxa et profana alia passim in isto libro occurrentia. Ad quae deuenisse Hobbesium hominem nec iudicio acri, nec animo erecto destitutum, minime mirandum nobis esse videtur, reputantibus circumstantias Hobbesii. Multa enim per abusum irrepsisse olim in ecclesiam, ipsis DEI praeceptis ab Apostolis traditis contraria probe videbat vir acutus, et imprimis quantis fallaciis artibusque ad erigendam confirmandamque potentiam et vtilitatem suam clerus vsus esset, nouerat; haec apud protestantes quoque obtinere eo firmius credebat, et non satis emendatam esse ecclesiam sibi persuadebat, quo plures in nefandis motuum intestinorum apud Anglos tumultibus videbat ex clero, qui nefariis artibus omnia miscerent, queis grauem dicam scripsit in praefatione libri *de Ciue;* ita quod hominum vitium fuit, ad rem ipsam transferendo, misero paralogismo se ipsum decepit atque alios, et malo morbo medicinam attulit deteriorem; nempe videns sectarios in mille capita et tot opiniones diuidi, et sectarum suarum praetextu vti ad euertendum regnum, ipsam religionem summi imperantis arbitrio subiecit, vt eo fortius rebelles animos constringeret. Id quod eo confidentius ausus est Hobbesius, cum hoc pacto principem suum absoluta potestate frui posse crederet, et ita euitari turbas speraret, quas exitiales esse obtentu religionis sperauerat. Ferre autem non potuit, vt ecclesia a ciuitate dirimeretur, et ab imperante ciuili constitueretur diuersus alius, qui sacrae ciuitati praeesset. Quod cum in ecclesiae Romanae addictis vehementer improbaret Hobbesius, eam, quam illi Romano pontifici potestatem tribuunt, immo maiorem adhuc tribuit imperanti. Qua in re historiam sacram et ecclesiasticam sibi prudentiae regulas subministrasse sibi persuadebat: ast eam haud satis attente considerauerat, nec ad veram ecclesiasticae societatis indolem respexerat, quo fieri non potuit, vt non de legibus sacris, quibus nititur, perperam iudicaret. Tacemus notiones sensuales, quas mathematicis ideis interdum refertus, cum contemtu aliorum sibi effictas in sacram doctrinam infarsit, ineptumque de potentia DEI absoluta commentum sacrae doctrinae intrusum, quod falsa ei dogmata persuasisse obseruatum est illustri LEIBNIZIO *. Mirum itaque non est, in tot deuia fuisse abreptum

x) Leibnitianis loc cit.

abreptum Hobbesium, multaque affirmauisse odio cleri, quae ferri a Christianis haud possunt.

§. XVII. Quod ad alterum accusationis caput attinet, quod impietatis naturalis culpam Hobbesio tribuit, consensere in eo plerique, qui in illum insurrexere, frigidam atheis Hobbesium suffudisse; imprimis magnae parti Britanniae literatae suspectus eo nomine factus est, inter quos, praeter alios multos a REIMMANNO *y* appellatos, imprimis nominamus BVRNETVM *z*, BENTLEIVM *a*, PARCKERVM *b*, CVDWORTHVM *c*. Similem in Malmesburiensem censuram ediderunt etiam extra insulam viri multi doctissimi, inter quos eminet HERM. ALEX. ROELLIVS *d*. Aliis autem, nimis acerbos Hobbesio esse hos iudices visum est, nec inter eos referendus iudicatus est, qui aperte a numine defeciissent. Inter quos post GOD. ARNOLDVM *e*, leui manu, vt solet, hac opera perfunctum, aliosque eminuit, qui eleganti eruditione pro Hobbesio apologiam scripsit NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS *f*. Huc autem, si ea in compendium contrahamus, quibus impietati fuisse patrocinatum philosophum Britannum viri docti censuerunt, potiora redeunt: adscripsisse eum Deo corpus, et quantitatem illi tribuisse, adeoque velut vniuersi partem considerauisse. Sapientiam DEI esse incomprehensibilem et chimaericam, statuisse; negauisse de Deo motum, contendisse quoque, non posse omnes homines naturaliter Deum agnoscere: habuisse atheismum non pro peccato iniustitiae, sed imprudentiae; denegasse hominibus ideam de Deo; sustulisse spiritus omnes eorumque operationes; religionem subiecisse legibus imperantis, et metui magis, ignorantiae et fraudibus adscribere, quam Deo. Porro introducere necessitatem quandam fatalem, et omni libertati humanarum actionum contrariam, qua ipsi tandem Deo mali moralis origo tribuenda sit. His nonnulli atheismi in vita demonstrati vestigia, quae se deprehendisse putant, adiiciunt. Grauia esse huius accusationis capita et speciosa, nemo non videt: habent tamen qui Hobbesio fauent, quod non sine verisimilitudine ad eum excusandum defendendumque regerant. Et quod Deum corpus esse atque quantitatem recipere dixerit, non scholastico sed Hobbesiano sensu sumendum esse, monent. Intelligere enim Hobbesium corporis voce, aliquid quod existit realiter habetque magnitudinem aliquam, idemque esse, quod aliis vocatur substantia, et phantasmati opponitur. Quo posito dici non posse, omne corpus esse partem vniuersi, nec sequi inde, quod magnitudinem Deo tribuat, quod habeat eam pro tali, quae extensa sit vel finita. Esse enim eam magnitudinem infinitam, ipsumque immensitatis attributum: nec potuisse habere ens summum primumque pro parte vniuersi, cuius illud caussam efficientem constituerit. Passim

Atheismus Hobbesio obiectus.

y) In Hist. Atheismi Sect. III. c. 8. §. 4. p. 444.
z) l. c. p. 211.
a) De stult. et irrationab. atheismi pag. m. 52.
b) Disp. I. de Deo p. 95.
c) Syst. intell. passim.
d) De Relig. nat. §. 67.
e) Hist. Haer. et eccl. P. II. L. XVI. c. 17. p. 583.
f) Obseru. Select. T. I. obs. II. p. 57. Gundlingian. P. XIV.

sim autem, et quidem in Leuiathane ex via cauſſarum, neceſſitatem exiſtentiae diuinae eum demonſtrauiſſe euiciſſeque, Deum pro primo motore eſſe habendum. Nec, ſi concedatur, inepte ſtatuiſſe Hobbeſium, Deum eſſe corpus, ideo atheiſmi maculam illi inuri poſſe, cum ſimilia affirmauerit Tertullianus, impietatis ideo non poſtulatus. Quod autem comprehendi Deum non poſſe contenderit, de eſſentia intelligendum eſſe, ſupra omnem intellectus comprehenſionem poſita, non de exiſtentia, et ita quoque magnitudinem cum immenſitate eſſentiae coincidere. Porro negando de Deo motum, notiones modo Deo minime conuenientes eum reieciſſe, cum omnis motus mutationem inuoluat, quae Deo tribui nequeat. Cumque neget, poſſe omnes homines praeiudiciis impeditos Deum cognoſcere, ad negatas modo, quas ſcholae vrgebant ideas innatas id referendum eſſe, talem enim ideam homini de Deo ineſſe falſum et experientiae contrarium viſum eſſe Hobbeſio, ſtatuenti, omnem Dei ideam eſſe acquiſitam: aſt hanc praeiudiciis omnino poſſe impediri ſuffocarique, vt integrarum nationum, quae atheae habentur, exemplo conſtet. Recte autem intelligendum eſſe monent Hobbeſium, atheiſmum ex imprudentia magis, quam iniuſtitia peccare dicentem: nempe ad notionem iniuſtitiae reſpiciendum eſſe, quae ex ſola pacti violatione oriatur: atheum itaque iniuſtum dici non poſſe, qui nec Deum agnoſcat, nec in eius imperium conſenſerit, adeoque contra legem non agat, quamuis ſtultiſſimus cenſendus ſit, quoniam ſe ſummae potentiae audacter opponat. Verum etiam eſſe, quod Hobbeſius contendit, comprehendi non poſſe quid ſit Deus, quaecunque enim de Deo comprehendamus, negatiua eſſe, non affirmatiua. Quamuis autem concedi poſſit, negaſſe Hobbeſium ſpiritus, inde tamen non ſequi, ſuſtuliſſe eum numen, quod poſſit exiſtere, etiamſi ſpiritus non exiſtant. Principia vero moralia ab eo tradita licet peccent, non tollere vel Deum vel religionem naturalem, ſed vtrumque ſupponere: vitia autem iuuentutis inhumaniter ad exſculpendum atheiſmum practicum aduocari. Non patitur locus, vel inſtituti noſtri ratio, vt haec omnia excutiamus, et quod pondus vtriusque partis argumentis inſit, expendamus. Debet id in peculiari hiſtoria atheiſmi fieri, vel inſtituta comparatione et inſpectis atque conſideratis hypotheſibus Hobbeſii a lectore definiri. Ne vero abeamus ἀσύμβολοι, ita poſcentibus tractationis noſtrae legibus, paucis, quid nobis de hoc argumento videatur, modeſte exponemus. Et prudenter quidem in inurenda atheiſmi macula verſandum eſſe, iterum iterumque monemus, adeoque diſtinguendum eſſe iudicamus inter apertum directumque Numinis hoſtem, ratiociniis veram DEI exiſtentiam euertentem, et inter illum, qui indirecte talia admittit principia, eaque ſui ſyſtematis fundamenta ponit, quae et religioni euertendae apta ſunt, et in ipſam DEI notionem veram iniuria. Attendendum autem eſſe, quo quis animo, quaue conſequentiarum vel neceſſitate, vel imprudentia talia aſſeruerit, quae latam atheiſmo viam poſſunt pandere. Dici non poteſt, quantum

atheiſmi

atheismi historiam turbauerit neglecta haec obseruatio. Ea igitur rite considerata, ab atheismi directi infamia Hobbesium liberandum esse censemus. Multoties enim philosophus et Deum esse statuit, et necessario existere multis rationibus euincit, et summam in eo potentiam agnoscit, eosque, qui aut mundum esse aeternum dicunt, aut Deum res humanas negligere asserunt, impios esse et in Deum iniurios affirmat: notionem autem Dei non omnem homini negat, sed comprehensiuam tantum, eo quod intellectus finitus infinitum et immensum ens comprehendere non potest, quo pacto ideam existentiae diuinae homini non denegauit. Tacemus alia, quae consistere in systemate Hobbesiano nequeunt, si Deum tollas. Ast licet inter apertos Numinis hostes Hobbesius referendus minime sit, fatendum tamen, si veritatis magis ratio habenda est, quam laudis ex ingeniosa apologia captandae, excusari Hobbesium, negarique non posse, talia eum affirmauisse, quae religioni naturali pariter atque reuelatae valde aduersantur, euincuntque, si non studio dataque opera, a qua animi malitia libenter eum liberamus, certe supina negligentia et praeiudicio facile euitando talia eum praecepisse, quae sanam Dei notionem euertunt, et impietati viam sternunt planissimam. Et quod ad ipsam DEI substantiam, quam corpus dixit Hobbesius, attinet, aut prorsus fallimur, aut intellexit philosophus etiam in *Leuiathane*, qui curas posteriores continet, notione corporis non modo substantiam certam, realiter existentem et phantasmati siue non-enti oppositam, sed certam quoque substantiam, loco et figura determinatam, adeoque extensione definitam. Scribit enim [g] diserte: *Spiritus loco et figura, id est terminis et magnitudine sua aliqua determinatur, et proinde corpus est, vtcunque tenue et insensile.* Non poterat aliter statuere Hobbesius, cum semel inepto isto praeiudicio animum repleuisset [h]; *quia quicquid concipimus perceptum est ante in sensione, ideo nullam inesse homini posse imaginationem rei, quae non sit percipienda sensibus; neminem itaque concipere aliquid posse, nisi vt in loco, et finita aliqua magnitudine praeditum, et diuisibile in partes, neque aliquid esse totum in vno loco, et totum in altero tempore eodem.* Ast videbat simul prorsus ita concidere omnem Dei notionem, quae infinitatem et immensitatem illi tribuit. Certus itaque et pertinax in asserenda hypothesi, nihil existere, quod non sit corpus, habeatque situm et figuram, ad ignorantiae asylum, more toties in orbe philosophico vsitato, confugit, et ideam infiniti homini nullam esse, conceptum nullum, adeoque nomen Dei non vsurpari asseruit, vt illum concipiamus, sed vt honoremus. Quae satis clare produnt, Hobbesium maluisse de Deo prorsus tacere, hominique eius ideam denegare, quam inepte substantiae definitioni, imaginationis et sensionis perceptioni nixae nuntium mittere. Nec obiici potest Hobbesium de iis tantum substantiis loqui, quas homo potest concipere atque comprehendere, Deum autem, velut substantiam infini-

g) c. 12. p. m. 56. h) Ibid. c. 3. p. 13.

infinitam et supra omnes alias substantias positam his limitibus non circumscripsisse. Alio enim loco ita de corpore differit, vt clarissime constet, nihil esse in vniuerso, quod non ista corporis notione comprehendatur. Ita enim scribit [i]: *Corpus significat vniuersaliter* (ita nec Deum excipit) *id quod locum aliquem certum implet siue occupat, nec dependet, vt locus ipse a nostra imaginatione, sed PARS EST realis eius, quod vocamus vniuersum. Vniuersum enim, cum sit corporum omnium aggregatum, nullam habet partem, quae non sit etiam corpus, neque PROPRIE dicitur corpus, quod non sit totius vniuersi aliqua pars.* Ex quo loco id, nisi prorsus coecutimus, euincitur, intellexisse Hobbesium notione corporis non modo substantiam existentem, sed a situ, loco et figura determinatam quantam, qualis cum extra vniuersum esse nequeat, inde sequi, quod sit pars vniuersi. Quae si supponantur, vt disertis Hobbesii verbis affirmantur, non possumus aliter ratiocinari de Deo Hobbesii, quam voluisse, eum esse corpus, id est substantiam realem, quae locum occupat et pars est vniuersi. Non moramur, quod patroni eius clamant, remouisse eum Deum ab his vniuersi partibus, asseruisse eius immensitatem, ideoque supra hominis captum ideam DEI posuisse. Concedemus id viris doctis, qui causam Hobbesii defendendam susceperunt; nihil aliud autem inde lucrabuntur, quam quod supra in argumento quoque morali obseruauimus, Hobbesium principiis semel imprudenter electis pertinacius adhaerentem maluisse sibi contradicere, quam errori nuntium mittere; et talia affirmauisse, quae inter se consistere nequeunt. Illud certe ex hoc loco luculenter demonstratur, quod Gundlingius negauerat, corpus omne, adeoque et Deum, quem corpus esse dixit, esse partem vniuersi. Quod quam absurdum sit de Deo statuere, quilibet intelligit, qui, quid Deus sit, nouit, et ipsius Hobbesii verbis subscribit [k]: *Figuram Deo adscribere esse contra honorem DEI, qui sit infinitus.* Praeterea ita de attributis Dei philosophatur Hobbesius, vt impietatis patroni et ipse eorum coryphaeus Spinoza fauentissima apud eum placita inueniant. e. g. Statuit, contra Dei honorem esse, ei attribuere proprie passiones, poenitentiam, iram, misericordiam [l], immo attribuendo Deo voluntatem, non debere nos per voluntatem appetitum rationalem intelligere, qualis in homine est, sed diuinam potentiam, qua omnia, quae fiunt, efficit, et ita intellectum quoque Dei esse de diuina et incomprehensibili potentia intelligendum [m]. Licet enim Hobbesius corporeos passionum conceptus, quos solos homini tribuit, remouere videri velit, vident tamen, qui oculis non carent, cuncta eum ex vna diuinae potentiae, quam vnicum eius attributum verum agnoscit, modificatione deriuare. Nam vnicum eius nomen τὸ EST, existere, adeoque sola existentia comprehendi, affirmat. Et eodem talo quoque stat assertio, in regno Dei naturali regnandi

i) c. 34. p. 183. seq.
k) Ibid. c. 31. p. 170.
l) loc. cit.
m) De Ciue c. 15. p. 259.

gnandi et puniendi eos, qui leges suas violant, ius Deo esse a sola potentia irresistibili, non vero a peccato antecedente: id quod omnem sanctitatis, aequitatis et iustitiae diuinae notionem euertere, et Deum sibi ipsi eripere, prudens quilibet fatebitur. Non disputabimus, qua animi voluntate quoue scopo, bono an malo, talia Hobbesius dixerit; lubenterque patimur, si quis excusationem afferat, eum potentiae idea delusum incommoda magis verba dedisse, quam prauos sensus induxisse; quamuis valde vereamur, vt vbique ita iuuari queat Hobbesius, ast concedendum quoque est, talia haec esse, quae sanis de Deo notionibus prorsus refragentur, et impietati portam latissimam aperiant, nefariisque consiliis occupatos facile ad atheismi scabiem seducant. Id quod reuera euenisse, vnius Ioannis Rostae comitis exemplum probat, qui cum a detestabili, quo totus detentus erat, atheismo tandem ad meliores de Deo sensus rediret, fassus est, sacellano suo Roberto Parsonio: stolidam Hobbesii doctrinam, quam tantopere fuerit admiratus et ipsum, et meliorem regni partem seduxisse. Obseruauit autem, qui *Conuersionis* eius *historiam* descripsit, GILB. BVRNETVS [n], eum de Deo Hobbesiano more sensisse, nempe esse quidem Deum maximam potentiam, at aliis tamen attributis, iustitiae, irae, bonitatis, etc. vacuam; hanc potentiam quidem secundum naturam et indolem suam res omnes condidisse, ast affectus, qui curam aut dolorem vel indigentiam et perturbationem indicant, habere nullos, adeoque nec amori apud eum, nec odio, nec praemio, nec poenae locum esse. Quod reliquum est, non inficiandum, veritatis fulgore oculos Hobbesii perstringente, ex errore eum interdum ad se rediisse, et saniora attulisse, ast parum cum principiis eius cohaerentia. Monet etiam praestantissimus MOSHEMIVS [o], extremis vitae annis Hobbesium apologiam exarauisse, eaque omnia, quae in Leuiathane olim scripserat, sapientium iudicio subiecisse; testatum, se cum librum illum componeret, ingenii potius intemperantiae, quam rationi obsecutum esse, nec opiniones eo comprehensas postea defendisse. Antonium Wood id in Athenis Oxonienſibus memoriae prodidisse, et credibile esse, nil contra animi sententiam feciſſe hominem, cum et natura procliuis esset, ad ea mordicus retinenda, quae semel complexus erat, et ita infectus arrogantia, vt vix sine conuiciis disputare posset, nec tum esset aliquid, quod metueret, quum aulae imprimis carus esset, magnaque Caroli II. regis beneuolentia frueretur. Non inuidemus Hobbesio hanc gloriam, resipuisse eum ab illis erroribus, quos nec philosophia sobria atque prudens probat, nec ferre potest reuelatio; fatemur autem, scrupulum nobis mouere de fide atque veritate narrationis Woodii auctorem *Vitae Hobbesii*, qui hanc palinodiam non modo prorsus tacet, et obiisse eum in iis opinionibus, quas rectas et pias credebat, testatur, sed et narrat, ea quae de Hobbesio in antiquita-

n) p. 87. et in Praef. p. 16. 25.
o) l. c. p. 74.

tiquitatibus Oxonienſibus ſcripta ſunt, magnam mutationem ab editore Ioanne Fello eſſe paſſa, eumque contra apologiam Hobbeſii amarulentam epiſtolam operi adieciſſe, in qua Malmesburienſe animal, irritabile et vaniſſimum, aegre fert, negare, quod Leuiathan liber ſit publico damno notus et monſtroſiſſimus. Haec enim anno cIↃ IↃ CLXXIV ſcripta ſunt, quo extremam iam ſenectutem Hobbeſius attigerat. Editoris itaque fide haec ſtentque cadantque; cum arrogantia et pertinacia philoſophi huius, et imprimis theologorum contemtus, vix ferre videantur, vt reſipuiſſe, et Leuiathanis decreta tantopere ſibi deamata damnauiſſe credatur. Faſſus itaque Deum eſt Hobbeſius, vt in ſummam cuncta contrahamus, ſed talem, qui Dei nomine indignus eſt: vel ſi dicendum, quod res, vidit Dei exiſtentiam naturamque eſſe certiſſimam: aſt cum hanc cum abſurdis principiis ſuis conciliare non poſſet, maluit de Deo ineptire, cauſſando, Deum nos non intelligere nec capere, adeoque honorandum quidem eſſe, non vero definiendum. Quod ſimili modo Epicuro quoque eueniſſe, eodem, quo Hobbeſius, praeiudicio ſeductum, in cuius caſtris ille ſaepius militauit, ſuo loco oſtendimus.

Aduerſarii Hobbeſii.

§. XVIII. Talis cum fuerit Hobbeſius, cumque paradoxa et inaudita plurima aſſeruerit, quae et noxia atque periculoſa videbantur, et quadam pertinacia ab eo defendebantur, mirum non eſt, cateruas aduerſariorum in eum inſurrexiſſe, et non modo inſulanos, ſed et extra Britanniam viros doctiſſimos Hobbeſium telis ſuis confixiſſe. Amplum conſcripſit indicem eorum, qui ſigna aduerſus Hobbeſium ſuſtulerunt, biographus eius. Inter quos prae aliis nomen tulerunt Ioannes Walliſius profeſſor geometriae Sauilianus, Sethus Wardus, aſtronomiae profeſſor Sauilianus, Ioannes Bramhallus, epiſcopus Derrienſis, Robertus Boyle, Robertus Sharrockius, Gisbertus Cocquius, Richardus Cumberlandius, Henricus Morus, profeſſor theologiae Cantabrigienſis, Radulphus Cudworthus, Samuel Parckerus, Ioſephus Glanuil, et innumera fere cohors Britannorum aliorum, vt taceamus eos, qui aliud agendo Hobbeſium refutarunt, Ioannem Franciſcum Grandis, Io. Adamum Oſiandrum, Regnerum a Mansvelt, Franciſcum Schottenium [p], etc. quorum plerique moralia Malmesburienſis ſenis principia improbarunt, nonnulli problemata eius geometrica exagitauerunt, quidam doctrinam naturalem confutauerunt. Breuiſſime omnium autem et ſolidiſſime Hobbeſiana principia expoſuiſſe et refutauiſſe Samuel Andreas dicitur LEIBNIZIO [q]. Inter hos vero Hobbeſii antagoniſtas magnum intercedere diſcrimen, et diuerſo pugnae euentu ac diuerſa armorum vi et acie eos cum illo fuiſſe congreſſos, inſtituta comparatio docet clariſſime. Et ſolide quidem atque eleganter omniumque optime mora-

p) Plerosque aduerſarios Hobbeſii enumerant et ſcripta eorum recenſent STRVVIVS in Bibl. philoſ. c. 8. §. 7. cum add. Lotteri et Kahlii THOMAS. Hiſt. I. N. p. 84. STOLLIVS Hiſt. lit. P. III. p. 635. BVDDEVS Iſag. p. 1382. Bibl. Iur. imperant. l. c. Biographus Hobbeſii p. 96.

q) Leibniziana p. 181.

moralem Hobbesii doctrinam aggressus esse iudicatus est [r] RICHARDVS CVMBERLANDVS, tum cum manus cum Hobbesio consereret, theologiae baccalaureus, postea autem ad Petroburgensium episcopatum euectus, quem literis fata eripuerunt anno cIↃIↃCCXIX. septem supra octoginta annos natum. Huic enim debemus *de Legibus naturae disquisitionem philosophicam, in qua earum forma, summa, capita, ordo, promulgatio et obligatio e rerum natura inuestigantur, quin etiam elementa philosophiae Hobbianae cum moralis, tum ciuilis considerantur et refutantur* [s]. In hac tractatione auctor, methodum, qua dictamina rationis ex vno principio naturali deduci queant, ostendere conniſus est. Illud autem eo redit: leges naturae omnes ad vnam de beneuolentia erga rationales omnes esse deriuandas, cuius etiam sanctionem ex effectis ab auctore natura tali beneuolentiae annexis euincere conatur. Quo pacto contrarium prorsus bello omnium in omnes Hobbesii principium supponens, cum Stoicis socialitatem introduxit, a Pufendorfio eodem tempore prolixe stabilitam. Cumque Hobbesius mathematicam quandam certitudinem secutus fuisse videri voluerit, ipse quoque propositiones vniuersales, ex hac beneuolentia naturali atque vniuersali oriundas reduxit ad idoneam similitudinem cum propositionibus matheseos vniuersalis de effectis computationis mathematicae, quae omnes quantitates inter se conferuntur. Hobbesium autem refutaturus, sibi ipsi illum et naturae dictamini repugnare ostendit, negantem leges diuinas proprie dictas vel e natura rerum disci posse, vel e sacris scripturis, nisi reuelatio cuique particulariter detur, quod scriptores sacri prophetae fuerint. In qua disceptatione licet maiora lumina, forte desiderari possint, acumen tamen, ordinem et ratiocinandi accurationem in caussa per se meliori, merito viri docti laudarunt. Aliam viam ingressus est ROBERTVS SHARROCKIVS, cui librum *de Officiis secundum ius naturale* [t] debemus; is enim lectione Hobbesium obruere, quam rationibus configere, maluit. GISBERTVM COQVIVM pastorem Cockingensem autem *in Anatome Hobbesianissimi* librum corrasisse theologo inepto dignum, nihilque attulisse memorabile, nisi quod ex Caluino atque Beza surripuerit, obseruatum NICOLAO HIERONYMO GVNDLINGIO [u], qui videndus. Alios, ne nimii simus, tacemus.

Rich. Cumberlandii I. N. Hobbesio oppositum.

§. XIX. Quamquam autem valde inuisa fuit Hobbesii doctrina, tantum tamen abest, vt sectatores nullos inuenerit, vt potius non solummodo multos habuerit, qui eius doctrinae plauserint, sed magnam quoque politicorum apud Britannos partem eius opiniones amplexum fuisse theologi angli conquesti sint. Cuius caussam fuisse tradit vir summus, GILBERTVS BVRNETVS [x], quod in tam corruptis eius aetatis, prae-

Sectatores Hobbesii.

r) THOMAS. l. c. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. VI. p. 99. STOLLIVS l. c. P. III. c. 2. p. 636. BVDDEVS Hist. phil. c. 6. p. 510.
s) Londini 1672. 4. Lubec. 1683. 8.
t) Oxon. 1660. 8. et cum obseru. SAM. REYHERI 1667.
u) Sel. Obs. T. I. Obs. 2. §. 3. p. 48. not. K.
x) loc. cit.

praecipue in aula, moribus Hobbesianorum principiorum vsus fuerit maximus et iucundissimus. Fuerunt quoque nonnulli, qui in condendo iuris naturalis systemate (reliqua enim eius placita physica, mathematicaque cum satis infirma et illepida sint, sectatores inuenerunt fere nullos) eum secuti, meliorem et luculentiorem dare Hobbesianam philosophiam conati sunt. Inter quos laudari solet LAMBERTVS VELTHVYSEN, auctor *dissertationis de Principiis iusti et decori, continentis apologiam pro tractatu clarissimi Hobbii de Ciue.* Quamuis enim plus promisisse in titulo, quam in ipsa tractatione praestitisse visus sit; obscurus quoque et confusus appareat, quo nomine castigatur CHRIST. THOMASIO [z], commendandus tamen in eo est, quod cum omnia se Hobbesii probare non posse asserat, de iure omnium in omnia et contra omnes, de pactis, velut fontibus legis etc. differere quidem constituerit ex studio se ipsum conseruandi, at illud non ex innata hominis corruptione deriuauerit, sed ex consideratione sapientiae diuinae, et ordine ac fine hominis. Quo pacto Hobbesium non tam defendisse, quam emendauisse, et tolerabiliores ei sensus affinxisse iudicandus est [a]. Nonnullis ipse quoque Gassendus in Hobbesianismi conspirationem tractus est, eo quod ius omne ex vtilitate atque pacto deriuauerit. Et valde quidem librum *de Ciue* Gassendo placuisse, ex eius epistola ad Samuelem Sorberium certum est [b]: ast aliam viam instituisse Gassendum, Epicuri sequacem, ex iis colligi potest, qui Dinien-sem philosophum secuti de philosophia morali Epicuri suis locis diximus. Solent et alii huc trahi, eo quod statum belli inter principia iuris naturalis non improbauerint, nominanturque Io. Christophorus Becmannus [c], Abrahamus Houtuyn [d], Regisius [e], Hombergius: quibus eo nomine addi potest Gundlingius: Ast hi licet tam malum et ineptum principium Hobbesii morale esse, quam tum facere aduersarii solent, pernegent, Hobbesiani tamen dici non possunt, cum caetera eius placita integrumque systema non admittant. Ipse vero Spinoza, haud semel Hobbesium presso pede secutus, certe plausu famaque Hobbesii callide, vt solebat, ad incrustandos errores suos vsus est, et imprimis negata attributa diuina, et assertam potentiam Dei absolutam, astute ad partes suas defendendas augendasque adhibuit [f].

Hobbesius an Epicureus?

§. XX. Fama ergo magis, vel si mauis, infamia, quam sectatorum numero et obsequio inclaruit philosophia Hobbesiana. Ea vero vtrum a veterum philosophorum quodam desumta fuerit, et imprimis annon ab Epicuro accepta videri queat, a viris doctis quaesitum est. Et ipsum quidem

z) Colleg. menstrua 1688. p. 343. Hist. I. N. p. 85.

a) BVDDEVS Hist. I. N. p. 35. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. VI. p. 50. STOLL. Hist. lit. P. III. c. 2. §. 9. p. 634. seq.

b) BVDDEVS Hist. phil. p 512. GROENING. Bibl. Iur. gent. Europ. p. 340.

c) THOMAS. loc. cit. p. 86.

d) PVFENDORF. App. de habitu relig. ad vitam ciuilem p. 196. 197.

e) Act. erud. 1692. p. 185. seq.

f) Vid. MORHOF. T. II. p. 117. MOSHEM. l. c. p. 1202.

dem Hobbesium omnes ante se philosophos Graecos, Latinos omniumque gentium tales iudicauisse, qui philosophiam moralem quasi facilem, nullo studio ambiendam, cuiuslibet ingenio naturali expositam et prostitutam attrectauerint, ex praefatione libri de Ciue intelligitur. Ast viderunt tamen viri docti, et praecipue in Hobbesio examinando acuti atque perspicaces, plusculum eum habere, quae Epicuro debeat. Id instituta sententiarum et opinionum comparatione prolixe demonstrare aggressus est, et haud paruam eo modo nomini Hobbesiano cumulauit inuidiam SAMVEL PARCKERVS *g*. Idem RAPINO *h* quoque visum, licet is de inconstantia Hobbesii conqueratur, eo quod mox Epicureum se praestet, mox Peripateticum. Eodem nomine, licet tectius, Hobbesium inter impietatis patronos retulit RADVLPHVS CVDWORTHVS *i*. Tacemus MORHOFIVM *k*, PVFENDORFIVM *l*, aliosque, quibus magna visa est intercedere affinitas inter ratas sententias Epicuri et placita physica atque moralia Hobbesii. Nos, si instituti nostri legibus ita poscentibus, sententiam ea de re nostram exponere licet, in huiusmodi comparatione caute incedendum esse putamus. Falluntur enim turpiter, et haud raro immerito philosophos odio cumulant, qui ob quandam opinionum similitudinem et affinitatem sectae alicui philosophum suo Marte et ingenio philosophantem adiiciunt. Id quod de Hobbesio omnino pronuntiandum est. Cuius si systema integrum siue physicum sit, siue morale, cum systemate Epicureo comparetur, apparebit, potiorem ea partem inter se dissentire. Ast quamuis eo nomine Epicureus minime dici possit Hobbesius, fatendum tamen, in duobus capitibus ita belle cum Epicuro eum conspirare, vt a verisimilitudine non abhorreat, si quis dicat, Hobbesium illa ab Epicuro mutuo accepisse. Quod enim docet Hobbesius, nihil nos comprehendere nec intelligere, nisi id fiat per sensionem, adeoque quaecunque intellectui nostro obiecta obuersentur, sensibus definiri, et ideo omnia corpora esse atque partes vniuersi, immo ipsum Deum corpus esse dicendum; id prorsus Epicuri dogma est, qui cum non-enti corpus opponeret, cuncta quoque ad sensus reuocauit, adeo, vt Deos esse corpus negare non auderet, licet, non minus quam Hobbesius, a corpore crasso et ex atomis compositio eos remoueret, vt suo loco demonstratum. Vno enim eodemque fonte physico nititur et Epicurus et Hobbesius. Alterum in morali argumento euenit, in quo placuit Hobbesio, affectuum, irae, misericordiae, beneuolentiae locum in Deo haud esse, sed cuncta reduci ad eius potentiam, et ob hoc vnum Deum honorandum esse: ius autem omne ex pacto, quod suasit communis vtilitas, deriuandum esse, nec fundamento alio naturali niti. Ast pari quoque ratione philosophatus est Epicurus, cui indignum diuina natura beata visum est, Deo iram, gratiam, et misericordiam tribuere; quique tantopere a rerum humanarum cura Deum remouit, vt nihil ab eo in actiones homi-

g) Disp. I. de Deo p. 86. 87.
h) Reflexion sur la philosophie §. 18. 17. p. 55. sur la physique §. 9.
i) loc. cit. c. 2. §. 72
k) loc. cit. p. 116.
l) Erid. Scand. p. 206.

hominum morales influxum habere possit, sed ius omne ex vtilitate, pactis et conuentionibus firmata prodeat. Vtrum autem in his capitibus adstruendis Epicuri hortos expilauerit Hobbesius, difficile dictu est; cum occasio satis ex vitae eius historia pateat, qua perductus ad ea placita fuit, etiamsi de Epicuro nunquam cogitauisset. Alias suspiciones affert SAMVEL PVFENDORFIVS [m], cuius verba ipsa adducemus, vt Lectori materiam ea de re cogitandi suppeditemus. Is ita scribit: *Arrisit Hobbesio potissimum vetus Epicureorum hypothesis, vel genii conuenientia, vel quod eam in praxi ciuitatum, omnia fere ad sui conseruationem et vtilitatem referentium, conspiceret, vel etiam quod aliquando suspicatus sum, exemplo et aemulatione amicissimi viri, Petri Gassendi, qui cum in physicis maxime Epicureorum dogmata excolenda suscepisset, Hobbes eiusdem in moralibus tradita nouo schemate inducta in theatrum orbis eruditi protrudere instituit. Nisi malis dicere, ipsum vim ingenii ostentare voluisse suscepta defensione hypotheseos tam exosae vulgo et paradoxae. A quo non multum abit, quod sereniſſimus Magnae Britanniae rex ante aliquot annos Samueli Sorberio de hoc Hobbesio dixerat: se illo viro vti in vicem vrsi ad molossorum vires tentandas et acuendas.* Nos Lectori relinquimus, vt, quamcunque velit, causam eligat: illud certum esse putamus, integri systematis, maxime moralis et ciuilis, hoc modo struendi causam fuisse Hobbesio statum patriae et conculcatam regiae partis auctoritatem, id quod ipse in praefatione libri *de Ciue* fatetur, cui cum videret Epicurea nonnulla fauere, facile fuit viro ingenioso ea in partes rapere; eo quod ipsi placuissent. Sapiebat enim in aliis nonnullis quoque Epicureismum, et imprimis, cum spiritus eorumque operationem negaret [n]. Quod occasionem nonnullis dedit, Hobbesium spectrorum lemurumque terriculamenta noctu expauescentem, ridendi, quod philosophiae suae decretis non paruissent. Id quod negat eius biographus, nos fieri potuisse naturali effectu inuoluntario, aliter sentiente Hobbesio, credimus [o].

Delineatio Philosophiae Hobbesianae.

§. XXI. Intelligi ex dictis potest, cuius indolis atque generis Hobbesii philosophia, in genere considerata fuerit. Specialem eius διατύπωσιν dare iam instituti ratio postulat. Ast prolixum nimis minutim omnia enarrare, in quibus a trita via abiit Malmesburiensis philosophus. Potiora philosophiae suae praecepta ipse in *Leuiathane* proposuit, in quem librum curis potestioribus editum potiora congessit, quae ad fulciendum singulare, quod exstruxit, doctrinae aedificium facere iudicabat. Summam

m) loc. cit.

n) Prolixe, in libro de Natura Hominis, breuius in Leuiathane id prosequitur.

o) Causas varias affert BAYLE l. c. not. N. Veram autem causam illi facile intelligent, qui norunt ideas cum affectu teneroj cerebro alte impressas saepius recurrere, et vna praesente totam idearum cateruam coniunctim prodire, et tunc quoque pristinum affectum sequi. Ita enim metum spectrorum noctu imprimi pueris, et potuisse inde quoque inuito Hobbesio recurrere, quoties idea noctis redibat, ex iis notum est, quae de associatione idearum tradidere philosophi.

mam ergo iſtius famoſi libri accurate perſequemur, vt hoc pacto facies philoſophiae Hobbianae pateſcat. Cumque in eo illa, quae in computatione, ſiue logica ſua, dixit, repetierit, vultus quoque philoſophiae rationalis inde facile poteſt dignoſci. Praemittemus autem, et carptim quidem, ex *Elementorum Philoſophiae*, *ſectione prima et ſecunda*, quae de corpore et de homine agunt, delibabimus ea, quae ad recte intelligendos, doctrinae moralis Hobbeſianae ſenſus facere poſſunt. De corpore, autem, id eſt, de natura rerum tractaturus philoſophiam primam, generales et abſtractas notionum phyſicarum definitiones exhibentem praemiſit, quae eo magis notandae, quo magis abire a receptis ſcholae definitionibus ad innouandum dogmatum ſuorum typum Hobbeſio placuit. Ita vero praecipit [p]:

I. Res non exiſtentes nominibus ſuis intelligibiles et computabiles ſunt: ſubſternuntur enim ratiociniis noſtris phantaſmata noſtra, quae rebus etiam ſublatis ſeruamus.

II. Spatium eſt phantaſma rei exiſtentis, quatenus exiſtentis, id eſt, nullo alio eius rei accidente conſiderato, praeterquam quod apparet extra imaginantem.

III. Tempus eſt phantaſma motus, quatenus in motu imaginamur prius eſt poſterius, ſiue ſucceſſionem.

IV. Spatium ſpatii et tempus temporis, pars vocatur, quando illud in hoc et praeterea aliud continetur.

V. Partes facere ſeu partiri ſpatium et tempus nihil aliud eſt, quam in ipſo aliud atque aliud conſiderare.

VI. Vnum dicitur quando ſpatium vel tempus conſideratur inter ſpatia vel tempora alia.

VII. Numerus eſt vnum et vnum, et ſic deinceps.

VIII. Componere ſpatium vel tempus, eſt primo vnum poſt aliud, deinde omnia ſimul vt vnum conſiderare.

IX. Quod autem pro omnibus, ex quibus conſtat, ſic ponitur, vocatur, totum, et illa ſingula, quando ex totius diuiſione rurſus ſeorſim conſiderantur, partes eius ſunt.

X. Totum nihil recte appellatur, quod non intelligitur ex partibus componi et in partes diuidi poſſe.

XI. Duo ſpatia inter ſe contigua dicuntur, inter quae aliud ſpatium nullum eſt.

XII. Partium ea quae inter partes alias intercipitur media, quae vero non eſt poſita inter duas alias partes, extrema ſiue terminus dicitur.

XIII. Potentia finitum, id eſt terminabile dicitur ſpatium vel tempus, quando numerus ſpatiorum vel temporum finitorum aſſignari poteſt, quo maior numerus eorundem in eo ſpatio vel tempore eſſe non poteſt. Potentia

p) c. 7. p. 51. ſeqq.

tia autem infinitum est, in quo maior numerus dari potest, quam qui sit datus.

XIV. Quicquid diuiditur, diuiditur in partes rursus diuisibiles, adeoque non datur minimum diuisibile.

XV. Corpus est quicquid non dependens a nostra cogitatione cum spatii parte aliqua coincidit vel coëxtenditur q).

XVI. Accidens est modus corporis iuxta quem concipitur, vel facultas corporis, qua sui conceptum nobis imprimit.

XVII. Extensio corporis idem est, quod magnitudo eius, quae non dependet a cogitatione nostra.

XVIII. Spatium, quod cum corporis cuiuscunque magnitudine coincidit, illius corporis vocatur locus, qui tamen a magnitudine locati differt; et non a superficie ambientis, sed in solido spatio consistit.

XIX. Spatium quod a corpore occupatur plenum, quod non occupatur vacuum appellatur.

XX. Corpora contigua sunt, inter quae nullum est spatium, continua quorum est pars communis, et plura, quorum quaelibet duo proxima sunt continua.

XXI. Motus est continua vnius loci relictio et alterius acquisitio; locus autem qui relinquitur terminus a quo, qui acquiritur, terminus ad quem dici solet.

XXII. Quiescere dicitur, quod per aliquod tempus in eodem loco, motum autem, quod fuit prius in alio loco, quam nunc est.

XXIII. Corpora aequalia inter esse dicuntur, quae eundem locum possidere possunt.

XXIV. Vnius et eiusdem corporis vna et eadem semper est magnitudo.

XXV. Aequalis motus est, cum vnius velocitas, per omnem eius magnitudinem computata aequalis est alterius velocitati, per omnem item magnitudinem computatae: par ratio est motus maioris et minoris.

XXVI. Motus magnitudo ita computata, vis vulgo dicitur.

XXVII. Quod quiescit, semper quiescere intelligitur, nisi sit aliud aliquod corpus praeter ipsum, quo supposito quiescere amplius non possit.

XXVIII. Corpus interire aut generari non potest, sed tantum sub diuersis speciebus aliter atque aliter nobis apparet, et proinde aliter atque aliter nominatur. At accidentia generari et interire possunt, non vero, nisi improprie possunt dici, quod moueantur.

XXIX. Accidens propter quod corpori alicui certum nomen imponimus, siue quod subiectum suum denominat, essentia dici solet.

XXX. Materia prima merum nomen est, et significat corpus generaliter sumtum.

XXXI. Corpus agere r) dicitur in illud corpus, in quo aut generat accidens aliquod, aut destruit.

XXXII.

q) c. 8. p. 54.

r) c. 9. p. 64. seqq.

XXXII. Accidens siue agentis siue patientis, sine quo effectus non potest produci, vocatur caussa sine qua non, et necessarium per hypothesin.

XXXIII. Caussa simpliciter, siue caussa integra est aggregatum omnium accidentium tum agentium quotquot sunt, tum patientis, quibus omnibus suppositis intelligi non potest, quin effectus vna sit productus, et suppositо, quod vnum eorum desit intelligi non potest, quin effectus non sit productus.

XXXIV. Accidentium requisitorum ad effectum in agente aggregatum producto effectu vocatur caussa efficiens; in patiente caussa materialis. Vbi autem effectus nullus est, ibi nulla est caussa.

XXXV. Caussa integra ad producendum effectum suum semper sufficit.

XXXVI. Effectus productus est eodem instante, quo caussa integra, habetque caussam necessariam.

XXXVII. Generatio effectuum continua est.

XXXVIII. Agentia et patientia eadem, diuersis temporibus sed similiter disposita, similes effectus producunt.

XXXIX. Caussa motus non est, nisi in contiguo et moto corpore.

XL. Mutatio omnis est motus.

XLI. Accidentia respectu accidentium quae antecedunt, siue tempore priora sunt, si ab illis non dependent, vt a caussis, contingentia appellantur.

XLII. Caussae et effectui respondent, immo idem sunt potentia et actus.

XLIII. Quo instante potentia fit plena eodem producitur in actum.

XLIV. Potentia actiua et passiua tantum sunt partes potentiae plenae.

XLV. Actus impossibilis est, ad quem producendum nulla vnquam erit potentia plena.

XLVI. Qui actus impossibilis non est, necessarius est, quia quodcunque possibile est aliquando produci, eo ipso necessario producetur, alias impossibile esset.

XLVII. Itaque quicunque actus futurus est, necessario futurus est.

XLVIII. Quaecunque contingunt, contingunt a caussis necessariis, vocantur autem contingentia, respectu aliorum euentuum a quibus non dependent.

XLIX. Potentia actiua consistit in motu.

L. Caussa formalis, quae est essentia, et finalis, quae est finis ad caussas efficientes pertinent.

LI. Cognitio essentiae est caussa cognitionis rei.

LII. Differre inter se duo corpora dicuntur, cum de vno eorum dicitur aliquod, quod de altero dici non potest eodem tempore [s].

LIII. Omnia corpora differunt inter se numero; differunt autem magnitudine, quorum alterum altero maius est.

LIV. Cor-

s) c. 11. p. 70. seq.

LIV. Corporis cuiuscunque cum alio quocunque corpore similitudo vel dissimilitudo, vel aequalitas vel inaequalitas, relatio eius dicitur.

LV. Relatio non est nouum accidens, sed aliquid eorum quae inerant, ante relationem siue comparationem factam.

LVI. Causſae accidentium in vtroque relato sunt causſae relationis.

LVII. Si dimensionis lineae sint determinatae, oritur inde quantitas .

LVIII. Magnum et paruum nullo modo intelligi possunt, nisi per comparationem. Comparatur autem vnaquaeque magnitudo vel ad minorem, vel ad maiorem, vel ad aequalem [w].

LIX. Aestimatio siue comprehensio magnitudinis per comparationem dicitur ratio: eaque est vel arithmetica vel geometrica.

LX. Conatus est motus per spatium et tempus minus, quod datur, id est, determinatur, siue expositione vel numero assignatur [x].

LXI. Impetus est ipsa velocitas, sed considerata in puncto quolibet temporis in quo fit transitus.

LXII. Resistentia est in contactu duorum mobilium conatus conatui, vel omnino vel ex aliqua parte contrarius.

LXIII. Vis est impetus multiplicatus siue in se, siue in magnitudine mouentis, qua mouens plus vel minus agit in corpus quod resistit.

LXIV. Duae sunt philosophandi methodi, altera a generatione ad effectus possibiles, altera ab effectibus φαινομένοις ad possibilem generationem [y].

LXV. Sensio insentiente nihil aliud est, praeter motum partium aliquarum intus in sentiente existentium, quae partes motae organorum quibus sentimus, partes sunt.

LXVI. Sensionis immediata causſa est in eo, quod sensionis organum primum et tangit et premit; illud autem obiectum vocari solet.

LXVII. Ex his integra sensionis definitio nascitur, quod fit ab organi sensorii conatu ad extra, qui generatur a conatu ab obiecto versus interna, eoque aliquandiu manente per reactionem factum phantasma.

LXVIII. Subiectum sensionis ipsum est sentiens; obiectum est id quod sentitur, phantasma sentiendi actus.

LXIX. Non permittit natura sensionis, vt plures res simul sentiantur.

LXX. Imaginatio est propter obiecti remotionem languescens vel debilitata sensio.

LXXI. Ortus perpetuus tum sentientibus tum cogitantibus phantasmatum, solet appellari animi discursus, et communis est hominibus et brutis.

LXXII. Phantasmata dormientium somnia sunt.

LXXIII. Et metus, et sceleris conscientia, et nox, et loca consecrata, adiuta apparitionum historiis phantasmata horribilia etiam vigilantibus excitant, quae spectrorum et substantiarum incorporearum nomina pro veris rebus imponunt.

LXXIV. Aliud

w) c. 12. p. 73. u) c. 13. p. 77. x) c. 15. p. 106. y) c. 25. p. 192.

LXXIV. Aliud ſenſionis genus eſt voluptas et dolor, orta ab organi parte extima per continuam actionem verſus cor.

LXXV. Conatus primi motus animalis ſunt appetitus et fuga, quos ſequitur ſpirituum animalium in neruos impulſio et rurſus retractio, quos ſequuntur turgeſcentia vel relaxatio muſculorum et denique artuum extenſio vel contractio, qui eſt motus animalis.

LXXVI. Accedente ad appetitum deliberatione, ſiue ſerie cogitationum, oritur inde voluntas.

LXXVII. Cauſſa appetitus exiſtente integra, neceſſario ſequitur voluntas; adeoque voluntati libertas a neceſſitate non conuenit. Concedi tamen poteſt libertas faciendi ea, quae volumus [z].

LXXVIII. Magnitudo et duratio vniuerſi eſt inſcrutabilis.

LXXIX. Locus in vniuerſo vacuus nullus eſt.

LXXX. Deſcenſus grauium non eſt ab ipſorum appetitu, ſed a vi aliqua telluris [a].

LXXXI. Differentia grauitatum oritur a differentia impetuum, quibus grauium elementa impingunt.

LXXXII. Sermo ſiue oratio eſt vocabulorum contextus arbitrio hominum conſtitutorum, ad ſignificandam conceptuum ſeriem earum rerum, quas cogitamus. Significationes ergo naturales, ex neceſſitate naturae ortae, ſermonem non conſtituunt [b].

LXXXIII. Scientia et demonſtratio oriuntur ex cognitione cauſſarum.

LXXXIV. Theoremata demonſtrabilia ſunt in iis tantum rebus, quarum cauſſae in noſtra poteſtate ſunt, in ceteris tantum demonſtrabile eſt, ita eſſe poſſe.

LXXXV. Cauſſae appetitus et fugae, voluptatis et moleſtiae ſunt ipſa obiecta ſenſuum. Eſt itaque agere quidem appetentibus liberum, non vero appetere.

LXXXVI. Omnes res, quae appetuntur, bonae vocantur, quae fugiuntur, malae [c].

LXXXVII. Bonum autem vel verum vel apparens eſt, inter vera primum ſua cuique conſeruatio: contra malorum omnium primum, mors.

LXXXVIII. Affectus ſeu perturbationes animi ſunt appetitionis et fugae ſpecies, aſſumtis differentiis ab obiectorum, quae appetimus fugimusue diuerſitate et circumſtantiis [d].

LXXXIX. Conſiſtunt autem affectus in diuerſis motibus ſanguinis et ſpirituum animalium, prout ſe varie modo expandunt, modo ad fontem reiiciunt: quorum motuum cauſſae ſunt phantaſmata circa bonum et malum in animo excitata.

XC. Ingenia, id eſt, hominum ad certas res propenſiones oriuntur a tempe-

z) c. 26. p. 203.
a) c. 30. p. 250.
b) De Hom. c. 10. p. 58.
c) c. 11. p. 62.
d) c. 12. p. 68.

temperie, ab experientia, a consuetudine, a bonis fortunae, ab opinione de se ipso, ab auctoribus. Quibus mutatis mutantur ingenia e.

XCI. Ingenia quando assuescendo ita confirmata sunt, vt facile, nec reluctante ratione suas edant actiones, dicuntur mores: qui si boni sint, virtutes, si mali, vitia appellantur.

XCII. Quoniam non eadem omnibus bona et mala sunt, contingit eosdem mores ab aliis pro virtutibus haberi, ab aliis pro vitiis.

XCIII. Itaque nisi in vita ciuili virtutum et vitiorum communis mensura non inuenitur: quae mensura ob eam caussam alia esse non potest praeter vnius cuiusque ciuitatis leges.

XCIV. Religio est hominum, qui Deum sincere honorant, cultus externus f.

XCV. Fides praeterquam eam qua credimus Deum condidisse, et regere omnia, si sit de rebus quae supra naturae humanae captum posita sunt, opinio est, quae nascitur ab auctoritate dicentium. Homini ideo priuato sine miraculo fides haberi in religionis actu non potest.

XCVI. Quod si religio ab hominibus priuatis non dependet, tunc necessarium est, cessantibus iam diu miraculis, vt dependeat a legibus ciuitatis.

XCVII. Religio itaque philosophia non est, sed in omni ciuitate lex, et propterea non disputanda, sed implenda.

XCVIII. Cultus publicus sine ceremoniis esse non potest, nam cultus publicus is est, quem in signum habiti honoris Deo exhiberi ab omnibus ciuibus, idque locis et temporibus constitutis imperauit ciuitas. Itaque iudicandi quid sit decorum, quid non, in publico cultu Dei penes ciuitatem ius est. Signa haec non a natura operis tantum, sed etiam ab arbitrio ciuitatis pendent.

Hactenus ex multis praecipua ex Hobbesio adducta palam faciunt, quibus fundamentis suam philosophiam inaedificauerit. Ipsum iam aedificium eius in Leuiathane exstructum expendendum est, vt intelligatur, cui fini tantam definitionum, ex parte paradoxarum molem congesserit. Ipse enim nonnulla repetiit, vt totius systematis συνάφειαν apertius constaret. Ita vero porro praecipit:

§. XXII. I. Nulla est animi conceptio quae non fuerat ante genita in aliquo sensuum, vel tota simul, vel per partes. Ab his autem primis conceptibus omnes postea deriuantur g.

II. Origo itaque omnium sensus est: caussa autem sensionis externum, corpus, siue obiectum, quod premit vnius cuiusque organum proprium vel immediate vel mediate.

III. Sensio fit cum obiectum organum premendo mediantibus neruis et membranis continuum efficit totum introrsum in cerebrum, et inde ad cor;

e) c. 13. p. 73. f) c. 14. p. 77. g) c. 1. p. 1.

cor; vnde nascitur cordis resistentia et ἀντιτυπία, siue conatus cordis liberantis se a pressione per motum tendentem extrorsum, qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum. Haec apparitio siue phantasma vocatur sensus.

IV. Qualitates sensiles sunt in ipso obiecto nihil aliud praeter materiae motum, quo obiectum in organa sensuum diuersimode operatur. Ergo obiecta species non emittunt.

V. Simul ac corpus mouebitur, fiet id in aeternum, nisi motus eius ab alio extinguatur: idque tantum fit gradatim: id in homine quoque obtinet [h].

VI. Est itaqe imaginatio sensio deficiens, siue phantasma dilutum et euanidum; cuius caussa est praeoccupatio organorum ab obiectis aliis.

VII. Imaginatio et memoria eadem res sunt, illa vocatur quando phantasma consideretur, haec, si dilutio. Memoria multarum rerum experientia dicitur.

VIII. Imaginatio, quae oritur ex sensione plurium partium, vocatur composita.

IX. Imaginationes dormientium somnia sunt, quae ipsae quoque ante extiterunt vel integrae vel per partes in sensu; exoriuntur autem ab agitatione partium internarum corporis sentientis.

X. Varia intemperies partium corporis internarum, varia efficit somnia.

XI. Inter somnium et cogitationes vigilantium distinguere difficillimum tunc est, quando casu aliquo factum est, vt minime animaduertamus, nos dormiisse. Ita deceptus Marcus Brutus, quod dormitans habuit phantasma terribile, vigilantem se vidisse sibi persuasit. Hoc pacto etiam ex affectu vehementiore imaginatione commota, homines spiritus, vmbras, spectra se videre credunt.

XII. Metu spectrorum et phantasmatum sublato, multa ruunt, quibus nituntur astutia, superstitio, et artes aliae, quibus ciues in omni ciuitate male reguntur.

XIII. Imaginatio quae a sermone vel aliis signis voluntariis nascitur, appellatur intellectus, communisque est hominibus cum bestiis. Habet tamen homo intellectum quoque peculiarem.

XIV. Series imaginationum, siue successio vnius cogitationis ad aliam gignit discursum mentalem [i].

XV. Nulla autem est transitio ab vna cogitatione ad aliam, cuius similis non extiterat ante in sensione.

XVI. Discursus mentalis duplex est, irregularis, vagus et inconstans, in quo tamen quaedam potest deprehendi cogitationum cohaesio; et regulatus, qui ad finem quendam obtinendum adhibetur.

XVII. Discursus quando a designato aliquo fine regitur, vocatur inuestigatio, vnde solertia oritur, quae est venatio quaedam per sua vestigia

h) c. 2. p. 4. i) c. 3. p. 9.

alicuius cauſſae vel effectus praeſentis aut praeteriti: haec reminiſcentia dicitur.

XVIII. Diſcurſus ſiue cogitatio de euentu futuro gignit prudentiam et prouidentiam.

XIX. Signum eſt antecedenti euentui euentus conſequens.

XX. Humani animi actus nullus eſt naturaliter inſitus, talis vt ad exercitium eius nulla alia re indigeat, praeterquam naſci hominem et vſum habere quinque eius ſenſuum: reliqui acquiſiti ſunt.

XXI. Quicquid imaginamur, finitum eſt, nulla ergo eſt idea neque conceptus vocis, infinitus. Ratio haec eſt, cur nomen Dei vſurpemus, non vt illum concipiamus, ſed vt honoremus.

XXII. Nemo itaque concipere poteſt, niſi vt ſit in loco, et finita aliqua magnitudine praeditum, et diuiſibile in partes: neque aliquid eſſe totum in vno loco, et totum in altero, tempore eodem, neque duas vel plures res eodem tempore eſſe poſſe, eodem loco.

XXIII. Conuerſio diſcurſus mentalis in verbalem, fit ſermone. Sermo conſiſtit ex nominibus; nomina aut propria ſunt aut communia [k].

XXIV. Verum et falſum attributa ſunt non rerum, ſed orationis; vbi autem oratio non eſt, ibi neque verum eſt, neque falſum, quanquam error eſſe poſſit.

XXV. Conſiſtit itaque veritas in ordinatione recta nominum, quando aliquid affirmamus. Hinc neceſſitas definitionis intelligitur apud eum, qui ad veram ſcientiam tendit.

XXVI. Res nominata eſt, quaecunque cogitari vel in ratiocinatione conſiderari poteſt, ſiue alteri addi ad conficiendam ſummam vel ſubtrahi.

XXVII. Actio ratiocinandi vocatur ſyllogiſmus, et eſt conſequentiae dicti vnius ad alterum coniunctio.

XXVIII. Dantur nomina inſignificantia, quae vel nulla definitione explicata ſunt, vel quorum ſignificationes ſunt inconſiſtentes; huius generis eſt, ſubſtantia incorporea.

XXIX. Intellectus, qui homini proprius eſt, eſt conceptus natus a ſermone. Hunc bruta non habent.

XXX. Inde ſequitur affirmationes falſas easdemque vniuerſales intelligi haud poſſe.

XXXI. Qui ratiocinatur, vel totum quaerit additione partium, vel reſiduum ſubtractione partis a parte: id quod, ſi verbis fiat, nihil aliud eſt, praeter conceptionem conſequentiae nominis partis ad nomen totius, vel nominum totius et partis ad nomen partis reliquae. Quicquid ergo arithmetici faciunt in numeris, geometrae in lineis, id logici faciunt in nominibus [l].

XXXII. Eſt ratio itaque recta, ſi pro facultate animi ſumitur computatio

k) c. 4. p. 14. l) c. 5. p. 20.

tatio nominum generalium, quae ad notationem siue significationem cogitationum nostrarum recipiuntur.

XXXIII. Vsus rationis est multarum consequentiarum a primis nominum definitionibus remotarum inuentio.

XXXIV. Quando aliquis ratiocinatur sine vsu verborum, si id, quod verisimile est, neque praecessit, neque sequitur, id in ratiocinante vocatur error, sed quando ratiocinamur in verbis vniuersalibus, si incidamus, in conclusionem vniuersalem eamque falsam, oritur absurditas, id est, oratio insignificans.

XXXV. Ratio non est nobiscum nata sicut sensus et memoria, nec sola experientia acquisita, sed industria; scilicet apta inprimis impositione nominum; deinde methodo recta procedendo a nominibus ad propositiones, et a propositionibus ad syllogismos, donec veniatur ad cognitionem consequentiarum nominum omnium, quae ad scientiam pertinent. Est enim scientia cognitio consequentiarum vnius facti ad alterum.

XXXVI. Sicut experientia multa fit prudentia, ita scientia multa sapientia est.

XXXVII. Scientiae signa certa et infallibilia sunt, quando, qui scire se dicit, idem alterum docere et veritatem perspicue demonstrare potest.

XXXVIII. Duo sunt motuum in animalibus genera ipsis propria; quorum vnus est vitalis, alter animalis, ille inuoluntarius, hic voluntarius [m].

XXXIX. Conatus siue motus in animo, qui fit versus caussam suam, vocatur appetitus siue cupido, si vero est conatus recedendi, a re aliqua, vocatur auersio. Ex quo intelligitur verum motum adesse.

XL. Quae cupiunt homines, ea amare dicuntur, quae fugiunt, odio habere: quae neque cupiunt, neque fugiunt, contemnere.

XLI. Quicquid appetitus in homine quodcunque obiectum est, illud appellatur bonum; quod auersionis obiectum est, vocatur malum.

XLII. Bonum, quod signis apparentibus promittitur, vocatur pulchrum, et malum, turpe; illius diuersae sunt species, vna in promissione, quae pulchritudo, altera in re, quae dicitur bonitas, tertia in fine, quae est iucunditas; ea vero in medio dicitur vtilitas.

XLIII. Omnis obiecti actio huiusmodi est motus vel conatus consistens in appetitu vel fuga obiecti; apparitio autem istius motus, vocatur voluptas aut molestia animi. Ideo appetitus omnis amorque coniunctus est cum voluptate aliqua, et odium ac fuga cum molestia.

XLIV. Voluptates vel a praesentis obiecti sensione oriuntur, et sunt sensuales; aliae ab expectatione et praeuisione finium, vel consequentiarum rerum emergunt, hae sunt voluptates animi; diuiduntur autem in gaudium et dolorem.

XLV. Passiones istae simplices, appetitus, cupido, amor, auersio, odium, gaudium et dolor a diuersis considerationibus quandoque variantur etiam nomi-

m) c. 6. pag. 25.

nominibus, nempe prout vel videntur aliis succeſſurae, vel prout obiectum appetimus aut fugimus, vel prout multae ſimul conſiderantur.

XLVI. Hinc oriuntur affectuum ſiue paſſionum nomina; e. g. religio eſt metus potentiarum inuiſibilium; quae ſi publice acceptae ſint, religio eſt, ſi non ſint, ſuperſtitio, ſi potentiae illae reuera tales ſint, religio recta.

XLVII. Totum paſſionum aggregatum, tam diu durans, quousque res effecta ſit, vel reiecta vocatur deliberatio.

XLVIII. In deliberatione appetitus vltimus ſiue auerſio actioni, de qua deliberatum eſt, immediate adhaerens vocatur voluntas; actus inquam, non potentia volendi. Vnde ſequitur, beſtias, quia deliberant, voluntate praeditas eſſe.

XLIX. Perpetuus in rebus cupitis bonus ſucceſſus felicitas eſt.

L. Diſcurſus ſiue cogitatio, an fiet, vel non fiet, praeſumtionem relinquens, dicitur opinio.

LI. Sicut in deliberatione appetitus vltimus eſt voluntas; ita in quaeſtione praeteriti vel futuri opinio vltima eſt iudicium, ſiue ſententia finalis [n].

LII. Series tota opinionum alternarum dicitur dubitatio.

LIII. Conſcientia eſt cuiusque facti vel cogitati ſecreta cognitio.

LIV. Si diſcurſus incipit ab alicuius alterius hominis affirmatione, de cuius neque veracitate neque cognitione dubitamus, oritur fides, et ſi rei, creditio.

LV. Virtus in omni re aliquid eſt propter eminentiam ſpectabile, conſiſtitque in comparatione [o].

LVI. Virtutes intellectuales ſunt facultates animi illae, quas laudare, magnifacere, et ſibimetipſis ineſſe cupere homines ſolent, et vulgo bonum ingenium vocantur. Eae autem vel naturales vel acquiſitae ſunt.

LVII. Illi qui ſimilitudines maxime animaduertunt, aliis raro animaduerſas, bonum habere dicuntur ingenium, id eſt bonam phantaſiam; qui vero rerum cogitatarum differentias diſſimilitudinesque maxime obſeruant, id eſt, qui inter rem et rem bene diſtinguunt, bonum iudicium.

LVIII. Ingenium acquiſitum methodo et doctrina nullum eſt praeter rationem, quae orta a recto ſermonis vſu producit ſcientias.

LIX. Ingeniorum diuerſitas oritur a paſſionibus, differentia autem paſſionum partim a diuerſa corporum conſtitutione, partim a diuerſitate conſuetudinum et educationis: poſſunt autem omnes reduci ad potentiam.

LX. Inſania eſt enormis ingensque paſſio: tales fuerunt, quos euangelica hiſtoria vocat, ſtilo Iudaico, daemoniacos.

LXI. Potentia cuiusque eſt mediorum omnium, quae habet ad bonum aliquod futurum adipiſcendum aggregatum; eſtque vel naturalis, vel inſtrumentalis [p].

LXII. Humanarum potentiarum maxima eſt illa, quae ex vnitorum plurimorum

n) c. 7. p. 32. o) c. 8. p. 34. p) c. 10. p. 43.

rimorum hominum in vnam personam consensu est composita, siue illa persona naturalis sit, vt homo, siue artificialis, vt ciuitas.

LXIII. Dignitas est valor seu pretium hominis tantum, quanti potentiae eius vsum aliquis vellet emere.

LXIV. Manifestum facere, quanti aliquem aestimemus, honorare vocamus. Huc pertinet, opem poscere, honorare, loco cedere, amare, laudare, adorare, credere, fidere, consilium alicuius audire, imitari.

LXV. Mores vocantur humani generis qualitates illae, quibus pax conseruatur, et ciuitatis status confirmatur q.

LXVI. Vitae praesentis felicitas non consistit in tranquillitate siue requie animi, quae in hac vita ob motum perpetuum locum haud habet.

LXVII. Sed felicitas est progressus perpetuus ab vna cupiditate ad aliam. Ad hanc metam non vna via omnium procedunt actiones: alii enim cupiditate potentiae, alii honorum, alii otii et voluptatis, alii scientiarum, alii laudis vel famae post mortem etc. ducuntur, hinc ingens morum diuersitas oritur.

LXVIII. Causas cognoscendi amor hominem ab effectus consideratione ad quaerendam causam acuit, et rursus causam causae, donec veniatur ad cogitationem hanc causam aliquam esse aeternam, siue qua prior esse nulla potuit. Adeo vt, qui profunde in rerum naturalium contemplationem se immerserit, impossibile sit, quin inde disponatur, ad credendum vnum esse Deum et aeternum, quamquam ideam naturae diuinae animo concipere non possit.

LXIX. Ex ignorantia causarum verarum oritur anxietas; ex illa metus perpetuus, cuius obiectum sunt potentiae inuisibiles, ex quo oritur religio.

LXX. In his autem quatuor rebus, metu spirituum, ignorantia causarum secundarum, cultu eorum, quae timentur, et sumtione fortuitorum pro prognosticis consistit religionis semen naturale.

LXXI. Semina autem haec a duobus hominum generibus culturam nacta sunt. Primum genus eorum est, qui secundum suas ipsorum phantasias religionum auctores extiterunt: alterum eorum, quibus ab ipso Deo praescripta et praecepta religio fuit. Vtrorumque autem consilium erat, initiatos suos sibi reddere obedientiores. Illorum religio pars politicae, horum politica pars religionis est.

LXXII. Tum corporis tum animae facultatibus aequales inter se produxit natura homines r.

LXXIII. Ab aequalitate naturae oritur vnicuique ea quae cupit acquirendi spes, cum laesione alterius.

LXXIV. In tanto et mutuo hominum metu securitatis viam meliorem habet nemo anticipatione, id quod sui quoque conseruatio postulat.

LXXV.

q) Cap. 11. pag. 49.

r) Cap. 13. p. 67.

LXXV. Itaque dominii acquisitio per vim vnicuique, vt ad conseruationem propriam necessaria concedi debet.

LXXVI. Quamdiu nulla est potentia coërciua, tam diu conditio hominum est belli vniuscuiusque contra vnum quemque: quicquid autem bello omnium contra omnes naturaliter adhaeret, idem hominum fine alia securitate, quam quae a cuiusque robore et ingenio expectari potest, necessario comitatur. In hac ergo conditione nullus industriae locus est, quia nullus fructus, nulla terrae cultura, nullae artes, neque societas, sed mortis violentae metus.

LXXVII. Bello omnium contra omnes consequens est, vt nihil dicendum sit iniustum, vi et dolo in bello obtinentibus, nihil proprium, dominium nullum.

LXXVIII. Passiones quibus homines ad pacem perduci possunt, sunt metus, praesertim vero metus mortis violentae, et cupiditas rerum ad bene viuendum necessariarum, et spes per industriam illa obtinendi.

LXXIX. Ius naturale est, libertas quam habet vnusquisque potentia sua ad naturae suae conseruationem suo arbitrio vtendi, et illa omnia, quae eo videbuntur tendere, faciendi [s].

LXXX. Libertas est impedimentorum externorum absentia.

LXXXI. Lex naturalis est regula generalis ratione excogitata, qua vnusquisque, id quod ad damnum suum sibi tendere videbitur, facere poterit.

LXXXII. In conditione hominum naturali omnium in omnia ius est, ipsis hominum corporibus non exceptis.

LXXXIII. Quamdiu ergo ius illud retinebitur, nulla cuiquam, etsi fortissimus sit, securitas esse poterit.

LXXXIV. Rationis ergo regula generalis est: pacem quidem, dum obtinendae eius spes est, quaerendam esse, quando autem haberi non potest, auxilia vndicunque quaerere et illis vti licitum esse.

LXXXV. Inde oritur secunda: oportere vnumquemque quoties paci et defensioni propriae prouisum erit, a iure suo in omnia, ceteris idem facere paratis, decedere, contentumque esse eadem libertate, quam ceteris concedi vellet.

LXXXVI. In rem aliquam ius suum deponit, qui libertate illa se priuat, quam habet ceteros impediendi, quo minus quilibet eorum iure suo vtatur in rem eandem.

LXXXVII. Deponitur ius vel simplici renuntiatione, quae in medium abiicit, nemini tribuens, vel tanslatione ad alium: idque debet fieri signis idoneis.

LXXXVIII. Quotiescunque ius suum derelinquit aliquis, vel transfert, ea causa id facere intelligitur, vt reciproce ab eo, cui translatum est, ius aliquod vel bonum accipiat.

LXXXIX.

s) Cap. 14. pag. 66.

LXXXIX. Translatio iuris mutua contractus dicitur.

XC. Qui ius aliquod transfert, etiam vsum rei, quantum in se est, transfert.

XCI. Pactum etiamsi metu extortum sit in conditione tamen hominum validum est, eo quod contractus est.

XCII. Pactum prius posterius inualidum reddit.

XCIII. Ad pactorum praestationem constringendi vim habent duo auxilia, vel quia fallere indignum, vel ob metum damni a violatione pacti: metus autem vel est potentiarum inuisibilium, qui est in religione, vel metus potentiae humanae, in ciuitate. Quae vbi non est, solus metus inuisibilis potentiae firmare pactum potest, et hinc iusiurandum ortum est.

XCIV. Tertia lex naturae est, praestanda esse pacta. In hac lege consistit natura iustitiae, quae est pactorum praestatio: ea autem valida esse incipiunt, quando constituta est ciuitas, quae ad praestationem cogere potest.

XCV. Institia commutatiua est iustitia contrahentium, distributiua arbitri cui fides adhibetur.

XCVI. Quarta regula est: qui beneficium gratis datum accipit, conari debet, ne danti iusta causa sit beneficii dati poenitendi.

XCVII. Quinta regula est: vt se quisque commodum praestet, ob ingeniorum diuersam aptitudinem ad societatem.

XCVIII. Lex naturae sexta est: vt vnusquisque accepta temporis futuri cautione praeteritas iniurias poenitentibus et petentibus condonet.

XCIX. Septima est: in vltionibus non respiciendum esse ad magnitudinem mali praeteriti, sed ad magnitudinem nascituri boni.

C. Octaua est: ne quis alium facto, verbo, vultu aut gestu odisse vel despicere se significet.

CI. Nona est: habendos omnes homines inter se natura aequales.

CII. Decima regula est: vt in pace ineunda nemo reseruari sibi poscat ius aliquod, quod cuiquam ceterorum reseruatum nolit.

CIII. Vndecima postulat: vt arbiter datus in vtramque partem aequus sit.

CIV. Duodecima praecipit; ea quae diuidi non possunt, eorum vsum communem esse.

CV. Decima tertia docet: ius integrum vel possessionem primam sorte determinandam.

CVI. Decima quarta praescribit: quarum rerum neque vsus communis, eae res vel primi occupantis vel primogeniti sunt, sorte acquisitae.

CVII. Decima quinta est: vt pacis mediatoribus ire et redire tuto liceat.

CVIII. Decima sexta iniungit: in sententia arbitri acquiescere.

CIX. Decima septima, esse arbitrum idoneum in causa propria, quemlibet prohibet.

CX. Decima octaua eiusdem generis est, vetans, ne pro arbitro recipiatur cui lucrum, dignitas vel voluptas a victoria partis alterius manifeste oritura est.

CXI. Decima nona postulat: vt in quaestione facti iudicetur secundum testes.

CXII. Leges naturae semper obligant in foro interno, non autem semper in externo, ibi vitium, hic crimen est.

CXIII. Legum naturalium scientia vera et sola ethica est. Ea autem alia non est, praeter scientiam earum rerum, quae in congressibus et societate hominum bonae vel malae sunt.

CXIV. Persona est is, qui suo vel alieno nomine res agit, si suo, propria est, si alieno repraesentatiua dicitur [t]. Est haec breuis adumbratio ipsis Hobbesii verbis facta, eorum fundamentorum, quae ex philosophia rationali, naturali et morali ad constituendam nouam moralem doctrinam consarcinauit. Intelligi ex ea ipsius nouae definitiones, regulae et axiomata satis possunt, nec interpretatione opus habent. Superest igitur, vt ciuilem doctrinam Hobbesii paucis quoque delineemus.

Philosophiae ciuilis Hobbesii.

§. XXIII. I. Causa et finis cur homines libertatis et dominii per naturam amatores in statu ciuili viuere voluerint, fuit cura conseruationis suae, vitaeque commodioris, id est vt e conditione misera belli omnium contra omnes exirent [u].

II. Exitum autem e conditione belli omnium contra omnes leges et pacta per se praestare non possunt, debet itaque accedere potentia cogens, quae est in ciuitate.

III. Paucorum hominum conspiratio inter se, securitatem praestare non potest, sed multitudinis.

IV. Multitudo multorum iudiciis et arbitriis gubernata ob dissensum, securitatem illam non promittit.

V. Neque sufficit, vt gubernentur certo tantum tempore, hoste semper recurrente.

VI. Communem autem potentiam constituendi, quae homines securos praestare possit, vnica via haec est, vt potentiam et vim suam omnem in hominem, vel hominum coetum vnum vnusquisque transferat, vnde voluntates omnium ad vnicam reducantur, et eius voluntati et iudicio voluntatem suam submittat.

VII. Haec multitudo illa vna persona est, quae ciuitas et respublica vocatur, et magnus ille Leuiathan, cui pacem et protectionem sub Deo immortali debemus omnem.

VIII. Ciuitas auctoritatem et tantarum virium vsum habet, vt terrere voluntates omnium ad pacem inter se et ad coniunctionem contra hostes conformare possit.

IX. Est

t) c. 16. p. 79. u) c. 17. p. 83.

IX. Est itaque ciuitas persona vna, cuius actionum, homines magno numero, per pacta mutua vniuscuiusque cum vnoquoque fecerunt se auctores; eo fine, vt potentia omnium arbitrio suo ad pacem et communem defensionem vteretur.

X. Ciuitas oritur vel per institutionem vel per acquisitionem.

XI. Instituitur ciuitas, quando homines sponte sua conuenientes singuli cum singulis paciscuntur, vt vnicuique homini vel coetui pars maior suffragiis suis personam omnium gerendi ius contribuit, illi omnes obedirent [x].

XII. Summa potestas propter malam reipublicae administrationem habenti tolli non potest.

XIII. Ab habente summam potestatem nemini conferentium fieri potest iniuria.

XIV. Non potest, qui summam habet potestatem a ciuibus occidi, aut quomodocunque iure puniri.

XV. Summae potestati adhaerent, quae ad conseruationem vel violationem pacis tendunt, decernere, et regulas praescribere, quibus, quid sit suum, vnusquisque sciat et fruatur sine molestia a conciuibus.

XVI. Sed et potestas iudicandi, iusque belli et pacis ineundae consiliarios eligendi, honores definiendi huc pertinet: ea enim omnia ad conseruationem ciuitatis pertinent.

XVII. Monarchia ciuitati conuenientior est, quam aristocratia et democratia, vel genera ciuitatum mixta [y].

XVIII. Ciuitas per acquisitionem est, vbi summa potestas acquisita est per vim, ita vt mortis vel vinculorum metu imperata facere vnius personae siue singuli siue pluralitate suffragiorum se obligauerint. Iura autem cum ciuitate per institutionem eadem sunt [z].

XIX. Est etiam dominii acquisitio per generationem, quod paternum dicitur; itemque per victoriam, quod in seruos acquiritur.

XX. Summa potestas, siue ea in vno homine, siue in vno coetu collocata est, tanta est, quantam facere possunt homines, nempe indefinita, licet incommoda sequantur. Conditio hominum enim in hac vita sine incommodis nunquam erit.

XXI. Possunt simul consistere metus, libertas et necessitas, quae vocatur naturae et causarum. Est autem liber, qui ex iis, quae viribus et arte propria facere potest, quin faciat, quicquid vult, non impeditur [a].

XXII. Legibus autem circumscribitur in ciuitate libertas, nec ea ius vitae et necis impedit. Quod vbi in innocentem exercetur, agit quidem inique et in Deum peccat imperans, non vero iniuste agit.

XXIII. Manet vero libertas circa res illas omnes, quarum ius per pactum transferri vel abiici non potest, vel de quibus leges silent pro summae potestatis arbitrio.

x) c. 18. p. 86. y) c. 19. p. 92. z) c. 20. p. 98. a) c. 21. p. 104.

XXIV. Obligatio quam ciues habent erga eum, qui ſummam habet poteſtatem, tamdiu nec diutius permanere intelligitur, quam manet potentia ciues protegendi [b].

XXV. Syſtema ciuitatis eſt numerus quicunque hominum in rem ipſorum communem congredientium: et vel ſyſtemata regularia ſunt in quibus homo vel coetus vnus perſonam gerit omnium, vel irregularia. Illa vero vel abſoluta ſunt vel ſubordinata, tum politica corpora, tum priuata conſtituentia [c].

XXVI. Miniſter publicus ſummae poteſtatis eſt, qui in rebus, quae ad ciuitatem pertinent, per auctoritatem ſummam habentis poteſtatem ciuitatis perſonam repraeſentat.

XXVII. Lex ciuilis vnicuique ciui eſt regula, qua ciuitas verbo vel ſcripto vel alio quocunque voluntatis ſigno idoneo ad diſtinctionem boni et mali vti imperat. Hac imperans non tenetur [d].

XXVIII. Conſuetudo longa vim obtinet legis, a voluntate eius, qui ſummam habet poteſtatem, ſilentio eius ſignificata.

XXIX. Leges ciuiles illis ſolis leges ſunt, quibus fuere declaratae. Requiritur itaque promulgatio, leges autem naturae per dictamen rationis innoteſcunt.

XXX. Interpretatio legum naturae non a doctoribus et philoſophis dependet, ſed ab auctoritate ciuitatis. Non enim veritas ſed auctoritas facit legem.

XXXI. Eſt itaque interpretatio legis naturalis recta ſententia ſummae poteſtatis legem facto applicantis. Iudici autem incumbit, vt ſententiam ferat ex ſua ipſius conſcientia et ratione naturali, peritiaque propria circa aequum et bonum.

XXXII. Crimina, quae ſunt legis transgreſſiones oriuntur vel a vitio intellectus, quae eſt ignorantia, vel ab imperitia ratiocinandi, id eſt, errore, vel a vi paſſionis [e].

XXXIII. Poena malum eſt, transgreſſori legis auctoritate publica inflictum, eo fine, vt terrore eius voluntates ciuium ad obedientiam conformentur [f].

XXXIV. Lex publica vnicuique ciui pro conſcientia habenda. Falſum itaque eſt; peccatum eſſe, quicquid faciat ciuis contra conſcientiam.

XXXV. Summi imperantis officia dimetienda ſunt ex fine, qui eſt ſalus populi [g].

Potiora haec ſunt, quibus ciuitatem inſtruendam eſſe monitis politicis credidit Hobbeſius: haec ad Chriſtianam ciuitatem eo fine applicat, vt doctri-

b) Hac imprimis aſſertione ſuſpectus factus eſſe videtur aulae, quod democraticorum partibus faueret. Eo enim tum redactus erat rex Angliae, vt ciues amplius protegere haud poſſet.
c) c. 22. p. 111.
d) c. 26. p. 129.
e) c. 27. p. 137.
f) c. 28. p. 146.
g) c. 30. p. 157.

doctrinam Christianam suis praeceptis non obstare demonstret, vnde machinas admouet omnes, vt in partes suas flectat diuina oracula. Quae eum ad philosophiam non pertineant, recte a nobis omittuntur, et sacrae legis interpretibus ac vindicibus examinanda relinquuntur. Adscribemus modo iudicium PVFENDORFII [b], vt cum delineatione iuris naturalis et ciuilis Hobbesiani comparari queat. Is ita pronuntiat: *Id sane apparet, hoc praecipue agere Hobbesium, vt potestatem regiam aduersus turbulentos homines, qui tunc Angliam sub obtentu libertatis grauiter exercebant, assereret, simulque ius circa sacra summo imperio ciuili aduersus fanaticos vindicaret. Quod institutum vti in se quidem magnopere probandum est, modo isthoc ius legitimis terminis coërceatur: ita ferri plane non possunt hypotheses ipsius ita crude assumtae, et quae eidem superstruuntur dogmata quaedam a sana ratione abeuntia, et non exiguam labem rebus humanis inferre idonea. Ne de iis memorem, in quibus circa religionem Christianam a vero sensu diuinarum literarum diuersus abit; quibus destruendis operam impendere aliorum est. Neque tamen quisquam rerum intelligens inficias iuerit, inter multa mala reperiri quoque plurima exquisite bona, et quantiuis pretii: et illa ipsa, quae ab eo falsa traduntur, ansam praebuerunt, scientiam moralem et ciuilem ad fastigium perducendi, sic vt de non paucis, quae ad perfectionem istius faciunt, vix cogitare alicui in mentem venisset, absque Hobbesio si fuisset.* Et ex his quidem sobrie ac sine praeiudicio expensis iudicandum est, quem locum inter reformatores philosophiae et conditores eclecticae sapientiae Hobbesius obtineat?

b) Erid. Scand. loc. cit.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

DE RENATO CARTESIO.

§. I.

Carteſianae hiſtoriae fontes vnde petendi?

Felicioribus auſpiciis circa eadem tempora, quibus Hobbeſius emendare philoſophiam aggreſſus eſt, nouam viam tentauit RENATVS DES CARTES, vel quo Latino nomine plerisque innotuit, Carteſius [a]. Cuius ſummi philoſophi hiſtoria eo maiori cura colligi, et critico oculo eius philoſophiae fata explorari merentur, quo longiora fata habuit, et ad noſtra vsque tempora perdurauit, aſſeclas nacta viros magnos et acutiſſimos, quorum ſtudio factum, vt cum maxime eclecticum ſe praeſtitiſſet Carteſius, eius tamen philoſophia, auctore quidem ſuo non inuito, in ſectam abiret, quae famam ſibi ſplendidam comparauit. Inde euenit, vt plurimi fontes exiſterent, ex quibus et viri illius, et philoſophiae ab eo vulgatae hiſtoria hauriri queat. Quorum haud con emnendam partem nominauit vir doctus GVIL. HENRICVS BECKHERVS; is enim erudito ſchediaſmati: *Num Carteſius recte atheis annumeretur* [b]*?* breuem adiecit *Catalogum ſcriptorum, qui de Carteſio in eius vel vitae monumenta, vel doctrinam nouasque hypotheſes inquirendo pluribus differuerunt.* Nos inſtituti noſtri memores eos hoc loco ſcriptores potiſſimum nominamus, quos lucem hiſtoriae Carteſianae accendere poſſe experientia docti nouimus, quosque conſuli a Lectore volumus, vt ea illuſtrentur, quae breuiter et ὡς ἐν συνόψει de Carteſio eiusque philoſophia dicere nos cogit inſtituti ratio. Integram autem Carteſianiſmi hiſtoriam a nemine hactenus in tanta huius ſectae frequentia et celebritate conditam eſſe, eo magis miramur, quo magis Carteſianiſmus, cum a dogmatibus theologicis illi admixtis, tum a doctrinis phyſicis, quas magno ſtudio ea ſchola excoluit, magnam recentiſſima aetate mutationem paſſus eſt, quam omnem hoc loco enarrare limites nobis poſiti non permittunt. Viros itaque doctos, qui hodie Carteſianam ſapientiam adhuc amplectuntur, ad hanc orbi literato praeſtandam operam merito exhortamur, ea interim adducturi, ſine quibus vniuerſalis philoſophiae hiſtoria manca eſt, et nobili parte ſua deſtituta.

Scriptores vitae Carteſii.

§. II. Hiſtoriam Carteſii philoſophantis, et placitorum quibus totum philoſophiae vultum emendare mutareque, atque ornatius pingere conatus eſt, ſcire cupientem ante omnia ipſa Carteſii ſcripta adire oportet, ex quibus omnium optima notitia de rebus et φιλοσοφουμένοις eius hauriri poteſt. Vt enim epiſtolas celeberrimi philoſophi taceamus, in quibus multa

a) Diſplicuit initio Latinum hoc nomen philoſopho, quod gentilitium ſemper fuerit DES-CARTES, conf. Obſ. ſel. Halenſ. Germ. Obſ. XI. §. 13. p. 369. b) Regiomont. 1724. 4.

multa sunt, quae historiam eius tangunt [c], ipse, quod summum caput historiae Cartesianae est, in tractatu *de Methodo* enarrauit, quo pacto absoluto scholasticae philosophiae, quam apud Iesuitas didicerat, curriculo, ad nouam philosophiam delatus sit. Quae autem inter Batauos noua eius philosophandi methodus fata habuerit, ipse in *Apologia aduersus Voëtium* prolixe descripsit. Cartesio fatis functo, cum magnos strepitus eius philosophia edidisset, passim viri eruditi in condenda philosophi famigeratissimi historia diligentiam exhibuerunt suam. Voluere hunc lapidem aggressus est IOANNES TEPELIVS, cui libellum *de Vita et Philosophia Cartesiana* [d] debemus, in quo de Cartesio et occasione, qua ad innouandam philosophiam inuitatus est; de scriptis eius et principiis philosophicis, de adiunctis eius philosophiae, tum de propugnatoribus et oppugnatoribus eius, item de iudiciis virorum doctorum super secta Cartesiana suo modo disserit, quae tamen affecta magis quam absoluta Cartesianismi historia dici debet, et pauca sunt, quae ad tantum aedificium extruendum ornandumque afferuntur. In eadem via currendum sibi esse statuit PETRVS BORELLVS, Castrensis, Galliarum regis archiater et philosophus haud obscurae famae, scriptis quoque clarus [e]. Ille enim *Compendium vitae Cartesianae eiusque operum omnium catalogum, obseruationibus*, quas edidit, *medicis* adiecit, postea a Londinensibus et Francofurtensibus [f] recusum, et ab HENNINGO WITTENIO *Memoriis clarissimorum philosophorum* [g] insertum. In quo eleganter quidem paucis elogium Cartesii complexus est, at lineas magis historiae duxit, quam integram enarrauit. Tacemus eos, qui leuiori manu opera hac defuncti sunt DANIELEM LIPSTORPIVM [h], GEORGIVM PASCHIVM [i], IOANNEM CHRISTOPHORVM STVRMIVM [k], quique vitam Cartesii operibus eius praefixerunt, vel narrationibus suis ex historia literaria petitis vitam Cartesii inseruerunt, inter quos elegantia se commendauit vir doctus B. NICERONIVS [l]. Nemo autem vel praeclare magis de Cartesii historia meruit, vel melioribus auxiliis instructus ad eam condendam accessit, quam HADRIANVS BAILLETVS, cuius egregia de historia eruditionis merita nemini ignota sunt. Is enim fuse Cartesii historiam delineauit, duobusque voluminibus Lutetiae [m] in publicum exire passus est. Tanta autem diligentia in hoc stadio cucurrit Bailletus, vt similem laborem philo-

c) Recte ideo eas commendat MORHOFIVS Polyhist. T. I. L. I. c. 24. §. 31. p. 295.
d) Norimbergae 1674. 12. vid SAGITTARIVS Introd. in H. E. T. I. p. 505. MORHOF. l. c. T. II. p. 111. STOLLIVS Hist. lit. P. II. c. 1. §. 93. p. 408.
e) Vid. DORNIVS ad IONSIVM de Scr. Hist. phil. L. III. c. 31. §. 9. p. 180.
f) 1670.
g) Decad. IV. p. 580. seqq.
h) In Speciminibus philosophiae Cartesianae Lugd. Bat. 1653.
i) De Inuentis nov-antiquis c. 3. p. 143. seqq.
k) Diss. de Cartesio et Cartesianismo, quae extat Philosoph. eclecticae P. I. p. 139. seqq.
l) Memor. literar. T. XXXI. p. 274.
m) 1691. 4.

philosopho vlli esse praestitam non recordemur. Nec singularis attentionis et studii laude Bailletus priuandus est; qui non aliena scrinia expilauit, sed praeter aliorum relationes ipsa potissimum Cartesii scripta, et imprimis eius epistolas consuluit, loca in margine designauit, et non historiae modo Cartesii, sed philosophiae eius quoque, quamdiu is inter viuos superfuit, commentarios edidit. Vnde amplissimi annales eorum, quae Cartesio eiusque philosophiae per dimidium seculum XVII acciderunt, enati sunt. Qui si parcius Cartesium, nec in omnibus, laudasset, si a partis studio magis sibi temperauisset, si infensum in Gassendum, Cartesii aduersarium, animum deposuisset, si a digressionibus longioribus et parum ad rem facientibus abstinuisset [n], omne profecto punctum tulisset, nec censuram virorum doctorum fuisset passus, qui non omnes P. Baylii [o] patientia gaudent, minima quaeque in hoc libro annotata cum delectatione perlegentis. Tacemus ea, quae in *Considerationibus super hac vita Cartesii* [p] anonymus quidam, quem Bvhvrsivm Iesuitam esse volunt [q], assumta Academici persona in hac narratione reprehendit. Quemadmodum, si verum est, quod Io. Christoph. Dornivs [r] tradit, librum hunc fuisse prohibitum, valde potentes aduersarios nactum esse Bailletum oportet. Ast falsum est, quod Idem tradit, contra eandem biographiam prodiisse, *nouas memorias ad Cartesianismi historiam spectantes*. Eas enim satyram esse in Cartesium ab illustri Hvetio editam *huius Tomi Parte prima* iam narrauimus. Prudenter autem et cum commodo lectoris fecit Bailletus, quod molestam libri ingentis lectionem emendaturus, compendium eius ediderit [s], in quo ea, quae momentum habent, adducta sunt omnia, seruatis tamen, prioris libri diuisionibus. Ad hanc ergo synopsin, quae Belgice quoque prodiit [t], in sequentibus lectorem remittemus, qui hoc pacto prolixioris tractationis loca nullo negotio inueniet. Illustrabunt autem nonnulla obseruationes egregiae de Cartesio eiusque philosophia quas illustris Leibnizivs literis consignauit ediditque Christianvs Thomasivs [u]. Quae vero *Iter Cartesii circa mundum* mentitur satyra, et Danielem, Societatis Iesu theologum, virum elegantissimae eruditionis auctorem agnoscit, polemicum et satyricum, non historicum, scriptum est, euertendo systemati Cartesiano ingeniose excogitatum, licet nonnulla quoque tangat historica. Plures addere, eos imprimis, qui historiam philosophicam et ecclesiasticam seculi XVII enarrarunt, nec libet nec licet, nominabimus autem in sequentibus illos, ad quorum fidem prouocandum est.

§. III.

n) Conf. Cl. Iordan. Recueil de litterature p. 17.

o) Lettr. CV. T. II. p. m. 373. coll. Marchand.

p) Reflexions d'un Academicien sur la vie de Mr. des Cartes, envoyeés a un des ses amis en Hollande.

q) Vid. Mem. de Mr. Ancillon p. 288. Ibi quoque Bailleti vita exhibetur.

r) l. c. c. 37. p. 221.

s) Paris 1693. 12. qua editione vtimur.

t) Interprete Brockhovsio, Amst. 1700. 8.

u) Hist. sap. et stult. T. II. p. 113. seqq. vnde repetiit Kortholtvs Vol. III. Epp. Leibnizii.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. III. Editus est in lucem Cartesius ex generosa auitaque familia multis maiorum decoribus inter Turonenses illustri, patre Ioachimo des Cartes, Senatore supremae curiae Britanniae minoris [x], natus prid. Cal. Aprilis anno reparatae salutis CIↃ IↃXCVI, apud Hagienses [y]. Falsum itaque est, quod BORELLVS [z] habet, Cartesium vitales auras in vrbe, Castrum Eraldium [a] dicta, haurire coepisse, quae quatuor milliaribus ab isto loco distat. Accepit autem Perronii nomen a fundo quodam, cum fratrum trium minimus esset, vt a reliquis distingui posset. Occultauit studiose natalem Cartesius, quod olim Plotinum quoque feciſſe suo loco notauimus, veritus ne vesana astrologorum curiositas de suo quoque horoscopo sollicita cuiquam suorum ineptiendi occasionem praeberet [b]. Haereditaria dispositione autem ex matre paulo post partum extincta valetudinem satis infirmam, maxime vero pectus valde debile nactus haud satis virium habere videbatur, vt studiis dicari posset. Ast tanta vis inerat animo, et innata quaedam sciendi curiositas, vt ingenium philosophicum intelligentibus portendere recte videretur. Teste enim biographo [c], sedulum se rerum omnium exploratorem praebebat tenellus puer, deque causis atque effectibus rerum omnium, quas sensibus percipiebat, ex patre diligenter quaerebat, insatiabili sciendi desiderio accensus, id quod parenti eius occasio fuit, eum philosophi sui nomine compellandi. Corporis imbecillitas autem in causa fuit, vt de formando ingenio paulo serius parens cogitaret, contentus sanitatem eius confirmauisse. At ostendit puer inter crepundia eam ingenii elegantiam, totque animi supra modum aucti specimina, vt intelligi omnes possent, quam laeti amplique fructus ex hoc agro foecundo essent sperandi. Eum igitur prouide et ludendo magis quam serio instigando colere et prima doctrinae semina inspergere prudens constituit, licet hoc pacto parum proficeretur. Annos autem octo natus ad Iesuitas Flexienses missus, eorumque disciplinae, maxime autem curae Carleti, qui cognatione eum attingebat, traditus est. Qui cum adolescentem Cartesium amore valde esset complexus, in id omnem curam conuertit, vt et corpore et animo pulcherrime formaretur; commendauitque eum Dineto, viro doctissimo ex eodem sodalitio, vt eius studiis totus praeesset. Quos praeceptores Cartesii, ingenii eius elegantia et animi bonitate captos adeo eius amore exarsisse ait Bailletus, vt amicitia inde enata fuerit dulcissima, vsque ad mortem literarum quoque commercio culta et conseruata. Id quod fidei eius relinquimus, non negamus tamen suspectam nobis hac in parte eam esse: epistola Cartesii enim, quam ad Dinetum iam tum prouincialis axiomate vestitum scripsit [d], ab ista arctioris amicitiae significatione abhorret et frigus aliquod Cartesii indignantis societati ipsique Dineto satis arguit. Valde in eo

Natiuitas et educatio scholastica Cartesii.

x) BAILLET. L. I. c. 1.
y) la Haye en Touraine
z) loc. cit.
a) Chatelheraut.
b) BAILLET. l. c. c. 2. p. 3.
c) c. 4. p. 5.
d) Opp. philos. T. I. p. 288.

ſtadio emetiendo eminuit praecocis adoleſcentis diligentia et ingenii felicitas, quam ardor diſcendi inexplebilis fulciebat. Alebat enim indolem facilem, et ad praeceptorum voluntatem atque conſilia magna animi alacritate ſe formantem, aemulatione vero accenſus ad id modo animo reſpiciebat, vt doctrinae progreſſu alios vinceret. Ita vero cum et alte meditaretur et perſpicue cogitaret, non potuit non profectus ſentire longe iucundiſſimos: quos tamen impediebat ſpes, ſi non eluſa, ſaltem retardata et imminuta feruidi adoleſcentis, qui maiora ſe in florentiſſimo illo gymnaſio apprehenſurum eſſe ſibi promiſerat, quam reuera euenit. Dabimus ipſius Carteſii verba, eo quod rem mire illuſtrent, et attentionem mereantur *e*: *Simul ac ſtudiorum curriculum abſolui, quo decurſo mos eſt in eruditorum numerum cooptari, plane aliud coepi cogitare. Tot enim me dubiis totque erroribus implicatum eſſe animaduerti, vt omnes diſcendi conatus nihil aliud profuiſſe mihi iudicarem, quam quod ignorantiam meam magis magisque detexiſſem: Attamen tunc degebam in vna ex celeberrimis totius Europae ſcholis, in qua ſicubi in vniuerſo terrarum orbe doctos viros eſſe debere cogitabam. Omnibus iis quibus alii ibidem imbuebantur, vtcunque tinctus eram. Nec contentus ſcientiis quas docebamur, libros de quibuslibet aliis, magis curioſis atque a vulgo remotis tractantes, quotquot in manus meas inciderant, euoluebam. Aliorum etiam de me iudicia audiebam, nec videbam me quoquam condiſcipulorum inferiorem aeſtimari, quamuis iam ex eorum numero nonnulli ad praeceptorum loca implenda deſtinarentur. Ac denique hoc ſeculum non minus floridum et bonorum ingeniorum ferax quam vllum praecedentium eſſe arbitrabar. Quae omnia mihi audaciam dabant de aliis ex me iudicandi et credendi nullam in mundo ſcientiam dari illi parem, cuius ſpes facta mihi erat.* Quamuis autem haec mature obſeruauiſſet, quinquennium tamen, et quod excurrebat, in iſto ſtadio abſoluendo ita conſumſit, vt humaniorum literarum culturam, quam neceſſariam ſibi fore non ignorabat, initio excoleret, et linguarum notitiam, ſine quibus veterum ſcripta intelligi non poſſe nouerat, acquireret, maxime autem ad fabulas animum adiiceret, totamque mythologiam animo complecti ſtatueret, eo quod ingenium quodammodo expolire et excitare putabat; hiſtoriam vero attente perluſtrare inciperet, cuius caſus memorabiles animum ad ſuſcipiendas res magnas impellere, et cum prudentia lectam non parum ad iudicium formandum conferre recte iudicabat. Sed et eloquentiae vires meditatus et poëſeos dulcedinem contemplatus, vtramque cura et induſtria ſua non indignam exiſtimabat, et hoc pacto per vniuerſum humanitatis, quam vocant, campum, impiger coepit decurrere. Ait quoque *f*: *Lectionem bonorum librorum ſe non neglexiſſe, ratum, eam eodem fere modo nobis prodeſſe, ac ſi familiari colloquio praeſtantiſſimorum totius antiquitatis ingeniorum, quorum illi monumenta ſunt, vteremur,*

e) Diſſ. de methodo. f) loc. cit.

mur, et quidem colloquio ita praemeditato, vt non nisi optimas et selectissimas quasque ex suis cogitationibus nobis declarent. Quod vbi narrat BAILLETVS [g], et hoc pacto illis succurrere vult, qui contemtos neglectosque libros Cartesio obiecerunt, non recordatus est encomiastes, quod in sequentibus narrat, philosophum, cum ab amico rogaretur, vt bibliothecam ipsi suam monstraret, aperto conclaui vitulum cultro anatomico dissectum monstrauisse, et hanc suam bibliothecam esse, dixisse. Voluisse enim Cartesium videri αὐτοδίδακτον, quique nihil ab aliis accepisset, aut hac ipsa confessione sua plagii fuisse insimulatum, in sequentibus dicemus. His autem, quae ingenii elegantiam acuunt, disciplinis non contentus ad seueriores quoque scientias animum adiecit, et praemissis artibus mathematicis [h], quibus ob certitudinem et euidentiam rationum potissimum delectabatur, sed nondum praecipuum earum vsum intelligebat, existimans ad artes tantum mechanicas earum vsum referendum, ad philosophiam se conuertit; eo quidem animo, vt, cum sciret illam a praestantissimis omnium seculorum ingeniis fuisse excultam, et nihil tamen in ea reperiri, de quo non in vtramque partem disputetur, hoc est, quod non sit dubium et incertum; non tantum ingenio suo confideret, vt aliquid in ea melius a se, quam a ceteris inueniri posse speraret. Ex quo potest intelligi, animo eum curioso magis et exploratore ad philosophiam accessisse, quam discendi studioso. Nactus autem a praeceptoribus veniam ordinariis lectionibus se eximendi, omne tempus ad rimandos philosophorum reliquarumque scientiarum libros retulit, et imprimis ad rationalem et moralem philosophiam animum applicuit. Nulla autem in re desiderium omnia accurate pernoscendi expleri non sine moerore intellexit. Ipse narrat [i]: *Se veterum ethnicorum moralia scripta palatiis superbis admodum atque magnificis sed arenae tantum aut coeno inaedificatis comparauisse, eo quod virtutes quidem in coelum laudibus extollant, easque ceteris omnibus rebus longe anteponendas esse recte contendant: sed non satis explicent, quidnam pro virtute sit habendum, et saepe, quod tam illustri nomine dignentur, immanitas potius et durities, vel superbia, vel desperatio, vel parricidium dici debeat. Idem sibi in rationali philosophia euenisse, conqueritur: logicam enim, cui cum analysi geometrica atque algebra studuerat, quod nonnihil ad suum institutum facere posse viderentur, diligentius examinando, animaduertisse se, ait, syllogismorum formas aliaque fere omnia eius praecepta non tam prodesse ad ea, quae ignoramus, inuestiganda, quam ad ea, quae iam scimus, aliis exponenda, vel etiam, vt ars Lullii, ad copiose et sine iudicio de iis, quae nescimus, garriendum. Et quamuis multa quidem habeat verissima et optima, tam multis tamen aliis, vel superuacuis vel interdum etiam noxiis, adiuncta esse, vt illa dignoscere et separare non minus saepe difficile sit, quam Dianam aliquam aut Mineruam ex rudi marmore excitare.* Quae consideratio effecit

g) c. 4. p. 9. h) CARTES. loc. cit. i) loc. cit p. 8. 9.

fecit, vt communi ratiocinandi methodo relicta de noua cogitaret, et paucis regulis, quas legis instar sibi obseruandas praescribebat, cuncta complecteretur; ad quas geometrarum modum ratiocinandi seuerum sibi viam parauisse ait. De qua noua Cartesii methodo cum infra pluribus dicendum sit, hoc loco nihil adiicimus. Illud autem historiae caussa addendum, *quod porro tradit Cartesius, pauca illa praecepta quae selegerat, accurate obseruando tantam se facilitatem acquisiuisse ad difficultates omnes extricandas, vt intra duos aut tres menses, quos illi studio impenderit, non modo multas quaestiones inuenerit, quas antea difficillimas iudicauerit, sed etiam tandem eo peruenerit, vt circa illas ipsas, quas ignorabat, putaret se posse determinare, quibus viis et quousque ab humano ingenio solui possent.* Simili fere modo in morali philosophia versatus est; et quaedam sibi in ea axiomata generalia descripsit, quae infra enarrabimus. Sed has eum emendationes postea concepisse, cum iam tritam viam reliquisset, inde colligimus, quod ipse narret [k], se quam primum sibi licuit per aetatem praeceptorum custodia exire, literarum studia prorsus reliquisse, id non facturus, si iam tum nouam viam, eamque securiorem fuisset ingressus. Totum enim se tum cum Scepticismo fuisse conflictatum, hancque animi incertitudinem philosophiae primae studium auxisse fatetur, in qua nihil valde solidum et firmum tam instabilibus fundamentis superstruere se posse, peruidebat: et nec lucri caussa, nec gloriae eas philosophiae scholasticae partes sibi excolendas esse prudens statuebat. Qua de re omnem eam narrationem expendi velimus, quam in dissertatione *de Methodo* instituit, quae longior est, quam vt huc transcribi possit. Interim cum mathematicas artes ob certitudinem deperiret, analysi veterum et algebrae recentiorum operam dedit, vtramque autem parum firmam esse, et quod ingenio solido faceret satis, non exhibere, videbat, eo quod tantum ad speculationes quasdam, quae nullius vsus esse videbantur, se extenderet, ac praeterea analysis circa figurarum considerationem tam assidue versaretur, vt dum ingenium acuat et exerceat, imaginandi facultatem defatiget et laedat; algebra vero, vt solet doceri, certis regulis et numerandi formulis ita sit contenta, vt videatur potius ars quaedam confusa, cuius vsu ingenium quodammodo turbetur et obscuretur, quam scientia qua excolatur, et perspicacius reddatur. Concedenda autem haec Cartesio laus est, quod defectus huius arithmeticae philosophicae perspiciendo ingenii excellentissimi acumine non meliorem tantum viam inuenerit, sed in ea quoque longissime progressus sit. Id quod tamen postea demum euenit, vnde nimius est Bailletus, qui collegio Flexiensi hanc gloriam vindicat, quod maximum, quem vnquam orbi concessit, mathematicum produxerit. In ista enim disciplina scholastica, plurimum se fuisse meditatum, et imprimis id lecto diutius affixum, collectis viribus quas resuscitauerat noctis quies, feciſſe, non, negat quidem,

k) CARTES. loc. cit. p. 5.

dem, aſt addit ſimul, parum ſibi omnem quam hactenus corraſerat, doctrinam ſatis quod eſt, feciſſe, quamuis praeceptorum fidem et induſtriam gratus agnoſceret [l].

§. IV. Abſoluto, aeſtate anni cIↃ IↃc XII, ſcholaſticae diſciplinae curriculo, collegio Flexienſi, in quo ſupra octennium haeſerat, valedixit, et ad parentem rediit. Quamuis autem inuidendis elogiis praeceptores eius profectus, quos in diſciplinis ſibi acquiſiuerat, commendaſſent, ipſe tamen ſibi totus diſplicuit. Omnem enim ſtudiorum ſuorum vtilitatem hanc modo eſſe credebat, quod intelligeret ampliſſime, ſe nihil certi ſolidique adhuc ſcire. Cuius ratio eſt, quod eas tantum viro erudito ſcientias quaerendas eſſe ſtatuebat, quae ad perſpicuam vtilemque humanae ſocietati cognitionem perducunt. Itaque literarum ſtudia prorſus relinquere ſtatuit, capto conſilio, nullam in poſterum inueſtigandi ſcientiam, niſi quam vel in ſe ipſo, vel in vaſto mundi volumine poſſet reperire. Quod conſilium obfirmato animo exſecutus libris quoque valedixit, eo quod viam illam, quam quaerebat, vt animo faceret ſatis, inuenire ſe in illis poſſe deſperaret. Quod non factum eſſe ex contemtu literarum librorumque ait BAILLETVS [m], ſed eo tantum nomine, quod nihil ad eam ſcientiam conferre poſſe crederet, quam iam tum animo ſibi praefixerat: ideoque dixiſſe ad amicos, etiamſi pater ipſum ſtudiis non addixiſſet, nec diſciplinae curriculum vnquam abſoluere iuſſiſſet, ea tamen ſe in vernacula ſcripturum fuiſſe, quae Latino ſermone poſtea ediſſeruerit. Quo quidem pacto Bailletus frigidam ſuffundit glorianti Carteſio, nihil ſe debere libris, nihil aliis; aſt hoc ipſo plagii ſe ſuſpectum reddidiſſe ex infra dicendis clariſſime patebit. Abiectis vero ſtudiorum partibus, exercitationes corporis, arma, equosque tractando, ſimiliaque, quae nobilitas generis ei ſuadebat, ſecutus, hisque confirmatus a parente Lutetiam miſſus eſt, vt ex moribus hominum ingenium formaret, vitaeque rationes addiſceret. Aſt cum filii ingenium acutum et a prudentia non alienum pater noſſet, ducem ei non addidit, iuuenemque ſine gubernatore huic pelago commiſit, vix annos ſeptendecim natum. Sibi ergo relictus Carteſius ab intemperantiae quidem vitio, gloriae forte ſtimulo actus, animum arcuit, aſt ſodalitia tamen, conuiuia, ambulationes, ludos aliaque, quibus a ſeueriori diſciplina auocari ſolent iuuenum animi, ſectari coepit; quo, dubium non eſt, quin prioris induſtriae fructus omnis intercidiſſet, niſi occaſionem captaſſet, viris grauibus doctisque innoteſcendi, quorum conſuetudine tandem ex hoc ſomno iterum reſuſcitatus eſt. Inter quos fuit Claudius Mydorgius, vir illuſtris, qui poſt Vietam ſummus inter Gallos mathematicos habitus eſt, et tanta amicitiae fide Carteſio addictus poſtea vixit, vt non niſi morte dirimeretur. Et tum quoque Marino Merſenno iterum amico vſus eſt, cui in gymnaſio Flexienſi primo innotuerat. Qui cum

Vita iuuenilis Carteſii.

l) Ibid. m) cap. 7. pag. 19.

cum Minimorum ordini adscriptus esset, tempusque in excolendis philosophiae mysteriis consumeret, Cartesium sua conuersatione a ludendi intemperie, quae vehementer eum ceperat, retraxit, et ad philosophiam reuocauit. Repetito itaque tum philosophico tum mathematico itinere, pristinam mentem reuocauit Cartesius, et ad eam, quam dudum sibi praefixerat, metam noua contentione currere coepit. Cumque anno sequente Mersennus philosophiam apud Niuernenses docere iussus ipsi eriperetur, societati hominum se subtrahere, studiisque totum se immergere statuit, secessum autem in suburbio S. Germani in domo quadam a tumultu hominum remota quaerens, ad matheseos culturam ita diligentiam suam transtulit, vt sodalium conuersationem cautus euitaret, omnem prouidentiam adhibendo, ne detegeretur, et sic biennio lateret. Quamuis autem ab amicis tandem anno ɔIↃIↃcXVI fuisset deprehensus et ad pristinas voluptates retractus, nullo tamen modo earum vinculis irretiri eum passum est summum, quod philosophiae et mathesi statuebat, pretium studiumque.

Militia Cartesii.

§. V. Resumsit ergo Cartesius consilium illud, quod dudum conceperat, ex vasto mundi volumine discendi sapientiam, cumque frater natu maior patrias terras teneret, militiam eligere et castra sequi statuit. Ideo profectus ad Batauos, inter copias Mauritii voluntarius miles conscriptus est; non quod tropaea et magnam armorum gloriam quaereret, licet hoc vitae genus valde illi commendaret aetatis feruentis et decorum militarium appetentis conditio: sed quod ita commodissimam nanciscí se posse occasionem putaret, ea spectandi contemplandique, quae in magno vitae humanae theatro innumeris vicissitudinibus geruntur. Stipendium ideo accepit nullum, idque semel tantum sibi solutum seruauit, vt haberet militiae suae rite peractae testimonium. Non enim studiorum amorem abiecerat, nec instituto suo philosophiam artesque mathematicas sua industria emendandi renunciauerat, sed vbi posset, illud gnauiter vrgere pergebat. Itaque cum inter milites praesidiarios Bredae esset, occasione problematis alicuius geometrici, quod nonnemo publice affixerat, Isaaco Becmanno, scholae Dordracenae Lectori innotuit, et solutionem illius problematis cum eo communicauit [n]. Qui cum ipse quoque geometriae mysteriis delectaretur, cum eo amicitiam Cartesius iniit, luminibusque suis illius scientiam adauxit, qui tamen neglecto postea Cartesio, eius vitulo arare non erubuit [o]. Eo quoque in secessu tractatum *de Musica* conscripsit, sermone Latino, in quo facilitate scribendi gaudebat: quem maluisset scriniorum suorum carceribus premere, nec amicorum precibus sibi extorqueri passus est, eo quod non satis perfectum esse iudicabat: factum autem, vt, quod tradit Bailletus, nobis autem verisimile non videtur, aduersariorum eius male illi hoc pacto volentium, consilio et

n) BAILLET c. 9. p. 24. o) Lib. III. c. 6. p. 88.

et opera ederetur, isque fortuna satis ampla vteretur, aliquoties recusus, et in alias linguas quoque translatus. Non tamen mathematicae disciplinae totum se eo tempore tradidit, sed philosophiam quoque excolere perrexit, et varias de argumentis philosophicis dissertationes viginti annorum iuuenis conscripsit. In quibus eum iam tum rationibus probauisse ait BAILLETVS [p], esse bestias machinas et automata. Praeiuisse Cartesio in ea opinione et S. Augustinum, et Gomesium Pereiram, medicum Hispanum, dudum viris doctis obseruatum est [q]: hos autem Cartesium non legisse affirmat BAILLETVS [r], de qua re consulenda sunt, quae disserit P. BAYLE [s], qui recte obseruat, potuisse ex notione animae, quam sibi Cartesius conceperat, per se istum dogma fluere.

§. VI. Varias vitae humanae scenas intueri in exercitu Batauico cupiebat Cartesius, quem spes tamen fefellit, cum parum noui, et mutationes fere nullae eo loco suppeditarentur. Inuitabant autem eum in Germaniam magni motus, quos annus cIↃ IↃ c XIX portendebat. Nam et imperatoris solium vacabat et tumultus Bohemici, bellumque imminens innumeras de humanis rebus obseruationes pollicebatur. Dimissus igitur Francofurtum media aestate aduolauit, vt solenni imperatoris electioni et coronationi adesset [t]. Quibus persolutis voluntaria iterum militia nomen Bauaricis copiis addixit, vt hoc pacto in magno illo, quod ferale bellum aperiebat, theatro rerum humanarum vicissitudines notare posset. Hiemem Neoburgi ad Danubium transegit: quo loco cum conuersatione cum philosophis careret, solitudine ista ad quandam animi corporisque quietem perductus totum se meditationi permisit. Quanquam autem innouare omnia tunc quidem nondum audebat, subibat tamen animum eius cogitatio, non illis eruditis operibus, quae diuersis viris consummatae eruditionis debentur, eam inesse perfectionem, quae in illis deprehendatur, quae vnum tantummodo auctorem agnoscunt. Nempe tot diuersis auctorum variorum opinionibus inualescentibus, impossibile esse, vt qui diuersa sapiant, ad eundem omnes scopum collineent. Ex quo postea concludebat, deponenda esse auctoritatis, sectae et systematis praeiudicia, quibus fiat, vt connata ratiocinandi facultas misere corrumpatur. Quamuis autem omnia doctrinae aedificia, quae veteres construxerant, euertere erubesceret, licere tamen sibi credidit in animo suo omne systematis veteris praeiudicium conuellere, et in suo fundo nouum aedificare, ac in se illa tentare, quae cognitionem suam iuuare apta essent. Omnes itaque, quibus hactenus mentem occupatam tenuerat, opiniones semel eiecit, vt, vel nouas surrogare posset, vel veteres ex nouis fundamentis resuscitaret. Quod, licet haud exiguas difficultates ostenderet, ratus

Itinera Cartesii militaria.

p) c. II. p. 29.
q) BAYLE Nouvelles de la rep. des lettres 1684. Mars p. 22.
r) loc. cit.
s) Dict. T. III. art. Pereira, not. D. p. 652.
t) BAILLET L. II. c. 1. p. 32. seqq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ratus tamen facilius fieri, si sibi nonnulla emendaret, quam si publicam reformationem suscepisset, sibi hoc pacto soli sapere constituit. Rem ergo aggressus eiicere vetera praeiudicia ex animo moliri coepit u). Quem laborem quum facillimum fore sibi persuasisset, difficillimum inuenit, quamuis diu iam in has partes propendisset: magna enim lucta se ipsum quasi superare ab isto consilio coactus est. Et cum hunc in modum se ipsum quasi exuisset, et nudus modo veritatis amor supereresset, misere tamen curis distractus est, quibus potissimum mediis ad scopum hunc esset perueniendum. Quae tandem ita cerebrum exhauserunt, vt cum animi ad alia diuertentis recreatio haud adesset, tandem enthusiasmum aliquem pateretur, quo ita affecta mens fuit, vt tandem diuina sibi contingere somnia viderentur; quibus regiam illam, quam quaerebat viam, ad scientiam veram solidamque sibi patefactam esse tum persuadebat. Cum tamen ad se rediisset, nec quid sibi statuendum esset, sciret, ad Deum recurrit, et, vt sine aenigmate, suam ipsi voluntatem designaret, rogauit, concepto quoque ad Deiparam voto, peregrinationis, ad Lauretanam domunculam sucipiendae, si interceſſione sua ipsius conamina adiuuasset. Cuius voti complementum post annos demum aliquot diua Virgo accepit a Cartesio. Sed et alia erant, quae mire eius animum veritatis inueniendae auidum discruciabant. Nempe cum per integram hyemem colloquiis virorum doctorum atque prudentium careret, quoscunque de rebus literariis, superficiaria opera differentes audire poterat, admisit. Inter quos cum nonnulli essent, qui de recens detecto fratrum roseae crucis sodalitio multa narrarent, idque magnis elogiorum cumulis ornarent, iactantes in arcana veritatis via eos supra humani ingenii modulum fuisse progressos, abiectaque antiqua philosophorum via, nouam eos scientiam veramque philosophiam, hactenus latentem detexisse, dicere autem satis non possent, quantis animorum motibus res ista in Germania agitaretur, ad intelligendam ex vero rem omnem vehementer animo accensus est, vt vel ab impostura homines liberaret, vel si noui quicquam isti sodales attulissent, in inquirendae veritatis studio ab iis adiuuaretur. Aliquos ergo detegere, et vbicunque liceret, in illos inquirere constituit. Frustraneus tamen omnis ille Cartesii labor fuit, cum ne vnum quidem offenderet, quem ex isto sodalitio reuera esse credere tuto liceret: et rem omnem acu tetigisset, pro fabula et figmento totam illam fraternitatis famam reputando, nisi tot pro illa conscripti libri apologetici aliud ipsi persuasissent. Hos vero omnes legebat, cum vt rei summam intelligeret, tum vt suis oculis de iactatis inuentionibus cognosceret: quo modo factum, vt, quam de his fratribus conceperat, opinio concideret; cum interim longiorem apud Germanos moram faciens ipse sodalitio huic inuisibili nomen dedisse ab amicis in Gallia crederetur. Nec dubium est, si ea repetantur, quae superiori huius tomi parte de hac fraternitate attulimus, quin

u) De Methodo p. 9.

quin agnouerit poſtea Carteſius, ſe mire deceptum fuiſſe, et haec cauſſa fuiſſe videtur, cur in patriam redux totam fabulam ignorare videri voluerit. Nam, ſi verum fatendum, in hoc ſeceſſu Bauarico eam animi prudentiam, et ab omni praeiudicio liberatam prouidentiam, quam prae ſe ſemper tulit, haud probauit Carteſius, videturque ad theoſophorum auxilia tum confugiſſe, cum de aliis deſperauiſſet; hi enim eiusmodi enthuſiaſmum commendare ſolent, vt ſuo loco dictum. Quod occaſionem praebuit HVETIO [x] et DANIELI [y], amare Carteſium in hiſce ineptientem ridendi. Ille vero, cum ſpe ſua excidiſſet, fore vt aliquem inueniret, qui ingrediendam ipſi viam demonſtraret, in priorem animi labyrinthum relapſus eſt. Reliquum hyemis igitur in exuendis educationis et adoleſcentiae praeiudiciis conſumſit, animum tamen ſpemque perueniendi tandem ad metam non depoſuit. Solutis hibernis cum in Sueuiam mouerentur copiae Bauaricae, Carteſius ex ſolitudine ereptus Vlmam delatus eſt, quo loco legati Gallici conuenerant, de rebus imperii diſceptaturi. Ibi quoscunque viros eruditos eſſe audiebat, et imprimis philoſophiae atque artium mathematicarum peritos, adiit, eorumque conuerſatione delectatus haud vulgaribus ſpeciminibus, philoſophum ſub habitu militis latere, demonſtrauit. Vixit eo tempore Vlmae magna doctrinae mathematicae fama inſignis Ioannes Faulhaberus, vir, teſte LEIBNIZIO [z] in numerorum doctrina imprimis verſatus. Cum eo igitur congredi ſaepius, et de rationibus arithmeticis atque geometricis conferre multoties coepit, nonnullaque noua detexit. Circa auctumni initia, cum legatos Galliae Viennam ſequi conſtituiſſet, cum copiis Bauaricis in Bohemiam mouentibus illuc ſe tranſtulit, et praelio prope Pragam, quod victoriam imperatoris et confoederatorum exercitui decreuit, interfuit, interque triumphantes vrbem ingreſſus eſt. Tum in hyberna cum reliquis copiis traductus, priſtinam curam recoxit, incertus, quae potiſſimum via eſſet eligenda, et cui ſe vitae generi deberet deſtinare. Quamquam autem inimicos eſſe Muſarum meditationibus armorum ſtrepitus experientia edoctus nouerat, curioſitas tamen animi ſtudiumque videndi terras alio ſub ſole calentes ei perſuaſit, vt relictis Bauaricis ad caeſareanas copias ſe conferret, quae ex Bohemia in Hungariam traducebantur. Ibi obſidioni Poſonienſi, Tirnauienſi, aliarumque vrbium interfuit, et ſi biographo fides eſt, militis partes rite expleuit. Cum autem poſt obſidionem Neoſelii fruſtra tentatam amiſſumque ducem, non ex voto ſuccedere omnia videret, propoſitum caſtra ſequendi dimiſit, exercitumque reliquit.

§. VII. Non tamen patriae reuiſendae deſiderio detentus eſt Carteſius, cum et bellici tumultus et peſtis Lutetiam vaſtans intutum iter minarentur, ſed priſtinum conſilium perluſtrandi orbis exſecuturus, ad perluſtran- *Itinerā Carteſii poſt relicta caſtra.*

x) Memoires pour le Carteſianiſme p. 62. ſeqq.
y) In Itinere Carteſii per mundum P. I. p. 14. ſq.
z) Loco ſupra cit. p. 113.

luſtrandas boreales regiones, quas nondum viderat, ſe accinxit: non alio tamen animo, quam quem hactenus ſeruauerat, vt ſcilicet, ex conuerſatione, ea diſceret, quae in libris non reperiebat, cum iam ſatis bellicam orbis faciem cognouiſſet. Reſpexit itaque ad res naturales, climata, ciuiles conſuetudines, mores et inclinationes, et, quod ipſe ſcribit [a], vrbes aulasque exterorum principum inuiſendo, cum hominibus diuerſorum morum et ordinis conuerſando, varia hinc inde experimenta colligendo, et ſe ipſum in diuerſis fortunae caſibus probando ſic ad omnia, quae in vita occurrebant, attendit, vt nihil, ex quo eruditior fieri poſſet, ſibi videretur deeſſe. Quippe multo plus veritatis inueniri arbitrabatur in iis rationibus, quibus ſinguli homines ad ſua negotia vtuntur, et quorum malo ſucceſſu paulo poſt puniri ſolent, quum non recte iudicarunt, quam in iis, quas doctor aliquis otioſus in muſeo ſedens excogitauit circa entia rationis, aut ſimilia, quae ad vſum vitae nihil iuuant, et ex quibus nihil aliud expectat, niſi forte, quod tanto plus inanis gloriae ſit habiturus, quo illae a veritate ſenſuque communi erunt remotiores, quia nempe tanto plus ingenii atque induſtriae ad eas veriſimiles reddendas debuerit impendere. Itaque cum ſcientiam verum a falſo dignoſcendi ſummo ſtudio quaereret, vt rectum iter vitae clarius videret, et maiori cum ſecuritate proſequeretur, ex Hungaria in Morauiam aſcendit, et per Sileſiam et Poloniae limites, Pomeraniam et maris Baltici litora, Marchiam Brandeburgicam, ducatumque Holſatiae in Friſiam orientalem traiecit, et tum occidentalem quoque adiit, periculum vitae vix euadens, cum remigum inſidias incurriſſet. Ex Friſia ad Batauos transfretauit, ac Belgium quoque Hiſpanicum inuiſit, et vbique perluſtratis vrbibus celebrioribus, domum tandem redire conſtituit. Licet autem haud parum laboris et moleſtiarum in eo itinere deuorauiſſet, nec exiguos feciſſet ſumtus, faſſus tamen eſt [b], *ſuo ſe fine fruſtratum atque ſpe egregie falſum eſſe, ſeque vix quicquam certi didiciſſe, quamdiu ſic tantum aliorum hominum mores conſiderauiſſet: tot enim ſe in iis propemodum diuerſitates animaduertiſſe, quot antea in opinionibus philoſophorum: atque hunc tantum fere fructum ex iis percepiſſe, quod cum notaret multa eſſe, quae licet moribus noſtris plane inſolentia et ridicula videantur, communi tamen aſſenſu apud quasdam gentes comprobentur, didiciſſe ſe quoque, nihil nimis obſtinate eſſe credendum, quod ſolum exemplum vel conſuetudo perſuaſerit; et ita ſenſim multis ſe erroribus liberauiſſe, mentemque veris rationibus aptiorem reddidiſſe.*

Reditus Carteſii in patriam.

§. VIII. Reuerſus eſt in patriam Carteſius anno cIↃ IↃ c XXII, parentemque ſaluum medio menſe Martio apud Redones inuenit [c]. Tum facultatum a matre relictarum portionem ſibi debitam ab eo accepit, et ad Pictones abiit, vt eas occuparet, venditurus eas, et munus aliquod ſibi comparaturus. Sed obſtabant fata, quae hoc pacto de vitae genere illi proſpicere pertinaciter recuſabant. Repetitis paternis laribus, cum nimis otioſus

a) De Methodo p. 5. b) loc. cit. c) Baillet, L. II. c. 5. p. 50. ſeqq.

otiosus sibi videretur, anni sequentis vere Lutetiam profectus est, quae tum vrbs ob magnas Germaniae mutationes tumultu et colloquiis de rerum futurarum serie replebatur. Totus autem obstupuit Cartesius cum audiret, famam publicam ferri, ipsum albo fraternitatis roseae crucis nomen adscripsisse; rumor enim eodem tempore per vrbem exierat, caput sodalitii horum philosophorum inuisibilium (ita enim Parisienses eos vocabant, quod nemo eos posset detegere) legatos triginta sex per omnem Europam dispersos emisisse, horumque sex Lutetiam venisse; hos ergo Cartesium detexisse, his se tradidisse sermo publicus tradebat. Id quod male habuit Cartesium, qui iam meliora edoctus probe sciebat, fabulam hanc nihil veri sincerique alere. Vt vero ineptam opinionem ex animis hominum euelleret, frequentiae hominum interesse studuit, vt se inuisibilem philosophum non esse omnes intelligerent. Quo pacto aegritudini Mersenni quoque medelam attulit, qui, cum istam de Cartesio famam percepisset, moleste tulerat, amicum suum fanatico hominum gregi, quem reuera existere ex Fluddi apologia suspicabatur, nomen imprudenter dedisse. Hinc amari illi ioci enati sunt HVETIO [d], qui non Cartesium modo, sed Mersennum quoque falso traducit, quod his ineptiis fidem aliquando dederint. Quanquam autem in tanta hominum, quos Lutetia alit, frequentia crebriores occupationes Cartesio enascebantur, vbi tamen ad se ipsum et otia sua rediit, pristina cura de vitae genere eligendo iterum distractus est; totus enim ardebat desiderio ea perficiendi, quorum causa tot molestias subiisset. Diu vero iam in ea versatus erat opinione, artes mathematicas, per se cultas, et ad alias disciplinas vsusque non traductas, exiguum vsum praestare. Quo animo arithmeticae primo, et paulo post geometriae quoque studium velut inutile abiecit, ratus ineptum esse numeris et imaginibus cerebrum replere, quibus imaginatio pasci melius, quam intellectus, possit. Id quod mirum videri queat, cum ipsum fatentem supra audiuerimus, quanquam vsum matheseos nondum agnouisset, mire tamen eum cepisse certitudinem eius et euidentiam, solidae doctrinae matrem. Sed, vt recte intelligatur, ad Cartesii scopum attendendum est, qui scientiam aliquam generalem inuestigabat, qua vniuersalia rerum omnium principia traderentur. Cum vero vulgarem algebram et geometriam nihil tale praestare videret, et in numeris atque figuris solum exiguo veritatis vsu versari intelligeret, mathesin quandam vniuersalem venabatur, quae vera, generalia et infallibilia relationum, mensurarum, et proportionum principia ab omni materia abstrahendo traderet. Ex hac enim scientia vniuersali, sperabat, traductum iri ad reliquas disciplinas, quicquid certitudinem et veritatem illis potest largiri. Et vidisse aliquid huius rei Cartesium omnino probabile est, teste enim, qui schedas eius msc. inspexit G. G. LEIBNIZIO [e] notauit in iis, anno cIↃIↃcxx, die XI. Nou. se coepisse intelligere fundamentum inuenti mirabilis. Aft, quid illud fit, ipse

d) loc. cit. p. 70. e) loc. cit.

ipse nusquam exposuit, nec hanc methodum vniuersalem publicauit, sed tantum de ea scribere eiusque specimina dare voluit. Vnde recte infert vir illustris, qui, quod Cartesius meditatus erat, feliciori ingenio detexit et perfecit, falli eos valde, qui his, quae edidit, nimis contenti sint, methodumque eius se habere arbitrentur. Nec plus eo tempore naturali philosophiae, quam reliquis partibus, fauebat, commotus incertitudine obseruationum, quas fundamento tutiori inaedificatas exoptabat. Vnde ad bene viuendi scientiam omnem suam curam conuertendam esse statuit, et morali doctrinae animum addixit, breui tamen conuictus est [f], naturalem philosophiam morali vtilem praestare operam, ipsamque artem discernendi verum a falso ad dirigendas actiones suas omnino prodesse. Rediit itaque, reuocatus ad philosophiae studium, ad pristinam consuetudinem, res naturae attente considerandi, persuasus ea cogitatione, medium tutissimum videndi esse notitiam accuratam, quid simus nos ipsi, quid mundus, in quo viuimus, quis creator vniuersi, in quo habitamus? Nec frustraneam hanc suam diligentiam fuisse testatus est, fassus, lumina illa physica, quae nactus sit, plurimum sibi profuisse ad iacienda fundamenta moralis doctrinae certa et solida, facemque praetulisse illi certitudini, quam in aliis partibus, quae ad corporis sanitatem pertinent, frustra quaerimus. Quibus verbis ad eam doctrinae moralis partem respicere videtur, quam de passionibus, (ita enim affectus vocat, Graecos secutus) inscripsit, quamque physice magis quam ethice explicuisse, infra monebimus. Interim cum amicorum interpellationibus saepe Lutetiae in philosophando impediretur, anni cIↃ IↃ c xx III, vere in Britanniam minorem abiit, et tum ad Pictones, vbi bona a matre haereditario iure ad se translata, consentiente parente, magnam partem vendidit, nomen tamen dynastae Perronii retinuit.

Iter literarium Cartesii.

§. IX. Ita facultatibus consarcinatis, cum argentum elocare apud Parisienses tuto haud posset, iter literarium suscipere statuit, Italiamque inuisere se velle parenti significauit, eo quod sciendi et viuendi copiam largiorem ex eo se referre posse sperabat [g]. Et Heluetiam quidem primo adiit, quo eum non tam philosophorum et mathematicorum colloquia trahebant, quam animalium, aquarum, montium, mineralium, aliorumque huius generis, quae ferax terra naturae curiosis abunde suppeditat, consideratio: ipsorum virorum doctorum conuersationem ita quaesiuit, vt ad actiones eorum non minus, quam ad sermones, esset attentus. Ab Heluetiis ad Rhaetos et ab his ad Tirolenses simili consilio progressus est, et tum Venetias adiit, Laureti autem vota dudum in Germania concepta B. Virgini soluit. Inde Vrbem vidit, curiamque pontificis iubilaeam solennitatem anno cIↃ IↃ c xxv indicentis: qua occasione non memorabilia magis antiquitatis monumenta, bibliothecas, statuas, picturas, et quae alia artis opera illustris Roma ostentat peregrinis, considerare, quam in tanta, quae illuc confluebat, hominum frequentia, humani generis mores et chara-

f) De Methodo l. c.

g) Baillet Lib. II. c. 8. p. 61. seq.

characteres discere studuit. Quos cum ex totius fere Europae nationibus ibi inuenisset, fructum satis amplum itineris sui se nactum esse ratus, reditum in patriam meditatus est. Quem cum in comitatu Iosephi Barberini cardinalis legati ad Galliarum regem, suscipere breuiori per mare via potuisset, maluit terra proficisci, vt nobiles Italiae vrbes inuisere posset. Tum Florentiam adiit, qua in vrbe eum celeberrimum astronomum Galilaeum Galilaei conuenisse, et de rebus naturalibus et sideralibus sermones cum eo miscuisse plerique tradunt, negat autem BAILLETVS [h], quem more suo sequitur NICERONIVS [i], eo quod ipse Cartesius testatus sit, nunquam se hunc mathematicum vidisse, nec vllam cum eo consuetudinem habuisse. Quod vtrum vnius Cartesii testimonio satis tuto negari queat, omnemque verisimilitudinem migret, philosophum naturalis philosophiae et cognoscendorum hominum ita auidum, Florentia non transiisse insalutato Galilaeo, cuius maxima tunc inter mathematicos fama erat, eos expendere iubemus, qui verum esse norunt, quod a tot viris doctis notatum est [k], et ipsae quoque eius epistolae produnt, fuisse Cartesium immodicum contemtorem aliorum, et famae cupiditate ab artificiis non abstinentem, quae parum generosa videri possint. Florentia Taurinum aduolauit, vt exercitus Gallici Sabaudico iuncti fortitudinis testis esset, Alpiumque altitudinem examinaret. Tandem Lugduno Lutetiam reuersus, sedem ibi fixit, et philosophicam vitam procul a luxu et superbia, decoram tamen agere instituit, praecipue cum absque munere, spe sua delusus, sibi viuere Musisque suis decreuisset, vt eo melius ingenti illi, quod conceperat consilio, inquirendae veritatis, secundum methodum semel praescriptam electamque, velificare posset. Et vixisse quoque moribus plane philosophicis narrat BAILLETVS [l]. Liber enim ab affectuum intemperie, et immoderata ludendi cupiditate, quae eum adolescentem corruperat, temporis meliorem rationem habebat, et licet nulli hactenus doctrinae certae se addixisset, opiniones tamen moderatas et ab extremis maxime remotas sequebatur in viuendo, nec sua placita prudentiorum decretis praeponebat. Libertatem porro supra omnia faciebat, eamque ob causam actionum indifferentiae valde fauebat, cum nihil semper esse bonum, quod aliquando bonum fuit, crederet. In vita autem ad verisimilitudinem respiciebat, vbi veram opinionem detegere non poterat, et vbi semel aliquid statuisset, illi ita inhaerebat, vt poenitentiae postea locus cum animi molestia haud esset, sed haec bona sibi esse persuadebat, quae hoc nomine ratio deprehendebat; et hoc pacto cum tranquille viueret, neminem habebat, qui studia et consilia eius interpellaret. Quam viuendi imaginem mere Scepticam esse, et iisdem prorsus rationibus a Pyrrhonis schola commendatam magnopere immo exemplis quoque expressam ex historia Scepticismi veteris suo loco tradita est certissimum: quamuis Scepticum tunc fuisse Car-

Mora Cartesii Parisiensis.

h) loc. cit. pag. 61.
i) loc. cit. pag. 284.
k) LEIBNIZ. l. c. p. 117.
l) p. 63.

Carteſium, niſi ad tempus, et vt certitudinem eo ſecurius venari poſſet, nemo facile ex hac obſeruatione collegerit. Triennium autem Lutetiae Carteſius haeſit, amicos in ea mora nactus viros praeſtantiſſimos, et imprimis mathematicarum artium peritiſſimos, quorum tamen nemo Merſenni et Mydorgii amicitiam ſuperabat. Et hoc quoque auctore poliendorum vitrorum opticorum artificium didicit, quod plurimum illi in dioptricis perficiendis vſum poſtea praeſtitit. Quanquam autem in ſuburbio S. Germani ſedem ſibi fixerat et domicilium elegerat, vt ab inuiſentium frequentia eſſet ſecurior, amicos tamen aſſiduos penes ſe habuit: cumque paucos tamen eſſe videret, queis manifeſtare ἐυρῆματα ſua et abſtractas notiones poſſet, ſeceſſum iterum meditatus eſt, cum pauciſſimis amicis victurus: quod facilius ſtatuebat, quam licebat exequi, cum valde in publicum exiiſſet fama Carteſii, et accurrerent viri docti certatim, preces quoque bibliopolae iungerent, vt lumina ſua ſcripto conſignata cum orbe philoſophico et mathematico communicaret. Ita famae celeberrimae onere grauatus, omnibus ſe ſubduxit, et plerisque ignotus in extrema vrbis parte vixit, totus meditationi philoſophicae immerſus, donec tandem famuli indicio ab amicis detegeretur.

Molimina Carteſii philoſophica Lutetiae.

§. X. Ita vero tranquillitatis et ſilentii philoſophici dulcedine orbatus Carteſius, et prioribus tumultibus impeditus, ferre libertatem otii ſui amiſſam non potuit. Quam vt repararet, relinquendam Pariſiorum vrbem ad tempus anno cIↃ IↃ c x x v i i i ſtatuit, et ad obſidionem Rupellarum accurrit, voluntariam ibi militiam ideo profeſſus, vt rem omnem, quae in celebri illa oppugnatione vrbis, occurrebat, eo certius cognoſceret. Lutetiam reuerſus in conuentu eruditorum, nouum quendam philoſophum [m] praeſentibus viris ſummis in philoſophiam ſcholaſticam declamantem, nouamque exponentem audiuit, et cum ſolus plaudere recuſaret, ſententiam de ea dixit, ac quod loco veritatis certae veriſimiles tantum coniecturas attuliſſet, demonſtrauit, exemplo ſuo comprobans, poſſe hominem ingenio non deſtitutum facile rationibus probabilibus in vtramque partem diſſerere, nec aliam viam eſſe diſcernendi falſum a vero, praeter methodum illam naturalem, quam ſequendam ſibi in philoſophando delegiſſet. Qua in re facile in ſententiam Carteſii pedibus imus, miramur autem acutiſſimum virum haec ſtatuentem in delineando integro naturalis philoſophiae ſyſtemate, meras poſſibilitates, vel veriſimilitudines, ipſo non diffitente, fuiſſe ſecutum, vt infra dicetur. Adeo vero cepit cardinalem Berullium, qui tunc aderat, ingenii Carteſii elegantia, vt eius rei explicationem paulo luculentiorem ſibi expoſceret; cui obſecutus Carteſius methodi ſuae vtilitatem non in philoſophia ſolummodo, ſed in medicina quoque et mechanica, clariſſimis exemplis oſtendit. Ab eo tempore, magnum in ſummo illo viro nactus eſt Moecenatem Carteſius; eius enim auctoritate factum,

m) De Chandoux.

ctum, vt ad designandam scriptis philosophiam suam animum adiiceret, et hoc quoque celeberrimae congregationis oratorii conditore, fauente accidit, vt plurimum nouae huic philosophiae fauerent, eamque amplificare, quantum possent, conarentur, congregationis istius presbyteri [n].

§. XI. Nouam itaque philosophiam condere cum statuisset Cartesius [o], fluctuanti, quae hactenus eum retardauerat, incertitudini ereptus, modum, quo id fieri commodissime posset, explorauit: obstare autem videbantur, et calidioris climatis ratio, et hominum frequentia, quae euitari Lutetiae non poterant. Aliam igitur regionem temperatam magis et secessui philosophico aptiorem, vbi ignotus lateret, sibi eligendam ratus, Hollandiam selegit, resque domesticas amico curandas, Mersenno literarum commercium, commendauit. Transacto autem ruri hyeme, anno cIↃ IↃ cxxix, ad Batauos ineunte vere concessit inuitis amicis, quorum tamen monitis opponebat animum in sententia sua firmum, cum et Galliae calorem suo temperamento obesse, et Batauas terras miram in otio philosophari cupientibus tranquillitatem offerre esset persuasus, et ibi philosophorum more viuere statuisset. Nempe nusquam sedem stabilem figebat, euitataque vrbium maiorum turba, vel suburbia quaerebat, vel vicos et villas, quas sibi commodas esse deprehendebat, tanta cura locum habitationis suae occultans, vt epistolas fasciculosque non sibi, sed amicis paucis, quibus secessus eius innotuerat, tradi iuberet. In Gallia autem vni Mersenno locum, vbi commorabatur significauit, cui tam cara fuit amici voluntas, vt nemo, quo loco Cartesius versaretur, intelligeret, quique apud Batauos peregrinabantur Galli eo insalutato multoties redirent. Concessit autem Amstelodamo Franequeram, et in arce quadam vrbi contigua domicilium elegit, vbi sacra more Romano peragebantur. Soli autem diuinae gloriae philosophiam suam tum solenni voto dedicans, meditationum initium facere de existentia Dei et immortalitate animae humanae statuebat: cum et maxime proprium, et omnium pulcherrimum id argumentum haberet. Vnius tamen luminis naturalis limitibus se concludens, ea omnia sepositi, quae ex sacris reuelationis fontibus desumere solent theologi. Occupabat itaque nobile et acutum Cartesii ingenium theologia naturalis, vel, quo nomine appellabat, metaphysica, horas autem subcisiuas experimentis physicis et conaminibus dioptricis tribuebat, quae valde iam apud Gallos excoluerat. Semestri exacto ad Amstelodamenses rediit, et argumentum quoque philosophicum de parhelio a Mersenno transmissum, quod iam in Frisia expendere coeperat, prosecutus est, ex qua meditatione tandem tractatio *de Meteoris* enata est. Ab eo enim tempore magna attentione et industria ad meteora attendit, collectisque obseruationibus necessariis lumen tandem eleganti argumento accendit. Quoniam

Secessus Cartesii in Hollandiam.

n) Conf. quae superiori Parte huius Tomi in Vita P. Baylii ea de re dicta sunt.
o) Baillet. Lib. III. c. 1. seqq. pag. 81. seqq.

Quoniam vero suam philosophiam vtilem esse volebat humano generi, medicinae et imprimis anatomiae et chemiae operam haud leuem impendit, ratus nihil magis humanae societati prodesse, quam iunctam disciplinis mathematicis artem salutarem. Totam ergo hyemem in secandis contemplandisque animalibus consumsit, et ignis beneficio ea detexit, quae frustra in libris quaesiuerat. Ita in otio philosophico tranquille tum viuebat Cartesius, paulo turbata tantum quiete a Beckmanno, qui Cartesii inuentiones atque scripta ingratus sibi vindicauerat. Quam tamen molestiam pensauit Mersennus, qui Amstelodami Cartesium inuisit. Constantinopolitanum iter vero, quod ei tunc offerebatur a legato Galliarum regis, reiecit, animique modo recreandi caussa Londinum excurrit, et declinationem magnetis in insula explorauit. Primum autem tunc placitorum suorum sectatorem nactus est, Henricum Renerium, virum doctum, et celeberrimis eius aetatis philosophis, maxime Gassendo, amicitia quoque iunctum [p]. Quem cum animo valde complecteretur Cartesius, isque in Gymnasium Dauentrienſe vocatus esset ad docendam philosophiam, illuc quoque concedere Cartesius circa veris initia anno CIↃ IↃ C XXXIII statuit. Ibi interruptam telam resumens, dioptricam tractatumque de mundo absoluere sategit. Neque in terra sola suis meditationibus commoratus, ad coelestes orbes transcendit, et siderali quoque scientiae industriam addixit suam. Absoluit autem ea aestate physiologiam suam, siue meditationes *de Mundo*. Quas ita concepisse ait BAILLETVS [q], vt relicto mundo praesenti philosophorum disputationibus, nouum sibi mundum a Deo creandum supponeret, producta in spatiis imaginariis tanta materiae mole, quae ad construendum formandumque mundum sufficeret. Huic massae confusae et inordinatae ex sua sententia leges naturales impressisse conditorem fingebat, quibus concurrentibus historiam enascentis mundi, velut praesentis enarrabat. Quam cum infra quoad summam rei ipsis Cartesii verbis depicturi simus, hoc loco nihil addimus, Lectori autem in memoriam reuocamus, quod supra iam obseruauimus, eandem censuram mereri Cartesium, quam in alios verisimilibus tantum rationibus systema philosophicum condentes tulerat, qui, non negante id biographo, solas sibi nascentis mundi origines imaginarias finxit, vna possibilitate, si Diis placet, commendabilem. Haud indiligenter in hoc lapide voluendo hactenus versatus erat Cartesius, et foetum hunc, quem mire diligebat, lambendo, ita perfecerat, vt mitti ad Mersennum, edique Parisiis posset. Ast retardauit eius cursum et editionem moratus est metus, qui Cartesium incesserat, cum audiisset, quam male multata esset apud Florentinos celeberrimi Galilaei industria. Cum enim indignis inquisitionis persecutionibus ad canendam palinodiam coactus esset

p) Natus est Hui ad Mosam 1593, iactisque studiorum fundamentis apud Louanienses, Leodienses, Leidenses, Traiecti ad Rhenum magistri iura accepit. Philosophiam docuit Dauentriae primum, tum Traiecti denatus 1639. defunctum ob Cartesianam philosophiam illustratam laudauit hist. professor Aemilius. Vid. BAYLE Dict. Tom. I. art. Emilius p. 358. q) c. 10. p. 94.

esset vir celeberrimus, et scientiae praemium carcerem retulisset, similem philosophiae suae, tantopere a communibus receptisque scholarum opinionibus deflectentis euentum vaticinatus, aestuare curis coepit, quas partes eligere debeat. Obstabat enim reuerentia et obsequium, quam sedi apostolicae debebat; quo minus opinionem ab ea heterodoxiae stigmate notatam et reiectam reciperet; ast terrae motum circa axem solis tantis verisimilitudinis rationibus radiare videbat, et, quae illi facilitas inesset explicandorum φαινομένων coelestium intelligebat, vt non posset non magnam partem systematis sui physiologici isti hypothesi inaedificare. Itaque cum saluis ceteris tollere eam et abiicere non posset, nollet autem pessimae voluntati Romanorum inquisitorum, (verba damus BAILLETI r) se nudum exponere, eam hypothesin commendando, quam non intellectam illi condemnauerant, verba illis dare et obtinere os contendit, licet id neget biographus. Quod qua ratione fecerit, infra, vbi de ista hypothesi agendum, commode magis explicabimus: hoc loco id modo monemus, voluisse videri Cartesium, ac si terrae motum negaret: quod an dignum factum sit philosopho in ea regione viuenti, vbi bruta fulmina ex colle Tarpeio non feriunt, et degebat ipse extra periculum, Lectori expendendum relinquimus. Sed vt ad Cartesii vitam redeamus, cum longius a locis illis esset remotus, quibus commercium literarium cum amicis in Gallia fouebat, anno sequente Amstelodamum rediit; et paulo post amicum s) excellentissimis mechanicae operibus illustrem in Daniam comitatus est, iisque axiomatibus atque regulis instruxit, quibus in chemiae, opticae, mechanicaeque artis vsu machinis demonstrando praeclarissimum nomen est adeptus. Circa idem vero tempus, dum Cartesius Dauentriam relinquit, scholam hanc Renerius, nouus philosophiae professor Cartesianam facere, tanta prouidentia conatus est, vt nihil inde mali, tumultusque nulli haec Cartesianismi propagati initia sequerentur. Ex quo loco Bailleti clarum est, studium condendae sectae Cartesium potissimum occupauisse, id quod in sequentibus pluribus declarabimus. Displicuit autem Cartesio, solitudinem valde amanti, frequentia Amstelodamensis; rediebat ergo in Frisiam, et Leouardiam concedebat, vt quae de mechanica in amici, qui Arausionensi principi seruiebat, gratiam meditatus erat, in ordinem redigeret: et his demum perfectis, vt erat mutationis amans, iterum se Amstelodamum conuertit.

§. XII. Non passurum se, apud animum suum constituerat Cartesius, vt ipso viuo scripta sua in vulgus exirent, si vera sunt, quae ex Cartesio tradit BAILLETVS t): fatemur autem, nec sectae condendae studium, quod tam anxie quaesiuisse Cartesium infra demonstrabimus, nec diligentiam, quam in elaborandis cum cura et amicorum manibus tradendis

Editor scriptorum suorum Cartesius.

r) c. 12. p. 96.
s) Villebressieux.
t) Lib. IV. cap. 1. 2. pag. 99. Ipse hoc affirmat CARTESIVS in Epist. ad Dinetum T. I. Opp. phil. p. m. 293. seq.

dis operibus suis adhibuit, satis cum isto proposito concordare, et verisimile nobis esse, ideo tantum ea in parte difficilem se praebuisse amicis Cartesium, vt tanto ardentius ea sectatores expeterent, reciperentque auidius. Quicquid autem illius rei est, illud certum, amicos extorsisse Cartesio nouae philosophiae scripto consignatae euulgationem. Itaque vt eorum voluntati obsecundaret, ea quae in chartas coniecerat sibique hactenus seruauerat, collegit, digessit, ordine distribuit, et quatuor tractatibus comprehensa, atque priuilegio regio munita, Lugduni Batauorum edidit, praefixo titulo v): *Dissertationes de Methodo rationis recte dirigendae, et inquirendae in scientiis veritatis: porro, dioptrica, meteora et geometria, velut specimina illius methodi.* Quamquam autem omnem, quam inuenisse sibi visus est, methodum suam exponere in illo libro sibi non proposuerat, contentus rationes ostendisse, cur in dioptrica et meteoris aliam prorsus viam a communi semita delegisset; in dissertatione tamen de methodo ea adduxit, quae ad emendandas scientias philosophicas et mathematicas illum compulerant, et regulas quasdam, quas sequendas esse in inquirenda veritate sibi praefixerat, exposuit, et qua ratione de Deo, de anima humana, de principiis naturalibus philosophari coeperit, enarrauit. Quod non eo se fecisse, ait, animo, vt aliis viam panderet, sed vt iter, quo ipse incessisset haud infeliciter, detegeret. Quae vt a scopo scriptoris merito aliena censentur, ita dicis gratia a Cartesio tantum allata esse, prudens quilibet facile intelligit. Et in tribus prioribus quidem acutum et sublimem se, ast lucidum et perspicuum exhibuit Cartesius, quae autem de geometria scripserat, eruditis tantum lectoribus diuque in huius artis praeceptis exercitatis se designauisse monuit, adeoque altiora tetigit, quam quae discipuli capere possent. His autem omnibus nomen non praefixit, tentaturus, quam fortunam habitura sint, si auctoris nomen inuidiam et contradicendi libidinem non acuisset. Quae etsi laeta satis fuit, libro isto cum plausu excepto, aduersarium tamen nactus est Aegidium Personnam Roberualium, matheseos professorem regium apud Parisienses, et academiae scientiarum adscriptum, virum doctum et haut incelebrem x), sed acerbioris in eos animi, quos sibi aduersarios delegerat. Hunc, si vera narrat BAILLETVS y), in distribuendo illo libro inter eruditos omiserat Mersennus, nec exemplar tradiderat. Quo siue contemtu siue negligentia exacerbatus Roberualius geometriam Cartesii reprehendere coepit, et publicis tandem scriptis refellere, ex qua contentione tandem controuersia enata est, parum philosophis digna, cum pugnantes magnis inter se animis irisque concurrerent. Valde molestum hoc fuit Cartesio tranquilla philosophiae otia sectanti: vt itaque animi taedium, quod inde

v) Discours de la methode, pour bien conduire sa raison et chercher la verité dans les sciences. Plus, la dioptrique les meteores, et la geometrie, qui sont des essais de cette methode. a Leyde 1636. 4.

x) Natus est apud Suessionenses 1602. denatus Parisiis 1675. mechanicae laude haud incelebris.

y) pag. 106.

inde conceperat, pelleret, oppugnationi vrbis Bredae interfuit, eaque capta in Flandriam iter fuscepit, praefectum Duaci, quo amico vtebatur, visurus, quo parario Francisco Siluio innotuit, cuius maxima tunc inter Belgii Hispanici theologos et philosophos erat existimatio [z], eumque inter amicos quoque suos numerauit.

§. XIII. Incertas hactenus sedes habuerat Cartesius; tandem vel ista vicissitudine lassatus, vel commoditate viuendi inuitatus stabilem sibi sedem Egmondi, qui iucundus vicus Hollandiae borealis est, et vbi religionis secundum ecclesiae Romanae placita exercitium viget, elegit. Ibi vulgatae methodi et communicatorum cum orbe philosophico et mathematico luminum suorum eum euentum habuit, quem nanciscí noua plerumque solent. Aduersarios enim contra nouam philosophiam suam in arenam prodeuntes vidit Libertum Fromondum, qui philosophiam prius Antuerpiae, et tum theologiam Louanii docuerat, et contra Lansbergium orbem terrae immobilem afferendo innotuerat; porro Cornelium Giselbertum Plempium, Amstelodamensem, qui a sacris Reformatorum ad Romanam ecclesiam transierat, et tum medicinam in academia Louanienſi docebat; denique Ioannem Ciermans ex Societate Iesu theologum, qui tum disciplinas mathematicas in eadem academia tradebat. Et Fromondus quidem loca nonnulla dissertationis *de Methodo* et *dioptricae*, maxime vero tractatus *de Meteoris* in dubium vocauerat; Plempius, contra ea obiectiones formarat, quae de motu cordis Cartesius adduxerat; Ciermansius praeter geometrica nonnulla explicationes quasdam meteorologicas improbauerat: omnes autem ea humanitate obiiciebant Cartesio dubia, vt quod animum eius morderet, non inueniret. Ita vero illis respondit, vt satisfeciſſe ipsi antagonistae fassi sint, eosque amicos in posterum habuerit. Sed et plures eius dioptrica tunc aduersarios nacta est; Fermatius enim, Curiae regiae apud Tolosanos senator, quem praeter poëseos Latinae, Gallicae, et Hispanicae, elegantiam commendabat maxima artium mathematicarum peritia, de refractione disceptationis ferram cum Cartesio reciprocabat, cuius contentionis historiam descripsit celeberrimus DE MAIRAN [a]. Is per Mersennum, quem commune ea aetate virorum doctorum vinculum fuisse, supra iam diximus, dubia sua cum Cartesio communicauit, socium nactus, Petitum, regium architectum operum militarium; quin et geometriam Cartesii postea est aggressus. Auxit hoc bellum mathematicum Stephanus Paschalis [b], ipse quoque matheseos

Secessus Cartesii Egmundianus.

z) VALERIVS ANDREAS Biblioth. Belg.

a) Vid. Iourn. des Sauans 1726. art. 1. Histoire de l'academie royale des sciences 1723.

b) Stephanum Paschalem, consiliarium status apud Galliarum regem, et Aluernorum supremum iudicem, commendauit partim rerum mathematicarum peritia, quam contra Cartesium Fermatii tr. de Maximis et minimis oppugnantem demonstrauit, partim memoria Blasii Paschalis filii. Illam pluribus ex Fermatii praefatione exponit BAILLETVS, in opere maiori vitae Cartesianae, add. BAYLE Dict. T. III. art. Pascal. p. 604. not. A. hunc et obseruationes atque cogitationes de religione aduersus Atheos, et famosae Epistolae Prouinciales, quas personato Montaltii nomine aduersus theologiam moralem Iesuitarum scripsit.

theſeos peritiſſimus, qui Roberualii partes tuendas amplexus erat, quem tamen ex hac pugna fata aduerſa mature retraxerunt. Aſt hi tamen omnes, excepto Roberualio, in concordiam cum Carteſio redierunt, de qua lite plura hoc loco dicere non licet, conſulendi autem ſunt, qui vel geometriae, vel opticae, vel matheſeos vniuerſae hiſtoriam deſcripſerunt. Acceſſerunt velitationes geometricae aliae, fuſe BAILLETO [c] enarratae, qui videndus. Valde contentiones iſtae moleſtae viſae ſunt Carteſio, tempus magis nouis inueniendis quam defendendis conſumere cupienti: vnde renunciare geometriae abſtractae conſtituit, hancque aliis gloriam reliquit [d]: inuenti autem mox alii ſunt, qui geometriam eius commentariis explicarent. Id quod praeter nobilem quendam Batauum, quem eleganter et Carteſii nomine non indigne introductionem in eius geometriam ſcripſiſſe Bailletus refert, fecit Florimondus de Beaune, dicaſterii aulici Bleſenſis ſenator [e], vir mathematicarum rerum, et machinarum quoque mathematicarum peritiſſimus, qui annotationibus doctiſſimis Carteſii geometriam illuſtrauit.

Incrementa adoleſcentis philoſophiae Carteſii inter Batauos.

§. XIV. Geometriae Carteſianae haec fata fuere; philoſophiae quoque incrementa eo tempore haud parum promota ſunt, eaque valde inter Batauos diſſeminata eſt. Cuius potiſſimum auctor fuit Henricus Regius, medicinae doctor, qui Carteſianam philoſophiam partim ex inſtitutione Renerii, partim ex ſcriptis ipſius Carteſii didicerat, et tantopere eius meditationibus philoſophiae fauebat, vt eas ſuas faceret, conſtructoque iuſto doctrinae philoſophicae aedificio Carteſianam ſapientiam diſcentibus vulgaret. Traductus enim Dauentria Traiectum ad Rhenum Renerius, valde Carteſii philoſophiam iam commendauerat, eiusque amorem, vti Regio, ita iuuenibus aliis inſtillauerat. Docebat tum priuatim philoſophiam

ſcripſit, et machina arithmetica, ac inuentiones Toricellianae fecere celeberrimum. Vitam eius delineauit ſoror PERRERIA, quam ſecutus eſt P. BAYLE l. c. Nobis in hiſtoria philoſophiae recentioris indictus praetereundus haud eſt, cum non ignobile inter philoſophos ſeculi XVI nomen ſit conſecutus. Admodum puer tam inſolito iudicandi acumine gaudebat, vt profundiſſima matheſeos problemata ſolueret, licet eam fere αὐτοδίδακτος didiciſſet, cum elementa tantum a patre prius hauſiſſet. Et profecto mira ſunt, quae de eius praecoci ingenio et doctrina afferunt P. BAYLE l. c. not. C. et HADR. BAILLET. Puer. praecoc. n. 77. p. 303. ſeqq. Specimen autem eius edidit ſedecim annorum adoleſcens in tractatu de Sectionibus conicis. Qui tam accurate tamque profunda meditatione ſcriptus viſus eſt Carteſio, vt credere nollet, a Blaſio ſolo eſſe profectum, ſed aut patris eum, aut alterius viri docti, vitulo arauiſſe ſuſpicabatur. vid. Epiſt. 38. Tom. II. quod iudicium vehementer diſplicuit viris doctis, ipſique DANIELI Itin. Carteſii per mundum P. III. p. 188. licet Ieſuitae, qui licet parum fauerit Paſchali ob lites Societati grauiſſimis arietibus intentatas; maximam tamen mentis acutiſſimae vim in eo candide contra Carteſium faſſus eſt, frigide philoſophum ſuum excuſante BAILLETO L. V. c. 6. p. 146. quem inuidia praecocis eruditionis fuiſſe tactum, vix poteſt diſſimulare biographus, conf. BAYLE not. D. Tranſiiſſe autem circa vitae finem in Carteſii caſtra auctor eſt BAILLETVS L. VII. c. 9. Quod eius fidei vel ideo relinquimus, quoniam conſtat, Paſchalem, perpetuis morbis excruciatum, circa iſtud tempus abiecto philoſophiae ſtudio, theologiam moralem et naturalem tantum excoluiſſe, vimque ingenii ingentem atheos et religionis Chriſtianae hoſtibus intentaſſe, vt ex eius meditationibus, licet imperfecte relictis conſtat, conf. FABRIC. Syllab. Script. de V. R. C. c. 30. p. 555. Plura de eo praeter laudatos dabunt DVPINIVS Bibl. ſcript. eccleſ. T. XVIII. p. 155. WEISMANNVS Hiſt. eccleſ. N. T. T. II. p. 456. alii.

c) L. IV. c. 7. ſeqq. p. 112. ſeqq.

d) c. 16. p. 127. ſeq.

e) Conf. BERNIER. Hiſtoire de Blois.

phiam artemque salutarem Regius apud Vltraiectenses; hacque occasione principia Cartesiana, praetextu ex physiologiae habitu et natura quaesito disseminabat, apud iuuenes artis medicae studium sequentes *f*. Quos cum hypothesis simplex, facilis et aperta, conclusionum ordo et concatenata series, perspicuitasque in explicandis naturae φαινομένοις mire cepisset, adeo sibi fauentes expertus est, vt omnes in id conspirarent, vt stabilem fortunae eius sedem in hac vrbe pararent. Cuius paulo post egregiam occasionem nacti sunt, vacante cathedra professoris medicinae, qui botanicam et theoreticam eius partem explicabat. Regius itaque, et philosophandi elegantia atque acumine valde apud omnes gratus, et ipsa physiologiae nouae atque inauditae iucunditate commendatus, a discipulis autem, quorum magna pars parentes habebat summo in ea vrbe loco positos vbicunque poterat enixe traditus, publicorum doctorum collegio, fauentibus et plaudentibus cunctis est adiectus. Qui cum Cartesianis luminibus hunc noui muneris splendorem tribueret, Cartesio gratias egit, precatusque eum est, vt iuuare conamina et perficere eruditione sua atque philosophandi peritia vellet. Non denegauit Cartesius Regio amicitiam suam, et non solum de rebus ad medicinam spectantibus, quas tum tractabat, sententiam illi suam aperuit, sed et, quibuscunque posset, modis eruditionem eius philosophicam auxit: factumque inde est, vt inter Cartesianos doctores primum tum locum occuparet, vt ex dicendis constabit. Defecit tamen postea in nonnullis a Cartesio, et sua lumina secutus, secundum propria principia statuere coepit, quod male habuit Cartesium, quod a veritate semel agnita ex parte defeciisset. Ast laudandum in Regio est, spiritum sectarium reprobante, et Cartesium in iis non sequente, quae perperam illi dicta videbantur, quod libertatem philosophandi, quam tantopere sibi vindicabat Cartesius, sibi quoque asseruerit, et sectam spirantem praeceptorem deseruerit, licet id valde displicuerit Bailleto, qui passim eum reprehendit. Ita vero caput extollente in cathedris philosophicis doctrina Cartesiana dici non potest, quantos ea fautores et sectatores in academia Vltraiectina reperierit, nam praeter viros quosdam illustres, ex magistratu vrbis, et medicos aliquos atque mathematicos, valde placita Cartesiana probabant professores eius scholae Antonius Aemilius et Cyprianus Regnerus. Sed et miraculum illud foeminarum eruditarum, Annam Mariam Schurmanniam inter sectatores Cartesianae philosophiae numerat BAILLETVS *ff*. Quod vtrum verum sit, dubium facit character virginis eruditissimae, theosophiam quandam affectantis, et imprimis ea euertunt, quae de colloquio inter Schurmanniam et Cartesium habito, narrat biographus Labadii apud GOD. ARNOLDVM *g*. Sed quaecun-

f) BAILLET. l. c. L. V. c. 1. p. 130. seqq.
ff) l. c. p. 134.
g) Supplem. hist. eccles. T. IV. p. 1263. seqq. Narrat eo loco auctor anonymus vitam quoque Schurmanniae, et innotuisse eam praeter alios viros doctos ait ex philosophis Gassendo et Mersenno; de Cartesii autem amicitia et philosophia eo tempore exculta non modo nihil habet, sed po-

mus

quaecunque Schurmanniae ſententia de Carteſiana philoſophia fuerit, illud certum, non Vltraiecti tantummodo, ſed Amſtelodami quoque, Leidae, atque Hagae Comitum aſſeclas Carteſium fuiſſe nactum, ex quo eius amicorum quoque valde auctus eſt numerus. Quem tamen minuit Reneri mors, anno cIↃ IↃ c xxxix viuis erepti, cuius fato philoſophia Carteſiana ad vnius Regii cathedram tranſiit. Quam tamen in oratione funebri magnifice extulit collega eius Aemilius, laudans Renerum, quod inſolita animi virtute auctoritatis praeiudicium eiecerit, et libertate humana ſibi vindicata in natura rerum exploranda tanto duce facem praeferente ſit progreſſus, et gratulatus eſt vniuerſitati vrbique, quod philoſophiam veram hactenus humano generi ignotam apud ſe perſonantem audiant. Tum orbatus praeceptore Regius, ad vnum Carteſium recurrebat, et vnus primusque omnium diſcipulorum eius excellebat, adeo vt et ſtipendium augeretur, et noua ei problematum phyſicorum explicatio ſimul demandaretur. Qui ſi moderationem atque prudentiam eruditioni ſuae parem poſſediſſet, dubium non eſt, quin tranquilla Carteſianae philoſophiae otia conſeruauiſſet. Aſt alia omnia euenerunt, et euanuerunt mature halcyonia, quibus Carteſius eiusque doctrina hactenus fuerat gauiſa.

Controuerſiae Vltraiectinae de Carteſianiſmo.

§. XV. Nempe valde eminebat tum inter theologos Vltraiectinae ſcholae Gisbertus Voëtius, quem controuerſiae Remonſtrantium ſynodusque Dordracena fecerant celeberrimum [b], quique primum quoque inter

tius ſequentia tradit: Carteſium, cum in Sueciam profecturus Schurmanniam inuiſiſſet, inueniſſe Bibliorum Hebraicorum codicem, in tabula poſitum, cumque ex virgine audiuiſſet, delectari ſe linguae ſanctae ſtudio, repoſuiſſe: mirari ſe, foeminam tam elegantis ingenii pretioſum tempus rebus tam exigui momenti perdere. Reſpondiſſe Schurmanniam: operae pretium facere eos, qui eam linguam addiſcant, cum verſionum tanta certitudo non ſit, vt non longe melius ſit recurrere ad *αὐτόγραφον*, eo quod interpretes haud raro fallantur. Id vero multo magis in ſacro codice euenire, quem nemo accurate interpretari queat, niſi eo ſpiritu illuſtratus, a quo ſacrae literae profectae ſint. Regeſſiſſe Carteſium: eadem ſe olim opinione detentum, linguae ſanctae operam dediſſe, at lecto primo capite Geneſeos, creationis hiſtoria, nihil ex ea clari atque perſpicui potuiſſe haurire. Se itaque Moſen, qui intelligi noluerit, et animum magis confuſione irretierit, reliquiſſe. Id adeo ſauciaſſe animum Schurmanniae, auctor addit, vt graui inuectiua philoſophi impietatem reprehenderet, caueretque, ne vllum ei cum Carteſio eſſet commercium. Laudaſſe quoque in ſchedula, in qua rem hanc notauerat, dominum, quod ab hominibus impiis et profanis ipſam retinuerit. Haec ſi vera ſunt, valde ſuſpecta eſt Bailleti narratio, qui haud raro ea ſolet omittere, quae heroi ſuo, quem extollendum ſibi ſumſit, parum honorifica eſſe credebat.

h) Celeberrimum Voëtii nomen eſt inter eos, qui Caluinum ſecuti aduerſas partes ore calamoque aggreſſi ſunt. Cum Mareſio quoque inimicitias aluit, de quibus eius controuerſiis, quasque in contentionibus Carteſianis atque Cocceianis partes defenderit, annales eccleſiaſtici ſuperioris ſeculi conſulendi ſunt, nec hoc loco enarrari poteſt: quae autem ad Carteſianiſmi hiſtoriam pertinent, cuius praecipuus aduerſarius extitit, in ſequentibus notabuntur. Hunc quem acerrimum antagoniſtam experiebatur Carteſius, ipſe velut peſſimum depinxit in Epiſtola ad Dinetum Ieſuitarum praepoſitum prouincialem per Galliam, T. I. Opp. phil. p. 298. ſcribit enim de eo: „Cluet „theologus, concionator, diſputator, magnam„que ſibi apud plebeios homines gratiam poten„tiamque conciliauit, ex eo quod, modo in Ro„manam religionem, modo in alias quascunque „a ſua diuerſas, modo in potentiores inuehendo „feruentem et indomitum pietatis zelum prae ſe „ferat, interdum etiam dicteriis ſcurrilibus ple„beculae aures demulceat: quodque multos quo„tidie libellos, ſed a nemine legendos emitten„do; varios auctores, ſed ſaepius contra ſe, quam „pro ſe facientes, ac forte ex indicibus tantum no„tos citando; et de quibuslibet ſcientiis, tanquam „ſi ea-

inter vrbis miniſtros locum obtinebat. Is cum bellicoſum elatioremque gereret animum, quam polemicorum ſcriptorum lectio haud parum nutriuerat, philoſophiam autem aliam non noſſet, quam quae ſcholaſtico more ſolebat tradi, quamuis eſſet Regii amicus, et ad augendam eius fortunam haud parum attuliſſet, vehementer tamen nouam philoſophiam, quam obſtare religioni bonisque moribus clamabat, reuera autem ſuae famae obeſſe ſibi perſuadebat, improbare coepit. Hactenus autem Reneri eum retinuerat auctoritas, aſt poſt eius mortem inuidenda, quibus Carteſianam ſapientiam commendauerat Aemilius elogia, zelo atque inuidia accenderunt eius animum. Cum vero quae philoſophice dicta erant, non intelligeret, ad ea reprehendenda conuerſus eſt, quae in diſſertatione de methodo de Dei exiſtentia philoſophatus erat Carteſius. Ea enim inurendae atheiſmi maculae occaſionem valde fauentem illi ſuppeditare videbantur. Edidit itaque diſſertationem academicam menſe Iunio anni cIↃ IↃ c XXXIX, de atheiſmo, in qua praetermiſſo Carteſii nomine, praecipuas eius, quas de Deo tradidit, meditationes impietatis ſuſpectas reddere conatus eſt. Vidit id Regius, at cum vti eius amicitia ſe poſſe crederet, vulnus Carteſianae philoſophiae inflictum diſſimulauit, et vt ingruentem tempeſtatem prudenter declinaret, Carteſiana de naturalibus decreta, problematice tantum iuuentuti proponere conſtituit, facta auditoribus poteſtate, vt poſtquam Scholaſticorum quoque placita atque rationes enarraſſet, eligerent, quicquid placeret probareturque ipſorum examini. Quam comparationem ab eo ita inſtitutam fuiſſe, vt potiores neceſſario vitae ſint Carteſii partes, nobis non monentibus quilibet intelligit. Et fortaſſe tranquillius haec facta eſſent, niſi intemperantior iuuenilis Regii animus, a moderatione Carteſii, multa arte quaeſita receſſiſſet i). Nempe cum in diſputatione quadam academica opponens rationibus Carteſianis pugnaret, et praeſes eius velitationis Franciſcus Senguerdus pro reſpondente nonnulla regereret, inſurgens Regius magna animi ve-

„ſi earum gnarus eſſet audaciſſime ſed imperi„tiſſime, loquendo, admodum doctus indoctis „videatur. Peritiores autem, qui ſciunt, quam „importunus in aliis prouocandis ſemper fuerit, „ac quam ſaepe, vbi fuit diſputandum, conuitia „pro rationibus attulerit, turpiterque victus diſceſ„ſerit, ſi ſint diuerſae ab eo religionis, palam ir„rident, et contemnunt, eumque iam publice „nonnulli ſic exceperunt, vt nihil noui deinceps „in eum ſcribi poſſe videatur, ſi vero cum illo in „religione conſentiunt, etſi quantum poſſunt, ex„cuſent, et tolerent, eum tamen in animo non „probant.“ Atrociora habet in Ep. ad Voëtium T. I. p. 317. ſeq. Similia ſectatores paſſim de Voëtio pronuntiant, inter quos acriter in eum inuehit MALLEBRANCHIVS de Inq. ver. L. IV. c. 6. Facile in hac delineatione manum aduerſarii agnoſcas, nec enim eruditio ei denegari poteſt, vt ex ſcriptis eius conſtat; aſt magnis iris animisque in omnes eum inſurrexiſſe, qui communem viam deſeruiſſe viſi ſunt, notius eſt, quam vt negari excuſarique queat, recteque notauit in Praef. ad MALLEBRANCHII librum laudatum LENFANTIVS. Nempe ambitione turgebat et ſpiritu perſecutorio, et neſcio quem dominatum in eccleſia ſpirabat, id quod haud obſcure in notiſſimo Politiae eccleſiaſticae opere prodidit, detegente hos eius conatus LVDOV. MOLINAEO, is enim LVDIOMEVS COLVINVS eſt, qui Papam Vltraiectinum, ſiue myſterium iniquitatis reductum a cl. Viro Gisb. Voëtio Lond. 1668. 4. edidit. Conf. CHR. THOMASIVS Hiſt. content. inter imperium et ſacerdotium app. c. 1. §. 47. ſeqq. p. 423. ſeqq. c. 2. p. 672. ſeq.

i) BAILLET. l. c. p. 144. ſeqq.

mi vehementia opponenti vindicare victoriam, moribus conflictuum literariorum contrariis annisus est. Id quod valde offendit professorum animos, qui ista imprudentia exacerbati aurem praebere Cartesianismi accusatoribus coeperunt, et ab eo tempore glisscere coepit ille igniculus, qui tandem in apertam flammam erupit. Regius autem et consilium Cartesii de futuri anni doctrina explorare, et quaestiones ei indies nouas proponere [k] et partes eius quoque publice contra Plempium defendere perrexit. Illum enim nouam Cartesii sententiam de motu cordis atque sanguinis circulatione Harueanis obseruationibus innixam oppugnauisse supra narrauimus, addentes Cartesium amice et accurate respondisse. Quam controuersiam cum noua narratione ita exposuisset Plempius, vt roboratis partibus suis Cartesii responsiones omitteret, indigne id ferens Regius, malam illi fidem scripta ad eum epistola exprobrauit, et rationibus ad incitas redactum in partes Cartesii transire coëgit. Interim Egmondo Harderouicum secesserat Cartesius, ast vrgente Regio in agrum Vltraiectinum remeabat, quo loco tamen Voëtii insidias timens iterum cessit, et Lugdunum Batauorum anno cIↃ IↃ C XL abiit. In qua academia praeter magistratus nonnullos fruebatur amicitia Iacobi Golii, quem praeter philologiae orientalis eximiam prorsus notitiam matheseos peritia [l] illi commendauerat, tum Bernardi Schottani, qui prius Vltraiecti docuerat, valdeque ibi Cartesio atque Regio fauerat [m]; itemque Claudii Salmasii [n], Andreae Riueti [o], et Abrahami Heydani [p], cuius nomen postea in controuersiis Carte-

k) Tractabant illae de natura angelorum, de anima hominis eiusque vnione cum corpore, de anima bestiarum et plantarum, de vita et motu cordis et sanguinis circulatione.

l) Vid. BAYLE Dict. T. II. art. Iaq. Golius p. 527.

m) BAILLET. L. I. c. 8. p. 156. non confundendus est cum Ioanne Schottano, quem Cartesianam philosophiam contra Huetii aggressiones defendisse Parte antecedente in Huetii vita diximus.

n) Parum is in philosophia eminebat, sed fauebat tamen Cartesio, quem tamen aliquando suspectum habuit, quod Heinsii partes tueretur. BAILLET. l. c. c. 9. p. 161.

o) Etiam hunc videri magis voluisse, quam fuisse Cartesianum ait BAILLETVS, l. c. p. 153. non enim satis assecutum fuisse mentem Cartesii.

p) Vitam Heydani ex WITTICHII Oratione funebri discas, ex qua potiora exhibuit P. BAYLE Dict. T. II. art. Heidanus p. 699. qui, ne nimii simus, ipse videndus. Huic taedium scholasticae philosophiae excitauerat praeceptor Iachaeus, inepte de formis substantialibus cum eo disputans. Ita enim praeparatus, cum formas accidentales nouo doctrinae genere traderet Cartesius, adeo ista hypothesi captus est, vt in eius castra totus transiret. Inde factum, vt hanc quoque philosophiam ad cathedram publicam traductus propagaret, plurimumque eam commendaret, cum eloquentia parem vix haberet. Et hoc viro egregio amico fuisse vsum Cartesium, et libenter cum eo conuersatum, licet ministerio ecclesiastico esset affixus, BAILLETVS l. c. narrat, eo quod careret vitiis reliquorum, quibus ab earum consuetudine Cartesius disiungebatur. Qui quoque quanta eius in demonstranda Cartesiana philosophia vis atque elegantia fuerit, pluribus enarrat. Turbauere autem viri docti otia controuersiae Cartesianae et Cocceianae postea exortae, cum ob Diss. de Sabbatho et die dominica litem ei mouissent Cocceii antagonistae. Cum enim Cocceium in argumento de moralitate sabbathi strenue defenderet, inueniisse se, non quod pueri in faba rati Voëtiani, amicitiam Cartesii et fauorem philosophiae Cartesianae miris accusationibus et iniuriis rependerunt. Qua de re acerbe ipse est conquestus in Considerationibus ad res quasdam nuper in academia Batana gestas p. 40. Nec haec sola inuidiae atque insidiarum meta fuit. Nam cum curatores academiae Leidensis d. 16 Ian. 1676. certas propositiones, omnemque metaphysicam Cartesianam damnassent, et publico interdicto prohibuissent, improbauit factum Heidanus, cum quod iniuriam fieri auctoribus, talia prodentibus crederet, tum quod indecenter ista geri inter Protestantes putaret. Quod ita offendit curatores, vt instigantibus Cartesii et Cocceii aduersariis Heidanum octogenario proximum munere locoque mouerent, non inuito sene doctissimo, qui haec oria ad praeparandum animum ad beatam analysin, biennio post factam adhibuit.

Carteſianis apud Batauos innotuit. Hoc vero Carteſiana placita probante et diſcipulis commendante, in ea quoque ſchola Carteſiana philoſophia obtinere coepit: nec efficere multum potuit, qui primus publico ſcripto contra Carteſium in arenam Hagae Comitum prodiit anonymus, eo quod leui brachio in ea arena fuiſſet verſatus, quae cauſſa fuit, cur congredi cum eo noluerit Carteſius. Aſt quod ſerenum Leidae videbatur coelum, in Vltraiectina academia nubilis opertum tempeſtatem grauiſſimam Carteſianae philoſophiae minatum eſt. Nempe auctoritate ſua et dicacitate vtebatur Voëtius, vt Carteſium, quique eum preſſo pede ſequebatur, Regium redderet ſuſpectiſſimos, quod religioni Reformatae eccleſiisque proteſtantium eſſent infenſi. Quod vt more ſuo conſequeretur, de atheiſmo iterum tertiumque diſputans animos quaſi praeparauit. Tum Regium aggrediendum eſſe ratus, paradoxa medica, quae ille Carteſianis placitis ſuffultus tradebat, adortus eſt, nouaturiens illi et a placitis ſcholarum Batauicarum luxurianti audacia recedens ingenium exprobrando, et praecipue diſſertationem eius de circulatione ſanguinis exagitando. Quibus clamoribus factum, vt profeſſorum animi accenderentur ad ſufflaminandam, quam Regius tantopere promouebat, harum nouitatum fortunam, et a Bernardo Schottano rectore tacere is iuberetur, licet ipſe faueret Carteſio. Quod cum amice potius ſuaſiſſet, quam ſeuere iniunxiſſet Schottanus, at deferi ita prodique veritatem conquereretur Regius, res ad ſenatum academicum delata et Regius in alio argumento minus nouitatem ſpirante diligentiam exercere ſuam, eamque opinionem velut problema aliquod ὡς ἐν παρέδῳ tangere iuſſus eſt. Miſit ad Carteſium theſes ſuas Regius, vt emendaret, correctasque hunc in modum publice non ſine eximio auditorum applauſu defendit. Quod cum Voëtium pariter et medicos academiae peſſime haberet, reſponderentque eius demonſtrationibus Primeroſius et Syluius, non ſine bile et ſatyra eos retudit Regius. In qua apologia multa quidem mutauit emolliuitque Carteſius, impedire autem non potuit, quin publico interdicto caueret ſenatus academicus, ne quid nouitatum introduceretur, vnde academia detrimenti quid caperet, vel ſtatuta eius laederentur q. Vidit Carteſius per Regii latus ſe quoque peti: vnde conſcripta explicatione interdicti ſenatus academici, ſua intelligi non poſſe demonſtrauit: cumque Hoolekio, qui inter magiſtratus eminebat, et ſequente anno conſulatum gerebat, rem omnem perſuaſiſſet, eo res perducta eſt, vt liceret Regio lectiones continuare, refectis iis, quae nimis praecipitanter aſſeruerat, commendataque feruoris iuuenilis moderatione.

§. XVI. Ita dum apud Batauos premitur philoſophia Carteſiana, fama eius in Britanniam transfretante inſulanis commendatur; et conſilium agitant philoſophiae fautores Carteſium cum Mydorgio in Angliam traducendi. Cuius auctor erat Carolus Cauendish ſiue Candiſius, qui cum fratre Noui Caſtri Duce philoſophis valde fauebat, et imprimis Carteſia- *Fortuna philoſophiae Carteſianae in Britannia magna et Gallia.*

q) BAILLET. l. c. L. V. c. 8. p. 155. ſeqq.

teſianam philoſophiam deperire coeperat, eo quod mathematicarum diſciplinarum, in quibus ipſe excellebat, methodo viam aperire ſcientiis crederet, qua ad laetiores ſucceſſus properare, liceret, et ipſae matheſeos partes pulcherrime perfici poſſent. Facile annuit Carteſius, ſine dubio quod patronos nacturum ſe ſperaret, quorum impenſis atque auſpiciis ſecurius laetiusque in philoſophia verſari poſſet. Promiſerat enim Carolus I. rex magnae Britanniae, de neceſſariis omnibus ſua munificentia iri proſpectum. Difficulter autem propinquorum amicorumque nexibus extricari ſe paſſus eſt Mydorgius, qui dum moram nectit, et cunctatur quoque propter illum Carteſius, erumpunt in atrociſſimam flammam, et graue excitant incendium iurgia ciuium Angliae, quae cum in bellum tandem ciuile exarſiſſent, argento ad ferendos belli ſumtus traducto, res illa omnis euentu caruit, et Carteſius priſtinas ſedes ſeruauit. Moleſtior autem ex Gallia nuntius illi allatus eſt, totam Societatis Ieſu familiam contra eius philoſophiam inſurrexiſſe. Signum praetulerat Petrus Burdinus [r], eiusdem ſodalitii philoſophus, qui in collegio quod Clarmontii eſt, docebat, et dioptricam eius theſibus publice ventilatis erat aggreſſus. Et rogauerat quidem per Merſennum Ieſuitas Carteſius, vt obiectiones ipſi ſuas transmitterent, aſt cum tales non accepiſſet, vidiſſet autem Ieſuitam in publicam arenam literariam contra ipſum deſcendentem, ſuſpicatus totam ſocietatem, quam arctiſſime inter ſe conſpirare nouerat, in eum inimico animo conſenſiſſe, valde huic conatui indignatus eſt, et vniuerſam ſocietatem, exercitum hoſtilem eſſe in ſuae philoſophiae interitum inſurgentem iudicauit, eo animo, vt ſolum ſe eorum aciei ſe obiicere ſtatueret. Longum eſſet totam eam hiſtoriam enarrare, exponereque quibus ſuſpicionibus ſub cinere incendium illud fouerit, quod tandem in apertum contra Ieſuitas bellum exarſit, plura dabit, qui prolixe rem narrat BAILLETVS [s]. Id modo notamus, de bello hoc philoſophico ſcholaſticae philoſophiae inferendo, et magno animo iraque gerendo, ita cogitauiſſe Carteſium, vt ſatis appareat, contradictionis fuiſſe impatientiſſimum, et aliquod a lectoribus ſuis obſequium poſtulauiſſe. Quod vtrum deceat talem tantumque philoſophiae reformatorem, prudentis Lectoris iudicio definiendum relinquimus. Et ab his originibus graues illae controuerſiae exortae ſunt, quae non Carteſium modo, ſed ſequaces quoque, et inter eos Ianſeniſtas nonnullos et presbyteros oratorii cum Ieſuitis commiſerunt, quas in ſequentibus tangemus. Nec negat id DANIEL [t], quo auctore ideo Ianſeniſtarum fauorem ambiit Carteſius, vt et aegre hoc pacto Ieſuitis faceret, et deuotis mulierculis philoſophiam ſuam commendaret; cuius illum fuiſſe Pariſiis euentum ait, vt per aliquod tempus in foeminarum congreſſibus, vna Moliniſmi cum Carteſianiſmo comparatio audiretur. Eodem tempo-

r) Vid. Epiſtola ad Dinetum l. c.
s) Vid. c. n. p. 167.
t) l. c. P. III. p. 195.

tempore et patrem et filiam quinquennem, quam in coelibatu genuerat [n], morte amisit et amare deplorauit.

§ XVII. Adeo ingrata his circumstantiis facta est Cartesio Vltraiecti vicinia, vt domicilium iterum Lugdunum Batauorum transferret; odiosa enim ei erat Voëtii memoria, qui eum velut proditorem a Gallis emissum, ad insidiandum libertati Batauicae et religioni protestantium apud omnes inuisum conabatur reddere: Conquestus praeterea est Cartesius, non contentum suae partis homines contra ipsum concitauisse, etiam catholicos adiisse, et atheismum atque scepticismum obiiciendo, coelum terramque mouisse, nec monasteria Parisiensia praeteriisse: tanta audacia, vt ad inferenda Cartesio atheo signa hostilia ipsum Mersennum inuitaret, et odiosa Vanini cum Cartesio comparatione ad mutandum in philosophum animum eum seducere conaretur. Quod tamen tantum abest, vt Cartesii famae apud Gallos nocuerit, vt potius a Galliarum rege Ludouico XIII. magnificis conditionibus in aulam vocaretur, depraedicante eius merita, qui summae rerum tum praeerat, cardinali Richelio, cui indignum videbatur, eo ornamento patriam carere. Et inueniisset forte Cartesius locum generi et natiuitati suae conuenientem, certe lauto stipendio fuisset mactatus, nisi secessum philosophicum strepitui aulico praeferens, a tumultu ciuili prorsus abhorruisset, maluissetque sibi viuere, quam alieno obsequio. Nempe satis tum suppetebat Cartesio, vnde viueret, cum familiam haud amplam aleret, aut consumtis paulo magis facultatibus deinceps simile aulae beneficium anxie, frustra licet, quaesiuit, vt infra dicemus.

Cartesius apud Gallos frustra a Voëtio exosus factus.

§. XVIII. Acta haec sunt anno cIↃ IↃ c XL. Anno sequente prodiit secundum opus Cartesii, nempe *Meditationes philosophiae primae, vbi demonstratur existentia Dei et immaterialitas animae*; hunc enim initio titulum auctor tractationi praefixerat; aut edentium negligentia factum, vt pro, voce, *immaterialitas* poneretur, *immortalitas*, vnde hanc tandem ei hederam suspendit Cartesius, qua nunc inter opera philosophica comparet: *Meditationes philosophicae, de prima philosophia, in quibus Dei existentia et animae humanae a corpore distinctio demonstrantur.* Has manu tantum descriptas prius ad Mersennum transmiserat, rogans, vt qui viros doctissimos vbique amicissimos haberet, communicata cum iis dissertatione ista, eorum sententiam exquireret. Quod cum in argumento nobilissimo omnino vtilissimum iudicaret Mersennus, amici desiderio paruit, et viris doctis eam dissertationem legendam examinandamque tradidit. Viderunt illae obiectiones cum responsionibus Cartesii lucem ad calcem meditationum, et a septem viris doctis cogitationes exhibent. Primas ad amicos suos transmisit Caterus Doctor Louanienſis, quae cum Cartesianis placitis valde fauerent, sententiam suam eum rogauerant: quibus me-

Meditationes philosophicae a Cartesio qua fortuna editae.

n) BAILLET. c. 12. p. 170. Hoc criminandi occasionem aduersariis Cartesii praebuit, qui tamen ridendo votum castitatis se non concepisse, respondit. Ep. ad Voët. T. I. Opp. phil. p. 315. Exagitatus ideo ab HVETIO Memoires pour le Cartes. p. 41.

diantibus reſponſiones quoque ad Carteſium tranſmiſſae ſunt. Alteras collegerat Merſennus ex ore theologorum et philoſophorum Pariſienſium, qui et ipſe nonnulla ex ſuis addiderat. Tertias tradiderat Merſenno Thomas Hobbeſius, quarum in antecedente capite hiſtoriam ex inſtituto iam enarrauimus. Quartas ſuggeſſerat Antonius Arnaldus eo tempore adhuc iuuenis, at magnis iam tum paſſibus ad doctrinae gloriam graſſans, et acutum atque elegans ingenium oſtendens. Qui inter alia, (ingrato forſan Carteſio indicio, qui inaudita et noua omnia ſe afferre iactabat) monuit, principium a Carteſio ad initia philoſophandi rite facienda adhibitum: ego cogito, ergo ſum: iam adductum fuiſſe a D. Auguſtino. Nec is contentus philoſophice has meditationes examinauiſſe; etiam illa critico examine explorauit, quae ad theologiam pertinent, et imprimis monuit inadaequatam definiendi ſtatuendique regulam eſſe, quicquid clare, diſtinteque concipiatur, illud verum eſſe, eo quod in argumento theologico falſa ſit. Maxime autem vrgebat notionem corporis, extenſionis dimenſionibus definiti, repugnare dogmati de transſubſtantiatione. Quod ita repuliſſe Carteſium, vt mentem patrum Tridentinorum euerteret, in Baylii vita, parte huius *Tomi priore* pluribus enarrauimus. Quintas obiectiones faciebat Gaſſendus, inter aduerſarios Carteſii et hypotheſi diuerſiſſimus, et ratiocinandi arte fortiſſimus. Quem ita ſuis arietibus fuiſſe aggreſſum Carteſium, vt quod accurate regereret non haberet, in Gaſſendi hiſtoria parte priore *Tomi huius* explicuimus. Valde hanc controuerſiam in partes Carteſii rapit, et, vt id obtineat, narrationem pingit ſuam, BAILLETVS *), at ita in ea re verſatur, vt lectori a partis ſtudio alieno ſatis non faciat. Quod enim ille contendit, amicitiam vtriusque philoſophi labeculam ex parte Gaſſendi primum accepiſſe, ex quo Carteſius diſſertationem Gaſſendi *de parhelio anno* cIↃ IↃ cxxix *Romae viſo* in tractatu *de Meteoris* ſilentio praeterierit: inuidumque gloriae Carteſianae quaeſiuiſſe cauſſam Gaſſendum, vt eam obſcuraret: id vtriusque philoſophi ſcriptum legentibus, falſum eſſe apparebit, conſtabitque Carteſium, rationum Gaſſendianarum robore proſtratum ad verborum aculeos confugiſſe; quos frigide ſatis excuſat biographus. Vnde iam ſuo loco ad GERARDI DE VRIES diſſertationem de hac contentione vtriusque philoſophi celeberrimi lectorem dimiſimus. Sextas obiectiones ex eruditorum ore Pariſiis et in prouinciis Galliae iterum collegerat ſubmiſeratque Merſennus; ſeptimae autem debentur Bourdino Ieſuitae.

Motus Vltraiectini contra Carteſium.

§. XIX. Dum haec in Gallia geruntur, et honeſta pugna Carteſii copias aggrediuntur viri docti, nouis tumultibus ſcenam Vltraiectum aperit, faſcibus academicis ad Voëtium delatis, quo non maleuolentiorem hoſtem habebat Carteſius. Valde eius inſidias timebat Regius, adeoque eum ſibi amicum reddere quouis modo tentabat. Itaque honorem praefatus diſputationem edendam ei offert, emendationem ipſe rogat: vincitur

*) Lib. VI. c. 5. p. 190. ſeqq.

citur Voëtius, contentusque ad saluandam veteris philosophiae existimationem annotationes quasdam adiecisse, permisit, vt theses nouae corollariorum instar, adiecto Cartesii nomine disputantium examini subiicerentur. Prodiit in scenam Regius praeses, respondente Ioanne de Racy, iuuene doctissimo, et iam tum longe in Cartesianae philosophiae cognitione profecto y), (qui eam quoque, apud Leidenses et tum apud Amstelodamenses philosophiae professor constitutus amplissime inter Batauos propagauit, editaque *Claue philosophiae naturalis Aristotelicae Cartesiana* z) pro hac docte pugnauit.) Quorum vterque cum exercitatissimus esset, pulchra victoria potiti nouae philosophiae gloriam inter iuuenes studiis dicatos valde auxerunt. Quod cum videret Voëtius poenituit ipsum, quod ita facilem se praebuisset, nec mederi aliter rei posse iudicans, quam si academia Regius eiiceretur, huc omnem curam conuertit. Non defuere talia meditanti reliqui Peripatetici doctores, quorum auditores, non data respondendi in conflictibus publicis potestate suppliosionibus importunis Regium impediuisse conqueritur Cartesius. Ille vero cum in nonnullis a Cartesio deflecteret, disputando pergebat, philosophiae suae patrocinium quaerere, consulto tamen semper Cartesio, qui prudenter multa deleuit, emendauit, caute mutauit, ne aduersariorum inuidia in suum, quod anxie euitabat, caput conuerteretur. Tandem cum satis iam sub cinere ignis emicuisset, in apertam flammam erupit, consensereque duce rectore suo Voëtio, professores, operam dandam esse, vt nouitatibus Regii occurratur. Cuius facilis se obtulit occasio a), cum in disputatione aliqua, quae Regio praeside defendebatur, inter theses ex variis ac inconnexis quaestionibus conflata, haec poneretur: ex mente et corpore non fieri vnum per se, sed per accidens, vocando scilicet ens per accidens id omne, quod ex substantiis duabus plane diuersis constaret, nec ideo negando vnionem substantialem, qua mens corpori coniungitur; nec vtriusque partis aptitudinem naturalem ad istam vnionem; vnde apponebatur: illas substantias dici incompletas ratione compositi, quod ex earum vnione oritur. Non probabat terminorum modique loquendi insolentiam Cartesius, licet re ipsa nihil insoliti dici putaret; nec Regius huic afferto magnopere insistebat; attamen sufficere videbatur Voëtio, ad accusandum haeresis medicum eumque ex academia eiiciendum. Qui vbi ista obseruauerat, et ipsum, et reliquos theologiae professores adit, constetatur, se illam thesin non probare, affirmat, se nihil aduersus theologiam sensisse aut scribere voluisse;

y) Adeo deperiisse Cartesianam philosophiam hunc virum, ex narratione Volderi refert cel. STOLLIVS Introd. in Hist. Lit. P. II. c. 4. §. 41. p. 554. vt quinque numos aureos illi soluendos promiserit, qui vnius erroris philosophiam vel scripta Cartesii possit conuincere. Mutauisse autem mentem oportet, si vera sunt, quae ex ipsius ore tradit BENTHEMIVS in Statu eccles. et scholastico Batauorum P. II. c. 4. §. 91. p. 383. sqq. mire eum de Cartesiana philosophia statuisse, et improbauisse eius vsum in disciplinis aliis, eam comparando cum vasis Samiis, quae ad ornatum adhiberi, non autem ad vsum, queant. Haec senex pronuntiauit, forte senii seueritate mutatus.

z) Amstelod. 1677. 4.

a) Rem omnem enarrat ipse CARTESIVS in epist. ad Dinetum Opp. T. I. p. 298. seq.

isse; ostendit in eadem academia idem docuisse Gorlaeum [b]; sed frustra. Edit post paucos dies Voëtius theses, quibus hunc titulum praefigere voluisse scribit Cartesius: *Corollaria admonitoria ex auctoritate S. S. facultatis theologicae ad studiosos proposita.* In iis dictam quaestionem his verbis sugillat: *Sententiam Taurelli, quem Heidelbergenses theologi appellarunt atheum medicum et vertiginosi iuuenis Gorlaei, qua statuitur, homo ens per accidens, multis impingere modis in physicam, metaphysicam, pneumaticam et theologiam* [c]. Id quod eo animo faciebat, vt subscripto a collegis libello isto, Regius velut haereseos suspectus ex concilio academico eiiceretur. Adiecit et alia, inuidiam nouitate et paradoxo sensu accendere aptissima, quae probato et signato a theologis et concionatoribus libello isto magistratum compellerent, vt res ad synodum ecclesiasticam deferretur, qua moueri loco posse Regium sperabat. Ast Regius, quamprimum strui sibi hunc in modum insidias intellexerat, Hoockium consulem, qui Cartesio fauebat, adit, rogatque auctoritatem suam consiliis perditissimis interponeret. Is Voëtio mandat, et nomen facultatis omittat, et illa deleat, quae existimationem Regii laedere possint. Ast iam impressae erant paginae, quo praetextu cum nihil mutasset Voëtius, in ipso conflictu in opponentes, quorum plerique discipuli Regii fuerant, vehementer debacchatus et victoriam de noua philosophia reportauisse sibi visus est. Probe vidit Regius ancipitem sibi aleam esse, et si taceret, habitum iri pro victo, si publicis se conflictibus defendere pergeret, strepitus, vt antea fore paratos ad impediendum ne audiretur. Ad aliud ergo consilium delatus, thesibus Voëtii scripto respondere statuit, licet silentium illi consul suasisset. Idem commendabat Cartesius, improbataque Regii imprudentia quod, nouas veritates inuiso nouitatis titulo vendidisset, cum satius fuisset veteri nomine compellatas rationibus nouis immutare, auctor illi erat, vt, quantam posset, modestiam adhiberet, sine pertinacia ea quae incommode dicta vel male expressa videri possent, emendaret, et sinceram atque philosopho dignam erroris confessionem sibi non putaret esse dedecori. Idem Aemilius inculcabat, et amici Cartesii alii. Noluit tamen eorum monitis obsequi Regius, veritus, ne auctoritas sua apud discipulos vilescere. Annuit tandem Cartesius, ast apologiam emendauit, modestiora suppossuit, et aduersario magis honorifica; cuius exemplum adhuc inter epistolas Cartesii extat; iterum tamen silentii tutum esse praemium, monuit. Prodiit itaque libellus apologeticus, ea facie, vt testetur Cartesius, multos, qui eum legerint, existimasse, nihil in eo esse, de quo Voëtius conqueri posset, nisi quod ibi vir pius et ab omni maledicendi studio alienus diceretur. Certe refutatum solidis rationibus

b) Vixit docuitque Dauid Gorlaeus in academia Vltraiectina circa annum 1620. ediditque exercitationes philosophicas, eo anno, in quibus a Peripatetica philosophia plurimum abit, e. g. statuens ignem non esse elementum, sed accidens, terram et aquam sola elementa esse etc. vid. SOREL. de Perf. Hom. P. III. p. m. 479. maxime autem logicam Peripateticam improbauit.

c) Conf. BAYLE Dict. T. II. art. Gorlaeus pag. 577.

nibus, sed interim tam blande ac honorifice compellatum Voëtium, sperabat Regius aut sibi conciliari posse, aut saltem exulceratum eius animum non iri irritatum. Ast omnia alia euenerunt, et qui rationibus victus erat, conuictusque calumniae ad potentiam recurrit, qua valebat, Voëtius, congregat senatum academicum, de libello in se a collega edito conqueritur, postulat condemnetur liber, et eiiciatur ex academia philosophia illa turbatrix. Assenserunt plerique, tres delegati ad magistratum querelas detulerunt: qui vt faceret illis satis, auferri a bibliopola exemplaria iussit, ea fortuna, qua semper libellos prohibitos vti videmus, vt eo curiosius quaererentur et legerentur. Nec quieuit Voëtius, et cum vrbis, tum academiae, patres ita artibus suis circumuenit, vt ex senatus vrbis et academiae decreto Regius praeter medicinam docere aliud prohiberetur, scholaeque priuatae ei interdicerentur. Misit inexpectatam sententiam ad Cartesium Regius; cui ille suadebat, pareret iussis magistratus turbas anteuertere cupientis, et medicinam Hippocraticam atque Galenicam praelegeret, securus, veritatem tamen; quocunque loco liceat, proditurum; scripta autem aduersariorum, (prodierant enim et Voëtius filius et respondens patris in arenam) tuto contemneret. Et hanc quidem tum Vltraiecti fortunam philosophia Cartesiana habuit.

Fauentiora Cartesii fata in Gallia.

§. XX. Fauentiorem Cartesius expertus est patriam; in qua patres congregationis oratorii, conditoris sui exemplo excitati nouam philosophiam cupide amplectebantur. Societas Iesu autem alebat quidem amicos nonnullos Cartesii, et inter eos, si BAILLETO [d] fides, Carletum et Dinetum, quorum ille nationis Gallicae assistens apud Generalem Romae, hic Prouinciae Gallicae praepositus, et regi a confessionibus erat: quin si audiendus est biographus, nonnulli Cartesii philosophiam non sequebantur quidem, laudabant tamen conatum et consilia: quidam sectatorum Cartesii numero accedebant, vnus et alter publicis scriptis probabant. Ast tanta fortuna et successu exoptato apud societatem fuisse gauisum Cartesianismum, quantum iactat Bailletus, vel ex eo falsum esse cognoscitur, quod supra ex ipso Bailleto retulimus, Cartesium toti ordini Iesuitarum bellum denuntiasse, quod praeeunte Bourdino infesta suae philosophiae signa intulisset. Nec negare ausus est encomiastes Cartesii [e], inuentos quoque in societate fuisse plures, qui gloriae eius aemuli eius placitis contradixerint, eaque culpauerint. Cuius specimen obiectiones septimae contra meditationes eius esse possunt, profectae, vti dictum ex calamo Bourdini, qui non contentus, dioptricam conuellere, philosophiam primam quoque aggressus est, eo scribendi modo, vt de eo acerbas ad Dinetum prouincialem querelas Cartesius deferret, vt ex epistola ad eum patet, quae secundae editioni latinae *Meditationum*, cum responsionibus Cartesii iuncta est. Et verisimile est Cartesio, contradictionis pertinacis impatientissimo, quique victoriam vbique spirabat, molestissimas istas

d) Lib. VI. c. 8. p. 205. e) loc. cit.

istas controuersias fuisse: nam et animi leuandi caussa domicilium mutabat, et consuetudinem cum viris doctis ad pellendas animi molestias non, vt ante, refugiebat. Inter quos Samuel Sorberius fuit, qui ad Cartesium accurrit, vt quis ille amici sui, Gassendi, aduersarius esset, cognosceret; quem multa quidem de Cartesio bene dixisse, ast iniuste cum eo egisse, ipsum cum Gassendo committendo conqueritur biographus *f*. Venere quoque ad eum Regius, Picotius, aliique, quos fama philosophi illuc traxerat. Quae haud parum aucta est, cum *Meditationum philosophiae primae* versio Gallica a duce Luineo facta in publicum prodiret, et Clerselierius, quo vix doctiorem et deuotiorem sibi sectatorem Cartesius habuit, *Obiectionibus et responsionibus* similem operam praestaret. Quam versionem ad emendandum sibi traditam ita perfecit Cartesius, vt ab ipso profecta videri posset, et iudice BAILLETO *g*, ipso Latino exemplo euaderet luculentior atque melior.

Lites Cartesii ad annum 1645.

§. XXI. Interim dum amicorum praesentia, in secessu castri Eyndegeestani, recreatur Cartesius, addere molestiae priori molestiam omnibus viribus sategit furor Voëtii. Qui cum manibus tandem palparet, ipsum famosis libellis et inuectiuis nihil proficere, ex discipulis suis Martinum Schoockium ad cathedram philosophicam Groeningensem promotum *h* instigauit, vt vel nomine vel calamo suo in partem certaminis descenderet: ipse autem in libello *de Confraternitate Mariana*, quae apud Syluaeducenses, relicta religione Romano-Catholica, ad Protestantes, ciuili nomine transierat, quamque ille tanquam rem idololatriae indirecte fauentem condemnauerat, impotentiae suae habenas laxauit. Prodiit itaque MARTINI SCHOOCKII *Philosophia Cartesiana, siue admiranda methodus nouae philosophiae Renati Descartes;* in cuius praefatione prolixe respondebatur epistolae Cartesii ad Dinetum. Scriptum hoc satis virulentum, quodque id imprimis agebat, vt fauere Cartesium atheismo incrustando lectori persuaderet, aut ab ipso Voëtio consarcinatum, aut eius saltem instinctu, auxiliis, regimine editum esse, contendit Cartesius, qui eius folia prelo adhuc madentia accepit, et illico, cum res periculo non carere videretur, responsionem adornauit. Vulgata ea est hoc titulo: *Epistola Renati Descartes ad celeberrimum virum D. Gisbertum Voëtium, in qua examinantur duo libri nuper pro Voëtio Vltraiecti simul editi, vnus de Confraternitate Mariana, alter de Philosophia Cartesiana* *i*; in qua acriter auctori vapulat Voëtius, et tum iniuriarum, quas in Cartesium euomuerat, tum conuiciorum, quae in Syluaeducenses proceres, quibus ista confraternitas constabat, et in partes Maresii, qui ciuium

f) c. 9. p. 207.
g) p. 208.
h) Videndus de Martino Schoockio FREHERVS in Theatro p. 1552. BENTHEMIVS in Statu eccles. et scholastico Batauorum, P. II. c. 2. §. 31. p. 239. seqq. Erat Vltraiectinus, inque ea academia, cum gymnasium illustre adhuc esset, Graecae et Latinae linguae professor constitutus, postea Dauentriam, ad professionem historiarum tandemque Groeningam ad docendam logicam et physicam vocatus est, den. 1669.
i) Extat T. I. Opp. philos. p. 307. seqq.

ciuium Syluaeducensium in religione candorem contra intempestiuos Voëtii clamores defendit, coniecerat, non sine illius dedecore conuincitur: sic vt iudicauerit Sorberius [k], apud posteros nomen Voëtii illaudabile merito esse futurum. Mirum itaque non est, illo telo alte sauciatum fuisse Voëtii animum, qui cum nomen suum grauissima contumelia proscindi videret, ad magistratum Vltraiectinum querelas suas contra libellum hunc et epistolam ad Dinetum, quae scripta famosa esse dicebat, detulit, et maximam fieri in iis iniuriam non sibi modo, sed et omni ministerio euangelico, conquestus est. Inde decreto ciuitatis vtrumque Cartesii scriptum damnatur, et campana sonante auctor citatur, vt iniuriarum testimonium et probationem coram iudice ederet. Respondit Cartesius epistola Belgica, et se, iudicibus, licet incompetentibus, omnem caussae suae iustitiam dictorumque irritatem demonstraturum esse promittit. Ast Voëtius productis quinque testibus, quibus calumniae et infamandi criminis conuincere satagebat Cartesium, sententiam contra eum obtinet, et paulo post velut criminis reum Cartesium a ministro publico citari curat, ignorante per absentiam res gestas Cartesio. Qui cum neque ius fasque, neque honorem vllum coli videret, et cuncta tumultuario processu confundi indignaretur, timeret autem, ne Vltraiectini magistratus violentia sibi famaeque suae fraudi esset, ad Arausionensis principis auctoritatem intercessione oratoris Gallici exoratam confugit, qui audito facinore, omnem actionis istius cursum per status Vltraiectinae prouinciae interrupit. Cartesius autem, cum se solum libri istius in Cartesium editi auctorem professus esset Schoockius, hunc in ius vocare Groeningae, et vt iniuriarum in ipsum coniectarum caussam dicat, cogere constituit: Voëtio nouo libello σηλιτευτικῷ, quem personato Theophili Cosmopolitae nomine effuderat, rem suam bonis omnibus inuisam magis et execrabilem reddente. His curis distracto et vexato Cartesio superuenere instantiae Gassendi, siue noua ad responsiones Cartesii exceptio, quam Parisiis per manus doctorum volutari sibi nondum traditam aegerrime ferebat, praecipue vbi curante Sorberio in vulgus apud Batauos edita fuisset. Noluit tamen respondere Cartesius, licet a Regio instigatus, ne controuersiae ferram diutius reciprocare videretur, praecipue cum in editione *Principiorum philosophicorum*, quae prelum tunc exercebat respondendi occasionem captare vellet. Quo tandem omnis, quae hactenus inter vtrumque philosophum culta erat, amicitia refriguit, cuius culpam omnem in Sorberium transfert BAILLETVS [l], quo colore quaque verisimilitudine? in Gassendi vita dictum. Interim *Speciminum philosophiae*, siue *Dissertationis de methodo*, *dioptrices*, *et meteororum* versionem parauerat Curcellaeus pater; qui cum Cartesium rogasset, vt pro iure suo eam emendaret, vbique manum auctor textui emendatricem adhibuit, ita vt ipsius Cartesii opus merito haberi possit. Tandem cum iam satis his annis cIↃ IↃ CXLIII

k) Vid. BENTHEM. l. c. p. 243.

l) L. VII. c. 13. p. 216.

et clo Io c xliv fuiſſet inter Batauos iactatus, iter in patriam meditatus eſt, valde timentibus amicis, vt reuertatur, eo quod altius animo inſidere acceptas iniurias nouerant. Profectus in Galliam amicos vbique locorum inuiſit, fratresque et affinem conuenit, vt rerum domeſticarum negotia cum illis componeret; viſitatisque praediis ſuis in Britannia, tandem auctumno ineunte Pariſios aduolauit, ibique et principiorum philoſophicorum, et verſionis ſpeciminum philoſophiae editionem abſolutam transmiſſo faſciculo accepit. Inſcripſit librum Eliſabethae Friderici V. electoris Palatini filiae, cui iamiam innotuerat, quaeque literis elegantioribus atque philoſophia et matheſi eximie erat exculta. Ea enim, cum *Specimina philoſophica* legiſſet, tanto Carteſianiſmi amore rapta eſt, vt omnem Carteſii philoſophiam complecti animo cuperet, ideoque ad ſe vocato totam ſe in diſciplinam tradidit, eo ſucceſſu, vt neminem myſteria ſua comprehendiſſe facilius, et tenuiſſe melius ipſe Carteſius agnoſceret. Nec deſtitit ea deinceps, cum Hollandiam relinqueret, inſtituto literarum commercio haec lumina conſeruare, et ex praeceptoris inſtitutione augere. Ceterum cum breuem fore moram ſuam Pariſienſem Carteſius ſciret, ea vſus eſt ad amicos inuiſendos, et ineundam reconciliationem cum Ieſuitis collegii Clarmontani, tum ad nouos ſibi patronos comparandos: inter quos fuit etiam regni cancellarius. Etiam cum Roberualio reconciliationem tentauit, eam vero quoad externam tantum beneuolentiam obtinuit.

Lis a Carteſio intentata Schoockio.

§. XXII. Valde inquietos reddiderat Carteſii amicos, quos apud Batauos habebat, metus, ne in Gallia retineretur: eo autem exemit illos reditus eius circa finem Nouembris anni clo Io c xliv. Vt vero turbis, quas moleſtiſſimas ſibi ante eueniſſe ſenſerat, ſeſe eriperet, viuere ſibi ſoli in priſtina ſolitudine Egmondiana ſtatuit, vt ab amicis non interpellatus, liberiori meditatione in naturalium rerum inueſtigationem incumbere poſſet. Et vt dulciori tranquillitate frueretur, terminare quoque litem, quam Schoockio Groeningae intentauerat, ſtatuit, praecipue, cum Voëtium ibi quoque malis artibus ſibi infenſum metueret. Vicit tamen in ſenatu academico cauſſa Carteſii, citatusque Schoockius, faſſus eſt, claſſicum canente Voëtio ſe calamum contra Carteſium arripuiſſe, hunc que verum iniuriarum et calumniarum omnium auctorem eſſe. Factum id abſente Carteſio, et iniunctum ex ſenatus decreto Schoockio, vt iniuſte ſe egiſſe agnoſceret. Cuius cauſſae acta cum Carteſius accepiſſet, ea cum epiſtolis Voëtii ad Merſennum magiſtratui Vltraiectino transmiſit, vt, quibus inſidiis ipſum impetiiſſet Voëtius, cognoſcerent. Quod tamen, tantum abeſt, vt, quem exoptabat euentum ſortiretur, vt potius, cum totius litis eos puderet, publico edicto caueretur, ne quid in cauſſa Carteſiana prodiret, ſiue contra eum ſcriptum ſit, ſiue pro eo defendendo exaratum. Quo vero non obſtante, et Voëtius ipſe edita ſub Schoockii, licet inuiti, nomine epiſtola, et filius eius tribunalis Groeningani iniquitatem

tatem accusare publicis scriptis non erubuerunt. Maxime Voëtius indignatus Schoockio, quod causſam suam prodidisſet, vindictam altius meditatus est, retinuere tamen eius furorem minae Schoockii, mysterium omne se patefacturum profitentis nisi quiescerent. Aliter Cartesius, si fides BAILLETO [m], qui facilem se reconciliationi, tempestate finita praebuisſet, modo eandem animi bonitatem Voëtius ostendisſet. Ast is, licet amicitiam illi, deleta veteris iniuriae memoria Cartesius obtulisſet, inexpugnabilis animo omnem pacem respuit, et se sibi futuram seruare actionis occasionem velle pronuntiauit. Cartesius itaque, vt molestae liti se tandem aliquando extricaret, omnemque istam causſam, viros doctos indecentem, obliuione sepeliret, conscripto ad magistratum Vltraiectinum libello apologetico, totam controuersiae sexennio magnis animorum motibus agitatae historiam, causſae suae iustitiam, iniuriasque aduersariorum, complexus est, vt, quae iniustitia grauissima pressus fuerit conuictus tandem ille agnosceret.

§. XXIII. Liberatus hac molesta actione Cartesius, nouos philoso- *Cartesiani Leidenses.*
phiae suae succesſus non sine causſa sperabat. Nam et Gallorum plurimi conatibus philosophicis ciuis sui applaudebant, et Batava terra nouos quotidie cultores suggerebat. Maxime Leidensis academia eius placitis valde capi visa est, fauentibus Cartesianae philosophiae Golio, Schotano et Heydano, vt supra dictum. Nemo vero vel diligentius eius mysteria rimatus est, vel publice ea apertius docuit, quam Hadrianus Heerebordus [n], qui cum semel ad Cartesii castra transiisſet, et rationalem et naturalem philosophiam, cuius *Institutiones Lugduni Batauorum anno* CIↃ IↃ CLIV vulgauit, et libris doctissimis atque perspicuis, et voce in cathedra personante iuxta eius mentem tradidit, aliquoties aduersariorum Cartesii inuidiam et persecutiones ideo passus. Quem tamen circumspectius et moderatius causſam philosophiae Cartesianae, quam Regium, vrsisſe, et hac prudentia solidiorem fortunam et certiora illi fata parauisſe obseruat BAILLETVS [o]. Ast quae hoc pacto succrescebant laetissimo flore Cartesianae sapientiae incrementa, haud parum detrimenti acceperunt a conatibus Regii, quem tamen initia eius tanto feruore, tanta diligentia promouisſe, vt grauem ideo inuidiam Voëtii subiret, supra narrauimus. Hunc de animae cum corpore vnione a Cartesii opinione desciuisſe supra iam monuimus, nec alia ei defuerunt, in quibus dissentire a Cartesio pulchrum ei visum est, multum in eo desudante magistro, vt suis eum limitibus coërceret. Ast aut persecutionis molestia, quod coniicit Bailletus, fatigatus, aut suo nimis ingenio indulgens, aut, quod nobis verisimile videtur, idem sibi in philosophiam ius vindicans, quod Cartesius sibi asseruerat, sine praeceptoris cortice natare, et sibi suisque placitis fidere coepit, conditisque *Regii defectio a Cartesio.*

m) L. VII. c. 5. p. 231.
n) Obiit, teste WITTENIO in Diario 1659. d. 25. Dec. Is libros eius enarrat.
o) L. VII. c. 5. p. 230.

Fundamentis physicis a Cartesiana physiologia recessit. Qui tamen, vt honorem Cartesio haberet, scriptum illud ei legendum examinandumque transmisit. Is iam pridem quidem lasciuientem Regii audaciam obseruauerat atque reprehenderat, ast tam longe eum secessisse a placitis ipsius nondum deprehenderat. Itaque cum nihil suae philosophiae apprime conforme atque simile in istis institutionibus videret, omissis emendationibus totum opus improbauit, et aut mutanda illa praecepta atque ad suae philosophiae regulam refingenda esse, aut sibi necessitatem incumbere monuit, philosophiae studiosos monendi, Regium Cartesianum non esse, nec, quod hactenus factum, eius decreta pro Cartesianis habenda. Gratias pro hac voluntatis suae significatione Cartesio egit Regius, ast non sine artis et rationis praesidio se in eo saxo voluendo fuisse diligentem, et analysin accuratam adhibuisse ostendit, promisitque addere hanc declarationem praefationi: se in multis quidem lubenter sequi virum hunc summum, in quibusdam autem contrariam se fouere opinionem, in aliis iudicium suspendere. Quin et alia se additurum pollicebatur, quibus prohiberi posset, ne quis alienam Cartesio sententiam affingeret. Respondet Cartesius, non displicere quidem sibi methodum analyticam ab eo adhibitam, ast deesse Regio eruditionem metaphysicam et theologicam, hincque ferri non posse, quae de commercio inter animam et corpus, de Deo, et similibus dixerit: illa enim omnia sua praecepta de isto argumento corrumpere, nec se eiusmodi errorum participem esse velle. Id tantopere offendit Regium, vt apertissimo dicendi genere disciplinae Cartesianae renunciaret, et sibi systema proprium fingeret, cui ex Cartesianis praeceptionibus inserebat, quod sibi bonum videbatur. Dici non potest, quam displicuerit ista defectio Cartesio, quamuis magistri ore eum allocutus, ad resipiscendum salutaria monita ei dedisse videri vellet. Ipse quoque Bailletus, tanta in eum indignatione istam ob caussam exardescit, vt Cartesianae sectae desertorem, plagiarium, schismaticum appellare, indignis historico titulis non erubescat, et ingratum ei animum aliquoties obiiciat. Ast et sectae condendae studium satis ista actione prodidit Cartesius, et imprudentiam suam atque partis fauorem manifestauit Bailletus. Nihil enim factum a Regio, quod non veritatis studiosum deceret, et eclecticae philosophiae regula permitteret. Neque enim plagii accusari potest, cum multa a Cartesio se accepisse fateretur, nec schismaticus dici, qui in verbis magistri iurandum non esse a Cartesio didicerat, et peculiarem sectam condere non affectabat, suo autem iure gaudens suis oculis videre, et quaecunque apud alios veritati consentanea deprehendebat, suis aptare cupiebat. Quae nisi fallimur, manifestum faciunt, non nisi sectae condendae studium hanc Cartesio indignationem dictitasse, adeo verum est, idem peccare, et veteres et recentiores.

§. XXIV.

§. XXIV. Interim et cultro anatomico et aliis experientiae mediis in naturam rerum penetrare ſicque ſolitudinis ſponte electae taedia fallere ſategit Carteſius. Quem cum in itinere ad Suecos verſatus Canutus, legatus regis Galliae inuiſeret, et nonnulli viri praeſtantiſſimi eius amicitiam ambirent, his deliciis moleſtiam temperauit, quam inſtantias Gaſſendi, ad quas tum reſpondebat, illi concitaſſe ſupra iam tetigimus. Sed et moralem philoſophiae partem tum priuatis tentaminibus tangere, et phyſicam partem ad naturam affectuum, quos Graeco patrioque more paſſiones vocauit, transferre coepit: litem autem cum Roberualio de vibrationibus reciprocatam et minus decoram et parum iucundam expertus eſt. Fouit doctrinae moralis ſtudium Eliſabetha princeps, quam Carteſianae doctrinae praeclare fauiſſe ſupra diximus. Ea enim cum fatorum aduerſorum malignitatem philoſophiae praeſidiis fallere cuperet, cogitationes et philoſophemata SENECAE *de Vita beata* Carteſium examinare, ſuamque ipſi ſententiam iuſſit perſcribere, quae et ipſa laudabili exemplo cum noſtro communicauit, quid ipſi de ſummo bono, de anima, de libertate, de affectibus et ratione hominis videretur. Auxit laetitiam Carteſii, his philoſophiae ſuae incrementis valde exultantis cum videret, in gymnaſio Bredano, quod tum recens excitatum erat, et curatores eius Riuetum atque Huygenium, et profeſſores Pollotum, Ionſſonium alioſque plurimum placitis ſuis fauere, et hoc ipſum gymnaſium illuſtre Carteſianum reddere. Nempe haec votorum omnium ſumma philoſopho erat, vbique philoſophiam ſuam in ſectae ſpeciem tranſeuntem, videre triumphantem. Iucundiſſimum ideo fuit philoſopho cum ex ſocietatis philoſophis plurimos ſibi fauere, nec diſplicere illis nouum philoſophandi genus intelligeret. Mirum itaque non eſt, ferre non potuiſſe Carteſium, cum Honoratus Fabri ex hac ſocietate theologus et philoſophus nouum ipſe ex veteri Ariſtotelica philoſophiae ſyſtema condidiſſet, et corrupto vino nouam hederam ſuſpendiſſet. Et ridiculum fere eſt, adeo in vtramque partem impegiſſe Fabrum, vt cum apud familiae ſuae ſocios Carteſianiſmi fieret ſuſpectus, Carteſius e contrario crediderit, eum ſyſtema ſuum ſuae philoſophiae oppoſuiſſe, eo fine, vt improbari Carteſianae philoſophiae placita a ſodalitio Ieſuitarum orbis philoſophicus ſtatueret. Adeo partis ſtudium et ſuſpicio veritatis iudicium corrumpit, et in transuerſum agit viros etiam doctiſſimos. Nihil autem capere animum Carteſii magis potuit, quam quod a Canuto eſſet edoctus, Chriſtinam Sueciae reginam, cuius de viris doctis ipſisque ſcientiis fere omnibus iudicium orbis eo tempore tantum non adorabat, maximam de eo opinionem concepiſſe, ſpemque eſſe, fore, vt hac quoque Minerua fauente inter niues et glaciem ſeptentrionis laetiſſima philoſophiae ſuae incrementa exſurgerent. Ea vero, a Canuto praeſtantiam acuminis, quod de Carteſio praedicabat, edocta, quaeſtiones nonnullas morales, pridem in conuentu virorum doctorum ipſa praeſente agitatas, legato tradiderat, vt de iis Carteſii ſententiam

Studia Carteſii in ſolitudine Egmondiana.

Incrementa Carteſianiſmi.

tiam poſceret. Verſabantur autem illae circa amorem odiumque, eiusque naturam atque vſum. Vt itaque tantae reginae deſideriis velificaret, diſſertationem de amore ad Canutum transmiſit, vt eam reginae praelegeret. Quae cum acerrime iudicaret, admirata eius in philoſophando felicitatem beneuolentiam ei ſuam teſtari legatum iuſſit.

Turbae Leidenſes contra Carteſium.

§. XXV. Interruperunt haec gaudia Carteſii turbae, quas Leidenſes theologi, a Voëtio, quod quidem Carteſiana factio ſuſpicabatur, inſtigati, mouere coeperant. Prodierat enim in arenam diſputationibus publicis contra Carteſium Iacobus Reuius Dauentrienſis, qui haud infimum tunc inter theologos eius ſcholae locum occupabat, meditationes Carteſii euerſurus. Cui ſuccenturiatus aderat Iacobus Triglandius, theologus primarius; qui blaſphemas eſſe atque impietati, maxime vero Pelagianiſmo fauentes aſſertiones Carteſii contendebant. Is cum alienos ſibi et peruerſos affingi ſenſus intelligeret, ad vniuerſitatis iſtius curatores ſcripſit, et iniuriarum theologos eos poſtulauit. Illi citato rectore atque profeſſoribus ſerio interdixerunt, ne quid dicto ſcriptoue contra Carteſium molirentur, eum vero ſimiliter literis hortati ſunt, vt a controuerſiae ſerra abſtineret. Id quod vehementer diſplicuit Carteſio, qui non de quaeſtione aliqua philoſophica, ſed de famae honorisque reparatione preces ſuas ad eos detulerat, et hanc prouidentiam curatorum, ſuae magis ſcholae, quam alieno nomini inuigilare conquerebatur. Itaque cum theologorum factionem in ſynodis et conſiſtoriis valde potentem metueret, Pelagiani nominis infamiam perhorreſcens, ad Arauſionenſis principis auctoritatem, parario legato Gallico confugit; quod tamen effectum non habuit alium, quam vt theologis ſilentium de argumento huiusmodi, eorum pulpita non tangente, iniungeretur, ipſis tamen eorumque famae et exiſtimationi quouis modo parceretur. Quod nec Carteſio placuit, nec eius, quos in iſta academia habebat ſectatoribus, Heydano, Banio, Heerebordo, quos fauere Romanenſium partibus Carteſianam doctrinam docendo, rumor dictitabat.

Iter Gallicum Carteſii ſecundum.

§. XXVI. Altera tum vice patriam inuiſere ſtatuerat Carteſius, quod iter cum turbae iſtae parumper ſufflaminaſſent, tandem ruptis repagulis menſe Iunio anni CIↃ IↃ CXLVII Haga Lutetiam profectus eſt, in Britanniam minorem poſtea deſcenſurus, vt rebus domeſticis, quod cauſſabatur, prouideret. Dum vero editionem Gallicam principiorum ſuorum, quam confecerat Picotius, expectat, et prorogat terminum, vt eum abſoluto opere comitem adſciſceret, amicos nonnullos in Gallia morte praeuentos perdit, maxime Mydorgium, amicum veterem, Merſennum aegrum inuenit. Eorum tamen, qui illi fauebant, ſtudio factum, vt apud primarium rerum publicarum adminiſtrum de ſtipendio annuo regis nomine ſoluendo illi proſpiceretur. Quod cum tria librarum Gallicarum millia ei numeranda promitteret, vt et meritorum praemium acciperet, et habe-

haberet impensas, quibus in iuuandis scientiis sustentaretur, merito totus inde in admirationem conuersus est, cum ignorasset, quid pro eo egissent amicorum industria. Ita auctus rei neruo, postquam cum Paschale de materia sua subtilissima, de vacui horrore et similibus coram disputauisset, ad Batauos rediit, et solitudinem Egmondianam repetiit, traductis eius silentiis ad meditationes philosophicas et capienda experientiae specimina de vacuo, quae cum Picotio in ea hyeme instituebat. Interrupit tamen labores hos physicos desiderium reginae Sueciae, quae, interprete Canuto, sententiam de summo bono eum rogauerat. Quam cum philosophicis luminibus adhibitis, id enim regina postulauerat, scripto designasset, illique dissertationem de eodem argumento adiunxisset, quam Elisabethae principi olim transmiserat, tota in eius admirationem rapta regina est, quae et propria manu ei gratias egit, et ab eo tempore de eo in Sueciam aduocando cogitauit. Facile his fauoribus vsus contemsit REVII *Considerationem theologicam methodi Cartesianae*, tum prodeuntem; et ad REGII Dissertationem *de Anima rationali* breues stricturas edidit, aliaque contra ipsum comparentia secure neglexit.

§. XXVII. Vix saeuire hyemis inclementia desierat, cum afferrentur iterum amicorum literae, quibus nuntiabatur, veniret in Galliam, regem enim amplissime illi cupere, et nouum ei stipendium decernere, quin et loco illustri ponere velle, vt maxima tranquillitate ad supremum apicem philosophiae opus perducere posset. Et initio quidem rerum in isto regno publicarum facie persuasus suspecta haec consilia habebat, ast cum ipse regius codicillus, quo nouum illud ei praemium designabatur, ab amico submitteretur, ad iter se ineunte mense Maio anni CIↃIↃCXLVIII, accinxit. Ast Parisios delatus, dici non potest, quam attonitus fuerit, cum se amicorum, qui eum praesentem cupiebant, artibus deceptum, et suis sumtibus istum codicillum redemtum intellexisset, et se frustra istas itineris molestias suscepisse cognosceret. Quin adeo aduersa philosopho ista res fuit, vt qui eum in aulam inuitauerant, eum facietenus tantum noscere se cupere profiterentur, et hanc istius fraudis causam esse dicerent. Quod haud exiguam Cartesio indignationem concitauit, qui et spe sua erat deiectus, et itineris molestia grauatus, et amicorum dolis delusus, id quod amplissimam HVETIO [p] occasionem praebuit falsae Cartesium ridendi, quod aulae fauores in vmbra philosophica delitescens stolide affectasset. Ne vero omnis illa mora Parisiensis frustranea esset, effecit ducis Laudanensis diligentia, qui Cartesium cum Gassendo non sine vtriusque gaudio reconciliauit, et similem forte pacem cum Roberualio parauisset, nisi in congressu virorum doctorum, de vacuo ad motum necessario disputanti mathematico adeo ebulliisset sanguis, vt totus igne accensus, non nisi flammas contra Cartesium euomeret, omnemque occasionem eum mordendi,

Tertium itev Cartesii in Galliam.

p) Memoires pour Cartesianisme p. 34. seqq.

dendi, anxie perquireret. Quibus moleſtiis, rerumque publicarum in vrbe facie parum laeta fatigatus Galliaeque pertaeſus, ineunte menſe Septembri ad Batauos ſuos, et Egmondiana ſilentia rediit, ab iſta, quam animus perpeſſus erat, tempeſtate in ſecuro hoc portu quieturus. Verum vt nihil eſt in humana vita ex omni parte beatum, ne ſolitudinem quidem iſtam moerore vacuam eſſe mox intellexit, allato nuncio de obitu Merſenni q), quem amicum veterem eumque a longo tempore fidiſſimum et laetiſſimis ſpeciminibus cariſſimum erat expertus. Ad quem cum epiſtolas innumeras fere ſcripſiſſet, eas, quod ad familiarem datae eſſent, recuperare ſtuduit, ſed fruſtra. Pleraeque enim Minimorum incuria disiectae perierant, multae Roberualio, diligenter eas quaerenti, inciderant in manus.

Fauor reginae Sueciae, erga Carteſium.

§. XXVIII. Laetiorem, quam in patria frui licuerat, fortunam et ampliores laborum ſuorum ſucceſſus Carteſio promittebat eo tempore Suecia, cuius regina valde Carteſianae philoſophiae fauere coeperat, praecipue vbi diſſertationem eius *de Paſſionibus Animae* legiſſet. Illa enim adeo literatiſſimae principi placuerat, vt totam illam philoſophiam, explorare apud ſe ſtatueret, qua in re Freinshemii et Canuti opera vti decreuerat. Intellexit hanc philoſophiae ſuae fortunam Carteſius, cum Eliſabethae principis fata votis et ſuis et illius poſt pacem initam minime reſpondere intellexiſſet, incertusque haereret, quo loco rerum ſuarum ſedem figeret. Menſe enim Martio anni CIↃ IↃ C XLIX Canuti literis edoctus eſt, cupere reginam,

q) Natus eſt Marinus Merſennus Cenomanenſis VI. id. Sept. anno 1588. ordinique Minimorum Franciſci a S. Paula nomen dedit, denatus Pariſiis Cal. Sept. anni 1648. Vir doctus et linguarum orientalium apprime peritus, vnde locum ei in Gallia orientali p. 270. fecit PAVLVS COLOMESIVS. Sed et philoſophiam linguarum ſtudio iunxerat; et vtriusque ſpecimen amplum et eruditum, priusquam Carteſio innotuiſſet, ediderat, vulgando Quaeſtiones in Geneſin. In quo vaſto libro longeque rariſſimo et paucis viſo, illud quidem philoſophiae reſtaurandae deſiderium prae ſe fert, vt reges principesque hortetur; vt academias huic inſtituto aptas erigant; fateaturque rerum naturalium ampliorem notitiam opus eſſe theologo, cum nec Chriſtus venerit, vt nos aſtrologiam doceret, nec Moyſes philoſophicas difficultates aſſigerit, ſed rem prout apparet explicuerit. Aſt vehementer tamen, dum contra Atheos quosuis inſurgit, et hac quoque ſuſpicione, quemlibet fere a Romana eccleſia diſſentientem premit, non Brunum modo, Campanellam ſimilesque reprehendit, ſed et Teleſium, Keplerum, Galilaeum, Gilbertum pungit. Monendus hoc loco eſt lector, folia iſta, in quibus Merſennus de inſigni Atheorum inter Gallos numero conqueritur, atque principes et magiſtratus hortatur, vt „ vbicunque deprehenſus fuerit Atheus, debitis ſuppliciis, quae „ nimia eſſe nequeant, corripiatur, domus illius „ ſuſque deque vertatur, et perpetuae notae ignominia ei publice inuratur, etc. in omnibus fere exemplaribus p. 670 ad 676. ſublata, iisque alia ſurrogata fuiſſe, vt obſeruatum NICERONIO Memor. literar. T. XXXIII. Forte quod vel ipſum auctorem vel cenſores tam propudioſae narrationis puderet. Eas paginas laudabili conſilio anonymus quidam in Bibliotheca Gallica P. XXXIV. S. I. art. 7. recuſas exhibuit, cum tantum non penitus diſparuerint, et pauciſſimi eas viderint. Quam recuſam harum pagellarum editionem eſſe ſinceram comparata cum exemplari noſtro integro et non caſtrato nos edocuit. Fidem autem in narratione Merſenni deſideramus, et ineptum merito eius zelum reprehendimus, qui laruas ei videtur finxiſſe. Dignum autem eruditorum curioſitate putamus, ſi quis inquirat, quae cauſſa Merſennum coëgerit, folia haec abiicere, quaeque vera tam inſignis raritatis libri huius cauſſa ſit, ſic vt vix quatuor exemplaria Pariſiis extare non nemo monuerit? In notitiam Carteſii autem delatus, et ei intima amicitia iunctus, non modo valde eius decretis fauit, ſed et communis quaſi philoſophorum caſtius et emendatius ſtatuentium canalis fuit, et vinculum, quo inter ſe amicitia connecterentur. Obiit ex hauſta nimis frigida, cum Carteſius eum inuiſiſſet non ſine amicorum luctu, relictis Cogitatis phyſico-mathematicis. Franciſci Veneti Somnia Pythagorica eum euertiſſe, ſuperiori huius tomi parte diximus. Vitam eius deſcripſit HILARIO DE COSTE.

reginam, vt Holmiam veniat, philosophiae praecepta ex ipsius ore hauriendi auidam. Praeuidit Cartesius coeli inclementiam in his septentrionis regionibus sanitati suae fore inimicam; itineris quoque maritimi molestiam, aëremque grauiorem merito pertimescebat, et declinare iter meditabatur: cum noua compellatione Canuti reginae mandato vrgeretur, vt iter matureſceret. Dedit itaque manus, atque instante aestate venturum se est pollicitus, et nauarcho Sueciae Flemmingio ipso Egmondiam profecto, reginaeque voluntatem ei declarante, post editam a Schotano geometriae suae versionem Latinam, quae tamen parum illi probata fuit, ad iter se accinxit, parum tamen animo laetus, cum et suspicionibus angeretur, et Suecorum odia timeret, quos transuersis oculis intueri peregrinorum in aula reginae suae fortunam audiuerat, et ipsius quoque religionis suae professionem sibi obstantem vereretur. Quamuis autem redeunte vere redire se ad pristinas sedes posse certo sperabat, arcano tamen instantis fati sensu aliquo de rebus suis ita disposuit, ac si nunquam ad suos esset reuersurus. Commendataque dissertatione *de Passionibus* Elzeuirianae typographiae vnius serui comitatu iter ingressus Holmiae calendis Octobris appulit, et a Canuti vxore omnibus humanitatis signis exceptus est. Altera die reginam salutans ea beneuolentiae significatione admissus est, quae inuidiam aliorum prouocare facile poterat. Noluit tamen illi annuere, postulanti, vt rerum suarum sedem, relicta Hollandia inter Suecos figeret. Tum consilium discendi philosophiam Cartesianam ex ore conditoris exequi statuens, primam his meditationibus horam; lecto relicto destinauit, quod et animum attentum magis seruare posset, et otia haberet tranquilliora. Quam reginae voluntatem, vt par erat, obsequio quidem prosequebatur Cartesius, intelligebat autem facile, et suae viuendi consuetudini valde refragari et haud parum valetudini obesse. Nam in lecto meditari solebat, vt supra iam dictum, et aëris inclementia summo mane valde corpus affligebat. Paruit itaque iussis, et reginam in disciplinam recepit; quae cum ingenii vastitatem persentiscceret, consiliis secretioribus eum adhibere nulla dubitauit, et in rebus quoque ad regimen statuum pertinentibus ad eius prudentiam recurrit. Qua reginae gratia ita vsus est Cartesius, vt et amicis inseruiret, et Elisabethae principis Palatinae causam apud reginam ageret, et se doctrina pariter atque morum honestate et grauitate reginae aulaeque valde commendaret. Id quod inuidiam ei conflauit atrociſſimam, cum negligi se putarent alii, quos doctrinae, et imprimis philologiae causa in aulam regina acciuerat, et humanitatis studia ab hominibus Gallis deprimi quererentur. Sed et administrorum reginae animi peregrinorum auctoritati qua apud reginam fruebantur, valde inuidebant, vixque pati poterant, alienos mores patriis praeferri. Quod eo magis infensos Cartesio animos parare poterat, quo magis reginae fiducia eum rebus quoque ciuilibus interdum adhibebat. Nihil tamen haec omnia sereniſſimam foeminam, in dies laetius philoso-

phantem impediuere, quo minus et beneuolentiam Carteſio teſtaretur, et ampliſſime eius philoſophiae faueret. Quae cum alia quoque, praeter edita, affecta Carteſium habere intelligeret, vehementer eum hortata eſt, vt philoſophiae ſuae corpus aliquod perfectum, ſuisque partibus abſolutum colligeret, et ea abſolueret, quae adhuc reſtabant. Qua in re morem eſſe gerendum reginae ratus Carteſius, chartas ſuas ſecum allatas luſtrauit, et manum illis vltimam admouere, ſtatuit. Fuere autem inter eas tractatus *de homine*, *de formatione foetus*, et *de lumine* ſiue *mundo*, qui inter poſthuma Carteſii prodiere, curantibus editionem Claudio Clerſelierio et Ludouico de la Forge, quorum ille praefationem praemiſit [r] ad hiſtoriam Carteſianorum librorum illuſtrandam haud parum facientem, hic librum *de Homine*, ampliſſimis annotationibus illuſtrauit, vterque de Carteſii philoſophia praeclare meruit [s]. Habebat et affecta alia, et inter ea volumina duo epiſtolarum quae Clerſelierius poſtea vulgauit, quaeque in huius philoſophi vita concinnanda Bailleto maximam lucem praetulere. Tacemus alia, quae fragmenta magis exhibent, quam tractationes integras, quorum titulos et argumentum exhibet BAILLETVS [t] qui videndus. Quae cum reginae oculis paterent omnia, ſibi vindicandum eſſe Carteſium ſtatuit, et vt facilius climatis ſeueritatem ferre poſſet, in meridionali regni parte, vel regionibus quoque Germanicis, quae ſceptro Suecio parebant, et terras et ſtipendium inſigne trium millium thalerorum ei obtulit. Porro et academiae ſcientiarum condendae conſilium cum Carteſio agitauit, qui cum eius modum deſcripſiſſet, peregrinis aditum, mirante regina, denegauit. Redux ex conclaui reginae, cui iſtud conſilium delineauerat, vacillantem valetudinem haud obſcure ſenſit, ipſoque purificationis B. V. feſto poſt S. euchariſtiae myſteria percepta pulmonum inflammatione cum febre continua proſtratus eſt. Quem morbum ſine dubio aëris inclementia, et turbata viuendi ratio ei contraxit, valde autem auxit pertinacia, qua venaeſectionem reſpuit [v], turbatis febris violentia, aegroti ſenſibus. Quorum vſum cum ſeptimo die recepiſſet, fruſtra ad hoc remedium recurrit, morbique ſaeuitiae tandem ſuccubuit, mortalem deponens ſarcinam III. Id. Febr. cIↃcIcL.

Sepultura Carteſii.

§. XXIX. Aegerrime tulit tanti viri obitum Chriſtina, et, ſi fides BAILLLETO [x], lacrymarum imbre demonſtrauit, quanto deſiderio illuſtrem

r) Maxime illa notanda ſunt, quae de Regio Clerſelierius differit, quem cum rogaſſet, vt libro de homine figuras neceſſarias adiiceret, repulſam tulit, cauſſante Regio, fieri poſſe, vt concordantibus ſuis meletematibus cum Carteſianis haec exſcripſiſſe nonnullis videretur, ſi ipſe manum operi admoueret. Quae dum narrat Clerſelerius, haud obſcure prodit, Regium meditationes has phyſicas Carteſii, dudum in MSt. viſas expilaſſe.

s) Prodiit quoque opuſculorum poſthumorum Carteſii editio Amſtelodami 1701, vid. Act. erud. 1701, p. 532. ſeqq.

t) loc. cit. cap. 20. p. 275. ſeq.

v) Ibid. pag. 281. Boeclerus apud LEIBNIZIVM in notis ad vitam Carteſ. quae extant in CHR. THOMASII Hiſt. Sap. et Stult. T. II. p. 114. Maxime vero delirantem ex morbo Carteſium impediebat medicus regius Weules dictus, homo Batauus; qui olim Voëtii partes erat ſecutus, conf. HVETIVS l. c. p. 89. CRENIVS Animadu. P. I. p. 136. ſeqq.

x) Lib. VII. cap. 22. p. 281.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lustrem praeceptorem perdidisset. Legato ideo Galliae dolorem suum testata, locum sepulchri in honestissima regni sui parte ad regum Sueciae pedes, et pompam quoque funebrem atque mausoleum superbum promisit. Ast cum aliter visum esset legato Gallico, in coemeterio peregrinorum sepulchris destinato, sine pompa sepultus est, funus efferentibus ex Gallis honestissimis, qui aderant. Excitatus supra sepulchrum cippus asseribus ligneis cinctus, vt inscriptio sepulchralis addi posset. Ea hoc defuncti elogium retulit: D. O. M. *Regnante Christina, Gustaui I. pronepote, magni filia, auorum coepta patriaeque terminos victoriis nouis promouente, pacem demum armis quaesitam artibus ornante, accitis vndique terrarum sapientiae magistris, ipsa in exemplum futura, Renatus Des Cartes, ex eremo philosophica in lucem et ornamentum aulae vocatus, post IV. mensem morbo interiit, et sub hoc lapide mortalitatem reliquit A.C.* CIↃIↃCL. *vitae suae LIV. Renatus* DESCARTES *Perronii dominus, ex antiqua et nobili inter Pictones et Armoricos gente in Gallia natus, acceptas, quantacunque in scholis tradebatur, eruditione expectatione sua votisque minore, ad militiam per Germaniam et Pannoniam adolescens profectus, et in otiis hybernis naturae mysteria componens cum legibus matheseos, vtriusque arcana eadem claui referari posse ausus est sperare, et omissis fortuitorum studiis in villula solitarius prope Egmondum in Hollandia assidua viginti quinque annorum meditatione auso potitus est. Hinc toto orbe celeberrimus a rege suo conditionibus honorificis euocatus redierat ad contemplationis delicias, vnde auulsus admiratione virtutum maximae reginae, quae quicquid vbique excelluit, suum fecit, gratissimus aduenit, serio est auditus, et defletus obiit. Nouerint posteri, qualis vixerit Ren. des Cartes, vt cuius doctrinam olim suspicient, mores imitentur. Post instauratam a fundamentis philosophiam apertam ad penetralia naturae mortalibus viam nouam, certam, solidam, hoc vnum reliquit incertum, maior in eo esset modestia an scientia? Quae vero sciuit, verecunde affirmauit. Falsa non contentionibus, sed vero admoto refutauit, nullius antiquorum obtrectator, nemini viuentium grauis. Inuidorum criminationes purgauit innocentia morum, iniuriarum negligens, amicitiae tenax. Quod summum tandem est, ita per creaturarum gradus ad creatorem est conatus ascendere, vt opportunus Christo gratiae auctori in auita religione quiesceret. I nunc viator, et cogita, quanta fuerit Christina et qualis aula, cui mores isti placuerunt. Christianissimi regis Ludouici XIV. Ludouici iusti filii, Henrici M. nepotis, Anna Austriaca, optima, prudentissima, fortissima regina, annos et regnum filii regnante, legatus ordinarius Petrus Chanutus, hoc monumentum ad gloriam Dei, bonorum omnium datoris, Gallici nominis honorem, perpetuam memoriam amici carissimi Renati Des Cartes poni curauit anno VII. ab excessu Ludouici iusti.* Magnificum hoc esse elogium, nemo non videt, ast post fata quoque inuidiam Cartesio

conflare aptum; quam ioculari voce, si fides HVETIO [y], nonnemo prodidit, vocibus, sub hoc lapide, furtim adiiciens, ligneo, eo quod cippus iste lignea compage ad lapidis formam et colorem constructus esset atque dealbatus. Alii mordax cenotaphium, vt inter euntes in partes fieri solet, scripserunt [z], quos hoc loco non moramur; carissima tamen amicis semper et sectatoribus philosophi memoria fuit, quam nonnemo epitaphio, carmine Gallico scripto honorauit. Ceterum et amici in Suecia praesentes eius desiderium, quo vrebantur, conditis elogiis leuauerunt, et numo quoque eius laudes consecratae immortalitati apud Batauos sunt. Postquam autem regina in Romanae ecclesiae castra transierat, anno clo Io CLXVI cineres et ossa Cartesii ex Suecia in Galliam translata et superba pompa in ecclesia S. Genouefae condita, iustaque digna tanto viro eiusque nobilitate atque meritis persoluta sunt.

Character Cartesii ex delineatione Bailleti.

§. XXX. Dici non potest, quantam auctoritatem fama viri summi apud eos, qui vel amicitia eius vsi sunt, vel doctrinam eius secuti obtinuerit. Apud eos enim nemo inuentus est philosophorum veterum et recentiorum, qui cum Cartesio posset comparari. Cuius indicium esse potest, morum, meritorumque eius delineatio, quam consentiente tota Cartesianorum cohorte commentario suo de vita rebusque Cartesii in fine adiecit BAILLETVS [a]. Quem cum hactenus in enarranda vita maximi philosophi ducem secuti fuerimus, par est, vt hanc quoque, quam de corporis et animi dotibus Cartesii depictam dedit, εἰκόνα, contemplemur. Hoc auctore Cartesius corpore vsus est firmo, statura paulo supra mediocritatem assurgente, et cum partibus suis pulchre concordante, vultu laeto et iucundo, semperque sereno; vestitu amictus nec superbo, nec tamen singularem philosophi habitum affectante, et inter Hollandos ad mores regionis adaptato. Vitae genus adhibuit sobrium et frugale, nec deliciis mensae addictum, sed sanitati attemperatum, et lecto diutius non somni tantum caussa, sed meditationis quoque, haud raro affixum. Laboris erat patiens, et corpus quoque firmare exercitatione assuetus. Sanitatem autem studiose curauit, et venaesectionem caute prudenterque esse adhibendam statuit, eo quod innumeris nocuisset, ipse ad mortem vsque, non alio medico vsus, nisi se ipso, eo quod pharmacopoeorum et seplasiariorum artes parui penderet, et diaeta magis et regimine, quam medicaminibus corporis sanitatem posse conseruari, crederet. Familiares et domesticos aluit bonos, intelligentes, virtuti deditos, quos doctrina pariter atque exemplo formare annitebatur, vnde factum, vt ex eius seruitio viri docti et elegantes muneribus publicis praeficerentur. Circa bona vero fortunae adeo ἀδιαφορίαν sectatus est, vt, praeter ea, quae familia honeste alenda postulabat, de facultatibus augendis minime omnium esset

y) De Rebus ad eum pertinentibus L. III. p. m. 45. conf. Memoires pour l'histoire de Cartes. p. 99.

z) Vid. MAGIRVS Eponymol. crit. p. 186.

a) L. VIII. p. 286. seqq.

esset sollicitus, et animum tranquillum contentumque praesenti, omnibus diuitiis haberet potiorem. Inde factum vt fortunae procellis immotum impauidumque pectus obiecerit, eiusque inuidiam pariter atque fauores negligenter satis respexerit, in id potissimum intentus, vt se potius, quam fortunam vinceret, et cupiditates magis mutaret suas atque desideria, quam ordinem mundi inuerti cuperet. Ea autem magnitudine animi sustentabatur, vt omnem aliorum liberalitatem, excepto rege suo, respueret, et domus, commoditates, numos, oblataque vitae praesidia alia nollet admittere, ne vel vni esset grauis, vel libertatem venderet. Quem tamen animi generosi contemtum diuitiarum nec fastus extulit, nec superbia grauem fecit aliis, quorum abundantia nunquam eum inuidiae ignibus adussit. Ita vero factum, vt patrii reditus, in vita solitaria et a mollitie et luxuria longe remota abunde sufficerent. Quamuis autem solitudinem philosophiae caussae valde amaret, tantum tamen abest, vt difficiles Timonis mores imitatus sit, vt iucunditas morum, ex tranquillitate animi profecta, et vitae elegantia etiam in eius eremo philosophica eluceret, et quicunque eum adire cupiebant, illis se et facilem praeberet et confabulatione dulcissimum. Maluit autem latere, quam per ora virorum ferri, et conuersari magis studuit cum natura rerum, quam cum hominibus. Philosophiae enim praesidio gloriae cupiditatem superauerat, parum curans, quid de ipso alii iudicassent; et quamuis famam honestam non contemneret, placuit ei tamen magis, ignotum latere, quam ab aliis celebrari. Totus autem meditationi philosophicae silens et attentus se immersit, vnde rarior ei sermo et moderatus atque temperans eius vsus. Et licet paulo segnior esset ad scribendum, semel tamen arrepto calamo tanta concinnitate, ordine et perspicuitate scribebat, vt omnibus satisfaceret. Lectionem non omnem quidem contemnebat, ast modicam tamen adhibebat, paucis libris instructus, eo quod tot in illis vana, inutilia, superflua eum offenderent. Ingenium autem vastum et vi quadam ignea diuinum nactus, soliditatem, accurationemque ita seruauit, vt merito geometricum dici possit. Inde factum, vt memoriam, licet fidam satis et patentem, multis parasangis superauerit iudicandi acies in abditissima rerum penetralia, insolita celeritate penetrans, et cum sensu exquisito, recto et acuto, animi iudicium, non minus de rebus profundissimam meditationem postulantibus, quam de iis, quae quotidie in vulgus occurrunt, formans. Huic iunxit amorem veritatis non nisi cum morte dimissum, quem sinceritas animi ita sustentabat, vt totus candor esset, hocque charactere ab aliis cuperet distingui, nec morum elegantiam, ad falsitatem animi vnquam pateretur relabi. Vnde errori quidem ex ignorantia profecto facile ignouit, ast mendacium hostis implacabilis persecutus est. Cumque animo vere bono vteretur, docilitatem eam a natura accepit, quae ampliss imis scientiarum campis sufficeret, quaeque emendare errores facile pateretur. Inde enata modestia, tantae virtutis, vt cum pertinaciam

naciam ex ſuperbia ortam ei aduerſarii obiecerint, in iis caſibus, quos accuſabant, oſtenderit, nihil tale infixum eſſe animo, facileque ſe veritati cedere. Mores autem mites et humanos adeo amabat, vt vehementiam omnem cane peius et angue oderit, infenſiſſimos hoſtium latratus ſimili voce nunquam excipiens, iraeque atque affectuum intemperiei philoſophica virtute moderatus, pacemque, ita venatus, vt iniurias quamuis atrociſſimas facile obliuiſceretur, paratiorque eſſet ad ſepeliendos aliorum errores, quam memoria recolendos et obelo configendos. Addi his debent amicitiae conſtantia atque fides, et conſcientiae integritas nulla perfidia contaminata, facilitas animi a ſuſpicione libera, et in partes meliores prona, certe ſententiam ab incertis circumſtantiis prouide continens, et ad reconciliationem ſponte accurrens. Cumque coelebs viueret, ſemel tantum caſtitatem laedendo [b], humilitate coram Deo, et humanae imbecillitatis recordatione illum errorem pie emendauit. Tantam autem Deo creatori reuerentiam exhibuit, vt maxima cautione et prudentia de eo loqueretur ſcriberetque, et pro exiſtentia Dei aduerſus impios demonſtranda, quamcunque pugnam laetus ſuſciperet: vnde non niſi inuita ei veritate atheiſmus et ſcepticiſmus obiectus eſt. Nunquam autem theologiae fines laceſſere ſuſtinuit; ſed rationis lumina eo retulit, vt fidei inde certiſſima emolumenta naſcerentur. Vnde qui inimicam iudicarunt reuelationi eius philoſophiam, aut noluiſſe aut nequiuiſſe eum intelligere cenſendi ſunt. Qui autem fidem non ſeruauiſſe eccleſiae Romanae clamitant, aut de altaris ſacramento eum ab illa deuiaſſe coquerunt, non recordantur, et pie eum in illius gremio obiiſſe, et transſubſtantiationis dogma philoſophicis luminibus illuſtrauiſſe, quamuis accidentium laruas negligeret, et pietatem laudabilem ad finem vitae conſeruauiſſe, omnem autem doctrinam ſuam eccleſiae iudicio humiliter ſubieciſſe. Hactenus Bailletus. Qui cum laudatorem magis quam hiſtoricum in his egerit, nec viderit in Carteſio quicquam reprehenſione dignum, nos, poſitis partis ſtudiis, ſincero calamo deſcribemus, quid laudandum videatur in viro ſummo, quid culpandum merito, vt et virtuti meritisque ſuis conſtet honos, et habeant, qui philoſophari cupiunt, quibus exemplo maximorum virorum diſcant vitare deuia, regiamque viam recte tenere.

Laudes Carteſii.

§. XXXI. Accurate autem ad Carteſii hiſtoriam et philoſophiam attendentibus, eiusque conatus emendandae philoſophiae cum iis, quae ante eum ſuſceperunt magni in orbe philoſophico heroës comparantibus manifeſtum erit, fuiſſe eum virum ingenio maximo vereque philoſophico praeditum, adeoque ei, quod ſuſceperat, negotio omnium aptiſſimum. Nam et naturali pollebat iudicandi acie, et celeriter atque alte in veritatis cauſſas, et nexus propoſitionum penetrabat, poſitisque ſemel principiis claris et euidentibus, quid ex illis conſequi neceſſe eſſet, praeclare intelligebat.

b) Filiam extra matrimonium genuerat, quae quinquennis magno parentis luctu obiit.

ligebat. Quam iudicii vim satis produnt innumera, quae pulcherrime de natura animae humanae monuit, quaeque noua tunc erant nullisque cognita hactenus. Nec minori fertilitate imaginandi virtutem sese in Cartesio exseruisse et elegantem imaginum seriem atque ordinatam quasi aciem praeclare dispossuisse, ingeniosum physiologiae nouae aedificium satis superque comprobat. Quas naturalis ingenii Cartesiani virtutes auxit et perfecit scientiarum mathematicarum cognitio, qua multos alios anteuertebat. Earum enim praesidio didicerat euitata scholasticae methodi confusione ordinem in cogitando seruare, notiones formare perspicuas et adaequatas, partes quaestionum enumerare omnes, ideas inter se comparare, resectisque iis, quae ad rem non faciebant, iis inhaerere, ex quibus velut propositionibus vniuersalibus et fundamentalibus, axiomatibusque particulares veritates rite deducerentur. Cuius elegans specimen dedit in dissertatione *de Methodo*, de qua cum infra dicendum sit, hic alia non cumulamus. Ita ordinis, perspicuitatis, et methodi auxilio adiutus, mirum non est, profunde eum in haud paucas veritates penetrauisse. Accesserunt his virtutes animi, quae ad regendum intellectum plurimi faciunt, inter quas eminuit in viro summo animus excelsus, magnus, et a iuuentute sibi ea fiducia praesens, vt sine cortice natare, contemtisque ducibus incertis, tum de via veteri tritaque dubitare et recedere, tum nouam solus inire auderet. Aderat etiam rectus in eo animus, qui conculcatis praeiudiciis auctoritatis, antiquitatis, sectae, commodi, et similium, quibus velut peste quadam corrumpi solent philosophantium ingenia, ad naturam obiectorum, quae exploranda sibi delegerat, candide attendebat, et vnam inquirendae veritatis metam sibi figebat. Ita vero philosophiae scholasticae, quam a pueritia imbiberat, horror quidam et auersio enata est, qua eiicere eam totamque deserere, quam paciſci inter lucem et tenebras, illique noua miscere malebat. Recta haec via fuit, quam ingressus ad emendandam philosophiam longe felicius, quam multi ante eum alii, potuit grassari. Eam cum semel elegisset, magni animi constantia per totam fere vitam absoluit, et nec muneris, nec coniugii, nec aliarum, quae enasci in vita philosophantibus solent, circumstantiarum impedimentis in eo cursu sufflaminatus est, operam in eo collocans, ne amicorum interpellationes meditationes suas turbarent, quem in finem solitudinem Egmondianam prudenter elegit. Quis non Cartesium ad emendandos immutandosque philosophiae vultus iis mediis accessisse fateatur, quibus pauciſſimi alii tantum opus aggressi sunt. Nec a disciplinarum subsidiis vacuus fuit, quas adolescens magna contentione didicerat, nec a lectionis copia tantum imparatus, quantum voluit videri, vt supra iam obseruatum. Mille itaque fauoribus fati feliciter de philosophia disponentis instructum Cartesium reformare sapientiam naturalem aggressum esse, et his artibus plurimum profeciſſe, adeoque mereri vt inter maxima ingenia, qui in orbis philosophici theatro comparuerunt,

numeretur, non nos modo fatemur, sed concinit quoque, quicquid ingeniis diuinis, meritisque immortalibus pretium nouit statuere. Testes volumus non innumeram modo sectatorum cohortem, ad haec nostra tempora durantem, in qua viri fuere hodieque sunt praeclarissimis doctrinae speciminibus ingentem nominis famam adepti, sed alios quoque eosque haud paucos viros eruditos, quibus sectarium quidem Cartesii studium merito displicuit, ast qui nulli tamen dubitauerunt, debitis eum cumulare laudibus, iisque, quae recte ab eo prudenterque dicta sunt, sunt autem plurima, calculum adiicere. Cuius generis testimonia de Cartesio in tanto applaudentium aceruo plurima facile esset colligere, si specialem Cartesii et Cartesianae philosophiae historiam scriberemus: adeundus autem est THOMAS POPE-BLOVNTIVS [c], qui multa collegit. Ne tamen hoc loco abeamus ἀσύμβολοι, ex innumeris fere, duos producimus, praestantiae ingenii Cartesiani testes idoneos, iustosque doctrinae meritorumque eruditione partorum arbitros, viros illustres PAVLVM PELLISSONIVM et GOD. GVIL. LEIBNIZIVM. Quorum ille ita de Cartesio pronuntiat [d]: *Admiror Cartesium, quem maximi apud nos geometrae Fermatius et Roberualius, quibus ego magistris et amicis vsus sum, inter primos et praestantissimos orbis geometras numerare nulli dubitant. Meditationes eius metaphysicae sublimes sunt, et cum nobilissimis religionis Christianae veritatibus satis amice conspirant. Eleganter quoque scripta est eius methodus, quam cum puer fere deperiisset, iam praestantissimum specimen iudicii accurati sensusque recti iudico. Et profecto, quis vel ingenii vel inuentionis quid amplius praestantiusque excogitauerit pulcherrimo illo, quod construxit de mundo problemate? quem nostris oculis exposuit, nostrisque disputationibus tradidit diuina sapientia. Addo his laudibus de hoc summo philosopho, quod et alibi me fecisse memini, praestitisse se eum virum bonum, eumque vere se exhibuisse; suum autem systema non necessitatis titulo obtrusisse, vt sectatores nonnulli nimis illi addicti faciunt, sed possibilitatis nomine commendauisse. Sunt tamen inter noua eius dogmata, quae plane horreo* etc. Respondit ad ea LEIBNIZIVS ita, vt, *quamuis iuuenum multorum morem improbet materiam Cartesii crepantium, vt habeant, quibus veteres contemnant, et doctrinae antiquae nuntium mittant; licet etiam moneat, falli eos, qui eo solo contenti plus vltra non sapiunt, cum in geometricis quoque, limitibus se nimis circumscripserit; fatetur tamen, se Cartesium maximi facere, eo quod doctissimum se demonstrauerit, plusque legerit, quam sectatores eius credant: posseque de eo dici: esse eum ex illis, qui plurimum omnium inuentis antecessorum addidere.* Alio autem loco [e], postquam ea reprehendisset, quae in Cartesiana philosophia ipsi displicebant, addit: *Sed ista tamen omnia minime impediunt, quin Cartesium*

c) Censur. cel. auct. p. 1014.
d) Lettres de Mr. Leibniz et Mr. Pellisson de la tolerance p. m. 339.
e) Hist. Sap. et stult. a CHR. THOMASIO edita p. 122.

sium inter maximos viros censeamus, qui generis humani opus augere atque etiam inter errandum prosunt. Itaque Pythagoram, Democritum, Platonem, Aristotelem, Copernicum, Galilaeum, Baconum et Cartesium, (quibus Ioachimum Iungium adderem, si scripta eius extarent) aliosque, qui sibi homines immortalibus meritis obstrinxere; tamdiu colet posteritas, quamdiu memoria historiis, et virtuti veneratio erit. Adderemus DANIELIS [f] doctissimi ex Iesuitarum sodalitio Cartesii aduersarii censuram, omnino philosopho decoram, nisi ad ipsum eius libellum elegantissimum, et in Cartesianae philosophiae examine omnium minime negligendum lectorem ablegare nos iuberet instituti ratio, dicendorumque multitudo.

Reprehendenda in Cartesio.

§. XXXII. Aequos nos hoc pacto Cartesio praebuisse nobis persuademus, honoremque habuisse immortalibus, quibus vir summus eminebat, de philosophia meritis, credimus. Verum vt nihil est ab omni parte beatum, fatemur quoque imbecillitatibus laborauisse Cartesium, haud infimi generis, easque obstitisse, quo minus, quod suscepit reformandae philosophiae opus felicissimis auspiciis absoluisse sit dicendus. Et pulchre quidem ingenium eius praeparauisse, et acuisse quoque iudicium disciplinas mathematicas, non inficiamur, certumque putamus, hanc ei clauem naturae adyta in haud paucis reserauisse; et accurate atque ordinate cogitandi artificium suppeditasse: praeterea a multis eum praeiudiciis, quibus impeditur veritatis inquisitio, liberauisse. Ast dolendum magnopere, virum summum, ingenii magis mathematici, quam ipsius artis, vitio in proportionibus, modisque haesisse, et vitioso argumentandi genere, cum modorum atque relationum harmoniam et proportiones indagaret, ad essentias rerum definiendas ea transtulisse, id quod haud vnius erroris fons ei extitit. Cuius rei exemplum atque testimonium, luculentum esse potest, definita per extensionem materiae essentia, quae aperto errore essentiam cum modo confundit. Ast hoc semel posito non poterat non de impossibilitate vacui, de virium mensura et similibus in nouos errores incidere. Certe si detectis modis essentialibus, vltra progressus, limites superasset, quibus male retentus fuit, dubium non est, quin multa recte vidisset, quae aut ignorauit, aut perperam statuit. Vnde eleganter dixit LEIBNIZIVS [g], Cartesianismum non in ipsa philosophiae verae penetralia peruenisse, sed in vestibulo [h] haerere, et atrium naturae vix esse ingressum, vnde ad propiora et ipsam audientiam naturae properandum sit. Deinde probari in tanti nominis philosopho non potest, quod inter possibilitatem et probabilitatem accurate non distinxerit, et quod supra Pelissonium obseruantem audiuimus, contentus fuerit, si ita mundi ortum existere potuisse, prout ipse delinearat, concederetur. Magnum enim in-

f) Itin. Cartesii per mundum P. III. p. 185. add. SPANHEMIVS, Epist. de Nouissimis in Belgio circa res sacras controuersiis p. 57.

g) Leibniziana p. 7.

h) Antichambre de la philosophie.

ter possibile et verisimile discrimen intercedere, norunt, qui artis rationalis fundamenta et intellectus humani historiam paulo accuratius rimati sunt. Vnde recte hoc nomine Cartesium reprehendit Cl. RVDIGERVS [i]. Quamuis subscribere nolimus RAPINO [k] contendenti, Cartesium physiologiam suam pro fabula Romanensi habuisse. Aliter enim ipse CARTESIVS [l], qui satis modeste ita pronuntiat: *Quamuis forte hoc pacto intelligatur, quomodo res omnes naturales fieri potuerint, non tamen ideo concludi debet, ipsas reuera sic factas esse. Nam quemadmodum ab eodem artifice duo horologia fieri possunt, quae quamuis horas aeque bene indicent, et extrinsecus omnino similia sint, intus tamen ex valde dissimili rotularum compage constant: ita non dubium est, quin summus rerum opifex, omnia illa, quae videmus, pluribus diuersis modis potuerit efficere. Quod equidem verum esse lubentissime concedo, satisque a me praestitum putabo, si tantum ea quae scripsi talia sint, vt omnibus naturae phaenomenis accurate respondeant. Hocque etiam ad vsum vitae sufficiet, quia et medicina, et mechanica, et ceterae artes omnes, quae ope physicae perfici possunt, ea tantum quae sensilia sunt, ac proinde inter naturae phaenomena numeranda, pro fine habent. Et ne quis forte sibi persuadeat, Aristotelem aliquid amplius praestitisse, aut praestare voluisse, ipsemet in primo meteorologicorum, initio capitis septimi expresse testatur, de iis, quae sensui non sunt manifesta, se putare sufficientes rationes et demonstrationes afferre, si tantum ostendat, ea ita fieri posse, vt a se explicantur. Sed tamen, ne qua hic veritati fraus fiat, considerandum est quaedam esse, quae habentur certa moraliter, hoc est, quantum sufficit ad vsum vitae, quamuis si ad absolutam Dei potentiam referantur, sint incerta. Praeterea quaedam sunt, etiam in rebus naturalibus, quae absolute et plusquam moraliter certa existimamus*, etc. Nempe in ea sententia erat Cartesius, sufficere in demonstrandis rationibus sensuum testimonio non patentibus, si afferatur hypothesis, qua phaenomenis sensibus obuiis fiat satis; licet alia quoque dari possit, quae eadem praestet. Ast hoc pacto, non minus Aristotelis vel Epicuri physiologia admitti potest, quam Cartesii, si de sola possibilitate, deque hypothetica rationum veritate sermo sit: id quod vero sitienti minime faciet satis, qui, vbi quoque hypothesin adhibere cogitur, talem adducit, in qua circumstantiarum et rationum inter se apte cohaerentium, et cum phaenomenis pulchre concordantium harmonia magnam gignit verisimilitudinem, vnde quo simplicior hypothesis, legibusque naturalibus conuenientior, imprimis autem experientiae speciminibus confirmatior, eo probabiliorem rerum naturalium fistet analysin. Ad quod si attendisset Cartesius, abstinuisset forte a nonnullis, quae vel naturae legibus aduersantur, vel praeter solam possibilitatem verisimilitudinis habent nihil. Tacemus,

i) Phys. diuin. L. I. c. 1. §. 1. §. 39. seqq. p. 13. sqq.
k) Reflexions sur la philosophie §. 23. T. II. Opp. p. 353. seqq.
l) P. IV. Princip. philosoph. §. 204. seqq. p. m. 167. seq.

cemus, quod in Carteſio reprehendit ISAACVS VOSSIVS m), ſupponere quidem philoſophum notiones communes, claras, diſtinctas, poſtulata afferre ſatis aequa, et cum ratione non deneganda; aſt deinde in demonſtrationis ſerie alia inſerere, nec certa nec perſpicua, dimiſſisque principiis euidentibus ad hypotheſes neque euictas, neque euincendas vnquam, ſoloque ingenio ſuo enatas, quales ſunt globoli, particulae ſtriatae, elementa tria inuiſibilia etc. recurrere. Nihil autem magis Carteſium a veritatis via, quam tam felicibus auſpiciis ingreſſus erat, in deuia abduxit, quam ſtudium ſectam condendi, quae omnes alias ſuis ſedibus expelleret, vtque is haberetur, qui errores diuturnos, quos ſeminauiſſet philoſophia, duobus annorum millibus regnans, ſolus expuliſſet, orbemque philoſophicum ab iſta tyrannide liberauiſſet. Non fieri iniuriam Carteſio a nobis hoc ei ſectae ſtudium hancque *Φιλοκομπίαν* obiicientibus, quicquid de eius modeſtia iactet Bailletus, hiſtoria eius ſupra enarrata facit teſtatiſſimum, et vel vna in Regium partes Carteſianas relinquentem, et eclectico more philoſophari incipientem indignatio paedagogica ſatis ſuperque euincit. Nec in aliis quoque circumſtantiis hanc ſibi gloriam ſe vindicare velle, diſſimulare potuit. Hac voluntate actus vehementer commotus eſt, cum Burdinum Ieſuitam publice oppugnaſſe philoſophiam ſuam intelligeret: ea pupugit philoſophum, cum Honoratum Fabri philoſophiae ſyſtema a ſuo diuerſum edidiſſe didiciſſet, eo quod Ieſuitarum ſodalitium factum iri Carteſianum ſperaret. Nec alia cauſſa fuit, cur tantis moliminibus Vltraiectinos, Leidenſesque motus contra ſuae philoſophiae decreta tam impatienter tulerit, vt ad ſupremarum poteſtatum auxilia tandem recurreret; quae ſane omiſiſſet, ſi indifferens ei fuiſſet, vtrum hypotheſes ſuae in iſtis academiis docerentur nec ne? Ita vero dum ſua aliis obtrudit, et indigne fert, ſi vel abiiciantur, vel refutentur, ipſe ſibi haud ſemel in veritate indaganda obſtitit. Vnde ex vero pronuntiauit LEIBNIZIVS n): *Fuiſſe Carteſium, vt a viris doctis dudum notatum, et ex epiſtolis nimium appareat, immodicum contemtorem aliorum et famae cupiditate ab artificiis non abſtinentem, quae parum generoſa videri poſſint.* Et alio loco de Carteſio monet o), *virum hunc excellentiſſimae doctrinae veterum et recentiorum lumini, quod veritatis partem continebat, plurima de ſuo adieciſſe, aſt immenſam quandam et immodicam ambitionem ſtudiumque in caput ſectae emergendi ſeduxiſſe eum, vt hanc veritatum catenam, a ſe continuatam et auctam clauderet, et quaſi obſeraret; inde factum eſſe, vt ſectatores eam tantum per gyrum voluant reuoluantque et nihil addant vlterius; id vero non ſine veritatis detrimento fieri poſſe.* Neque pro Carteſio cauſſari quis poteſt, ipſum meditationes ſuas maximi nominis philoſophis examinandas dediſſe, et, mediante Merſenno, omnem lapidem mouiſſe, vt eorum obiectiones intelligeret. Nam ad hiſtoriam iſtarum obiectionum et inſtantiarum

m) De Nat. et propriet. lucis c. 4. p. 5. n) l. c. p. 117. o) Leibniziana p. 220.

ſupra enarratam attendentibus, palam erit, hoc ea tantum fini feciſſe Carteſium, vt praeuiſa philoſophorum tela contra hypotheſes nouas et inauditas eo felicius certiusque euerteret, iis autem, quae eorum aſſenſum meruerint, munitus maiori ſplendore in publicum prodiret. Vnde facile quidem ferre potuit, ſi contra quasdam eius meditationes nonnulla excepiſſent; aſt vbi reſpondiſſet, et ſatisfacere ſibi illum iſti negaſſent, indigniſſime id tulit, et nec diſſenſum ferre, nec reſpondere amplius ſuſtinuit. Id quod aduerſus Hobbeſium, et multo magis aduerſus Gaſſendum luculenter prodidit, manifeſtauitque, contradictionis diuturnae ſe eſſe impatientiſſimum, nihilque magis cupere, quam vt philoſophia ſua apud omnes triumphet. Inde, indignis tanto philoſopho, vbi reſpondere vel noluit, vel non potuit, contemtu vindicare aggreſſus eſt. Monuit quoque nonnemo p: *rationem ſcribendi, qua libros ſuos, etſi non omnes, tamen primum editos et fere de indiuiſis capitibus compoſuerat nouae philoſophiae conditor, peramplam ſane et grauem contradicendi materiam maximique momenti effata condemnandi praebuiſſe occaſionem. Scilicet rupto tandem poſt longas profundasque meditationes ſilentio, ſemet continuo filo introducere loquentem, et ſua, aliena, amica, inimica, vera, falſa, proba, improba eodem ore pronuntiantem, vt quid credat confirmetque, quid refellat et improbet, nonniſi multo labore, et repetita auctoris lectione dignoſci queat: quo ipſo facile acciderit, vt vera viri meditabundi ſententia haud obſeruetur vel intelligatur, ex aduerſo autem peregrina et falſa ei a iudice quoque non malo tribuatur. Egmondanae enim villae incluſum, a doctorum conſortio ſeparatum, veteris methodi pertaeſum, et vulgarem ſcientiam ceu ineptam et inutilem faſtidientem, dum priuatis vacet contemplationibus, et in certiora inquirat, parum curare, quibus verbis recepta ab omnibus veritas Vltraiecti vel Lugduni Batauorum exprimeretur, immo et ſuas meditationes iis quandoque enuntiationibus declarare, quae niſi meliorem habeant ſenſum quam prima fronte promittunt, etiam mitiſſimo homini non poſſint non ſtomachum mouere.* Recte hanc obſcuritatem Carteſii, eiusque cauſſas reprehendere virum hunc doctum, lectio ſcriptorum eius ſatis euincit: nec mirandum magnopere eſt, attendentibus, ex mathematicorum ſcholis ad philoſophiam Carteſium proceſſiſſe, ducemque elegiſſe methodum mathematicam. Quae, quamuis certiſſima ſit, et falli neſcia, ſi prudenter adhibeatur, poteſt tamen, ſi non meditantibus, certe legentibus meditata tenebras haud paucas obiicere. Nempe ſolenne mathematicis cogitationes ſuas ſignis notare arbitrariis, quorum vnus ille vſus eſt, vt diſtingui inter ſe, et comparari ſine confuſione queant. Eandem rationem in philoſophando quoque ingreſſus Carteſius, teſte diſſertatione *de Methodo*, in id potiſſimum primarioque incubuit, vt idearum, notionumque definitiones ex mente ſua ſtatueret; verbis arbitraria ſignificatione,

p) Vita Carteſii opp. phil. praemiſſa p. 6.

one, et a recepto sensu haud raro abeuntibus designatas. Has cum in meditando velut fontes omnis cognitionis supponeret, non potuit non plurimis ad receptas vocum significationes respicientibus esse obscurissimus, viderique multa sine ratione innouasse, quae ferri admittique possunt, si vocibus et definitionibus receptis exprimantur. Certe, obscurum inde factum esse, nemo non videt, praesertim, vbi nouas definitiones supponit magis quam affert et allegat. Tacemus quandam cogitationum ὑστέρων πρωτέρων confusionem, eo quod parum attendisse videtur, quae cogitationum series, qui ordo emicet, modo metam attigisset, id quod reprehendit in eo LEIBNIZIVS [q], Claubergium discipulum ideo magistro praeferens, quod ordinem, perspicuitatem et breuitatem pulchrius meliusque seruauerit. Nihil autem magis Cartesii memoriam et meritorum gloriam contaminauit, quam plagii suspicio: quod vitium ei viuo iam multoties obiectum est. Obseruatumque LEIBNIZIO [r]: *praeclare eum in rem suam vertisse aliorum cogitata, hancque rem dissimulatam ipsi in Suecia cum eruditis concertationes peperisse.* Valde ideo in eum insurrexerunt eius aduersarii, et magnam eo nomine in eum cumularunt inuidiam. Cuius exemplum lector ex HVETIO [s], capiat rogamus, quem hoc loco exscribere non vacat, meretur autem legi, cum res ipsa multam inde lucem accipiat. Verum non solorum aduersariorum haec accusatio fuit, sed viri quoque docti, quos aequos Cartesii admiratores et laudatores fuisse satis constat, hanc eius impotentiam animi libere culparunt, indignatique sunt, non fuisse professum Cartesium per quos profecerit. Possentque satis luculentae obseruationes P. BAYLII [ff], FONTENELLII [t], CROSAEI [u], MORHOFII [x], aliorumque afferri, si in speciali Cartesii historia condenda nostra versaretur industria. Vnius tamen LEIBNIZII [y], verba adducemus, cum quod iustissimum meritorum alienorum, etiam Cartesii, fuisse arbitrum, satis constet, isque in excusandis magis, quam confodiendis virorum doctorum infirmitatibus suam industriam laudabili exemplo posuerit, tum quod rem omnem in manifesta luce collocet. Scribit is hunc in modum, de arante alienis vitulis Cartesio: „Dogmata „eius metaphysica, velut circa ideas a sensibus remotas, et animae di„stinctionem a corpore, et fluxam per se rerum materialium fidem, pror„sus Platonica sunt. Argumentum pro existentia Dei, ex eo, quod ens „perfectissimum, vel quo maius intelligi non potest, existentiam inclu„dit, fuit Anselmi, et in libro contra insipientem inscripto inter eius ex„tat opera, passimque a Scholasticis examinatur. In doctrina de conti„nuo, pleno et loco Aristotelem noster secutus est, Stoicosque in re mo„rali penitus expressit, floriferis vt apes in saltibus omnia libans. In ex-

plicatione

q) Leibniziana p. 187.
r) Hist. Sap. l. c. p. 114.
s) Cens. philos. Cartes. c. 8. p. 115. Memoir pour le Cartesianisme p. 24.
ff) Dict. Tom. I. p. 681. Tom. IV. p. 4. 100.
t) Eloge de Mr. Leibniz.
u) Entretiens p. 320.
x) Polyhist. T. I. c. 24. §. 31.
y) loc. cit.

„plicatione rerum mechanica Leucippum et Democritum praeeuntes ha-
„buit, qui et vortices ipsos iam docuerant. Iordanus Brunus easdem
„fere de magnitudine vniuersi ideas habuisse dicitur, quemadmodum et
„notauit V. Cl. Stephanus Spleissius, vt de Gilberto nil dicam, cuius
„magneticae considerationes tum per se, tum ad systema vniuersi appli-
„catae, Cartesio plurimum profuerunt. Explicationem grauitatis per
„materiae solidioris reiectionem in tangente, quod in physica Cartesiana
„prope pulcherrimum est, didicit ex Keplero, qui similitudine palearum
„motu aquae in vase gyrantis ad centrum contrusarum rem explicuit
„primus. Actionem lucis in distans, similitudine baculi pressi iam veteres
„adumbrauere. Circa iridem a M. Antonio de Dominis non parum lucis
„accepit. Keplerum fuisse primum suum in dioptricis magistrum, et in
„eo argumento omnes ante se mortales longo interuallo antegressum, fa-
„tetur Cartesius in epistolis familiaribus, nam in scriptis, quae ipse edidit,
„longe abest a tali confessione aut laude, tametsi illa ratio, quae ratio-
„num directionem explicat, ex compositione nimirum duplicis conatus
„perpendicularis ad superficiem et ad eandem paralleli, diserte apud Kep-
„lerum extet, qui eodem, vt Cartesius, modo aequalitatem angulorum
„incidentiae et reflexionis hinc deducit. Idque gratam mentionem ideo
„merebatur, quod omnis prope Cartesii ratiocinatio huic innititur prin-
„cipio. Legem refractionis primum inuenisse Willebrordum Snellium,
„Isaacus Vossius patefecit, quanquam non ideo negare ausim, Cartesium
„in eadem incidere potuisse de suo. Negauit in epistolis, Vietam sibi
„lectum, sed Thomae Harrioti Angli libros analyticos posthumos anno
„cIↃ IↃ c xxxi editos vidisse, multi vix dubitant; vsque adeo magnus est eo-
„rum consensus cum calculo geometriae Cartesianae. Sane iam Harrio-
„tus aequationem nihilo aequalem posuit, et hinc deriuauit, quomodo
„oriatur aequatio ex multiplicatione radicum in se inuicem, et quomodo
„radiorum auctione, diminutione, multiplicatione aut diuisione variari
„aequatio possit, et quomodo proinde natura et constitutio aequationum
„et radicum cognosci possit ex terminorum habitudine. Itaque narrat
„celeberrimus Wallisius, Roberualium, qui miratus erat, vnde Cartesio in
„mentem veniisset, palmarium illud, aequationem ponere aequalem ni-
„hilo ad instar vnius quantitatis ostenso sibi a Domino de Cauendish li-
„bro Harrioti exclamasse: il l'a veu, il l'a veu, vidit, vidit. Reductio-
„nem quadrato-quadraticae aequationis ad cubicam superiori iam seculo
„inuenit Ludouicus Ferrarius, cuius vitam reliquit Cardanus eius fami-
„liaris. Denique fuit Cartesius, vt a viris doctis dudum notatum est, et
„ex epistolis nimium apparet, immodicus contemtor aliorum, et famae cu-
„piditate ab artificiis non abstinens, quae parum generosa videri possunt.
„Atque haec profecto non dico animo obtrectandi viro, quem mirifice
„aestimo, sed eo consilio, vt cuique suum tribuatur, nec vnus omnium
„laudes absorbeat; iustissimum enim est, vt inuentoribus suus honos
„constet,

„conſtet, nec ſublatis virtutum praemiis praeclara faciendi ſtudium refri-
„geſcat. Et vellem ego propoſitionum aut dogmatum, quae maioris mo-
„menti ſunt, auctores ſemper memorari, exemplo mathematicorum,
„qui Pythagorae, Platonis, et Archimedis et Euclidis et Apollonii, et
„Nicomedis et Dinoſtrati, et tot aliorum merita ſingulatim perpetua men-
„tione recognoſcunt. Optarim etiam, viros inſignes ſpem inanem am-
„pliandae tyrannidis in imperio philoſophico deponere, et ſectae conden-
„dae ambitionem exuere, vnde inepta partium ſtudia et bella literaria va-
„niſſima naſci ſolent, magno ſcientiae et pretioſi temporis detrimento.
„Non diſtinguuntur apud geometras Euclidei, Archimedei aut Apolloniа-
„ni: omnium eadem ſecta eſt, ſequi aperientem ſe vndecunque verita-
„tem. Neque vnquam quisquam orietur, qui totum ſibi vindicabit pa-
„trimonium eruditionis, aut qui genus humanum ingenio ſuperabit, et
„omnes praeſtinguet ſtellas exortus vt aethereus ſol. Legamus Carteſi-
„um, laudemus etiam, immo admiremur; ſed non ideo reliquos ne-
„gligamus, apud quos multa et magna extant, quae Carteſius non anim-
„aduertit.“ Hactenus Leibnizius, cuius monitis prudentiſſimis bonus quilibet facile ſubſcripſerit, faſſus Carteſium alienis plumis haud raro ſe ornauiſſe. Non negamus, poſſe interdum duos ſcriptores eandem veritatem detegere, licet nihil inter ſe communicauerint: fatemur etiam, licere philoſopho, in veritate indaganda verſanti aliorum cogitatis et inuentis vti. Aſt illud ad integram meditationum ſeriem trahi non poteſt, hoc gratam et ingenui pudoris plenam confeſſionem poſtulat, indicantem per quem profeceris. Ex quo intelligi poteſt, quid de obiecto Carteſio plagio iudicandum ſit. Apologiam tamen pro Carteſio ſcripſit BAILLETVS [z], luſcus immo coecus in perſpiciendis herois ſui infirmitatibus, cuius excuſationes eo tendunt, vt affirmet: multitudinem eorum, qui ſimilem ante eum ſententiam profeſſi ſunt, extollere pretium et praeſtantiam philoſophiae Carteſianae, et inſeruire ad intelligendum, quanti facienda ſint ea, quae adiecerit, vel vt erronea corrigeret, vel vt temere dicta confirmaret, et quae ſine principiis et methodo aſſerta ſint, ſuo loco reponeret: certum quoque eſſe, plurimos eum auctores, quos tamen expilaſſe dicitur, ignorauiſſe: fatendumque plus eum vnum detexiſſe, quam reliquos philoſophos ſimul omnes, certe veriſimilitudinis excellentia et connexione propoſitionum omnes eum anteuertere. Adeo enim perfectum et abſolutum eius ſyſtema eſſe, vt mirum non ſit, ea omnia, quae a veteribus et recentioribus pulchre prudenterque dicta ſunt, emendata ſuisque locis repoſita apud eum inueniri, quanquam opus non ſit fingere, quod ex eorum ſcriptis ea excerpſerit. Ipſum vero Carteſium ita reſpondiſſe, euenire ſibi, quod homini accuſato; quod alphabethi literas, vel dictionarium aliquod expilauerit, eo quod literas et voces in iis contentas

z) Lib. VIII. c. 10. p. 315. ſeqq.

tentas adhibuiſſet. Ad concatenatam enim cogitationum ſeriem et conſequentiarum neceſſitatem reſpicientibus, omnibus patere, hoc furti genus honeſtiſſimum eſſe et innocentiſſimum, nec ſe peccaſſe magis quam oratorem, qui verba ex Calepino transſumſerit. Ipſum autem primae inuentionis gloriam minime affectaſſe, ſed contentum, quod meditationum ſuarum auctor fuerit, affirmaſſe, ſufficere ſibi, quod nihil aſſeruerit, quod non certa ipſi ratio dictitaſſet. Adeo quoque gloriae huius cupidum non fuiſſe, vt cum auctores duo ipſius ſcrinia expilauerint, ipſe impunes eos dimiſerit. Parum haec omnia ad rem facere, quilibet intelligit, qui reſponſiones Bailleti examinat. Ipſe enim fatetur Bailletus, rei euidentia conuictus, multa apud Carteſium inueniri dicta iam et inuenta ab aliis; quae etiamſi emendaſſet, ſuoque ſyſtemati infarſiſſet aptiſſime, aequum tamen erat, eorum nomina non taceri, quibus ducibus vſus erat. Nec a lectione veterum et recentiorum imparatum fuiſſe alio loco BAILLETVS [a], licet tecte ſatis, fatetur, et res ipſa loquitur. Nec de verbis vel propoſitionibus nonnullis ab aliis vſurpatis ſermo eſt, ſed de integris demonſtrationibus vel hypotheſibus quoque primariis, quarum vnus primusque auctor Carteſius videri voluit, quod nullo in argumento magis, quam in mathematico patuit, et a viris doctis euidentibus ſpeciminibus eſt comprobatum. Quod an duobus ſimul auctoribus euenire queat, lectori expendendum relinquimus. Ipſe autem Carteſius adeo ἀπαθὴς non fuit, vt non vehementer excandeſceret, ſi quis ſua ipſi ſurripuiſſet, vt ex iis, quae de Iſaaci Beckmanni plagio in eum commiſſo ſupra narrauimus, conſtare poteſt. Non inficiabimur, Carteſio in adoleſcentia et iuuentute per omnem literaturam vaganti alteque librorum lectioni immerſo, poſtquam adulta aetate de nouo ſyſtemate cogitare coepiſſet, multa recurriſſe, quae prius legerat, licet, vnde ipſi innotuiſſent, non eſſet recordatus, et hoc pacto in quibusdam excuſari eum poſſe putamus. Aſt haec illis omnibus non conueniunt, quae viri docti paſſim illi obiiciunt, quaeque ſatis produnt, libros et verba ſcriptorum eum coram fuiſſe intuitum, cum his ducibus in meditatione ſua interdum vteretur. Reliqua, quae in eo laudauit Bailletus, prolixius non examinabimus, quidque in virtutibus eius vel ſuſpectum vel reprehendendum ſit, ambitioſe exponemus: concedemus hanc viro ſummo gloriam, integre eum et philoſophice vixiſſe, nec has quoque ei laudes inuidebimus, a doctrina eccleſiae Romanae eum non declinauiſſe, quamuis ex iis, quae alibi de Carteſianis circa transſubſtantiationem placitis diximus, conſtet, nihil minus eum, quam mentem patrum Tridentinorum, expoſuiſſe; ſubſcribendumque putemus PELLISSONIO [b] affirmanti, impoſſibile eſſe, vt eius idea corporis cum doctrina Romanae eccleſiae de corpore I. C. in S. coena concilietur. Videant de his, quorum intereſt, et imprimis, qui hoc dogma ſtomacho philoſophico concoquere poſſunt,

a) L. l. c. 7. p. 18.

b) l. c. p. 344.

possunt, vel pro Cartesii orthodoxia pugnant. Quin nec morose refragabimur, si quis putet pertinaciam, et alia vitia ab HVETIO [c] aliisque perperam ei obiici. De eo enim ex vitae eius historia constare potest. Iniquos autem esse, qui Scepticismum et atheismum ei obiiciunt, infra dicemus [d], quemadmodum audiendi non sunt, qui impie eum obiisse, nugati sunt [e].

§. XXXIII. Scripsit plurima Cartesius, philosophica et mathematica, quorum fere omnium historiam iam tetigimus. Inter ea geometricis primum locum tribuit PETR. DAN. HVETIVS [f], satis acer Cartesianae philosophiae censor, his dioptrica iungit, et tunc tractatum de passionibus animae; vltimo loco ponit principia philosophiae. In meteorologicis iudicium non desiderari fatetur, at experientiam, multorumque inde paralogismorum caussam esse deriuandam monet. Vulgaria autem in dissertatione de methodo contineri iudicat, non tamen inutilia auctori suo ad quaedam feliciter detegenda. Omnium autem leuissimum scriptum esse censet, quod meditationes philosophicas continet. Inde vero colligit, imaginandi facultatem primum, ingenium sublime secundum, iudicium tertium apud Cartesium locum obtinuisse. Nobis non aliena prorsus a partis studio haec Huetii censura videtur, cum satis probauerit Cartesius, iudicii acumine haud vulgari se vti, vbi hypotheseos amore et praeiudicio fascinatus haud fuit. Id vero ne Cartesiani quidem, et in his acutissimus MALLEBRANCHIVS [g] negarunt, tractationem *de Formatione foetus* omnium minime placere posse. Quae sine dubio caussa fuit, cur in editione Gallica recentiori [h] nonnulla emendata, et ordini atque veritati restituta sint. *Scripta Cartesii.*

§. XXXIV. Vidimus hactenus Cartesianae philosophiae natales, incunabula et adolescentiam, narrauimusque, vitam atque fata Cartesii exponendo, quo pacto in lucem prodierint magni viri cogitata, et in corpus aliquod coëuntia recepta fuerint Vltraiecti a Renero et Regio, oppugnata a Voëtio et commilitonibus, Lugduni Batauorum autem magnos viros fautores assecutasque nacta fuerint. Heydanum autem et Heerebordum post Regium primarios Cartesianae philosophiae in vsum scholarum traductae doctores fuisse; et sereniissimas quoque foeminas Elisabetham Palatinam et Christinam Sueciae reginam plurimum illi tribuisse, innumeros vero aduersarios eam expertam esse, prolixe satis tradidimus. Ita ad mortem Cartesii, et seculi XVII mediam partem Cartesianismi historiam succincta narratione complexi sumus. Postulat iam institutum, vt quae fata post illustrem conditorem suum habuerit, quibus incrementis, impedi- *Fata philosophiae Cartesianae post mortem conditoris.*

c) loc. cit.
d) Conf. AND. RITTERI Diss. de religione Cartesii.
e) Creigthon in Ep. ad Regium apud DANIEL. Itin. Cartes. P. II. p. 119.
f) Cens. phil. Cartes. c. 8. §. 5. p. 107.
g) De la recherche de la verité L. II. c. 7. add. MOSHEM. ad CVDWORTH. p. 153. 823.
h) Paris 1729. 12.

mentis, fautoribus et aduerſariis fuerit porro gauiſus, exponamus. Vbi dolemus, eandem Carteſianae philoſophiae hiſtoriae operam neminem hactenus tribuiſſe, quam in deſcribendis Carteſii rebus praeſtitit Bailletus. Quamuis enim de motibus ob Carteſianiſmum inter Batauos exortis complures differuerint, nemo tamen hactenus fuit, qui totam Carteſianae philoſophiae hiſtoriam integra tractatione delinearet. Id quod eo magis miramur, quo magis non tantum in ampliſſimam ſectam hodienum nondum penitus exſpirantem tranſiit, et innumeris fatis memorabilem in theatro philoſophico locum meruit, ſed et plurima in naturalem potiſſimum et metaphyſicam philoſophiae partem commoda ex illa redundauerunt. Neque tamen nobis quoque ſatis arctis limitibus circumſcriptis Carteſianiſmi poſt conditoris fata caput attollentis hiſtoriam integram plenamque deſcribere licet, ſingularem enim tractationem ea poſtulat, ſed more noſtro ſtrictim ea afferemus, quae in vniuerſali philoſophiae hiſtoria omitti non poſſunt. Addemus autem vitas Carteſianorum nonnullorum ad finem paginae, breuitati conſulturi, quos omittere ob fatorum diuerſitatem in hac parte non licet, fontesque indicabimus, vnde plura haurire lectori licebit.

Laeta initio Carteſianiſmi fata ſublato Carteſio.

§. XXXV. Sublato e viuis Carteſio, famaque de eius obitu non ſine mendaci circumſtantiarum rumore per Batauos ſparſa, actum de Carteſiana philoſophia eſſe, ſibi perſuadebant Carteſii aduerſarii, gaudebantque in ſinu, eſſe deſiiſſe eum, qui ſudes illis erat in oculis: ita enim ſperabant, fore, vt, quam nouitas commendaſſet et auctoris gratia, doctrina cito euileſcat. Aſt decepti ſunt miſere: Nam qui prius elegantia et perſpicuitate ratiociniorum Carteſianorum capti erant, dimittere doctrinam nouam eo minus voluere, quo minus veterem ſcholarum philoſophiam vt deamarent iterum, in animum potuere inducere. Inde et medici nonnulli in priſtina via haerebant, et theologi Lugduni Batauorum Bredaeque docentes eam porro commendare illuſtrareque pergebant. Quin et alii acceſſerunt, qui clamores Voëtianos impedire ſe paſſi haud ſunt, quo minus ad Carteſianam philoſophiam reſpicerent, eamque cum placitis theologicis conciliatam publice traderent. Inter eos, ſi non primus, quod quidem vult P. BAYLE [i], non vero patitur Heydani ſtudium ſupra iam memoratum, inter primos tamen et praecipuos fuit Chriſtophorus Wittichius vir doctus et diſertus [k]. Is enim cum adhuc apud Nouiomagenſes in miniſterio ſacro verſaretur, Carteſianae philoſophiae ſtudium addixit ſuum, Cocceii quoque partibus tum magno ſtudio inter theologos Batauos

i) Dict. T. IV. Art. Wittichius p. 509.

k) Natus eſt Briegae Sileſiorum Non. Oct. 1625. a patre iurisprudentiae diſcendae cauſſa Bremam miſſus, theologiae ſtudium elegit, inque id diligenter Bremae, Lugduni Batauorum et Groningae incubuit. Ita eruditionis diuitiis praeclare auctus ad Herbornenſe gymnaſium 1651. et biennio poſt Duisburgum vocatus eſt, vbi doctoris inſignia acaepit. Inde Nouiomagenſibus operam collocauit ſuam, anno 1671. autem ad Lugdunenſem cathedram euocatus eſt, cui vsque ad annum 1687. praefuit, quo mortalitatem depoſuit. Vid. BAYLE l. c. IAC. GRONOVIVS in Orat. parent. BENTHEM. in Stat. ſcholaſt. et eccleſ. Batauorum P. II. c. 2. §. 100. p. 405. Eius Anti-Spinoſam edidit frater.

Batauos emergentes complexus. Id quod magnas quidem contentiones cum Samuele Mareſio et Melchiore Leydekkero illi attraxit, quibus tamen ita eruditum calamum oppoſuit, vt doctrinae cauſſa ad Leidenſem cathedram traduceretur. In qua conſtitutus eruditione, induſtria, perſpicuitate vitaeque innocentia tanta auctoritate eminuit, vt plurima inde incrementa Carteſiana philoſophia caperet, et frequenti is auditorio eam traderet. Sed ſcriptis quoque cauſſam Carteſii adiuuit, et impietatis ſuſpicionem ab eo remouit, vulgatis *Annotationibus in Ren. Carteſii Meditationes*, quae poſthumae prodiere, et imprimis edito *Conſenſu veritatis in ſcriptura diuina et infallibili reuelatae cum veritate philoſophica a Renato Des-Cartes detecta, cuius occaſione liber II. et III. principiorum philoſophicorum dicti Des-Cartes maximam partem illuſtrantur*, cuius editionem alteram, eamque auctam ipſe viuus adhuc vulgauit [l]. Hoc magiſtro praeeunte cum haud pauci, qui ſacrae doctrinae ſtudiis ſe dederant, ab eius ore penderent, factum eſt, vt diſcipulorum quamplurimi in Carteſii ſententiam pedibus irent. Quisquis enim vel theologiae vel medicinae diſciplinis addictus ſcholaſticae philoſophiae, veterisque παιδείας ſqualorem perhorreſcebat, et abiectis tricis Peripateticis elegantius ratiocinari, aut veritatem altius rimari cupiebat, pronis amplexibus Carteſiana dogmata excepit. Ita vero et methodus Carteſio familiaris inter Batauos et in vicinia ad theologos ampliſſimis conatibus traducta eſt, et principia metaphyſica Carteſii ad demonſtrandam religionis Chriſtianae veritatem et explicanda myſteria nonnulla adhibita ſunt. Idque tanta contentione, vt noua plerumque placere ſolent, tantoque ſtudio actum, vt praeter omnem expectationem eccleſiae ſcholaeque Batauorum Carteſii ſequacibus replerentur. Nec huius tantum terrae limitibus circumſcripta fuit fortuna doctrinae Carteſianae, ſed et excitata ab electore Brandenburgico Duisburgenſi academia cum ipſis fere eius ſcholae incunabulis Carteſiana philoſophia radices egit ampliſſimas. Quo loco praeſtantiſſime et praeclare de hac philoſophia meruit Ioannes Claubergius, vir doctus, acutus, et ad hoc eruditionis genus fere natus [m]. Is enim demonſtrata, mox poſt Carteſii mortem magno illo, qui inter ſcholaſticam et Carteſianam philoſophiam intercedit, diſcrimine, oculos multis aperuit [n], vt ſobrie magis de philoſophiae huius ſtudiis ſtatuere, et non obſtantibus profeſſorum clamo-

l) Lugd. Bat. 1682. 4.

m) Natus eſt Ioannes Claubergius Solingae, comitatus Marchiae oppido VI. Cal. Mart. anno 1622. Bremae praeceptorem nactus Gerardum Neufuille, ſcholaſticam philoſophiam horrere coepit, et ad Carteſianam traductus eſt, cuius elementa accepit Lugduni Batauorum a Ioanne de Raei. Ita vero philoſophiae myſteriis initiatus praeclarae eruditionis laudes retulit, dignus iudicatus, cui in academia Duisburgenſi philoſophiae, et tum theologiae docendae munus crederetur, denatus prid. Cal. Ian. 1665. profeſſor theologiae primarius. Laudauiſſe eum Leibnizium, et ordinis, doctrinae et perſpicuitatis nomine Carteſio praetuliſſe, ſupra narrauimus. Peculiare autem eſt, quod IDEM Leibnizian. p. 147. tradit, dixiſſe Claubergium, ſe noſſe modum eloquendi naturam mentis, ſed noluiſſe indicare. Saepe autem in profundam quandam ecſtaſin abreptum eſſe cogitando, et aliquando ſic obiiſſe. Quales ecſtaſes Carteſianas falſe ridet P. DANIEL. Itin. Carteſ. per mundum P. I. p. 15. et imprimis p. 36. Claubergium petere videtur.

n) Duisburgi 1651. 8.

clamoribus sapere discerent. Ita praeparatis animis cum praeter *Principia philosophiae*, quae naturalem partem tantum explicant, reliquarum scientiarum philosophicarum systema aut institutiones Cartesius non reliquisset, ipse iis vsus, quae in dissertatione *de Methodo*, et in *Meditationibus* dixerat Cartesius, nouas *rationalis philosophiae institutiones conscripsit*, et inuidiae declinandae caussa cum logica veteri comparauit [o]. In quibus licet non omne punctum tulisse nonnullis visus sit [p], merito tamen laudanda methodi perspicuitas, et obseruationum farrago haud contemnenda [q], simili conatu metaphysicam aggressus in *Principiis philosophiae siue ontosophia et scientia prima de iis, quae Deo creaturisque suo modo communia attribuuntur* [r], Cartesii meditationes supplere, emendare, et metaphysicam philosophiae partem noua luce collustrare annisus est. Tacemus scripta philosophica alia, iunctim edita [s], quibus post Cartesium inter primarios huius doctrinae professores meruit referri. Quod in Duisburgensi academia pro propaganda philosophia Cartesiana susceperat Claubergius, id in Groeningensi sategerunt facere Iacobus Gousset et Tobias Andreae. Et ille quidem licet orientalis literaturae studiis se valde addixisset, magnum inde nomen consecutus [ff], in academiam tamen istam a Braunio traductus, magna quoque industria philosophiam Cartesianam extulit [t]; quam licet initio docere publice, aduersariorum insultus pertimescens, recusaret, postea tamen et viua voce, et calamo pro Cartesii caussa pugnauit. Testes volumus, *dissertationes pro Cartesio* duas, quarum vna, *Cartesianum mundi systema, non, vt quidam existimant, periculosum esse* euincere satagit [u]; altera sistit *caussarum primae et secundarum realem operationem, rationibus confirmatam, et ab obiectionibus defensam; de quibus etiam apologia fit pro Renato Des-Cartes aduersus discipulos eius pseudonymos* [x]. Tobias Andreae [y] autem, qui in ea academia historiam Graecasque literas docuit, et Iacobi Reuii *Considerationibus theologicis assertionem methodi Cartesianae* et Henrico Regio, in *Breui explicatione mentis humanae*, a Cartesio, vt supra dictum, diuortium facienti; edita *Breui replicatione* respondit. Eadem philosophiae Cartesianae fortuna Franequerae fuit, in qua schola Cartesianam philosophiam licet prudenti moderatoque selectu valde promouit Hermannus Alexander Roëllius, vir doctissimus atque acumine iudicii insignis [z], quod

o) Logica vetus et noua, Solisbaci 1685.

p) CHR. THOMAS. Intr. in phil. aul. c. 2. §. 6. Praef. ad introd. in philos. rat. §. 12. p. 39.

q) BVDDEVS Isagog. L. I. c. 4. p. 246. STOLLIVS Hist. lit. P. II. c. 1. §. 24. p. 442. seq.

r) Groeningae 1646. vid. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. IV. p. 69.

s) Amstelod. 1691. 4. Vitam eius praemisit Henr. Chr. Henninius.

ff) Vid. PAVL. COLOMESII Biblioth. Orient. p. 244.

t) BENTHEM. l. c. p. 282.

u) Adiecta est tractatui de viua deque mortua fide Amst. 1696. 8.

x) Leouard. 1716. 4.

y) Natus est Braunsfeldiae in Solmensi comitatu, 1604. praeceptoresque habuit Herborniae Alstedium et Piscatorem, Bremae Nouauillanum 1628. Groeningae priuatim docuit, educationi filiorum Iac. Altingii praefectus. Tandem 1634. Graecas literas et historiam tradere iussus, obiit 1674. conf. BENTHEM. l. c. §. 28. p. 236.

z) Edidit eum comitatus Marchiae, promouit Dauentriae ad ecclesiastis munus 1686. ad theologiam

quod in eleganti dissertatione *de Religione naturali* [a] demonstrauit. In ipsa Amstelodamensi vrbe Cartesio non defuisse sectatores, Stephani Curcellaei exemplum probat, quem Cartesii *Principia philosophica* Latine edidisse, supra narrauimus. Addi his potest Ioannes de Raei inter primos Cartesii discipulos conspicuus, et imprimis Balthasar Bekkerus, ecclesiastes Amstelodamensis. Hunc enim non modo famosa controuersia de negata operatione daemonum reddidit celeberrimum, quam infra, ad specialem theologiae naturalis historiam delati, ex instituto enarrabimus; sed et lites Cartesianae in Belgio fecere notissimum. Nam cum anno CIↃ IↃ CLVIII candidam et sinceram admonitionem de philosophia Cartesiana edidisset, *non quod philosophiae istius caussam agere vellet, sed vt rei ignaros doceret, quid de ista philosophia esset statuendum, et vt fratres, vt ait in dedicatione, suos in Frisia moneret, quicquid illud sit, quod huic philosophiae obiiceretur, tanti tamen non esse, vt tantas mereatur turbas et nihil quidquam cum orthodoxia ecclesiae reformatae pugnare, sed amice potius conspirare*: placuisse quidem ob moderationem visus est, non modo Schotano, sed ipsi quoque Maresio, infenso Cartesianorum hosti, praecipue vbi cum Voëtio in gratiam redierat. Ast praeter expectationem suam Voëtianae factioni in Frisia valde displicuit; cumque *Catechismum* quoque edidisset, in quo petiisse Maresium iudicabatur, dici non potest, quantas ipsi turbas et persecutiones excitauerit Cartesianismi nomine Maresius [b], quae tandem, traductis Cartesii hypothesibus ad negatam daemonum operationem, ei funestae fuere. Tandem nec in Vltraiectina academia non obstante Voëtii zelo defuere Cartesio assectae, mereturque inter theologos eius scholae hoc nomine notari Franciscus Burmannus. Tacemus alios multos, nec doctrinae laude, nec pietatis nomine carentes, qui pulchrum putarunt sacrae disciplinae Cartesianam sapientiam iungere.

Noua molimina theologorum Cartesianorum in Belgio.

§. XXXVI. Credi vix potest, quanta alacritate viri docti in hanc nouam philosophiam incubuerint, cuius res vt praeclare promouerent, non sine sarcasmis et satyra in scholasticam, quae tunc obtinebat, philosophiam inuecti sunt. Testis eius rei est ANTONIVS HVLSIVS [c], qui *publico exceptos esse sibilo* conqueritur, *qui dicerent philosophiam esse theologiae ancillam, cachinno vero, si quis termino aliquo philosophico, etsi in theologicis tritissimo, vteretur.* Nempe *abstinendum sibi*, quod profitetur Io. BRAVNIVS [d], statuebant, *ab omni prorsus vocabulo,*

giam docendam Franequera 1686. Vltraiectum 1704. denatus est 1718. De controuersiis eius de generatione filii infra dicendum. Conf. Iudicium eccles. de Roëllio laudatum a Theol. Lugd. Bat. p. 1. 2.

a) Vid. Act. philos. Vol. II. p. 203. conf. BENTHEM. l. c. p. 322. Amicorum albis inscribere solebat:

Non ego sum veterum non assecla, amice, nouorum
Seu vetus est, verum diligo siue nouum.

Idem vero plerosque theologos Cartesianos tenuisse ex dicendis constabit.

b) Accurate rem totam enarrat S. Rev. MICH. LILIENTHAL. peculiar. diss. quae inter Selecta historica et literaria secundum locum p. 18. seqq. occupat. Qui quoque vitam viri famosi vsque ad munus Amstelodamense enarrat.

c) Theol. hypoth. P. II. p. 15.

d) Praef. ad doctrin. foederum.

lo, et dictione, quae non esset Latina; putabant enim iactabantque, horridum istum barbarumque sermonem monachalis sapientiae simul inuexisse in theologiam spinosas quaestiones, distinctionesque, quae instar telae araneae multum habeant subtilitatis, sed nihil soliditatis, multas habeant superstitiones, errores, haereses. Nec hoc solum illos occupabat, sed cum egregie de theologia naturali meruisse Cartesium crederent, eiectis spectris scholasticis, nouas veritates ex schola Cartesiana ad theologorum cathedras traducere laborabant. Inter quas assertiones nobilissimae sunt: euidentiam esse vnicum criterium veritatis, et ad hunc canonem veritates omnes, etiam theologicas, esse exigandas: dubitationem recte principium omnis cognitionis certae fallique nesciae venditari; loqui oracula sacra de rebus naturalibus secundum captum hominum; ideam Dei ita innatam esse homini, vt inde euidentissima pro eius existentia ratio duci possit: mundum esse indefinitum; primum cogitandi atque philosophandi principium esse: cogito, ergo sum; moueri terram circa solem suo loco nunquam motum; essentiam spiritus quaerendam in cogitatione, materiae in extensione; affirmare et negare, id est, iudicare voluntatem, non intellectum: falli saepissime sensus; esse bruta non animalia sed machinas; personalitatis rationem quaerendam esse in negatione; creauisse initio Deum materiam, eique certas motus, ordinis et quantitatis leges praescripsisse, vt primo eius impulsu semel commota, iuxta leges naturales impressas se ipsam fingeret componeretque: hancque rationem hodienum obtinere: adeo clarum esse congenitumque rationis lumen, vt non alia interpretationis norma circa scripturam sacram possit adhiberi. Palmariae hae assertiones sunt, quibus Cartesianismus aliam in haud paucis articulis faciem theologiae inter theologos Batauos finxit. Quibus deinde inaedificata sunt dogmata alia: de attributis Dei absolutis et relatiuis, de trina subsistentia personarum diuinarum, de creationis modo mechanico, de hexaëmero creationis, de mundi systemate, de Angelorum existentia et essentia, loco et motu, de vnione animae et corporis, de Hominis sensibus, affectibus, imagine Dei, peccato originis et libero arbitrio, de subsistentia τοῦ λόγου eiusue personalitate, de Natura fidei, de Natura boni moralis, de Mortis indole, similibusque. Quae enarrare hoc loco ampliori commentatione, esset extra oleas vagari, cum ad ecclesiasticam recentioris aetatis historiam id pertineat, et in scholis theologorum soleat exponi. Consulendi autem non illi modo sunt, qui sacrae ciuitatis annales condiderunt, vel polemicam theologiam tradiderunt [e], sed imprimis ipsi ex Cartesianis theologi celeberrimi nominis WITICHIVS, CLAVBERGIVS, ALLINGA, BVRMANNVS, HEIDANVS, aliique, cumque his conferendi, qui totis viribus Cartesianam hanc theologiam oppugnauerunt MARESIVS, LEYDEKKERVS, VAN MASTRICHT, aliique,

e) Capita pleraque huc pertinentia adductis auctorum locis succincte exponunt Io. OLEARIVS in Synopsi controuersiarum et ZACH. GRAPIVS in Theologia recens controuersa.

aliique magno numero ab illis laudati, qui controuerſias Carteſianas inter theologos Batauos enarrarunt. Deſcribi autem vix poteſt, quantos inde motus, ſaepe funeſtos, reique ſacrae in eccleſiis Belgicis admodum noxios viderit illa aetas. Cum enim iam viuo Carteſio grauem dicam ſcripſiſſet Gisbertus Voëtius, isque theologos plerosque in ſuas partes perduxiſſet, extincto, quem grauem in vita expertus eſt leoni inſultans coelum terramque miſcuit. Qui licet initio cum Samuele Mareſio contentionis ſerram reciprocauiſſet, cum eo tamen reconciliatus, theologum hunc magnorum animorum et irarum in partes contra Carteſianos pertraxit: quos ſecuti ſunt iunctisque vmbonibus in aciem proceſſerunt, Petrus van Maſtricht, Reinerius Vogelſangius, Fridericus Spanhemius, Melchior Leydekkerus, et integrae cohortes Deorum minorum. Ii et in cathedra, et in libris gangraenae huic, ita enim vocabant, latiſſime ſerpenti ſe oppoſuerunt, maxime vero ad magiſtratus conuerſi, et de impietate indies impudentius liberiusque graſſante vehementer conqueſti, armare in Carteſianos ſuperiores, et grauiſſimis interdictis pellere doctrinam infeſtis ſignis vehementer inſtantem totis viribus ſategerunt. Quae tamen omnia hoc loco enarrari non poſſunt, et vel in foederati Belgii hiſtoria ſacra, vel in ſpecialibus Carteſianiſmi annalibus latius debent exponi; imprimis autem arcanae rationes, quae indigniſſimis modis theologos inter ſe armauerunt, et in mutua viſcera tela vt adigerent, compulerunt, detegi. Ad quae recte tenenda conſuli ante omnes alios merentur IRENAEI PHILALETHAE, vel qui hoc perſonato nomine latet IACOBI RHENFERDII *Breuis et ſincera narratio de prima origine litium, quae per quadraginta annos eccleſias Belgicas conturbarunt*, vernacula edita [f], addique FRIDERICI SPANHEMII *Epiſtola de nouiſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidiis*, comparari autem GOVSSETII *Apologia pro Carteſio*. Alios ex noſtratibus quoque, qui has controuerſias earumque hiſtoriam tetigerunt, cum nominauerint cel. PFAFFIVS [g], et SAGITTARIVS atque SCHMIDIVS [h], hoc loco non excitamus.

§. XXXVII. Multum nocuere Carteſianae philoſophiae incrementis hae controuerſiae, floremque laetiſſime exſurgentem velut imber quidam depreſſerunt. Et multum quidem ad id contulere Anti-Carteſianorum clamores et ſuſpiciones, qui cauſſam Dei agi, contaminari doctrinae puritatem, atheiſmo frigidam ſuffundi, eleuari reuelationis fidem, conculcari Chriſtianae religionis myſteria, et quae alia fuere ἐγκλήματα grauiſſima, non in cathedris modo academicis et libris eriſticis, ſed in ſenatu quoque ſacro, immo ad plebem quoque et in ſuggeſtu ſacro conqueſti ſunt, et has querelas ſuas ad magiſtratus, academiarum moderatores curatoresque,

Impedimenta Carteſianae philoſophiae obiecta.

f) Kort en opregt Verhaal van de eerſte Oorſprong der Broedertwiſten, die nu veertig Iaaren de Niderlandſche Kerken ontruſt hebben, Amſt. 1708. 8. Arcanam hiſtoriam harum controuerſiarum ibi detegi obſeruat Cl. LILIENTHAL l. c. p. 28. not. 10.

g) Hiſt. lit. theol. P. II. p. 299.

h) Intr. in hiſt. eccl. P. I. p. 925. P. II. p. 627.

que, synodorum praesides, et quotquot auctoritate pollebant, detulerunt. Qui cum pauci rem omnem ab ouo, quod aiunt, incipiendo examinare possent, turbasque maximas merito timerent, prouidi, ne quid respublica et ecclesia detrimenti caperet, seueris interdictis Cartesianismi incrementa sufflaminarunt, etsi extinguere eum minime possent. Ipsorum tamen Cartesii sequacium culpa etiam factum, vt haec factio haud parum in Belgio deprimeretur. Et potior quidem caussa apud eos quaerenda est, qui intra limites, quibus se Cartesius prudenter continuit, non consistentes, audacius se efferre, et temerariis magisque suspectis assertionibus magistrum deserere coeperunt. Cuius luculentum esse exemplum potest systema caussarum occasionalium, quod tot obiectionibus et criminationibus aduersus Cartesianam philosophiam occasionem dedit. Illud enim minime tactum erat Cartesio, ast cum propior vnionis inter animam et corpus ratio esset explicanda, primus Ludouicus de la Forge ad id delatus est, quem secuti sunt, qui amplissime illo vsi sunt Mallebranchius, Petrus Syluanus Regis, Christophorus Wittichius, et recentiorum Cartesianorum alii [i]. Valde id displicuit ex Cartesianis illis, quibus rectius factum visum est, intra Cartesii limites subsistere: hos itaque velut Pseudo-Cartesianos detestatus est, hisque magistrum oppossuit IACOBVS GOVSSETIVS [k]. Et recentiori idem aetate obiectum a Cl. RVARDO ANDALA [l] Spinozae, Voldero, Clerico, Geulingio, quod Cartesianae doctrinae puritatem nouis et suspectis hypothesibus corrupissent. Quae occasio extitit lepidissimo Cartesiani itineris per mundum architecto [m] ridendi recentiores Cartesianos, *quod non aeque addicti sint ac primi sectatores, magno isti homini, et vnusquisque pro lubitu sibi systema formet, ac libere addat vel demat, quodcunque placuerit, illi, quod formauit Cartesius, vndiquaque perfecto, quod attingere plane sit rorrumpere, sic vt sincerum Cartesianismum cum illustri Clerselerio sepultum esse credendum sit.* His accessit malum longe deterius, et Cartesianismo prorsus pestilens. Nempe vsi Cartesianis hypothesibus Arminianorum et Socinianorum haud pauci, iique non contemnendae eruditionis viri, placita sua a decretis Dordracenis deuiantia illis incrustauerunt, et quicquid paradoxum, singulare, inauditum in ecclesia sonabat, Cartesiano fuco illitum pictumque in forum adduxerunt, mercesque venales plurimum isto colore commendauerunt. Ita vero grauis Cartesianam philosophiam inuidia secuta est, cum patrocinari heterodoxiae videretur, et pallium crederetur esse, sub quo liberioris audaciae quilibet latere sanosque de Deo et diuinis sensus corrumpere posset. Id vero maxime in synodis ecclesiasticis deploratum, de hac labe ad magistratus querelae delatae sunt, et hinc caussa deriuanda est, cur Cartesiana factio inter status Belgii foederati fautores paucos repererit [n]. Nemo tamen maiorem Cartesia-

i) Conf. si placet, quae diximus in Hist. de Ideis p. 252. seqq.

k) De caussar. primae et secundarum operatione.

l) In Examine ethicae Geulingii diss. I. §. 3. sq. p. 3.

m) P. I p. 5. 6.

n) Conf. BAYLE Dict. T. IV. art. Wittichius p. 509.

Carteſianae philoſophiae exiſtimationi maculam inuſſit, quam qui anonymus prodiit, auctor peſtilentis libri: *Philoſophia ſcripturae interpres*, quem LVDOVICVM MEIERVM medicum Amſtelodamenſem eſſe poſtea compertum eſt [o]. Is enim tam effreni impudentia machinis Carteſianis, in reuelationem diuinam, et fidem Chriſtianorum ſanctiſſimam inſurgere coepit, vt cuncta merito tumultu replerentur, et ipſi Carteſiani eius impietatem toto pectore deteſtarentur, id quod imprimis fecere Heydanus atque Wittichius. Ipſa folia medici audacis autem et magiſtratus auctoritate ſuppreſſa ſunt, et certatim auctor theologorum, Voëtii, Mareſii, Arnoldi, Vogelſangii, Schotani telis confoſſus eſt. Idem vero cum feciſſet Ludouicus Wolzogenius isque Carteſianis placitis liberius inſiſteret, cum famoſo auctore facere iudicatus, et ideo a Iohanne van der Wayen publice accuſatus, et Socinianiſmi a claſſibus eccleſiaſticis ſuſpectus habitus eſt [p], vnde nouae turbae exortae ſunt, alibi latius exponendae. Meierum excepit Benedictus de Spinoza, qui cum Carteſianam philoſophiam ad impietatem ſuam incruſtandam adhibuiſſe crederetur, valde inde ignominia apud multos illa cumulata eſt. Erat enim Spinoza in Carteſii philoſophia haud perfunctorie verſatus, eiusque principia geometrice demonſtrata ediderat. Hinc cum vnam tantum dari ſubſtantiam in ſuo ſyſtemate, velut cardinem, ſuppoſuiſſet, eamque duabus modificationibus, cogitatione et extenſione conſtare affirmauiſſet, ipſi Carteſio enatae inde conſequentiae ſatis impiae imputatae ſunt, quod eius illas philoſophia genuiſſet. Qua in re iniuriam factam eſſe Carteſio, omnino fatendum eſt, qui cum eſſentiam ſpiritus in cogitatione, materiae in extenſione poneret, hasque ſibi e diametro oppoſitas eſſe fateretur, duas inde easque diuerſiſſimas ſubſtantias eſſe, ſpiritum et materiam, concluſerat. Attamen licet haec ita ſe haberent, Carteſiana tamen philoſophia in Spinoziſmi ſuſpicionem rapta, hunc que genuiſſe credita eſt. Id quod magno conatu demonſtratum iuit IOANNES REGIVS, qui *Carteſium Spinoziſmi architectum* edidit. Quam tamen ab eo calumniam depellere ſtuduit RVARDVS ANDALA edito *Carteſio vero Spinoziſmi euerſore, et phyſicae experimentalis architecto* [q]. Qui tamen non negat, Spinoſam, Geulingium hisque ſimiles degeneres eſſe Carteſii diſcipulos.

Cocceianae lites Carteſianis inmiſtae.

§. XXXVIII. Nouorum autem Carteſianiſmo fatorum ſeriem aperuit Cocceianiſmus, circa idem tempus in Belgio foederato enatus. Nempe cum magna linguarum orientalium, reliquique, qui ad interpretandam ſcripturam ſacram requiritur, apparatus copia abundaret Ioannes Coccеius, profeſſor Franekeranus, et tandem Leidenſis, isque ſacrae ciuitatis hiſtoriam cum V. et N. Teſtamenti vaticiniis compararet, et peculiarem inde interpretandi diuinas paginas excogitaret modum, inque haud paucis a con-

o) Vid. BENTHEM. l. c. c. 2. p. 59.
p) Similem tragoediam in Belgio foederato anno 1707. excitarunt lites Ioncurtianae.
q) Franek. 1719. 4.

consueta Reformatae ecclesiae interpretatione abiret, nouam autem ipsius theologicae doctrinae methodum istis hypothesibus inaedificaret, magnis ex ea re contentionibus motibusque ecclesia Belgica concussa atque agitata est, quorum historia apud eos quaerenda est, qui rerum ecclesiasticarum notitiam pandunt. Parum autem ipse Cocceius philosophiam curabat [r], totus theologiae propheticae certisque canonibus hermeneuticis intentus; cum autem is Maresium, Voëtium similesque haud paucos aduersarios nactus esset, et ferre illi non possent, inualescere factionem Cocceianam, ad arma conclamatum coelumque terrae commistum est, et vt inuidia cumularentur Cocceiani, cum Cartesiana, eam familia facere, et eandem inflare tibiam ad euertendam ecclesiae orthodoxae doctrinam, aduersarii conquesti sunt [s]: caussati, arctam Cartesianos et Cocceianos necessitatem iungere, qua alterum genus alterius caussam strenue agat: quamuis nonnulli satis aperte professi sint, sibi nihil cum Cartesio esse negotii [t]. Ita vero dum aduersariorum inuidia Cocceianismum cum Cartesianismo copulat, factum, vt nonnulli ex Cartesianis, auctoritatis praeiudicio philosophiae praesidio soluti, in Cocceii partes discederent, et non omnia quidem, ast complura tamen eius decreta rata haberent. Id quod nouo ardore incendit vtriusque partis hostes, qui reprimere has acies vehementer studebant. Ab eo tempore magno ecclesiae malo ex vno fonte duo contentionum flumina dimanarunt, ex quibus largiter hausit Erynnis Belgica. Cum enim theologi et Cartesii et Cocceii partes sequentes viderent, sibi cum communi hoste rem esse, syncretismo quodam coëuntes aduersus hostes hos iuncto studio pugnarunt, et vnam sibi caussam esse certandi videntes in foedus conspiraverunt. De quo ita GALENVS FARELLVS [u], Cocceio valde addictus, differit: *In philosophia Cartesio, in theologia Cocceio faueo, quantum licet viris doctis, non tamen iuro in heroum illorum verba et conceptus. In multis magnos illos viros sequor, in quibus fratres ab illis recedunt, ipsis obloquuntur, quia, vt clare percipio illorum conceptus, vt veri, sic maximi vsus sunt in theologia reformata.* Et porro [x]: *Datur vigetque dictos Cocceianos inter et Cartesianos Christiana animorum vnio, sine vlla praecedenti confoederatione. Quae vnionis huius caussae? quaeris, manifestae et apertae sunt, quippe horum antagonistae ipsos vniuerunt, dum iisdem libellis petebantur et dicti Cocceiani et Cartesiani; coniunxit illos consensus in fundamentalibus, libertas in philosophicis; vnionis necessitas ob communes hostes, ac praecipue veritatum mutua amicitia.* Ita conflictu cum communi aduersario inito, pro pretio et auctoritate rationis et hypothesium

r) Immo Lugduni Batauorum Io. de Raei philosophiam Cartesianam profitenti ipse se Cocceius opposuerat. BENTHEM l. c. p. 62.

s) Conf. BAYLE Dict. T. II. p. 311. not. A. art. Dresserus. ARNOLD. Hist. Haer. et Eccles. P. II. p. 504.

t) Vid. HVLSIVS Theol. Hypoth. P. II. p. 32.

v) In Diss. hist. de nouissimis in Belgio litibus praef.

x) pag. 131.

sium in scripturae sacrae interpretatione disputatum est, conquerentibus Voëtianis (hoc enim ducis sui nomine potissimum contraria factio appellabatur) euerti sensum oraculorum sacrorum ex ingenii cuiuslibet commentis sub rationis et philosophiae nomine obtrusis. Magnis autem animis et non minore eruditione contra Voëtianos Cocceiani pariter atque Cartesiani pugnarunt, et imprimis in id conniſi sunt, vt ostenderent, hypotheses, quas velut profanas reiiciebant Voëtiani, nec sacris literis nec pietati et doctrinae salutari contradicere, qua de re imprimis ea, quae WITTICHIVS passim scripsit, consulenda sunt: idque non de Cocceianis hypothesibus tantum demonstratum, sed de Cartesianis quoque; indeque enatae Ioannis Amerpoel et Ludouici Beaufort labores, Scripturam sacram cum Cartesio conciliantes, quorum titulos *parte huius tomi superiore* enarrauimus. Quanquam autem nec in sacram doctrinam, nec in sanam se peccare rationem demonstrarent Cartesiani atque Cocceiani, et multa praeclarius atque luculentius explicari, quam a scholastica philosophia factum esset prius, contenderent, euicit tamen antagonistarum factio, vt Belgii foederati status, magnum ecclesiis suis malum ob has nouitates metuentes, seueris interdictis Cartesianismum proscriberent. Maxime eorum auctoritate, post seriam circumstantiarum considerationem et deliberationem in synodo Dordracena prid. non. Oct. anni cIↃ IↃ cLVI cautum, et vt norma agendorum constaret, ita definitum est y): „Sepa„randam esse philosophiam a theologia, hancque ex sacris paginis, il„lam ex sana ratione hauriendam tradendamque iuuentuti. In quaestio„nibus, quae ex Scriptura sacra queant refutari, non fore licitum philoso„phis, sacra oracula iuxta propria principia interpretari, sed sensum sim„plicem reuelationis diuinae, velut certissimum doctrinae omnis funda„mentum recipiendum esse, quamuis contraria suadere videatur, ratio. „Abstinendum ergo esse philosophis ab eiusmodi hypothesibus, quae diui„nam veritatem in sacris paginis euertant, et imprimis Cartesii φιλοσοφούμενα „neque in scriptis neque in lectionibus et disputationibus publicis proponen„da esse. Idem anno sequenti Delphis repetitum, exclusique a muneris sacri spe atque expectatione, quotquot Cartesianam philosophiam essent amplexi. Facile perspexere haud pauci, artibus magis et insidiis, quam veritatis praesidio istas sanctiones vim suam acquisiuisse, factumque inde, vt, quibus aes circa pectus triplex erat, quique fulmina synodorum non metuebant, a Cartesiana philosophia ideo non abstinerent; multi quoque, iniqua esse ista decreta, et innocentissimam doctrinam Cartesii, ostenderent. Ast inualuerat tamen factio Voëtiana, quae inuidia cumulare Cartesianos pergebat; cumque Cocceianos valde premeret, eodem telo quoque Cartesianos perimere tentabat. Id quod praecipue anno cIↃIↃcLXXVI euenit, quo in academia Batauorum Lugdunensi et Vltraiectina non Cocceianae tantum, sed et Cartesianae opiniones atque placita prohibita sunt. Processerunt quoque iunctis vmbonibus

y) BENTHEM. l. c. c. 2. §. 3. p. 58. 59.

in nouam aciem theologi Andreas Essenius, Petrus van Mastricht, Melchior Leydekkerus, Fridericus Spanhemius, omnemque adhibuerunt industriam, et eruditionem quoque haud vulgarem, vt proscriptum Cartesianismum radicitus ex hac schola eiicerent, quanquam hac seueritate non obstante non deerant inter iuuenes literis deditos, qui sarcasmis doctores istos eluderent [z]. Similes concertationes Franekerae obortae sunt, cum Cartesii decretis ducibus, Gisbertus Wessels Dukerus praeside Ioanne van der Wayen, in dissertatione inaugurali *de Recta ratione statuisset:* Scripturae diuinitatem, qua auctoritas eius omnis nititur, non aliunde quam ex ratione adstrui posse. Huic enim assertioni et Franequerae et Vltraiecti contradictum est. Et in illa quidem schola iureconsultus magni nominis et elegantis eruditionis VLRICVS HVBERVS, *Positiones, iuridico-theologicas, de auctoritate Scripturae*, quas commentario suo *de Iure ciuitatis* [a] inseruerat, nouis positionibus et antithesibus auctas, Dukerianae dissertationi opposuit [b]; in hac vero GERARDVS VRIES, *in Cartesio vindicato, siue diuina auctoritate a ratione independente, asserta ex ratione pro Cartesio contra propositionem Franekeranam* [c], ex ipso Cartesio euertere istam assertionem conatus est: quin ex suggestu sacro quoque eandem confodere tentauit Ioannes Regius [d]. Quae res postea et ipsum Dukerum et alios pro eo in arenam descendentes et apologiam meditantes cum Hubero, et qui eius partes, more quidem suo, placide amplexus erat, Hermanno Witsio [e] disputando commisit, hincque velitationes haud paucae, Dukeri, Brouweri, Roëllii, Ruardi ab Andala, Ioannis van der Wayen, qui pro philosophiae et rationis vsu in asserenda scripturae auctoritate steterunt, exortae sunt, quibus vnus Huberus fortes phalanges, duramque aciem opposuit. Quae tamen omnia heic speciatim enarrare nostri instituti limites haud patiuntur, et alibi quaerenda sunt [f]; fatendum autem λογομαχίας haud paucas litem istam auxisse, vulnusque facile consolidandum diduxisse, vnde laudabiliter factum ab Hermanno van Halen, theologiae professore Vltraiectino, quod in *Iudicio de positionibus quibusdam Franequeranis in classe Vltraiectina nupere ventilatis* [g], ostenderit, quo sensu theses Dukeri, Wayenii, Brouweri ferri queant, et melior interpretationi locus concedi possit. Hac enim ratione ad pacem et tolerantiam multi perducti sunt. Accesserunt noui tumultus ex translatis ab Hermanno Alexandro Roëllio notionibus philosophicis ad doctrinam de generatione filii Dei, deque auctoritate philosophiae et rationis in theologia, de satisfactione Christi, de poena peccati morteque &c. quibus dum φιλοσοφωτέρως et accuratius recepta dogmata definire voluit, a τρόπῳ παιδείας magis,

z) Id Spanhemio obtigit, qui cum more gentis vxore morte sublata arma gentilitia in atrio suspendisset, illa sublata a Cartesianis sunt, et illi loco inscriptum: *Datur vacuum*. Conf. BENTHEM. l. c. c. 4. §. 98. p. 101.

a) L. I. c. 26.

b) Franeq. 1686. 4.

c) Traiect. ad Rhen. 1687. 8.

d) Vid. BENTHEM. l. c. p. 64.

e) In Diss. epist. de Scripturae S. auctoritate diuina, ex sola ratione demonstranda, ad Vlr. Huberum Trai. 1687. 12.

f) Apud BENTHEM. l. c.

g) Trai. 1689. 8.

gis, quam ab ipsa doctrina in ecclesia recepta discessit. Magni inde motus exorti, qui multis turbis philosophiam cumularunt, praecipue cum ex vtraque parte non sine pertinacia pugnaretur, sic vt classes et synodi ecclesiarum multoties ideo contra Roëllium decernerent; eoque iam fatis functo non quiescerent. Quae tamen hoc quoque loco exponere, a scopo nostro alienum est, consulendum autem *Iudicium ecclesiasticum, quo opiniones quaedam Cl. H. A. Roëllii Synodice damnatae sunt, laudatum a professoribus theologiae in academia Lugduno-Batava* [h], in qua dissertatione totius controuersiae historia, in annalibus ecclesiasticis pluribus delineanda enarratur. Tandem, vt plerumque fieri solet, exhausti diuturna litigatione spiritus deferuescere, et inuidia Cartesiani nominis atque persecutiones mitigari, ast ex altera quoque parte Cartesianae philosophiae incrementa sisti, et subsidere quasi atque decrescere coeperunt. Quamuis enim non deessent, qui Cartesianam philosophiam et viua voce et scriptis in Belgio propugnarent, inter quos eminuit V. C. Ruardus Andala, theologus Franequeranus [i]: pauci tamen fuerunt, qui sinceram Cartesii doctrinam exprimerent, et non in multis ab eius sententia discederent. Cuius rationes potissimum ab inualescente philosophia eclectica desumendae sunt, cum clarissime viri docti et acuti perspicerent, etiam sibi suffragii ius in senatu philosophico esse, posseque iis, quae recte et prudenter a Cartesio dicta sunt, multa addi alia, aut plane ab eo, vt erat homo, non visa, aut tradita perperam ideoque mordicus non retinenda. Accessere caussae aliae, inter quas refert Cl. HERM. AB. ELSWICH [k], quod Cartesiani literas, ad humanitatem spectantes, non eo, quo debebant, studio excolerent, qua de re ad Io. Frid. Gronouium conqueritur MERICVS CASAVBONVS [l], et post eum P. D. HVETIVS [m], qui obseruat quoque ignorantiam Graecae linguae ab Isaaco Vossio Cartesio in Suecia degenti non sine ignominia fuisse obiectam. Ast quamuis hoc de ipso forte Cartesio, vni philosophiae emendationi et matheseos intento valeat, valde tamen veremur, vt de omnibus, eius placita sequentibus possit

Decrescens Cartesianismus.

h) 1725.

i) Orationem funebrem collegae habuit Hermannus Venema, ex qua potiora repetit Museum Bremense Vol. I. p. 173. Natus est Burgwerdiae Frisiae pago 1665. parentibus agricolonis. Illis mature orbatus ob ingenii emicantis scintillas, a finitimi oppidi Bolswardensis praetore et ecclesiaste Iudo literario commissus et aetatis anno 15. Franequeram ablegatus est, vbi clarissimorum virorum, Blancardi, Vitringae, Rhenferdi, Marckii, Perizonii, Schorani, Andreae, Wayeni institutione egregie formatus est. Sed et Vltraiectinam, Lugdunensem et Dordracenam scholam illustrauit. Sic pulchre formatus, et S. ministerio initiatus, ecclesiam Arumensem, et postea Makkumensem, tum Bolswardiensem curauit. Anno vero huius seculi primo Franequeram ad docendam philosophiam inuitatus, et post N. Gurtleri mortem 1713 sacris literis docendis destinatus est, obiit 1727. ἄτεκνος. Vir doctus et acutus magnumque Coccеianorum et Cartesianorum decus inter Belgas, quos maximo studio defendit: circa vitae finem Leibnitianis et Wolfianis litibus se immiscens, magnas molestias deuorauit. Vtebatur ingenio subtilissimo, sed animo sectario et pertinace. Extant ex philosophia Exercitationes academicae in phil. primam et naturalem 1708. Syntagma theologico-physico-metaphysicum, 1710. 4. Examen Ethicae Geulingii, 1716. Apologia pro vera et saniore philosophia 1718. Cartesius Spinozismi euersor. 1716. Qu. physicae 1720.

k) Diss. de Fort. Arist. in acad. Protestant. §. 30. p. 92.

l) In Epist. Isaaci subiunctis ab ALMELOVEENIO. p. 17.

m) Cens. Phil. Cartes. c. VIII. §. 7.

ſit affirmari, cum haud paucos nobis Carteſianos enumerent annales literarii, qui elegantioribus non minus literis quam philoſophiae cognitione ornati ſunt. Idem ELSWICHIVS huc etiam refert, viſam fuiſſe Carteſii philoſophiam ſublimiorem, quam capi poſſit; faſſumque eſſe THOMAM BARTHOLINVM [n], *mentem ſuam nimis anguſtam eſſe ad omnium illius ſecretorum cognitionem.* Nobis praecipua cauſſa decreſcentis inter Belgas et Germanos Carteſianiſmi in fatis philoſophiae ſectariae quaerenda videtur; quae ſectam nouitatis, auctoritatis, opinionis praeſidio plerisque commendatam deprimunt, quamprimum noua doctrinae facies emicat. Certe Carteſianam philoſophiam, quae vrgente Cl. Andrea Petermanno Lipſiae quoque radices egerat, mox ſuppreſſit eclectica philoſophiae facies, circa initia ſeculi labentis reſuſcitata. Et hoc pacto factum quoque, vt, cum illuſtris CHRISTIANVS WOLFIVS, Carteſiana veſtigia ſecuturus, moralem doctrinam a Carteſio derelictam, excolere ſtatuiſſet, ipſe eclectice tandem non vero Carteſiane philoſophatus ſit [o].

Fata Carteſianiſmi in Germania.

Et haec forte cauſſa quoque fuit, cur inter Germanos Carteſii philoſophia parum laetis incrementis vſa fuerit. Nam ad finem fere ſeculi elapſi Ariſtotelica philoſophia multis magnisque ſuſtentata fulcris, vt ſuo loco demonſtratum, ita regnauerat, vt emergere Carteſiana praecepta non potuerint. Circa ineuntis autem ſeculi XVIII auſpicia vix ea ſurrexerat, cum Chriſtianus Thomaſius omnis ſectariae philoſophiae iuratus hoſtis Carteſianam quoque conuellere coepiſſet; quamuis iam ante eum theologi nonnulli, imprimis IOANNES OLEARIVS [p], et Io. ADAMVS OSIANDER praeceptis Carteſii, quae ad theologiam referri tum ſolebant, bellum indixerint, vt alios [q] taceamus, qui infenſis ſignis Carteſianas copias adorti ſunt, enarratos a MORHOFIO [r], STRVVIO [s] aliisque, qui videndi. Ipſe quoque illuſtris Leibnizius, qui circa iſta tempora nouam philoſophiam conceperat, et cuius maxima fuit in orbe philoſophico exiſtimatio, cum acerrime videret, quibus naeuis Carteſianae philoſophiae praecepta laborarent, eius incrementis inter Germanos obfuiſſe recte cenſetur. Fuit tamen in academiis Proteſtantium vnus et alter, qui fauentes Carteſianiſmo aures praebuit. Nam in ſchola Herbornenſi ille perſonare coepit [t], Bremaeque DANIEL LIPSTORPIVS, editis *Speciminibus philoſophiae Carteſianae* [u], ei patrocinatus eſt, et in eadem vrbe Io. EBERHARDVS SCHWELINGIVS, iuris et philoſophiae naturalis profeſſor, pro Carteſio contra P. D. Huetium modeſte dimicauit [x], id quod Lipſiae quoque

n) De Pulmone p. 84.
o) Vid. Pinacotheca ſcript. illuſtr. noſtra cura edita Dec. I. in elogio illuſtris viri.
p) In Synopſi controuerſiarum.
q) Nulandius, Schulerus, Cyriacus Lentulus, alii.
r) In Polyhiſt. T. II. l. citando.
s) In Biblioth. philoſophica, BVDDEVS Hiſt. phil. c. VI. p. 467.
t) BARTHOLD. FEIND. in Theatro philoſ. p. 315.
u) Vid. BVDDEVS l. c. c. VI. §. 26. p. 463. MORHOF. Polyhiſt. T. II. L. II. P. II. c. 6. p. 295. ſeqq. Edidit etiam Copernicum rediuiuum, ſeu de vero mundi ſyſtemate, Lugd. Bat. 1653. 4.
x) Edidit is Exercitationes cathedrarias in P. D. Huetii Cenſuram philoſophiae Carteſianae Bremae 1690. 8. quas ob auctorem contemnit quidem, at ob modeſtiam laudat HVETIVS de Vita ſua p. m. 162.

quoque factum a Io. ANDR. PETERMANNO [y]: quo loco quoque Michaël Rhegenius [z] et Gabriel Wagnerus [a], Carteſium noſtris commendare coeperunt, pertracti eo nomine in controuerſiam cum Chriſtiano Thomaſio. Halae autem placita Carteſiana ab aliis licet accepta [b], exigua fortuna diffeminauit Ioannes Sperlette. Qui vero Io. Chriſtophorum Sturmium Carteſianis accenſent, parum accurate loquuntur. Is enim multa quidem Carteſii probauit, in haud paucis autem ab eo receſſit [c].

§. XXXIX. Tranſiit, ſi nonnullis fides eſt [d], Carteſiana philoſophia ad Tranſyluanos, Heluetios, Hungaros et Polonos, id quod credi facile poteſt, memoria recolenti, ex his regionibus haud paucos iuuenes ad academias Batauas conuolare ſolere, qui cum nouam philoſophiam didiciſſent, vt natura, praecipue iuuenum, nouitatis eſt auida, eam domum deportatam propagare, ſeque iſta ſapientia hactenus ignota efferre ſine dubio conniſi ſunt. Nec a veri ſimilitudine alienum eſt, doctores et ſcholaſticos, et eccleſiaſticos ſe nouae doctrinae oppoſuiſſe, et magiſtratus commouiſſe, vt illa publica auctoritate prohiberetur. Nihil enim in his omnibus eſt, quod non ſaepe euenerit, et eadem olim fabula luſa eſt, et ludetur in poſterum, nec in his annotandis prolixitate opus eſt. Enarrandum vero, quid in reliquis regionibus Carteſianae philoſophiae contigerit, in quibus viuo adhuc Carteſio eam iam innotuiſſe ſupra vidimus. Et in Belgio quidem Hiſpanorum regis ſceptro parenti, maxime Louanii, valde et theologos nonnullos et medicos aſſertis Carteſii quibusdam contradixiſſe, habuiſſe autem ibi quoque ſectatores clandeſtinos ex antecedente narratione conſtat. Vix autem veri ſimile videtur, viuo adhuc Carteſio eius philoſophiam in iſtis terrarum partibus ita triumphauiſſe, vt publice doceretur, praecipue cum potiorem Societatis Ieſu partem aduerſam habuiſſet. Aſt poſt Carteſii fata ſuprema mitiori fortuna eius doctrina gauiſa, eaque et in cathedra viua voce, et in libris calamo tradita eſt. Cuius exemplum eſſe poteſt Antonius le Grand, medicus et philoſophus Duacenſis, qui cum prius Stoicos eſſet ſecutus, adeo vt eorum ἀπαθειαν peculia-

Fortuna Carteſianiſmi in Belgio Hiſpanico.

y) In Vindicatione philoſophiae Carteſianae aduerſus cenſuram P. D. Huetii, in qua pleraque intricatiora Carteſii loca clare explanantur. Lipſ. 1706. 4.

z) Erat is Tranſyluanus et circa annum 1688. Carteſianā ſemina Lipſiae ſpargere coeperat, editis Specimine logicae Carteſianae, et Claubergii Phyſica contracta. Illam reprehendit more ſuo CHR. THOMASIVS in Introd. in philoſophiam aulicam, cui cum ille reſpondiſſet non ſine ſale ſatyrico, Thomaſio in Praef. Logicae Germ. exceptus et plagium ei obiectum eſt. conf. Bibl. vniu. T. XV. art. 10. p. 320. STOLLE Hiſt. lit. P. II. c. 2. §. 30. p. 449.

a) Vid. REIMMANN. Hiſt. lit. Germ. P. IV. p. 110. ſeqq.

b) Vid. ill. IORDAN. Recueil de literature p. 67. qui logicam eius ex arte cogitandi, reliqua a quodam Benedictino monacho Robert Des Gabets eum accepiſſe monet. Carus is erat P. Baylio.

c) Dictum de eo parte antecedente. Eius diſſ. de Carteſio et Carteſianiſmo extat T. I. Phil. eclect. diſſ. 3.

d) VAL. ALBERTI Diſſ. de Carteſianiſmo et Cocceianiſmo, OLEARIVS l. c.

peculiari libello [e] commendaret, postea ad Cartesium transiit, et pro eius placitis docte et ingenioſe pugnauit, ita tamen, vt scholastico Cartesianam philosophiam habitu ornare conaretur. Quo fine edidit [f]: *Philosophiam veterem e mente Renati des Cartes more scholastico breuiter digestam.* Bruta quoque carere sensu esseque machinas ingeniosa dissertatione propugnauit, et *institutiones philosophiae secundum principia Renati Cartesii noua methodo adornata et explicata* [g] edidit: quin pro Cartesio Samueli Parckero, acriter in Cartesium inuecto respondit, hisque meruit inter primarios Cartesianae philosophiae doctores referri.

Inter Britannos.

§. XL. In Britannorum quoque insulam penetrauisse famam Cartesii, fuisseque qui eum istuc inuitarent, elegantia doctrinae eius captos, supra tradidimus. Ast fuere quidem nonnulli, qui Cartesianismo nomen darent; plures tamen inuenti sunt, qui a noua philosophia abhorrerent; certe eam negligerent. Cuius caussa partim in Peripateticos coniicienda est, partim in Hobbesianos. Et Peripateticam quidem doctrinam, praecipue naturalem, nouis obseruationibus incrustauerat, et elegantiori vestitu ornauerat Kenelmus Digbaeus; ex cuius schola prodiit Thomas Anglus [h], presbyter, qui iam vertente anno cIↃ IↃ cxlvi. [i] *Institutiones Peripateticas ad mentem summi viri clarissimique philosophi Kenelmi equitis Digbaei* ediderat. Is cum magna animi subtilitate mysteria Scholasticorum rimatus, ab iis secedere et tamen Peripateticismum sequi constituisset, a Digbaeo, cuius opiniones miro consensu amplectebatur, Cartesio viuo adhuc commendatus est, vt cum eo de noua sua doctrina conferret. Qui cum docilem eum nacturum se esse discipulum speraret, mire spe sua delusus est. Valde enim is a dogmatibus Cartesii abhorruit, easque oppugnare, et nouam Peripateticismi Digbaeani rationem sequi, quam Cartesio manus dare maluit. Quod ideo sic eueniisse obseruat. Baillevs [k], quoniam difficultates theologicas, quas magno numero et subtilitate haud exigua excogitauerat, ille more suo contemsisset, nec ad eas, prout sperabat, respondisset. Multo magis tamen Cartesianismo obstitit Hobbesii philosophia, quae eo tempore magnum puluerem inter Britannos excitabat. Dum enim gens acuta ad domesticum philosophum attendit, et vel populari facie philosophiae eius capta in eius placita descendit, vel ab ea abhorrens impiam esse et iniquam contendit, peregrinae philosophiae aures praebere non potuit. Accidere autem alia quoque ex Hobbesianismo, quae Cartesianae philosophiae apud Anglos funesta fuere. Nempe plurimum quidem distabat doctrina Hobbesii ac Cartesii praeceptis, et in quibusdam quoque e diametro illis erat contraria: e. c. Hobbesius omnem substantiam corpus esse dixit: Cartesius inter corpus et spiritum essentia-

e) Homme sans passion.
f) Lond. 1671. 12.
g) Ibid. 1678. Norimb. 1679. 8. addi potest eius Historia naturalis Lond. 1673. 8. conf. Morhof. Polyhist. T. II. L. I. c. 15. §. 9. p. 114.
h) Consulendus de eo P. Bayle Dict. T. I. art. Anglus p. 238.
i) Lugduni.
k) T. II. p. 245. Biographiae maioris.

essentiale discrimen intercedere statuit. Ast his tamen, non obstantibus et Hobbesiani ad declinandam inuidiam, conspirare cum magistro suo Cartesianos iactabant, et aduersarii Hobbesii, in eodem impietatis ludo haerere vtrumque, idque agere, vt numinis prouidentiam, operationem, influxum in res mundi huius tollerent, clamabant. Ita factum, vt cum ad commune insulae incendium, quod Hobbesius excitauerat, delendum theologi Britanni certatim concurrerent, et Hobbesii placita telis suis confoderent, Cartesii quoque dogmata simul perimerentur. Maxime autem infestis armis in Cartesium insurrexerunt, theologi Oxonienses magni nominis Radulphus Cudworthus et Samuel Parckerus. Et ille quidem in prolixo *Systematis intellectualis* opere inter clandestinos numinis hostes et Hobbesium et Cartesium numerare, et hunc multis onerare suspicionibus nullus dubitauit. Valde vir doctissimus vrgebat naturas genetrices, quas a Deo productas et instructas diuinae existentiae et sapientiae specimen esse, contra impietatis patronos asserebat. Eas cum proscripti ex naturali disciplina fines rerum non paterentur, et imprimis impressus semel materiae motus, quo mechanicis legibus omnia formari dixit Cartesius, euerteret, in Cartesii placita, tecto quidem plerumque nomine vehementer aliquoties inuectus est, ita tamen, vt facile sentias, virum doctissimum aut non recte Cartesii placita intellexisse, aut ἀνθολῆς vitio illis ea imputauisse, quae non sine iniuria ei obiiciuntur [l]. Similiter argumentum pro existentia Dei ex idea eius petitum inter sophismata referre, et aliam ei faciem effingere conatus est [m], quae tamen forte ipsi Cartesio iam placuit. Tacemus alia, passim a Cudwortho in eo reprehensa, „qui concedit quidem [n], physicam Cartesii, si partem intuearis mechani„cam, tam apte, compositeque sciteque ab ingeniosissimo viro fuisse dispositam et descriptam, vt dubitandum non sit, quin acutissimos veterum, „qui hac via et ratione philosophati sunt, si minus superauerit, certe assequutus sit; ast esse tamen iudicat in ea nonnulla, quo vehementer au„ctoritatem et dignitatem eius diminuant.“ Inter quae primo loco ponit, quod reiectis naturis genetricibus, vniuersum terrarum orbem, quatenus corporibus constat, ex necessario motu materiae, in minutissimas partes tantum diuisae, ac orbem conuersione sua efficientis, sine vllo intelligentis naturae auxilio et ope extitisse asseueret, sicque admirabilem illum concentum rerumque in orbe existentium ordinem neglexerit, materiam autem necessario existere, ipsaque natura sua infinitam et aeternam esse decreuerit. Quo tamen, Cartesium se inter numinis hostes non referre posse, monet, cum talia suae disciplinae fundamenta iecerit, quibus saluis illi salui et incolumes esse nequeant, quibus cum Deo et religione bellum est. Acrius in Cartesium in insula insurrexit Samvel Parckervs, qui in elegantibus disputationibus *de Deo et prouidentia diuina* duobus locis [o] oppugnare Cartesii decreta velut religioni et pietati

l) p. 150. m) p. 886. seqq. n) p. 192. o) Disp. III. p. 221. VI. 489. seqq.

„inimica aggressus est. „Is Cartesium quidem ab initio impietatem ani„mo non fuisse meditatum concedit, sed putat, cum a vita militari, nul„lis artibus, nisi mathematicis, eruditus ad literas accessisset, iisdem me„chanicis legibus, quibus castra et statiua vir solertissimus exstruxerat, „mundos quoque extrui posse iudicauisse: ast hoc pacto ita philosophiam „tractauisse, vt sua philosophandi opinione omnem de naturae opifice „scientiam plane sustulerit. Quanquam enim ipsam materiam e qua fa„ctus sit mundus hic aspectabilis, initio a Deo procreatam, in particulas „certae cuiusdam magnitudinis diuisam, certaque motus quantitate inci„tatam esse voluerit, cum tamen datis istis ipsam se suis legibus neque a „Deo definitis, in hanc vniuersi fabricam sponte extruxisse concluserit, „nimis perspicue Deum, quem rerum opificio praeesse praefatus esset, ab „eodem penitus excluisse. Atque propterea nonnunquam se subuereri „fatetur, ne in periculum aut inuidiam veniret, pauca ista, quae hypothe„si suae suppositit, suppositisse: praesertim cum eam ab eo principio ex„orsus sit, a quo athei omnes exordiantur, veram physiologiam a rerum „finibus non esse accersendam. Altero vero loco valde succenset Carte„sio, quod maxima sui fiducia et aliorum applausu elatus omnium scien„tiarum inuentionem sibi arripuisse visus sit, quippe, cum summo in„genii acumine praestiterit, et noua quaedam in geometria inuenerit, „continuo applausu, quem inde tulerit, adeo elatum fuisse, vt scientia„rum fines prouehere non satis gloriae cogitaret, nisi et noua omnium „fundamenta iaceret.“ Quod quam inepte fecerit, ex dubitatione eius asserta prolixe demonstrare conatur. Non afferemus argumenta viri doctissimi, apud ipsum legenda; sed id modo obseruamus, ad inuidiam conflandum Cartesio nihil vel eloquentiae vel acuminis omittere scriptorem celeberrimum, quae causa quoque fuit ANTONIO LE GRAND, vt peculiari *Apologia* Parckero *pro Cartesio* responderet. Media inter hos incessit via, tertius ex eadem academia theologus Henricus Morus. Is viuo adhuc Cartesio innotuerat, et haud pauca probauerat, vnde amicum literarum commercium inter eum atque Cartesium enatum est. Erepto autem fatorum necessitate Cartesio, a Clerselierio anno CIↃ IↃ CLV, ad seruandam hanc de Cartesio eiusque disciplina opinionem erat excitatus. Ast quamuis inique ferret, Cartesium impietatis postulari, non dubitauit tamen meditationibus Cartesii fortissimas obiectiones opponere. Inde enata subtilissimo viro *epistola, quae apologiam complectitur pro Cartesio, quaeque introductionis loco esse poterit ad vniuersam philosophiam Cartesianam* p. In ea Cartesium quidem aduersus stolidos et imperitos censores defendit, ast et in nonnullis virum magnum non satis attentionem probauisse, in aliis nimis prudentem esse affectauisse, in quibusdam mathematicam certitudinem nimis quaesiuisse, hisque ex fontibus errores quos-

p) Cum hac epistola comparandum eius Enchiridion metaphysicum, quaeque de eius systemate metaphysico in Parte antecedente diximus, conferenda cum Cartesiano, vt discrimen inde appareat.

quosdam admisisse contendit. Valde vsit haec epistola Cartesianos, praecipue quod inter mille laudes, quas in Cartesium Morus cumulat, contendere tamen sategerit, quaedam astute ad saluandam hypothesin excogitasse Cartesium, non vero serio ea tenuisse. Qualia esse credit asserta: bruta esse meras machinas; fines rerum non esse inuestigandos, quibus Cartesium, putat, sibi praecauisse ab importunis scisitationibus et odiosis quaestionibus hominum captiosorum. Omittimus alia apud ipsum legenda: Grauem ideo dicam Moro scripsit BAILLETVS [q], et nescio cuius leuitatis accusauit, quod post inuidendas laudes magistrum ista inuidia cumulauisset. Ast quod Cartesianis displicuit, placuit viris doctis, partis studio non addictis, qui talia Morum dubia obiecisse obseruant, quibus soluendis hactenus Cartesiani impares fuerint [r]. Qua de re illi consulendi sunt, quos in Mori vita, *parte huius Tomi praecedente* excitauimus. Ista autem theologorum contentione factum est, vt cum impietati late tunc inter Anglos grassanti fauere videretur philosophia Cartesiana, illa in academia Oxonienſi prohiberetur, id quod tamen in Cantabrigiensi factum non est [s]. Nihil autem fortunae Cartesianae physiologiae magis obstitit, quam quae hoc seculo vergente magnis luminibus ornata prodiit physica Newtoniana. Ea enim cum hypotheses, experientia et rationibus munitas Cartesiano systemati opponeret, in contrariam sententiam, tanto duce praeeunte deflectere coepit Britannorum natio, et tantum non exspirauit Cartesianismus inter Anglos. Reuocauit enim Newtonus vacuum, quod Cartesius proscripserat, cumque is ex solo impulsu corporum naturalium motum deriuasset, ille repulsum et attractionem inter rerum naturalium causas retulit, et duritiem atque grauitatem, qualitates esse essentiales statuit, qua ratione non potuit non vortices Cartesii reiicere. Quae ab eo tempore Cartesianos in Gallia viuentes cum philosophis Anglis mire commiserunt [t], quae tamen hoc loco enarrare, ob instituti rationem et paginae angustiam non licet.

Fata phil. Cartesianae in Gallia.

§. XLI. Ex Britannia in Galliam transfretantibus varia et diuersa Cartesianae philosophiae fortuna occurrit. Et quibus quidem fatis, viuo adhuc auctore vsa fuerit, supra iam enarratum est, expositumque, haud paucos sectatores et admiratores eam fuisse nactam. Conditore vero sublato non nihil eius incrementa sufflaminata sunt, Roberualio, qui Vatiniano contra Cartesium incensus odio erat, et Gassendo rationibus et disputationibus eius auctoritatem imminuentibus. Addi his potest Petrus Daniel Huetius Abrincensium episcopus, vir longe doctissimus, magnaeque in ciuitate erudita existimationis. Is primo quidem post desertam philosophiam scholasticam in Cartesii castra transierat, vt supra in vita

q) L. VII. c. 15. p. 261.
r) RAPIN. Reflexions sur la philosophie p. 284. Nouvelles de la rep. des lettres 1684. p. 301.
s) FEIND. Theatr. philos. p. 317.
t) Conf. MONMOR. Diff. sur les principes de physique de Mr. de Cartes comparez a ceux des philosophes Anglois; Europe sauante 1718. Oct. art. 3.

eius dictum, aſt poſtea ad ſcepticos defecit, et fortiſſimas phalanges in *Cenſura philoſophiae Carteſianae* ei oppoſuit, vt ſuo loco dictum. Cui rei pondus addidiſſe Ieſuitarum amicitiam, qua intima Huetius fruebatur, admodum veriſimile eſt. Horum enim auxilio, vt ipſe fatetur, ad ſcepticiſmum delatus eſt, cuius ope potiſſimum Carteſianiſmum euertere conatus eſt. Plurimum autem Carteſianae ſcholae hi inſultus Huetiani nocuerunt. Magna enim auctoritate et eruditionis opinione viuebat Pariſiis Huetius, qui cum in argumento potiſſimum theologico Carteſianam diſciplinam in ſuſpicionem adduxiſſet, eamque ridiculam quoque faeere excogitatis fabellis Mileſiis, ſtuduiſſet, effecit, vt qui ὀρθοδοξώτεροι videri cuperent, ab aperta Carteſianiſmi profeſſione deſiſterent [u]. Non potuere tamen radices quas Carteſianiſmus in Gallia egerat euerti, cuius variae cauſſae poſſunt afferri. Et primo quidem, ad eius exiſtimationem plurimum contuliſſe ſtudia diſſidentium partium, recte obſeruatum HVETIO [v]. „Alii „enim Peripateticam tuebantur doctrinam, a multis iam ſeculis in ſcholis „receptam, alii eam peſſumdare conabantur et exſtinguere, futurum rati, „vt vna quoque patronos eius et defenſores in contemtionem adduce„rent [x]." Deinde ſtudium phyſicum et mathematicum haud parum Carteſianam diſciplinam commendauit, cum iam pridem Gaſſendus virique docti alii animum eruditis adieciſſent, aliquid noui in iis doctrinae generibus audendi. Ipſi quoque Carteſii ſequaces, praecipue, qui hominem viuum noüerant, de amplificandis ſectae huius limitibus ſummopere fuerunt ſolliciti. Erant autem tum, magna eius ſectae columina, teſte HVETIO [y], Claudius Clerſelierius et Iacobus Rohaltus [z], quibus tertius addi poteſt, Petrus Syluanus Regis. Et ille quidem viuum Carteſium magna veneratione proſecutus erat, et mortuum deinde conſtanter coluit, cui ſtudio Carteſiano quoque opera Carteſii poſthuma debemus, vt ſupra dictum. Qui cum perſpicue et eleganter Carteſii placita poſſet exponere, et moribus vteretur humaniſſimis atque iucundiſſimis [a], non modo aduerſariorum Carteſii amicitiam meruit [b], ſed et Carteſianae factionis incrementa valde promouit. Adeo vero huius philoſophi ſapientiam deperibat, vt et filium ea inſtitueret, mature tamen ſibi iterum ereptum, et ob praeclaram Carteſianae eruditionis notitiam filiam Rohaltio elocaret, in matrimonium teſte MARVILLIO [c]. Et hic quoque philoſophus plurimum ad promouendam philoſophiam Carte-

u) Comm. de Rebus ad eum pertin. L. VI. p. m. 162.
v) loc. cit.
x) Reſpicit ſine dubio Ieſuitas.
y) loc. cit.
z) Fuit is Ambianenſis, vir doctus et ingenio praeditus philoſophico atque mathematico, quibus poſtea eruditionis partibus eminuit. Maxime autem phyſicae diſciplinae addictus, meruit laudes diſcipuli P. S. REGISII in diſc. de Hiſt. phil. p. 203. laudantis, „quod ex principiis Carte„ſianis pleniſſime ſcripſerit de materiis, quas leuiter „duntaxat perſtrinxerat Carteſius quodque expe„rientiae teſtimoniis hypotheſes eius firmauerit." Contaminauit tamen hanc gloriam eruditionis philoſophicae moribus paedagogicis, vnde ridicula nonnulla de eo narrantur, et traductus in ſcenam eſt a Molierio.
a) VIGNEVL MARVILLE Mel. de lit. T. I. p. 379. ed. rec.
b) HVETIVS l. c.
c) loc. cit.

Carteſianam inter Gallos contuliſſe cenſendus eſt. Is a Clerſelierio ex mathematicorum circulis, quibus feliciſſime ſtudium operamque ſuam addixerat, quasque publice profitebatur ad Carteſiana ſubſellia traductus erat, cum libros Carteſianos nonnullos, a ſe Gallice verſos ei legendos examinandosque exhibuiſſet. Cum enim ingenio frueretur acerrimo, et profundae meditationi aſſueto, ſyſtema philoſophicum Carteſii a fundamentis rimatus, noua tandem lumina nactus eſt, eaque viua primum voce cum philoſophiae cultoribus communicauit: deinde ſcripto tradita, et obſeruationibus aucta, in *Inſtitutionibus Phyſicis* [d] vulgauit, quae magno eruditorum plauſu exceptae ſunt. Horum et ſimilium ſtudio factum, vt viri quoque ſummi et munerum auctoritate illuſtriſſimi Carteſianae doctrinae fauere pergerent. Inter quos imprimis magna nomina Iacobus Benignus Boſſuetus, et Hubertus Mommorius notandi ſunt. Et de illo quidem hoc nobis tradit HVETIVS [e]: „Iam diu erat, „cum ſe Carteſianis partibus addixerat Benignus Boſſuetus, tum „Condomenſis, et deinde Meldenſis epiſcopus. Studium certe ille „ſuum palam diſſimulabat ſatis caute: at priuatim aliquando ſuper „nonnullis dogmatis huius capitibus, amicae quidem, at acres tamen habitae fuerant inter nos concertationes. Ad eum nihilominus „officioſe miſi libellum meum aduerſus Carteſii figmenta procuſum; adiunctis etiam literis, pro veteri noſtra et frequenti conſuetudine, in „quibus ſcriptum erat, dubitare me, acceptumne ei foret huiusmodi munuſculum, probatis ei et placitis ſententiis tam aduerſarium; at officii „tamen mei priſtinaeque noſtrae amicitiae rationem mihi ante omnia habendam duxiſſe; ac porro ſperare me, in hac opinionum diuerſitate „nullam interceſſuram animorum disiunctionem. Reſpondit ille, aliquantulum, vt videbatur ſubiratus, vix poſſe ſe ferre aequo animo ſcripſiſſe me probare ſibi Carteſianam doctrinam, quam officere fidei in „ſcriptione mea ipſe praedicauerim. At ego contra ſubieci ſtatim per „aliam epiſtolam, perſpectum habere me quam recti eſſent et integri „ipſius de fide ſenſus, quos et ſcriptis et dictis tot iam ante annos declaraſſet; neque plus me voluiſſe aut potuiſſe detrahere ex eis, cum Carteſio fauere eos dixi, quam detrahitur ex integritate fidei ſancti doctoris „Thomae Aquinatis cum Ariſtotelis, vel ex illa vetuſtiorum patrum ecclesiae, cum Platonis dicuntur ſequaces fuiſſe.“ Hactenus Huetius, ex cuius verbis manifeſtum eſt, Carteſianam quidem doctrinam mire viris ſummis inter Gallos placuiſſe, aſt preſſam heterodoxiae accuſatione et ſuſpicione, non potuiſſe ſe publice efferre, ſed clanculum habitam eſſe atque aſſertam. Idem de Ludouico Huberto Mommorio obſeruandum. Is enim cum, quod in antecedente parte notatum, Petro Gaſſendo, quem hoſpi-

d) 1671. Lond. 1682. Bruxel. 1708. Conf. A. E. 1713. p. 444. Latine vertit Theoph. Bonetus, annotationibus auxere Samuel Clarke et Ant. le Grand. Conf. MORHOF. Polyhiſt. T. II. L. I. c. 15. §. 9. p. 114.

e) loc. cit.

hoſpitio et domeſtico rerum vſu exceperat, aſſentiri crederetur teſte eodem HVETIO *f* occulte tamen fauebat Carteſio, cui palam aduerſabatur Gaſſendus; nec aliam ob cauſſam creditus eſt conuentum philoſophorum apud ſe inſtituiſſe, quam vt eorum animos Carteſianis dogmatis aſſueſaceret, et in hanc ſectam ſenſim pertraheret. Maxime autem Carteſianae philoſophiae fauit congregatio oratorii; cuius conditorem, ampliſſime cupiuiſſe Carteſio in huius vita dictum eſt. Inde enim factum, vt magni ex hac congregatione philoſophi exiſterent, qui lumina Carteſiana inſigni ſplendore auxerunt. Iter quos agmen ducit Nicolaus Mallebranchius infra commodiore nobis loco enarrandus *g*. Sed et Ianſeniſtarum agmina, et imprimis eorum primipili in Carteſii caſtris militauerunt, notaque ſunt inter Carteſii aſſeclas magna Nicolii, Arnaldi Paſchalisque nomina: qui licet in nonnullis tritam ab eo viam relinquerent, in plerisque tamen eius pincipia ſecuti ſunt, iisque nouas obſeruationes inaedificarunt. Et Arnaldum quidem contra meditationes Carteſii obiectiones nonnullas tradidiſſe Merſenno, ſupra retulimus; aſt eo modo, vt Carteſium maxime illum feciſſe BAILLETVS *h* teſtatus ſit; qui et alibi *i* monet, Arnaldum ante edita a Carteſio principia philoſophica iam ſimilem doctrinam fuiſſe profeſſum, qua ratione ductus inter Carteſianos Arnaldum referri poſſe negat P. BAYLE *k*. Aſt aut dicis gratia, et ad conciliandum Carteſio Ianſeniſtarum applauſum, haec attulit Bailletus, aut de nonnullis tantum capitibus id intelligendum eſt. Arnaldum enim reliquosque portus Regii ſocios ita Carteſium ſibi in philoſophia ducem elegiſſe, vt eius placitis obſeruationes proprias ſuperſtruerent, ex *Arte cogitandi*, quod iſtorum philoſophorum opus eſt, ſatis intelligitur: quamuis non omnia probarent, et ipſe Arnaldus magna vehementia in Mallebranchii hypotheſes inſurgeret, vt infra dicetur. Nihil autem magis probat, quam addicti Carteſianiſmo Ianſeniſtae fuerint, quam lites inde inter ipſos et Ieſuitas enatae, quae incrementa philoſophiae Carteſianae haud parum ſufflaminarunt, vt taceamus eorum vehementiam contra Voëtium eiusque aſſeclas, Carteſii aduerſarios religionis obtentu acerrimis velitationibus demonſtratam. Rem paucis ita habe: Eſſe ſudem Ianſeniſtas in oculis Ieſuitarum nemo ignorat, niſi rerum recentiori aetate in eccleſia geſtarum plane rudis et ignarus. Fecit illud animorum diuortium, vt quibus poſſent modis ſe laceſſerent inuicem, et imprimis pati Societas non poſſet, quod iſtud Ianſeniſtarum ſodalitium iuuentutem literas elegantiores atque philoſophiam non ſine laude plauſuque diſcentium doceret, vnde nonnullae cenſurae prodierunt, quibus ſatis manifeſte animum in illos acerbum Societas demonſtrauit *l*. Ergo quae a Ianſeniſtis

f) loc. cit.

g) Eum tamen in nonnullis a Carteſio deſciuiſſe obſeruatum REGIS IO l. c.

h) l. c, p. 184. Conf. PERRAVLT Hommes illuſtres p. 57. 58.

i) T. II. Operis maioris p. 124.

k) Dict. T. I. art. Arnaud not. Cc, p. 348. Conf. DANIEL Voyage du monde de Des-Cartes P. III. p. 204. 205.

l) Vid. BAYLE Dict. T. III. art. Nicolle not. E. p. 504.

seniſtis recepta erat, Carteſiana philoſophia eo magis illam inuidiam ſenſit, quo magis iam viuente Carteſio Ieſuitae ab ea ſe abhorrere eſſent profeſſi. Ita vero non ad hos ſolos, ſed ad omnes Carteſii ſequaces iſta aduerſitas tranſiit, inque id conniſi ſunt ſocietatis ſodales, vt totam Carteſianam doctrinam inuiſam redderent, atque ſuſpectam. Occaſionem autem nacti ſunt egregiam ex transſubſtantiationis, quam vocant dogmate, et explicatione Carteſianorum modi praeſentiae glorioſi corporis Chriſti in altaris ſacramento. Nam Carteſium ab ipſo Arnaldo ideo reprehenſum eſſe, quod modus huius praeſentiae a Tridentini concilii patribus definitus cum notione corporis a Carteſio data conſiſtere non poſſet, eum vero peculiarem excogitauiſſe explicationem, vt oſtenderet, hoc non obſtante et reiecto licet inſulſo accidentium commento, eundem praeſentiae modum, qui transſubſtantiationis voce definitur, ſaluis ſuis principiis conſtare poſſe, ſupra ex inſtituto explicuimus. Aſt aliorum non idem de Carteſii explicatione iudicium fuit, et minime omnium Ieſuitarum, qui peruerti corrumpique ſenſus puros eccleſiae Romanae et ad nouitates philoſophicas inepte trahi clamabant, ſicque ἑτεροδοξίας ſuſpicione partes Carteſianas vehementer premebant. Quod ne ſolis rumuſculis et intra auditoria perſonaret, prodiit ex hoc ſodalitio Valeſius, qui peculiari libello Carteſianos eo nomine aggreſſus eſt: cuius rei hiſtoriam cum in Vita P. Baylii iam enarrauerimus, actum non agemus, ſed lectorem ad *partem priorem huius tomi* remittimus. Effecerunt autem iſtae Ieſuitarum contentiones, vt vehementi inuidia laborare Carteſianiſmus inceperit, quique illi adhaererent, de fide temerata apud plerosque male audirent, magnisque motibus curſus Carteſianae factionis laetiſſime hactenus graſſantis ſuffla-
minaretur. Cuius eſſe exemplum poteſt, quod Petrus Syluanus Regis [m], vir

m) Editus eſt in lucem inter Aginnenſes, (Saluerat de Blanquefort) Petrus Syluanus Regis anno 1632. Poſitis litterarum et philoſophiae rudimentis apud Ieſuitas Cadurci, theologiae in alma Pariſienſi operam dedit. Ibi occaſionem nactus ab ore Iacobi Rohalti pendendi, Carteſianam philoſophiam amplexus eſt, eamque paucis menſibus totam perdidicit. Deinde ad Toloſanos delatus anno 1665. conuentus Carteſianos inſtituit, a pleriſque viris doctis, immo a foeminis quoque honeſtioribus frequentatos. Naraturque in Nouis liter. Hamburg. 1707. p. 228. eum aliquando diſſertationem philoſophicam, ſecundum principia Carteſii Gallica lingua exaratam in eo conuentu publice ventilaſſe, eamque foeminae Toloſanae, ex primariis, quae philoſophiam Carteſianam ipſo magiſtro didicerat, tuendam tradidiſſe: eam autem magna cum laude et eruditionis gloria obiectionibus virorum doctiſſimorum reſpondiſſe. Ita vero Toloſanis factus cariſſimus, ſtipendium publicum ex aerario meruit. Valde autem fauentem ſibi habuit marchionem Vardeſium, qui cum Carteſianam philoſophiam eſſet amplexus, cum Aquas Mortuas, cui vrbi agroque praeerat, traduxit, quo auctore quoque Montempeſſulanum anno 1671. tranſiit, et Carteſianam doctrinam magno applauſo in ſynodis eius philoſophiae cauſſa inſtitutis propagauit. Tanto etiam virorum doctorum conſenſu et admiratione in aedibus Lemeryanis anno 1680. ſimiles conuentus Pariſiis inſtituit, vt locus auditores non caperet. Vix autem ſemeſtri ſpatio Carteſianam philoſophiam hoc pacto docuerat, cum Valeſio Ieſuita Carteſianos heterodoxiae accuſante, coelumque et terram miſcente, Regiſius conuentus eiusmodi habere prohiberetur. Vid. DES MAIZEAVX Vie de Mr. Bayle p. 25. Nempe Regio mandato iniunctum fuiſſe profeſſoribus Pariſienſibus Carteſio fauentibus ab archiepiſcopo, vt iuxta cenſuras academiae, et decreta ſenatus regni Ariſtotelicam philoſophiam preſſius ſequerentur, refert PELLISSONIVS Lettr. de la tolerance T. IV. p. m. 345. Ipſe tamen archiepiſcopus Regiſio valde fauens multoties priuatum cum eo colloquium inſtituit. Patronis

vir doctus et acutus, quique eo tempore inter Carteſianos facile principatum tenebat, metu compulſus ſit, conuentus philoſophicos, quos eo tempore magna audientium frequentia et approbatione inſtituerat, dimittere, Mallebranchius autem et Bernierus, quos nomine aggreſſi erant Ieſuitae, omnes ingenii neruos et machinas quascunque adhiberent, vt nihil ſe in eccleſiae ſuae fidem doctrinamque peccaſſe demonſtrarent. Et haec cauſſa quoque fuiſſe videtur, cur philoſophi nonnulli, qui Carteſio fauebant, ſub Gaſſendi potius, atomiſticam philoſophiam minori inuidia diſſeminantis ſymbolis latere, quam Carteſianum nomen affectando perſecutiones pati voluerint; qualem fuiſſe Laurentium de Memes n), qui marchioni Vardeſio Carteſianam philoſophiam tradidit, Bernierium, Mommorium aliosque, memoriae eius aetatis literariae teſtantur. Ceterum non Pariſiis tantum Carteſianos haec tempeſtas ſuppreſſit, ſed Cadomi quoque academia, et imprimis Petrus Callyus eam ſenſit,

Patronis autem intercedentibus, ſuperatisque difficultatibus veniam tandem nactus edidit, 1690. Syſtema philoſophiae, logicam, phyſicam, metaphyſicam et ethicam ſecundum principia Carteſii complexum, vid. A. E. 1692. p. 135. 179. Notauit in iis, haud pauca Io. Baptiſta du Hamel, cui tamen auctor 1692 reſpondit, et ad Carteſianae philoſophiae cenſuram ab Huetio editam nonnulla eodem anno regeſſit. Id quod adeo moleſtum habuit HVETIVS, vt fabulam illam iocularem de Carteſii hiſtoria ſuo loco enarratam Regiſio inſcriberet, et ſale ſatyrico ita hunc philoſophum perfricaret, vt ipſe in Comm. de vita ſua p. 163. fateatur, „ neque perſonae ſuae neque dignitati „conueniſſe, mimicis huiusmodi iocis popello „literato luſus praebere, ideoque ſedulo cauiſſe, „ne nomen ſuum innoteſceret.“ Teſtis tamen hoc ipſo eſt epiſcopus Abrincenſis, inter praeclariſſima Carteſianae ſcholae ornamenta eo tempore numeratum fuiſſe Regiſium, Anno 1699. ſcientiarum academiae adſcriptus eſt. Tanta autem eius exiſtimatio fuit, vt teſte FONTENELLIO in Hiſt. renouatae academiae regiae ſcientiarum p. 177. Marchio Vardeſius genero ſuo duci de Rohan in teſtamento iniungeret, vt in ſua familia eum ad mortem vsque aleret, in qua etiam 1707 menſe Ianuario obiit. Idem Condaeum quoque principem, ducem Albanenſem, aliosque principes viros ei vehementer fauiſſe obſeruat. Conf. STOLLIVS Hiſt. lit. P. II. c. 1. §. 95. p. 411. Act. philoſ. Vol. I. p. 1062. Quamuis autem Carteſium ſequeretur, tantum tamen abeſt, vt ſeruili ſtudio in eius verba iurauerit, vt non modo innumera addiderit, ſed in haud paucis quoque ab eo receſſerit, experientia et meditatione meliora ſuggerentibus, vt recte obſeruatum CLERICO Bibl. vniu. T. XXI. P. I. p. 74. ſeqq. P. II. p. 28. Qui ſenſus eclecticus quoque ex diſſertatione praeliminari ſatis patet, qua philoſophicam hiſtoriam pulcherrime, licet breuiſſime ſtrictimque enarrauit, vt T. I. p. 37. dictum. Cuius interpres Latinus, magnas in eum laudes licet ore valde barbaro cumulauit. Edidit Regiſius quoque 1704 Tractationem de Concordia rationis et fidei. Praeter Regiſium autem inter Carteſianos illuſtres numerat Franciſcum Bayle, profeſſorem Toloſanum MORHOFIVS Polyhiſt. T. II. L. I. c. 15. §. 9. p. 114. cui debemus Syſtema philoſophiae vniuerſale 1669 editum, et Inſtitutiones phyſicas 1700. 1703. 4. vid. A. E. 1702. p. 387. ſeqq. 452. ſeq.

n) Meminit Carteſiani cuiusdam cuius nomen tacet perſonatus MARVILLIVS Melange de liter. T. I. p. 381. 382. quem, ait, fuiſſe marchionis Vardeſii in Carteſiana philoſophia praeceptorem, inque eo philoſophandi genere excelluiſſe; deſeruiſſe autem ordinem religioſum, et more Mallebranchii in ſolitudine illuminationem Carteſianae philoſophiae expectauiſſe; valde vero excoluiſſe hiſtoriam inſectorum, et artium mathematicarum praecepta duc[illegible]L--- tradidiſſe, tandem ſine ſacramentorum vſu ſubito vita emigraſſe. Eſſe hunc Laurentium Meſmam, qui relicto Carthuſiano ſodalitio ſub nomine alcititio Michaëlis Neuraei latuit, ex HVETII Comm. de rebus ad eum pertinentibus L. III. p. m. 70. facile conſtare poteſt. Narrat enim eo loco Abrincenſium epiſcopus, hunc Michaëlem Neuraeum, (cuius in Gaſſendi hiſtoria facta eſt mentio, eo quod Gaſſendi partes contra I. B. Morinum defendiſſet) veniſſe Cadomi cum principibus Longauillanis adhuc pueris; quorum regendis ſtudiis fuerit praefectus. Exque Chaeuraei Miſcellaneis refert, fuiſſe eum natum Iulioduni in Pictonibus, Laurentium Meſnam vero nomine dictum, Carthuſiano nomini ſolemnibus votis adſtrictum, totosque triginta annos apud Burdigalenſes egiſſe, et vitae tandem huius ac germani nominis pertaeſum, aliam induiſſe perſonam, ac Lutetiae demum Michaëlem Neuraeum factum, nouoque cultu ornatum prodiiſſe. Huic enim Huetii narrationi circumſtantiae a Maruillio allatae omnino conueniunt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

senſit. Qui cum prius philoſophiam Ariſtotelicam diu docuiſſet, tandem in Carteſianae philoſophiae adyta, narrante HVETIO o), „ſe inſinuauerat, „tamque vehementi in eam ſtudio exarſerat, vt tradita a ſe tot annos praecepta „et dogmata palam eiuraret, nec aliud quicquam creparet, vel in publicis le„ctionibus vel in priuatis colloquiis, quam Carteſium. Is enim, eodem aucto„re valde, vti dictum, Ieſuitarum factione fauente, narrante tam inconſidera„te tamque licenter id fecit, vt cum rerum ſacrarum attingeret doctrinam, „minime temperaret ſibi, quin eam quoque reſpergeret Carteſianis com„mentis et corrumperet. Id quod ipſi demum noxae et dedecori fuit, „atro carbone ſeueraque cenſura notato.“ Quin et reliquis profeſſoribus Carteſio fauentibus regis mandato ab archiepiſcopo Pariſienſi ſerio iniunctum eſt, vt dimiſſo Carteſianiſmo ex lege ſenatus regni atque vniuerſitatis Ariſtotelem ſequerentur p). Ita vero vbique triumphante in Carteſianos Ieſuitarum inuidia cedendum quoque tempeſtatis furori fuit congregationis oratorii patribus, quos auide Carteſianiſmum amplexos fuiſſe ſupra diximus. Illi enim tandem ſolenni conuentione cum Ieſuitis pacti ſunt, de non amplius tradendo Carteſianiſmo vel fauendo Ianſeniſmo, cuius conuentionis exemplum in collectione tractatuum ad hanc controuerſiam pertinentium, quam P. BAYLIO q) debemus, occurrit, vt in eius vita dictum, vbi plura quoque huc pertinentia allata ſunt, ad quae breuitatis cauſſa lectorem remittimus. Neque id in ſola regni metropoli factum, ſed Carteſianae philoſophiae in aliis quoque academiis Galliae ſimile fatum extitit, et imprimis Cadomenſis academia, ſeueros ſuperiores experta eſt, ſine dubio quod Callyus imprudentia ſua eos irritauiſſet. In ea nempe ſchola anno cIↃ IↃ CLXXVII Carteſiana doctrina, velut heterodoxa publice interdicta eſt, quamuis in aliis vniuerſitatibus, quas vocant, idem rigor nondum obtinuiſſet r). Paulo tamen poſt in Andegauenſi idem edictum eſt, cumque regis auctoritas, qua Ieſuitae tum ex voto vtebantur, accederet, ad alias quoque academias ſimilia mandata dimanarunt. Cuius perſecutionis, quae Carteſianiſmum in Gallia tum vehementer afflixit, occaſionem Ieſuitae nacti ſunt, ex patrum congregationis nonnullorum imprudentia, qui cum Carteſianae diſciplinae vehementer eſſent addicti, publice eam profiteri, et ad ſacram quoque doctrinam transferre nulli dubitarunt. Eos itaque tum in aula, tum apud congregationis praefectum generalem Senaltium heterodoxiae accuſarunt, effeceruntque, vt in academia Andegauenſi aliisque regni locis, vbi patres congregationis docebant, illi a ſuperioribus Carteſianam philoſophiam profiteri prohiberentur s). Qui licet peculiari epiſtola ad generalem ordinis data, vehementer orarent, vt, cum ducenti fere eſſent, qui de Carteſiano-

o) l. c. p. 16.
p) PELLISSON l. c.
q) Conf. DES MAIZEAVX. Vita Baylii p. 25.
r) DANIEL Itin. Carteſii per mundum P. III. p. 193.
s) Vid. Collectio eorum, quae geſta ſunt in academia Andegauenſi, quae 1677. prodiit, DANIEL l. c. quem tamen fuiſſe Ieſuitam, Lectorem merito recordari iubemus.

teſianorum dogmatum veritate eſſent conuicti, liceret ipſis ſuis luminibus ſuaque libertate ſentiendi vti, ſuperare tamen Ieſuitarum inſultus et potentiam non potuerunt; coactique ſunt, inita conuentione cum Ieſuitis, vti dictum, Carteſianae philoſophiae nuntium mittere, accedente decreto ordinis, vt a Carteſianis et Ianſenianis hypotheſibus ſibi cauerent. Et hoc quidem pacto Carteſianae philoſophiae fortuna, potentia ſocietatis et inſidiis graſſantibus in academiis Galliae, quae Romanae eccleſiae decretis addictae ſunt, euerſa diu eſt. Nec laetior ea fuit in academiis Galliae reformatis. In quibus cum paſſim Carteſiana dogmata perſonarent, (P. Bayle enim eam Sedani docuiſſe ſuo loco dictum) factum tamen artibus eorum, qui pellere regno partibus Reformatorum addictos ſtudebant, vt academiae iſtae mature ſoluerentur, tandemque omnis reformatorum turba Gallia, reuocato edicto Nannetenſi, eiiceretur, quo pacto factio Carteſianae philoſophiae contraria, quam Ieſuitae tunc in aula Gallica potentiſſimi, maxime formabant, et ſuſtinebant, pleniſſime triumphauit. Paulo tamen laetior fortuna circa finem ſeculi elapſi Carteſianam philoſophiam arriſit, languente tandem et deſidente inuidia, quae Carteſianos preſſerat. Cum enim nec Carteſiani, Mallebranchius, Regiſius ſimilesque, ſeruili ſtudio ſoli Carteſio adhaererent, ſed eclecticos potius philoſophos referre cuperent; et ſtudium philoſophiae naturalis apud exteros valde cultum et ab academia ſcientiarum regia eleganter promotum cogeret Ieſuitas, comtioris philoſophandi generis gratia ſcholaſticam philoſophiam tandem ex parte deſerere, ne ſoli in priſtino ſterquilinio deſipere viderentur, nonnulli ex ea ſocietate viri docti in Carteſii diſciplinam, licet moderata ἐκλέξει tradueti ſunt, aliique eccleſiaſticis muneribus aucti hunc auctorem ſequi non erubuerunt, vnde Lauaſii, Rabuelis, Rapini, Catelani aliorumque haud ignota ſunt nomina, quorum ſtudio et eruditionis elegantia factum eſt, vt cum Carteſianiſmus fere deſierit inter gentes alias, magni nominis Carteſianos exhibeat Gallia, qui pro his partibus contra Newtoni et Leibnizii aſſeclas magno animo magnaeque doctrinae ſpeciminibus militarunt. Tacemus Mallebranchii ſectatores, quos noſtra aetate inter philoſophos Gallos nomen haud vno ſpecimine extuliſſe, annales literarii abunde teſtantur.

Fata Carteſianae philoſophiae in Italia.

§. XLIII. Reſtat philoſophiae Carteſianae fata perquirentibus Italia; in Hiſpania enim his literis honorem non haberi et in academiis infelix tantum ſcholaſticae philoſophiae lolium ſterilesque dominari auenas ex Cl. MAIANTII *s* querimonia nouimus. Italia autem, quamuis elegantiorum literarum alma mater recte audiat, Carteſianae tamen philoſophiae nouitatem ob cauſſas notiſſimas, tum quidem ferre non potuit. Vix enim penetrauerant meditationes Carteſii Romam, Alpesque ſuperauerant, cum XII Cal. Dec. anno CIↃ IↃ C L XIII *t* a S. congregatione cardinalium

s) In Vita Iac. Martini eius Epp. praemiſſa.
t) Annum 1643. ponit FABRICIVS in Syll. ſcript. de V. R. C. p. 328. not.

dinalium decerneretur, ne eas vel scripta atque opera Cartesii alia, quis cuiuscunque gradus vel conditionis in posterum vel imprimat vel legat vel retineat; quo pacto albo librorum prohibitorum inscripta, et nigro commate insignita sunt. Magno id Peripateticae et Scholasticae philosophiae commodo factum est, quae his fulcris sustentata passim in ea regione triumphauit. Ast cum magna et excelsa ingenia ad naturalem potissimum philosophiae partem excolendam neruos omnes intenderent, idque desertis nugis Scholastico-Peripateticis legibus mechanicis experientia firmatis facere conniterentur [u], non modo quicquid veritatem sectae studio superiorem habuit ad seligenda ea, quae in Cartesii doctrina recte dicta sunt, liberali studio se conuertit, et quod opportune nuper nonnemo monuit [x], nouae philosophiae sectatores post diuturna cum Scholasticis certamina ad tranquillum tandem pacis portum peruenerunt, quo pacto ex Cartesii disciplina transsumtum est, quicquid cum ratione et experientia conuenire deprehensum est, nec bruta amplius fulmina incutere metum potuere: sed et inuenti sunt, qui Cartesii meditationes et philosophemata publice defenderent. Id quod exspirante seculo elapso fecisse Michaëlem Angelum Tardellam, professorem Patauinum, et pro Cartesii de anima placitis ex Augustino disputauisse, respondisse vero Matthaei Georgii obiectionibus contra philosophiam Cartesianam auctor est PETRVS BAYLE [y]. Eandem tibiam cum aduersus Cartesianos et recentiorem philosophiam omnem inflasset, ANANVS quidam, Bibliothecarius Casanetensis Romae, qui *Philosophiae Neopaleae librum prodromum contra Nouistas et Cartistas* (Cartesianos intelligit,) vulgauit, ex merito poenas ideo dedit doctissimo VENTVRELLIO, qui quam inepte scholastici contra nouos philosophos disputent, eleganti satyra demonstrauit [z]. Tacemus, quae ex ordine Minorum hanc in rem erudite scripsit FORTVNATVS A BRIXIA, matheseos et naturalis philosophiae in academia Brixiensi professor; quae licet ad eclecticam philosophiam pertineant, maxime tamen pro mechanica philosophia a Cartesio restituta verba faciunt, et non obstare pristina praeiudicia viris doctis satis probant.

§. XLIV. Et haec quidem breuis delineatio fatorum philosophiae Cartesianae est, quae tamen primas magis lineas suppeditat, quam iustam celeberrimae sectae historiam. Quam secundum omnes philosophiae partes accurate deductam, demonstrantemque, quid Cartesii placitis addiderint sectatores, in quo recesserint, quid ei debeant recentiores, quid reiecerint,

Sectatores Cartesii quomodo considerandi?

u) Comparanda elegans Praelectio illustrissimi IO. POLENI Marchionis Patauii 1740. habita, qua Institutionum philosophiae mechanicae experimentalis specimen exhibuit.

x) Noua literaria Florentiae publicata, Tom. II. p. 537.

y) Lettr. 168. T. II. p. m. 650. Io. Alphonsum Borellum inter Cartesianos Italos numerat MORHOFIVS Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 6. §. 6. qui tamen eclectice tantum Cartesio vsus est.

z) Lettera del P. Lettore Venturelli a P. Maëstro Agnani bibliothecario Casanettense di Roma, in tomo il libro, philosophia neopalaea. Rauen. 1738. 4.

iecerint, quaeque alia sunt, ad specialem historiam sectae alicuius pertinentia, hactenus desideramus. Quemadmodum autem, vt ex dictis liquet, pauci forte inueniuntur, qui Cartesium nude sequantur, et non multa addant de suo, vel propriis principiis vtantur, id quod inter Cartesianos illis potissimum accidit, qui systema logicum et ethicum Cartesianis principiis inaedificarunt: quorum neutrum Cartesius perfecit, et exemplo vnius Mallebranchii, post Cartesium, celeberrimi in hac schola philosophi, constare potest, qui magistrum in multis reprehendit deseruitque, et noua plurima Cartesianismo inuexit *: ita fatendum quoque, paucos esse inter eos, qui eclectice philosophari et rationem atque experientiam consulere, quam aliquod sectae caput sequi malunt, qui non praeclara multo Cartesio debeant, haud ignobili specimine, merito inter magna nomina aeui nostri philosophum celeberrimum referri. Certe si aliud praestitisset nihil, quam quod maximo animo seruile scholasticae philosophiae iugum abiiciendi, et nouam viam ingrediendi exemplum orbi philosophico dederit, et quod multi prius inutilibus conatibus aggressi sunt, perfecerit, vt in libertatem se asseruerint erecta ingenia, plurimum de philosophia meruisse, merito esset dicendus.

Cartesiana philosophia vnde hauriendo.

§. XLV. Restat vt Cartesianae quoque philosophiae more nostro breuem et succinctam exhibeamus διατύπωσιν. Quam dare laboris non adeo molesti est, ex quo, quae Cartesius coeperat, perfecerunt sectatores, et integrum philosophiae suis partibus absolutae aedificium excitarunt Claubergius, Regisius, le Grand, alii. Ast hos multa addidisse de suo, et vsos principiis a Cartesio positis integras disciplinas philosophicas a magistro leuiter et velut in transitu tactas ex suo extruxisse, in antecedentibus monuimus. Hos itaque in compendium redactos heic loquentes introducere, esset Cartesianorum quidem, non autem ipsius Cartesii decreta philosophica delineare, a qua prolixitate institutum nostrum abhorret, facilique labore ipse Lector libros vbique obuios consulere, et quid Cartesianis placuerit, instituta comparatione decernere poterit. Nos scopi nostri legumque, quas nostrae tractationi praescripsimus, memores, ad solum Cartesium respiciemus, et quid noui attulerit reformator philosophiae celeberrimus, expendemus [a]. Vnam autem naturalem partem, et metaphysicam, non tamen totam plenius ipse Cartesius descripsit, de rationali pauca, de morali paucissima tradidit, hancque, quam in extremis vitae annis attigit, totam non excultam reliquit. Faciemus itaque scopo nostro satis, si quae ad logicam et ethicam pertinent, ex dissertationibus *de Methodo* et *de Passionibus animae* adduxerimus, subiecerimus autem ex *Meditationibus de philosophia prima*, atque *Principiis philosophiae* reliquisque scriptis philosophicis, quibus nouum

*) Obseruatum id quoque Regis l. c. p. 204.

a) Breuem delineationem principiorum Cartesianorum exhibet Regis l. c. p. 180. seqq. qui et p. 198. seqq. nouas veritates, a Cartesio detectas enumerat.

uum philoſophiae ſuae aedificium conſtruxit. Adiiciemus autem, quae paſſim de his dogmatibus monuerunt viri docti, vt doctrinae quoque Carteſianae hiſtoria critica lectori pateat.

§. XLVI. Scripſit ſibi Carteſius, cum deſertis ſterilibus logicorum Peripatetico-Scholaſticorum campis nouam in inquirenda veritate viam tentaret, has regulas easque obſeruandas accurate atque tenendas ſibi ipſi iniunxit: *Cogitationes Carteſii de methodo inueniendi verum.*

I. Nihil pro vero admittendum, vnquam, niſi quod certo et euidenter verum eſſe cognoſcitur, hoc eſt, omnis praecipitantia atque anticipatio in iudicando diligentiſſime vitanda, nihilque amplius concluſione complectendum, quam quod tam clare et diſtincte rationi patet, vt nullo modo in dubium vocare poſſit.

II. Difficultates quae examinandae ſunt, in tot partes diuidendae, quot expedit ad illas commodius reſoluendas.

III. Cogitationes omnes, quae veritati quaerendae impendendae ſunt, certo ſemper ordine promouendae, incipiendo ſcilicet a rebus ſimpliciſſimis et cognitu facillimis, vt paulatim et quaſi per gradus ad difficiliorum et magis compoſitarum cognitionem aſcendatur, in aliquem etiam ordinem illas mente diſponendo, quae ſe mutuo ex natura ſua non praecedunt.

IV. Tum in quaerendis mediis tum difficultatum partibus percurrendis tam perfecte ſingula enumeranda ſunt, et ad omnia circumſpiciendum, vt nihil omiſſum eſſe certum ſit.

„Ad hanc regularum quaternionem perueniſſe ſe geometriae ope non „negat, ſed longas, ait, valde ſimplicium et facilium rationum catenas, „quarum ope geometrae ad rerum difficillimarum demonſtrationes deducuntur, anſam ipſi dediſſe, exiſtimandi, ea omnia, quae in hominis cognitionem cadunt, eodem pacto ſe mutuo ſequi, et dummodo nihil in illis falſum pro vero admittamus, ſemperque ordinem, quo vna ex aliis „deduci poſſint, obſeruemus, nulla eſſe tam remota, ad quae tandem non „perueniamus, nec tam occulta, quae non detegamus. Cumque ex vſu „geometrarum facilem ſibi hanc methodum fuiſſe oſtendiſſet, reuera ſe „dicere poſſe aſſerit, pauca illa praecepta, quae ſelegiſſet, obſeruando, „tantam ſe facilitatem acquiſiuiſſe ad difficultates omnes extricandas, vt „intra duos aut tres menſes, quos illi ſtudio impenderit, non modo multas quaeſtiones inuenerit, quas antea difficillimas iudicaſſet; ſed etiam „tandem eo peruenerit, vt circa illas ipſas, quas ignoraret, putaret ſe poſſe „determinare, quibus viis et quousque ab humano ingenio ſolui poſſent. „Quin et hoc addit: hanc ipſi methodum in eo praecipue placuiſſe, quod „per illam videretur certus eſſe, in omnibus ſe vti ratione, ſi non perfecte, „ſaltem, quam optime ipſe poſſet, ſentiretque eius vſu paulatim ingenii „ſui tenebras diſſipari, et illud veritati diſtinctius et clarius perſpiciendae „aſſuefieri.“ Patet ex dictis Carteſium his regulis ſuppoſitis, et canonum

num inſtar in inquirenda veritate ſibi praeſcriptis integram rationalis ſcientiae partem comprehendere non conſtitutum habuiſſe, ſed deſerta ſterili arte ſyllogiſtica, quam puer imbiberat, viam, quam ex mathematica methodo certam nouerat et ſecuram, ſibi ſelegiſſe, vt in tanta itineris incertitudine et viarum diuerſitate hodegum haberet, a quo ſine erroris metu ad veritatem deduceretur. Nam quae ad intellectus humani naturam, vires, operationes, morbos et ſimilia pertinent, philoſophus in *Principiis philoſophiae* expoſuit, hoc loco contentus methodum inquirendae veritatis certam et ſecuram tradidiſſe. Ex his vero conſtat, perperam in Carteſio reprehendere nonnullos [b], *praecepta haec iuſto breuiora eſſe, nec ingenium quoddam poſſe aptum reddere ad ſenſum veri et falſi, praeſertim cum ſint nimis generalia, cum tamen larga ipſi fuerit occaſio vitia logicae Ariſtotelicae emendandi. Nihil tradidiſſe de ratione verum inueniendi, de probabilitate, de definitionis legitimae indole, de variis ratiocinandi modis* etc. Recte haec Carteſio obiiciuntur, ſi ſupponas, omnem ratiocinandi artem eum iſtis regulis complecti voluiſſe. Aſt id ſcopo eius contrarium eſt, et verbis apertis repugnat, quibus ſe de methodo tantum atque via in veritate detegenda ineunda iſtis canonibus ſollicitum fuiſſe docet. Id quod recte viderunt eius diſcipuli et de perficienda hac philoſophiae parte mature cogitarunt [c]; ex quibus inter primos Claubergius derelictum a Carteſio campum occupauit, et artem ratiocinandi regulis inſtruxit plenioribus. Porro et hoc quoque ex dictis liquere poteſt, conſulto ea, quae ad analyſin ſpectant, Carteſium omiſiſſe, quae ex geometrarum vſu et exercitatione ipſi erant notiſſima; ea enim tum quidem adhibere in noua iſta methodo non poterat. Grauiora ſunt, quae in his regulis reprehendit PETRVS POIRETVS [d] acerrimus Carteſianae diſciplinae cenſor atque arbiter. Monet is falſo in prima ſupponi rationis facultatem eſſe eo vsque ſanam, vt alio lumine, quam naturali, non ſit opus, et deinde, eam hoc ſuo lumine clare et diſtincte videre poſſe non modo quaedam rerum generaliora, ſed omnia etiam remotiſſima et occulta; denique ab iis, quae ſuo modo non deteget nec videbit, ſummopere eſſe cauendum. Et haec falſa ſuppoſita cauſſam eſſe putat Poiretus, cur in rerum principiis poſtmodum quaerendis a vero toties aberrauerit, naturamque mentis in cogitandi principio quaeſiuerit. Alteram regulam in ſe bonam inutilem fuiſſe Carteſio obſeruat, quod vbi ad rem ventum eſt, diſtinctiones primas, capitales, neceſſarias omiſerit. In tertia methodi lege et applicanda aberrauiſſe cenſet Carteſium, et a Dei ſufficientia, poſt primum illud, cogito, philoſophandi exordium debuiſſe deſumere: falſum autem eſſe pronuntiat, omnium ſimpliciſſima eſſe et omnium cognitu facillima, cum contrarium pateat ex Dei aeternitate. His autem non recte poſitis nec enumerationem poſſe fieri mediorum, nec

b) Conf. Ven. WALCHIVS Hiſt. log. L. II. c. 1. §. 16. Parerg. academ. p. 643. ſeqq.

c) Enumerat eos IDEM l. c. §. 18. p. 649. ſeqq.

d) In vera Methodo inueniendi verum P. III. c. 2. p. 12. 169. ſeqq.

nec difficultatum recenſionem rectam, adeoque inutiles eſſe has regulas Carteſii. Sunt in hac cenſura Poireti nonnulla, quae pondus habent, ſaltem oſtendunt, nec ſufficere has regulas, nec eſſe adeo vniuerſales, vt non in multis fallat, certe dubia et incerta haereat applicatio. Aſt immiſcet Poiretus, iam tum Bourignoniae ſomniis captus ea, quae Carteſianarum regularum pretium non eleuant. Nempe totus ipſe rationi humanae infenſus, cum inter ratiocinationem formalem et materialem (veniam vocibus metaphyſicis expetimus) non diſtinxiſſet, ea quae de rationis inſufficientia in certo argumenti obiectique genere recte dicuntur, infeliciter hypotheſeos praeiudicio occoecatus ad ipſam rationis formam naturamque, de qua loquitur, quamque inſtruit Carteſius, inepte transtulit. Quae ſi corrupta et inſufficiens dici poteſt ad veritatem inquirendam, de omni humana cognitione actum eſt e). Id quod voluit Poiretus, nempe vt irrationalis, quam perſuadere conatur, enthuſiaſmus, et illuminatio paſſiua, quamuis ἄλογος triumpharet. Alia, quae viri docti paſſim monuerunt, breuitatis cauſſa omittimus, id vnum monentes, neque illos ad ſcopum Carteſii reſpexiſſe, qui obſeruarunt, inutiles eſſe has regulas iis veritatibus, quae in vitae humanae praxi quotidie occurrunt, vbi eiusmodi inquirendi proceſſus nec locum nec tempus habet. Quamuis enim haec recte prudenterque dicantur, reuocandum tamen in memoriam, Carteſium methodum tantum philoſophicam inſtruxiſſe, et intellectum in argumento graui et theoretico dirigere voluiſſe. Tacemus hominem diu iſtis regulis exercitatum facile eam ſibi certe et accurate ratiocinandi conſuetudinem acquirere, vt promte et e veſtigio in rebus ad vitam ciuilem pertinentibus iis vti poſſit. Verum de his alii diſpiciant.

§. XLVII. De morali philoſophiae parte non niſi circa extremos vitae annos cogitauit Carteſius, Eliſabetha Palatina, et Chriſtina Suecorum regina problematibus moralibus eius meditationem excitantibus. Inde cauſſa deriuanda eſt, cur inter opera eius philoſophica nihil appareat, quod ad ethicam referri debeat. Tractatus enim *de Paſſionibus animae* non ethicus eſt, ſed phyſicus. Occurrunt tamen in epiſtolis eius nonnulla, quae rogatus de argumento morali, amicis et imprimis foeminis illis ſereniſſimis perſcripſit. Aſt cum meditari de philoſophia inciperet, et ſibi certam quam ſequi decreuerat, viam praeſcripſiſſet, in argumento quoque moralis ſcientiae canones quosdam conſtituit, non quod iuſtum ſibi moralis doctrinae aedificium iam tum exſtrui cuperet, ſed vt haberet aliquod, dum illud aedificetur, in quo poſſet haud incommode habitare. Nempe, vt ipſe monet, ne dubius et anxius haereret circa ea, quae ſibi agenda eſſent, quamdiu ratio ſuaderet, incertum eſſe, circa ea, de quibus deberet dubitare, atque vt ab illo tempore viuere inciperet, quam

Regulae morales Carteſii.

e) PETRVS de VILLEMANDY in Scepticiſmo debellato c. 31. p. 227. STOLLIVS Hiſt. lit. P. II. c. 2. §. 23. p. 441. ſeq.

quam feliciſſime fieri poſſit. Et hoc quidem fine ſe ethicam ſibi quandam ad tempus effinxiſſe ſcribit, quae his regulis continebatur, vt

I. Legibus atque inſtitutis patriae obtemperaret, firmiterque illam religionem retineret, quam optimam iudicabat, et in qua Dei beneficio ab ineunte aetate erat inſtitutus; atque ſe in caeteris omnibus gubernaret iuxta opiniones quam maxime moderatas, atque ab omni extremitate remotas, quae communi vſu recepta eſſent apud prudentiſſimos eorum, cum quibus ſibi eſſet viuendum. Ad has nimietates imprimis promiſſiones referendae ſunt, quibus nobismet ipſis libertatem mutandae poſtea voluntatis adimimus. Quia enim nihil in mundo eſt, quod ſemper in eodem ſtatu permanet, vita ita inſtituenda eſt, vt iudicia indies meliora fieri poſſint.

II. Vt quam maxime conſtans et tenax propoſiti ſemper eſſet, nec manus indubitanter atque incunctanter in iis agendis perſeueraret, quae ob rationes valde dubias vel forte nullas ſuſcepiſſet, quam in iis, de quibus plane eſſet certus. Quia enim in vita multa agenda ſunt, quae differre plane non licet, certiſſimum eſt, quoties circa illa quid reuera ſit optimum agnoſcere non poſſumus, illud debere nos ſequi, quod optimum videtur vel certe, ſi quaedam talia ſunt, vt nulla nos vel minima ratio ad vnum potius, quam ad contrarium faciendum impellat, alterutrum tamen debemus eligere, et poſtquam vnam ſemel ſententiam ſic ſumus amplexi, non amplius illam vt dubiam, in quantum ad praxin refertur, ſed vt plane veram et certam, debemus ſpectare, quia nempe ratio, propter quam illam elegimus, vera et certa eſt.

III. Vt ſemper ſe ipſum potius, quam fortunam vincere ſtuderet, et cupiditates proprias, quam ordinem mundi mutaret: atque vt in vniuerſum ſibi firmiter perſuaderet, nihil extra proprias cogitationes abſolute eſſe in noſtra poteſtate *f*; adeo vt quicquid non euenit, poſtquam omne, quod in nobis erat, egimus vt eueniret, inter ea quae fieri plane non poſſunt, et philoſophico vocabulo impoſſibilia appellantur, ſit a nobis numerandum. Longiſſima tamen exercitatione et meditatione ſaepiſſime iterata opus eſt, vt animum noſtrum ad res omnes ita ſpectandas aſſuefacere poſſimus.

Pertinere has regulas morales, magis ad prudentiam viuendi feliciter, quam ad emendandum et ad felicitatem muniendum animum, adeoque minimam moralis doctrinae partem attingere, ipſe non negat Carteſius, et has ſe tantummodo elegiſſe non diffitetur, vt interim agendi aliquam normam haberet, donec meditatione ad certiora eſſet delatus. Adeoque ex his regulis de Carteſii mente circa argumentum ethicum iudicium fieri non poteſt, ſed conſulendae epiſtolae ſunt, in quibus praemeditata diu inter-

f) Κύριον δόγμα hoc Stoicorum, vid. EPICTETI Enchiridion.

interdum attulit. De quibus tamen obseruat PETRVS POIRETVS [g], *cum primum legisset, eas profecto velut de coelo labentes non suspexisse solum, sed et toto pectore fuisse amplexum, ob egregia atque pia ac fundamentalia ethices cogitata hinc inde, sua quidem opinione pristina extantia. At postquam deinde omnia simul conspicere et diligentius perpendere coepisset, vidisse se de eiusmodi ethica idem iudicium fieri posse, quod ipse de ethnicorum moralibus scriptis fecerit: superba esse palatia, arenae imposita, nec quid pro virtute et pro summo bono habendum sit, explicantia. Arenam enim esse vel coenum potius, dogma illud inane, quod pacificandis animis nostris afferat, de Deo, voluntatis nostrae propensiones omnes non praeuidente modo, et ab aeterno decernente, sed et eas nobis singulas infundente, quod et fatum Spinozianum redoleat, tum vero animum ad virtutem obtundat atque vitiis quibuscunque defendendis poenitentiaeque excutiendae potius, quam vt virtutem promoueat.* Idem summum quoque bonum, quod Cartesius, quatenus ad nos spectat, vnicuique esse nihil aliud, quam libertatem arbitrii, aut potius illius bonum, dixit, virtutemque Cartesianam, qua quis ea faciat, quae meliora esse iudicat, valde confodit, et libertatem admittere tantum summum bonum ostendit et media acquirendae virtutis inepta a Cartesio adhiberi putat, quae sunt, nihil eorum negligere, quae ad inquisitionem veri faciunt, tum cognitionem ipsam veri bonique, iudiciaque de illis, decreta denique firma vitam secundum iudicia illa regendi, quae velut insufficientia et rationis actiuitate nixa reprehendit, suis hic quoque hypothesibus intentus. Ex quibus tamen intelliget Lector, quibus oculis, acutis, an hebetibus in morali doctrina viderit Cartesius? Cuius discipuli an feliciores fuerint [h] in condendis systematibus ethicis, in quibus pauca Cartesium sapiunt, ex commentariis eorum rite examinatis decernendum est. Eiusmodi *Ethica Cartesiana, siue ars bene beateque viuendi ad clarissimas rationes et sanae mentis ideas, ac solidissima Renati Cartesii principia formata*, Gallice et Latine [i] prodiit, quae consulenda.

§. XLVIII. In metaphysica philosophiae parte, quam in *Meditationibus* et in *Principiis Philosophiae* exposuit, ita statuit Cartesius: *Metaphysica Cartesii, de principiis cogitandi.*

I. Quoniam ab infantia multa de rebus sensibilibus iudicia tulimus prius quam integrum rationis nostrae vsum haberemus, multis praeiudiciis a veri cognitione auertimur: a quibus non aliter videmur posse liberari, quam si semel in vita de iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiemus.

g) De Erud. Triplici L. III. §. 50. p. 700.
h) Conf. THOMAS. Caut. circa Praecognita iuris c. 14. §. 31. BVDDEVS Hist. phil. c. 6. p. 432.
i) Gallice 1692. 12. Latine Halae 1719. 8.

II. Quin et illa etiam, de quibus dubitabimus, vtile erit, habere pro falsis, vt tanto clarius, quidnam certissimum et cognitu facillimum sit inueniamus.

III. Sed haec interim dubitatio ad solam contemplationem veritatis est restringenda. Nam quantum ad vsum vitae, quia persaepe rerum agendarum occasio praeteriret, antequam nos dubiis nostris exsoluere possemus, non raro quod tantum est verisimile, cogimur amplecti [k]: vel etiam interdum etsi e duobus vnum altero verisimilius non appareat, alterutrum tamen eligere.

IV. Imprimis dubitabimus, an vllae res sensibiles aut imaginabiles existant, tum quia deprehendimus interdum sensus errare, tum, quia quotidie in somniis innumera sentire videmus, quae nusquam sunt, nullaque sic dubitandi signa apparent, quibus somnum a vigilia dignoscatur.

V. Dubitabimus etiam de iis, quae pro maxime certis habuimus, etiam de mathematicis demonstrationibus, quaeque putauimus hactenus principia per se esse nota: tum quia vidimus aliquando nonnullos errasse in talibus, tum maxime quia audiuimus esse Deum, qui potest omnia, et a quo sumus creati; ignoramus enim, an forte nos tales creare voluerit, vt semper fallamur, etiam iis quae nobis quam notissima apparent. Multo magis id fieri potest, ab alio vel a nobis ipsis.

VI. sed interim hanc nobis libertatem esse experimur, vt semper ab iis credendis, quae non plane certa sunt et explorata, possimus abstinere, atque ita cauere, ne vnquam erremus. Haec famosissima illa Cartesii dubitatio philosophica est, quam cum in meditationibus quoque pro initio philosophandi adhibuisset, maximam sibi suisque philosophematis inuidiam conflauit. Nemo enim inter aduersarios fuit, qui non acerba contentione hanc ei dubitationem velut ratione carentem, et innumeris difficultatibus expositam obiiceret. Plerisque vero hoc pacto pernicioſum in philosophiam scepticismum introduxisse visus est. Qua de re ambitiosa prolixitate vtriusque partis rationes adducere, et quid in scepticismi Cartesio inurendi caussa adductum sit enarrare nec loci huius, nec instituti est, sed in speciali Cartesianismi historia debet exponi. Consuli autem praeter P. Villemandaevm [l], Gvil. Henr. Beckherym [m] et Ven. Io. Gvil. Fevrlinvm [n] illi possunt, quos celeberrimi Walchii adduxit industria [o]; maxime autem adeundus Clavbergivs, qui peculiari tractatione, *Initiationem philosophi, siue dubitationem Cartesii ad metaphysicam certitudinem viam aperientem* [p] delineauit. Nobis hoc loco ex ingenti obseruationum cumulo, quae a tot in hoc argumento scriptoribus afferri

k) Desumtum hoc ex schola Academicorum.

l) In Scepticismo debellato c. 2. §. 9.

m) Diss. quod Cartesius de omnibus initio suadens dubitare, atheis ideo et scepticis adscribendus non sit. Regiom. 1724.

n) Diss. de Dubitatione Cartesiana et an Cartesio atheismus et scepticismus imputari possit. Ien. 1711. 1712.

o) Parerg. acad. p. 802 seqq. Bvddei Thes. de atheismo c. 1. §. 25. p. 152.

p) Lugd. Batav. 1655. 12.

afferri solent, ea tantum seligimus, quae iudicium Lectoris instruere, et docere eum possunt, quale momentum ipsa haec controuersia habeat, in quo laudandus sit Cartesius vel excusandus, itemque quae in eius dubitatione culpanda sint? Et fuisse quidem philosophum vsum Scepticismo, et vniuersalem quandam dubitationem philosophari incipientibus suasisse, adductae supra assertiones clarissime loquuntur. Ast, si verum fatendum, non ideo in Scepticorum castris militat, qui Scepticorum armis vtitur. Ea enim Cartesius non ad oppugnandam sed confirmandam demonstrandamque veritatem adhibuit. Scopus scilicet Cartesii non erat, omnem veritatis cognitionem euertere; sed iugulatis tantum praeiudiciis, veritatem sine rationum examine suadentibus magis quam conuincentibus, menten ad certam veritatis notitiam, sensumque minime fallacem deducere. Nam haec eius ratiocinationis consequentia fuit: ego dubito, ergo cogito, si cogito, ergo sum daturque scientia, quo ratiocinio certissimum veritatis criterium, quo omnis Scepticismus vniuersalis feliciter euerti potest, attulit, euicitque dari quandam veritatem omni dubitatione superiorem. Hoc itaque sensu, dum dubitationem tantum σοφὸν φάρμακον esse voluit, contra praeiudiciorum morbum, Scepticismus non nisi inuita veritate et aequitate Cartesio potest tribui. Nec adeo noua et inaudita ea res est, vt non viderint philosophi, ad eiiciendos errores praeiudicatos plurimum eiusmodi dubitationem prodesse, et omnino ad euertenda pueritiae praeiudicia optimum medicamen afferri. Vnde iam apud CICERONEM dictum q: *Hoc liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est iudicandi potestas: neque vt omnia, quae praescripta, et quasi imperata sint, defendamus, vlla necessitate cogimur; nam caeteri primum ante nos tenentur adstricti, quam, quid esset optimum, iudicare potuerunt. Deinde infirmissimo tempore aetatis aut obsecuti amico cuidam, aut vna alicuius, quem primum audierunt oratione capti, de rebus incognitis iudicant, et ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhaerent.* Tacemus alia, in eodem libro occurrentia, quibus Lucullus ostendit, *ipsam Scepticorum dubitationem, et incertitudinem ad iudicium veri falsique, cogniti et incogniti ducere: et more Antiochi eam ita rationem suscipiendam esse, vt doceantur quae a quouis accipi oporteret, et quae repudiari, sicque hoc ipsum, ex quo omne veri falsique iudicium esset, percipere eos debuisse.* Inter recentiores ante Cartesium, Iordanum, Brunum eandem dubitationem simili modo in libro *de Minimo* commendauisse, ex iis, quae supra de eo adduximus, constat. Et hinc factum, vt aduersarii Cartesii, plagium in hoc quoque dogmate ipsi obiicerent r. Qui quamuis propria meditatione hanc viam philosophandi inuenire potuerit, primus tamen eam non detexit, dudum a dogmaticis ostensam: quo pacto omnis Scepticismi suspicio concidit. Ast quamuis lubenter praestantissimum philosophum a Scepticismi labe, hoc quidem

q) Qu. Academ. L. II. c. 10.

r) HVETIVS Cens. phil Cartes. c. 8. p. 115.

quidem sensu, quo morbum intellectus significat, absoluamus, fatendum tamen, dubitationem Cartesii nec scopo, quem sibi praefixerat, respondere, nec carere vitio insigni. Nempe dum ad exuenda praeiudicia dubitationem adhibet, aliud necessario sibi praeiudicium finxit; posse fieri, vt, qui nos creauit, ita nos formauerit, vt perpetuo fallamur, vel vt nosmet tantum somniando, nobis imaginemur esse veritates illas, quas ex praeiudicio hausimus. Si enim veritates primae atque formales, quae citra discursum menti obuersantur, et de certitudine eam sua luce et euidentia conuincunt, pro praeiudicio haberi possunt, multo magis ista fictio praeiudicata suspecta habenda est, adeoque inepto fundamento dubitatio ista nititur. Quae cum ad euidentissimas propositiones, ideis, quas innatas dixit Cartesius, constantes extendatur, et solis praeiudicatis suppositionibus roboretur, parum inde vel ponderis vel vtilitatis habet, et finem intentum minime obtinet. Id quod contra meditationes Cartesii in *Instantiis* [e] sole meridiano clarius demonstrauit Gassendus. Cui cum respondere vellet Cartesius, rei euidentia conuictus, ipse ad eas notiones, quae animo cogitanti iam adsunt, prouocare necesse habuit. Nempe cum Gassendus obiecisset, eum, dum ita rationes inducit: cogito ergo sum, hanc maiorem supponere, qui cogitat, ille est, atque ita praeiudicium adhibere, respondit, *huius generis propositiones, praeiudicia appellari haud posse, quod animo tam euidentes appareant, vt ab iis credendis sibi temperare nequeat, cum forte de illis cogitare incipiat, ac proinde mentem praeiudicio imbutam nondum habeat.* Qua responsione quam feliciter Cartesius rem suam iuuerit, lectori expendendum relinquimus, cogitanti Cartesium, has propositiones omni dubitatione ob certitudinem et euidentiam superiores esse, negare non posse. Nec est, quod pro Cartesio afferas, et pro eo excusando adduxit ABRAHAMVS HEIDANVS [f], dubitationem hanc tantum intelligendam esse de suspensione iudicii affirmantis vel negantis. Nam ipso Cartesio arbitro, huius generis propositiones primae adeo euidentes sunt, vt ab assensu se cohibere animus minime queat. Tacemus, vitiosum admittere circulum Cartesium, dum, supponendo fieri posse, vt Deus ipsum fallat, vt se esse somniaret, qui non sit, attamen ex cogitationis actu existentiam suam, exque hac et idea innata concludit, Deum ipsum fallere non posse, eo quod optimus sit. Quem paralogismum recte in eo reprehendit RAD. CVDWORTHVS [g]. Nec ad saluandum Cartesium afferri potest, quam alibi admisit, hypothesis, Deum posse contradictoria; hoc enim supposito admisso possibile esset, vt ego cogitem et tamen non sim, id quod frustra ad has veritates hanc dubitationem extendi, confirmat. Verum haec paucis. Iam pergendum in philosophematis Cartesii:

VII. Si

e) T. III. Opp. p. 279.
f) Apud P. BAYLE Dict. T. III. art. Maldonat. not. L. p. 296.
g) Syst. intell. c. V. s. 1. §. 94. p. 882.

VII. Si autem reiicientes illa omnia possimus dubitare, ac etiam falsa esse fingere, non tamen ideo nos, qui talia cogitamus, nihil esse fingere possumus, repugnat enim, vt putemus, id quod cogitat, eo ipso tempore, quo cogitat, non existere.

VIII. Proinde haec cognitio: ego cogito, ergo sum, est omnium prima et certissima, quae cuilibet ordine philosophanti occurrat. Facile ex his ipsis Cartesii verbis intelligi potest, sermonem esse non de principio aliquo, vel constituente vel diiudicante veritatem, sed de principio philosophantis, a quo scilicet initium philosophandi capit, a particulari ad vniuersale ascendens. Vnde explodi illi merentur, qui hanc propositionem verum principium primum et vniuersalissimum esse contendunt, cum et existentiam rei supponat, et contradictionis principium, impossibile est idem simul esse et non esse, inuoluat *).

IX. Examinantes, quinam nos simus, qui omnia, quae a nobis diuersa sunt, supponimus falsa esse, perspicue videmus, nullam extensionem, nec figuram, nec motum localem, nec quid simile, quod corpori sit tribuendum, ad naturam nostram pertinere, sed cogitationem solam, quae proinde prius et certius, quam vlla res corporea cognoscitur.

X. Cogitationis nomine intelliguntur ea omnia, quae nobis conscius in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conscientia est; atque ita non modo intelligere velle, imaginari, sed etiam sentire, idem hic est, quod cogitare.

XI. Haec mentis nostrae cognitio multo euidentior est, quam corporis.

XII. Cum autem mens, quae se ipsam nouit, et de aliis omnibus rebus adhuc dubitat, vndiquaque circumspicit, vt cognitionem suam vlterius extendat; primo quidem inuenit apud se multarum rerum ideas, quas quamdiu tantum contemplatur, nihilque ipsis simile extra se esse affirmat vel negat, falli non potest. Inuenit etiam communes quasdam notiones, et ex his varias demonstrationes componit, ad quas quamdiu attendit, omnino sibi persuadit esse veras. Sed quia non potest semper ad illas attendere, cum postea recordatur se nondum scire, an forte talis naturae creata sit, vt fallatur etiam in iis, quae ipsi euidentissima apparent, videt se merito de talibus dubitare, nec vllam habere posse certam scientiam, priusquam suae auctorem originis agnouerit.

XIII. Considerans deinde inter diuersas ideas quas apud se habet, vnam esse entis summe intelligentis, summe potentis, et summe perfecti, quae omnium longe praecipue est, agnoscit in ipsa existentiam, non possibilem et contingentem tantum, quemadmodum in ideis omnium aliarum rerum, quas distincte percipit, sed necessariam et aeternam.

XIV. Magisque hoc credet, si attendat, nullius alterius rei ideam apud se inueniri, in qua eodem modo necessariam existentiam contineri animaduer-

*) Conf. WALCH. Hist. log. L. II, c. 2. §. 53. Parerg. acad. p. 732. seqq.

aduertat. Ex hoc enim intelliget, istam ideam entis summe perfecti non esse a se effictam, nec exhibere chimaericam quandam, sed veram et immutabilem naturam, quaeque non potest non existere, cum necessaria existentia in ea contineatur. Hoc decantatissimum illud argumentum pro existentia DEI est, de quo magna nostra aetate quaestio inter eruditos fuit. Et ipsum quidem ratiocinium non nouum est et a Cartesio excogitatum, sed dudum a scholasticis adhibitum examinatumque, maxime ab Anselmo, vt supra ex LEIBNIZIO obseruatum; et plures quoque notauit I. A. FABRICIVS [x]. Licet autem magnopere et sibi et sectatoribus ista argumentatione placuerit Cartesius, fuerintque viri naturalis sapientiae consultissimi ANTONIVS LE GRAND [y], FRANC. LAMY [z], HERM. ALEX. ROELLIVS [a], Io. CLAVBERGIVS [b], NIC. MALLEBRANCHIVS [c] aliique, qui magnum caussae Dei praesidium in eo posuerint; parum tamen probatum fuit aliis, et iam pridem Thomae Aquinati reiectum, postea autem viris doctis post Cartesium variis de caussis suspectum; inter quos imprimis PETRVS GASSENDVS fuit, qui in *Instantiis* paralogismum admitti dudum obseruauit. Idem Cartesio obiectum ab HVETIO, aliisque, maxime vero a viro elegantissime docto SAMVELE WERENFELSIO, qui cum Ioanne Henrico Suicero, et Isaaco Iaquelotio ea de re contendit, assectam nactus Brillonium doctorem Sorbonicum, cui responderunt praeter Iaquelotum, Franciscus Lami atque Montreus, philosophiae et mathematum professor Parisiensis, quam controuersiam librosque huc pertinentes alibi [d] enarrauimus, quae breuitatis caussa non repetimus. Obseruatum autem viris his doctis est [e] supponere Cartesium existentiam DEI vel possibilem vel actualem, adeoque vitioso circulo concludere. Aliis [f] visus ideam infiniti et perfecti pro re infinita et perfecta, quae non nisi a Deo esse possit, venditasse, et fallacia ambiguae locutionis delusus ex eo, quod ens perfectissimum siquidem existat, necessario existat, concluisse, illud etiam existere [g]. Aliis ὑστερον πρώτερον posuisse, iudicatum; eo quod idea perfectionis diuinae ideam existentiae praesupponat: alii ideam nominalem siue definitionem entis per se existentis ad ideam realem entis istius actu extra nos existentis inepte traductam esse conquesti sunt. Alii [h] tamen temperamentum aliquod inierunt, fassi, tunc solidissimum hoc argumentum esse, si idea illa de Deo, perfectissimo ente omnium entium caussa, certis rationibus collecta, exque rerum natura obuia mentis iudicio et intimo conscientiae sensu agnita perceptio viua et fortis intelligatur. Ita enim ex idea caussae, cuius effectum tenemus, existentiam eius recte colligi, et primae ac perfectissimae

x) Script. de V. R. C. c. X. p. 327.
y) Instit. philos. P. II. art. 3.
z) Memoires de Trevoux 1701. p. 108. seqq.
a) De Relig. nat.
b) Ex. de Cognitione Dei et nostri 1685. 8.
c) Rech. de la verité T. II. p. 96. seqq.
d) In Hist. de Idels S. III. §. 3. p. 277. seqq.
e) Cel. CHR. WOLFIVS Rat. praelect. suar. S. 2. c. 3. §. 44. p. 156.
f) De Atheismo c. III. p. 370. Phil. theor. P. VI. c. 3. §. 8. p. 361.
g) S. CLARKE de l'Existence de Dieu c. 4. p. 30.
h) FABRICIVS l. c.

fectiſſimae quidem vnam certiſſimam et neceſſariam. Id quod iam HENRICO MORO [i] viſum, qui hanc ideam Dei *nullum arbitrarium figmentum eſſe*, monet, *ad libitum noſtrum excogitatum, ſed neceſſariam et naturalem humanae mentis emanationem, eo quod hanc certam et inalterabilem ideam in anima ſua nullo pacto delere poſſit.* Aſt hoc quoque modo, obiiciunt, qui ad ratiocinii formam paulo ſeuerius attendunt, ſupponi exiſtentiam ideae diuinae ipſiusque Dei neceſſariam aliunde collectam, et ex ea deinde ob connotatam exiſtentiam naturae diuinae argumentum illud otioſe repeti. Nobis arbitrii quidem partes ſumere haud licet, fatemur autem, non modo ob latentem aequiuocationem ineptum, certe inutile argumentum videri, ſed ſupponi quoque, vbi more Carteſiano adhibetur, ideam entis ſupremi a creatore impreſſam, et homini naturalem et ineuitabilem, qualis illa eſt, ego cogito. Quod quamuis formaliter circulum non committat, aeque tamen incertum et ab atheo negatum pro demonſtrationis fundamento ponit. Non monebimus alia a ſcopo noſtro paulo remotiora, et imprimis incertiſſimam argumenti huius ambiguitatem, ſed ad praeſtantiſſimos viros CVDWORTHVM [k] et MOSHEMIVM [l] lectorem ablegamus, qui quot inter ſe diuerſis ſignificationibus hoc argumentum exponi queat, nec tamen inſigni vſu et certitudine gaudeat, demonſtrauerunt. Illud autem praeterire non licet, illuſtrem Leibnizium, licet ſophiſma in argumentatione Carteſii ipſe deprehenderit [m], attamen veriſſimum eſſe, ſi recte explicetur, cenſuiſſe [n], nempe ſi prius poſſibilitas entis perfectiſſimi oſtendatur. Deum enim ſolum hoc priuilegio gaudere obſeruat, quod neceſſario exiſtat, ſi poſſibilis ſit, et quemadmodum poſſibilitatem eius nihil impediat, quod limitum expers, nec vllam negationem, vel contradictionem inuoluit, hoc vnum ſufficere iudicat ad cognoſcendam exiſtentiam DEI a priori. Nempe, vt appoſite obſeruatum cel. HANSCHIO [o], ad rationem ſufficientem reſpicit illuſtris philoſophus, quam in ipſo Deo eius exiſtentia agnoſcit; et propter quam non exiſtentia Dei abſolute impoſſibilis eſt. Cum quod abſolute neceſſarium exiſtit; eius exiſtentia in eo ſolo rationem ſufficientem inueniat, quod nullam inuoluat contradictionem; ſic vt ſola poſſibilitas Dei principium ſit exiſtentiae eius. Quae acutius concludere, et quae argumento Carteſiano deſunt ſupplere, omnino fatendum eſt. Quamuis etiam in hoc ratiocinio ita emendato nonnullis quaedam videantur deeſſe; qua de re quid noſtra aetate diſputatum ſatis acriter ſit, hoc loco exponi non poteſt. Tacemus SAM. CLARCKIVM [p] aliosque qui neruos

i) In Antidot. adu. atheiſmum L. I. c. 8.
k) Syſtem. intell. c. 5. ſ. 1. §. 102. p. 894.
l) Ad h. l.
m) A. E. 1684. p. 539. add. Cl. HOLLMANNVS Inſtit. phil. P. III.
n) In Princip. philoſ. §. 45. Suppl. A. E. T. VII. ſ. 11. p. 514.
o) Ad h. l. Princ. phil. geometrice demonſtrat. p. 112.
p) De Exiſt. Dei P. I. c. 4. p. 31.

neruos huius ratiocinii intendi posse, vt recte concludat, arbitrantur, quos enumerare nec licet, nec libet.

XV. Quia Dei, siue entis summi ideam habemus in nobis, iure possumus examinare, a quanam caussa illam habeamus, tantamque in ea immensitatem inueniemus, vt plane ex eo simus certi, non posse illam nobis fuisse inditam, nisi a re, in qua sit reuera omnium perfectionum complementum, hoc est, nisi a Deo realiter existente.

XVI. Ex hoc, quod iam simus, non sequitur, nos in tempore proxime sequenti etiam futuros, nisi aliqua caussa, nempe eadem illa, quae nos primum produxit, continuo velut reproducat, hoc est, conseruet. Facile enim intelligimus, nullam vim esse in nobis, per quam nos ipsos conseruemus: illumque in quo tanta est vis, vt nos a se diuersos conseruet, tanto magis etiam se ipsum conseruare, vel potius nullius conseruatione egere, ac denique Deum esse.

XVII. Ad hanc ideam DEI nobis ingenitam respicientes, videmus illum esse aeternum, omniscium, omnipotentem, omnis bonitatis veritatisque fontem, rerum omnium creatorem, et omnem perfectionem infinitam in se habentem.

XVIII. Nihil potest Deo competere, in quo limitatio vel imperfectio deprehenditur. Ita in natura corporea quia simul cum locali extensione diuisibilitas includitur, estque imperfectio esse diuisibilem, certum est, Deum non esse corpus. Eadem ratio est sensus, qui passionem innuit, inde Deum sentire nullo modo putandum est, sed tantummodo intelligere et velle, et quidem non vt nos per operationem, sed per vnicam et simpliciſſimam actionem.

XIX. A Deo ad creaturas philosophando descendentibus, quam maxime recordandum, et Deum auctorem rerum esse infinitum et nos omnino finitos.

XX. Ita si Deus aliquid reuelet, quod naturales ingenii nostri fines excedat, non recusabimus illi credere, quamuis non clare intelligamus.

XXI. Eandem ob caussam nunquam disputandum de infinito, de quo nos, qui finiti sumus, nihil determinare possumus.

XXII. Illa omnia, in quibus sub aliqua consideratione nullum finem poterimus inuenire, non quidem affirmabimus esse infinita, sed vt indefinita spectabimus.

XXIII Itaque nomen infiniti soli Deo reseruandum, quia in eo solo ex omni parte non modo nullos limites agnoscimus, sed etiam positiue nullos esse intelligimus, alias res, aliqua ex parte limitibus carere, sed negatiue tantum eorum limites, si quos habeant, inueniri a nobis non posse confitemur.

XXIV. Ita denique nullas vnquam rationes circa res naturales, a fine, quem Deus aut natura in iis faciendis sibi proposuit, desumemus, quia non tantum nobis debemus arrogare, vt eius consiliorum participes nos esse

esse putemus, sed ipsum vt caussam efficientem omnium rerum considerantes videbimus, quidnam ex eius attributis circa effectus sensibus nostris apparantes lumen naturale concludendum esse ostendat. Etiam hoc ex primariis dogmatibus est, quae magnam Cartesianae philosophiae inuidiam conflarunt, eo quod haud leue demonstrandae Dei sapientiae, ipsiusque eius existentiae praesidium argumentumque eneruet et abiiciat. Monuit id iam GASSENDVS [q], valdeque reprehendit, quod a physica consideratione vsum caussarum finalium reiecerit, eo quod, vbi de Deo agitur, praecipuum ita argumentum contemserit, quo diuina sapientia, prouidentia, potentia atque adeo existentia lumine naturae stabiliri possit. Id ex vsu partium in plantis, in animalibus, in hominibus patere, et magnos quoque viros ex speculatione anatomica corporis humani ad DEI notitiam assurgere. Saepe quoque in caussis physicis agentis ad materiam concursum, formamque non posse detegi, at ex praestantissimo vsu ineffabilem prorsus prouidentiam demonstrari, vt ex valuulis cordis pateseat. Falsum autem esse quod afferat, temerarium esse inuestigare fines Dei; hoc enim de finibus tantum occultis dici posse: non vero de iis, quos in propatulo posuit, quique non multo labore innoteseant, et ad laudem Dei faciant. Nec sufficere ideam innatam, quam non omnes homines ita sentiant, vt Cartesius, sed simplicioribus non inuidendum esse, quod ex inspectione operis cognoscere glorificarique opificem possint. Neglexit has obiectiones et solo contemtu in responsionibus refutauit Cartesius, cum vim earum obseruauisset. Inde vero grauis subinde dica illi scripta ab aduersariis, maxime a theologis Anglis, qui cum viderent, Hobbesium similesque fines rerum ad proscribendam ex orbe DEI sapientiam negare obseruandos, Cartesium etiam impietatis suspectum habuere. Diligenter in hanc assertionem calamum strinxit RAD. CVDWORTHVS [r], acerbius eo nomine in ipsum Cartesium inuectus est SAMVEL PARCKERVS [s], qui cum vsum mechanismi sine caussarum finalium respectu ad rerum naturalium historiam explanandam improbasset, atheismi culpa non plane vacare Cartesium contendit, eo quod philosophiam ita tractauerit, vt sua philosophandi ratione omnem de naturae opifice scientiam plane tolleret; ast qui, cum semel e physica sua omnem finis contemplationem ablegasset, cum omni suo mechanico acumine omnique mathematico apparatu naturam rerum inuestigare aggressus, nil nisi futiles et inanes quasdam fabulas magno cum labore finxerit et somniauerit, et, quod in sequentibus adiecit; in ethicis pium, dicere omnia a Deo propter nos facta fuisse, quanquam sit in physicis ridiculum, id populo adblandiendi caussa plane subiecisse visus sit. Tacemus alios, qui pro argumento a rerum finibus petito docte perorarunt, fuse enumeratos a I. A. FABRICIO [t]. Fatemur autem, iniurios in Cartesium illos esse, qui

q) In Obiect. T. I. Opp. Cart. p. 192.
r) Syst. intell. c. 5. S. 1. §. 53. p. 119. seqq.
s) De Deo disp. III. §. 15. p. 289. seqq.
t) Syll. Script. de V. R. C. c. 7. p. 286. seqq. POIRET. de Erud. tripl. L. III. §. 28. p. 644.

impietatis maculam illi eapropter inurunt, cum nihil minus intenderit philosophus, quam DEI sapientiam ex orbe proscribere [n], sed ad physicas tantum causas efficientem, materialem, formalem, respiciendum esse statuerit, certus ex iis solis Deum posse euidentissime demonstrari. Qua in re praeeuntem habuit magnum VERVLAMIVM [o], qui tantum abest, vt in naturali scientia finalium causarum considerationem passus sit, vt potius omnem eam scientiam corrumpere, et superstitionem introduxisse statuerit: notatus ideo PACKERO [x], et CVDWORTHO [y]. Verum licet ab atheismi infamia eo nomine liberandus sit Cartesius, probari tamen non potest, quod fines rerum naturalium hominis indagationi patescentes neglexerit, quibus si non rerum natura reserari, sane via proxima ad eam aperiri potest, vt vel solae obseruationes anatomicae euincunt.

XXV. Quia Deus est summe verax et dator omnis luminis, adeo vt repugnet plane, vt nos fallat, siue vt proprie et positiue sit causa errorum, quibus nos obnoxios esse experimur: hinc sequitur, omnia quae clare et distincte percipimus, vera esse, et dubitationes ante recensitas omnes tolli. Atque si aduertamus, quid in sensibus, quid in vigilia, quid in somno clarum sit atque distinctum, illudque ab eo quod confusum est et obscurum distinguamus, facile, quid in qualibet re pro vero habendum sit, agnoscemus.

XXVI. Quia vero saepe contingit nos falli, causa errorum non ad Deum referenda est; nam non ab intellectu sed a voluntate pendent, suntque si ad Deum referantur merae negationes, si ad nos, priuationes.

XXVII. Duo tantum in nobis cogitandi modi generales sunt, perceptio, quae est operatio intellectus, et volitio siue operatio voluntatis. Nam sentire, imaginari et pure intelligere, sunt tantum diuersi modi percipiendi, vt et cupere auersari, affirmare, negare, dubitare, sunt diuersi modi volendi.

XXVIII. Ad iudicandum requiritur quidem perceptio intellectus, sed etiam voluntas requiritur, vt rei aliquo modo perceptae assensio praebeatur. Non autem perceptio integra semper necesse est, sed assentimur quoque obscuris.

XXIX. Perceptio valde finita est, voluntas quodammodo infinita, quae vltra ea quae clare percipimus, extendi potest, hoc cum facimus, fallimur.

XXX. Neque tamen Deus errorum nostrorum auctor dici potest, quod nobis intellectum finitum dedit, id enim intellectui creato conuenit; at quod latissime pateat voluntas, hoc ipsius eius naturae conuenit, et summa hominis perfectio est, quod agat per voluntatem, hoc est, libere, et actionum suarum auctor sit.

XXXI. Quod itaque in errores incidamus, defectus quidem est in nostra actione, siue in vsu libertatis, sed non in nostra natura.

XXXII.

n) Periculum ex hac assertione enatum non praeuidisse Cartesium recte obseruat Poiret. in Vera Methodo P. III. §. 15. p. 197.

v) Org. nov. L. II. §. 2. de Augm. scient. L. III. c. 4.
x) l. c. §. 16. p. 183.
y) l. c. p. 822.

XXXII. Quod autem sit in nostra voluntate libertas et multisd ad arbitrium vel assentiri vel non assentiri possimus, manifestum et inter notiones innatas referendum est. Miro hypotheseos praeiudicio seductus Cartesius, in palmariis his assertionibus a regia via diuagatur, multoties ideo ab aduersariis castigatus. Cum enim semel statuisset, passionem animae ad intellectum actionem, ad voluntatem esse referendam, non potuit non inepta consequentia concludere affirmationem, negationem, dubitationem esse opus voluntatis. Quod tamen et sensui et experientiae ipsique hominis conscientiae contrarium est, quibus scimus, iudicium intellectus in affirmatione et negatione se maxime prodere, et aliud esse velle, aliud iudicare affirmando vel negando. Ast his non obstantibus foedus error ad sectatores transiit aliosque genuit haud minores, vt ex dicendis patescet.

XXXIII. Quia tantam esse tamque immensam DEI potestatem agnoscimus, vt nefas esse putemus existimare, fieri a nobis aliquid posse, quod non sit ab ipso praeordinatum: facile in concilianda libertate nostra cum Dei praeordinatione difficultatibus possumus nos intricare. Quas vt euitemus, cogitandum, mentem nostram esse finitam, Dei autem potentiam et praeordinationem infinitam, adeoque hanc nos satis non comprehendere, certe autem et euidenter libertatis, quae in nobis est, conscios esse, hancque ideo negari vel de ea dubitari haud posse.

XXXIV. Nihil nos vnquam falsum pro vero admittemus, si tantum iis assensum praebeamus, quae clare et distincte percipiemus.

XXXV. Ad perceptionem, cui certum iudicium debet inniti, requiritur non modo, vt sit clara, sed etiam vt sit distincta. Clara est, quae menti attendenti praesens et aperta est, distincta autem, quae cum clara sit, ab omnibus aliis ita seiuncta est, et praecisa, vt nihil plane aliud, quam quod clarum est, in se contineat. Possunt enim esse perceptiones clarae, sed non distinctae.

XXXVI. Omnia quae sub perceptionem nostram cadunt, vel tanquam res rerumue affectiones considerantur, vel tanquam aeternae veritates, nullam existentiam extra cogitationem nostram habentes.

XXXVII. Duo tantum rerum genera sunt, substantia cogitans siue mens, et substantia extensa siue corpus, illa rerum intellectualium, haec materialium.

XXXVIII. Substantia res est, quae ita existit, vt nulla alia re indigeat ad existendum. Hoc autem nomen Deo et creaturis non conuenit vniuoce, hi enim nisi ope concursus DEI existere non possunt.

XXXIX. Sunt autem et mens et corpus substantiae qua solo DEI concursu egent ad existendum.

XL. Vna est cuiuscunque substantiae praecipua proprietas, quae ipsius naturam essentiamque constituit, et ad quam omnes aliae referuntur.

XLI. Extenſio in longum, latum et profundum ſubſtantiae corporeae naturam conſtituit, et cogitatio naturam ſubſtantiae cogitantis. Etiam in hac theſi reprehenſionem meruit Carteſius, quod ſubiectum in quo ſunt attributa proprietatesque cum ipſis attributis confundendo, naturam ſubſtantiae in illis poſuiſſet. Accedit, quod vna proprietate materiae, extenſione, et ſpiritus, cogitatione, omnem ſubſtantiarum naturam comprehenderit, cum alia quoque iis attributa aeque eſſentialia adeſſe queant. Quale corporis attributum eſſe vim actiuam, quae praeter vim mortuam ſiue inertiae corpori cuiuis adeſt, contra Carteſianos contendit Leibnizius [z]: ſimiliterque in mente adeſſe deſiderium ſiue cupiditatem luminis et laetae acquieſcentiae, hancque vim eius actiuam eſſe, qua nihil menti eſſentialius intimiusque ſit, acutis rationibus contendit PETRVS POIRETVS [a]. Aliorum cogitata breuitatis cauſſa omittimus.

XLII. Omne aliud, quod corpori tribui poteſt, extenſionem praeſupponit, eſtque tantum modus quidam rei extenſae, vt et omnia, quae in mente reperimus, ſunt tantum diuerſi modi cogitandi.

XLIII. Duratio, ordo et numerus, non ſunt ſubſtantiae, ſed modi, ſub quibus res conſideramus.

XLIV. Per modos plane idem intelligitur, quod alibi per attributa vel qualitates, ſed cum conſideramus ſubſtantiam ab illis affici vel variari vocamus modos, cum ab iſta variatione talem poſſe denominari, vocamus qualitatem, ac denique cum generalius ſpectamus tantum ea ſubſtantiae ineſſe vocamus attributa. Perhorruit accidentis nomen Carteſius, multos in eo recentiores ſectatores nactus [b]: quod accidens non ſemper ad ſubſtantiam aliquid pertinere eamque modificare ſignificet, ſed aliquid innuat, quod ad ſubſtantiam demum accedat. Vnde ipſi Ariſtotelici accidens modo in oppoſitione ad ſubſtantiam ponunt, modo in oppoſitione ad eſſentiam, illudque praedicamentale, hoc praedicabile vocant. Quae cum fundamentum habeant nullum, et confuſas gignant ideas, rectius feciſſe Carteſius iudicatus eſt, quod modorum vel proprietatum vocem elegiſſet.

XLV. Alia ſunt in rebus ipſis, quarum attributa vel modi eſſe dicuntur, alia vero in noſtra tantum cogitatione. Talia ſunt tempus, numerus et vniuerſalia omnia, quae tantum ſunt in abſtracto, modique cogitandi.

XLVI. Fiunt vniuerſalia tantum ex eo, quod vna et eadem idea vtamur ad omnia indiuidua, quae inter ſe ſimilia ſunt cogitanda.

XLVII. Numerus in ipſis rebus oritur ab earum diſtinctione, ea triplex eſt, realis, modalis, rationis.

XLVIII. Diſtinctio realis proprie tantum eſt inter duas vel plures ſubſtantias,

z) Dicemus de hac aſſertione Leibniziana in cap. ſeq. contra eam ſubſtantiae notionem Carteſianam pec. diſſ. defendit RVARD. ANDALA in Pentad. diſſ. phil. n. 1.

a) Cogit. ration. ſ. III. §. 20. p. 11.

b) Vid. viri celeberrimi P. CROVSAZ. Log. P. I. S. II. c. 1. §. 2. p. 460. ed. Gall. et SAM. FRID. HOLMANN Philoſ. prim. P. II. §. 355. ſ. p. 936. ſqq.

ſtantias, quas realiter diſtinctas eſſe ex hoc ſolo percipimus, quod vnam absque altera clare et diſtincte intelligere poſſimus.

XLIX. Diſtinctio modalis eſt duplex, alia ſcilicet inter modum proprie dictum: et ſubſtantiam cuius eſt modus, alia inter duos modos eiusdem ſubſtantiae.

L. Diſtinctio rationis eſt inter ſubſtantiam et aliquod eius attributum, ſine quo ipſa intelligi non poteſt, vel inter duo talia attributa eiusdem alicuius ſubſtantiae.

LI. Cogitatio et extenſio ſpectari poſſunt vt conſtituentes naturae ſubſtantiae intelligentis et corporeae, tuncque non aliter concipi debent, quam ipſa ſubſtantia cogitans et ſubſtantia extenſa, hoc eſt, quam mens et corpus, quo pacto clariſſime atque diſtinctiſſime intelliguntur.

LII. Cogitatio et extenſio etiam ſumi poſſunt pro modis ſubſtantiae, quatenus ſcilicet vna et eadem mens, plures diuerſas conditiones habere, et vnum atque idem corpus, retinendo ſuam eandem quantitatem pluribus diuerſis modis poteſt extendi. Tunc quoque modaliter a ſubſtantia diſtinguuntur, et clare ac diſtincte non minus, quam illa poſſunt intelligi.

LIII. Eadem ratione diuerſi cogitationum et extenſionum modi optime percipi poſſunt, ſi tantum vt modos rerum, quibus inſunt, ſpectemus.

LIV. Senſus, affectus, appetitus clare percipi poſſunt, ſi accurate caueamus, ne quid amplius de iis iudicemus, quam id praeciſe, quod in perceptione noſtra continetur, et cuius intime conſcii ſumus. Cauendum autem, ne res extra mentem exiſtentes perceptionibus noſtris, quas de illis habemus iudicemus ſimiles, v. c. colorem.

LV. Praecipua errorum cauſſa a praeiudiciis infantiae procedit, in qua ſecundum ſenſuum perceptionem de rebus ipſis iudicamus. Eorum praeiudiciorum deinde obliuiſci adulti maturisque annis non poſſumus.

LVI. Praeterea mens noſtra non ſine aliqua difficultate ac defatigatione poteſt ad vllas res attendere omniumque difficillime ad eas, quae nec ſenſibus nec imaginationi praeſentes ſunt. Hinc fit, vt multi nullam ſubſtantiam intelligant, niſi imaginabilem, et corpoream, et etiam ſenſibilem, et putent, nihil poſſe ſubſiſtere quod non ſit corpus [c].

LVII. Quarta errorum cauſſa eſt, quod conceptus noſtros verbis, quae rebus accurate non reſpondent, alligamus.

LVIII. Itaque ad ſerio philoſophandum veritatemque omnium rerum cognoſcibilium indagandam primo omnia praeiudicia ſunt deponenda, nec opinionibus prius receptis a nobis fidem habenda, niſi adhibito examine veras eſſe comperiamus. Deinde ordine attendendum eſt ad notiones in nobis, et eae tantum pro veris habendae, quas clare et diſtincte cognoſcimus, et ex his conferentes cum iis, quae confuſius antea cogitabamus, vſum

c) His pungere Carteſium Hobbeſii hypotheſin ex iis, quae ſupra de obiectionibus Hobbeſii contra meditationes Carteſii attulimus, manifeſtum eſt.

vsum claros conceptus formandi acquiremus. Auctoritati vero et reuelationi diuinae potius, quam proprio noſtro iudicio, fides habenda. Et haec quidem de principiis cognitionis humanae tradidit Carteſius.

Carteſii philoſophemata de rebus materialibus.

§. XLIX. Principiis cogitationis ſubiecit philoſophus principia rerum materialium [d].

I. Quicquid ſentimus, nobis aduenit a re aliqua, quae a mente noſtra diuerſa eſt, et ſenſus noſtros afficit. Sentimus autem materiae extenſae ideam menti noſtrae exhiberi, quae ſi non eſſet, ſed Deus eius ideam obiiceret, deceptor dicendus eſſet. Quod quia eſſe nequit, concludendum eſt exiſtere rem extenſam ſuisque proprietatibus gaudentem. Hanc vocamus corpus et materiam.

II. Menti noſtrae corpus quoddam magis arcte quam reliqua alia corpora coniunctum eſſe, concludi poteſt ex eo, quod perſpicue aduertamus dolores aliosque ſenſus nobis ex improuiſo aduenire, quos mens eſt conſcia non a ſe ſola proficiſci, nec ad ſe poſſe pertinere ex eo ſolo, quod ſit res cogitans, ſed tantum ex eo, quod alteri cuidam rei extenſae ac mobili adiuncta ſit, quae res humanum corpus appellatur. Tangit hac theſi Carteſius difficillimam quaeſtionem de vnione animae et corporis, quam tamen hoc loco non expoſuit, ſed alii loco reſeruauit. Ipſe cum videret, ſyſtema influxus magnis multisque premi difficultatibus, vt his ſe liberaret ad aſſiſtentiam quandam confugit, quae communionem metaphyſicam magis, quam phyſicam, inferret. Cuius fundamentum in eo poſuit, quod ſecundum legem naturae, eadem motus quantitas in corpore conſeruetur, quam legem ab animo infringi non poſſe ſtatuebat. Aſt hanc tamen motus directionem mutari poſſe, eamque liberam animae eſſe ita ſtatuit, vt motus, qui in fluidis noſtri corporis eſt, ſuam ab anima directionem nanciſcatur, atque in hanc magis partem deflectat quam in aliam. Et hoc quidem pacto agere animam vnitam cum corpore ſibi perſuaſit. Noſtri inſtituti et loci huius non eſt, ea operoſe exponere, quae huic ſyſtemati aſſiſtentiae (ita enim a ſyſtemate influxus, occaſionalium cauſſarum, et harmoniae praeſtabilitae diſtinguitur) opponi ſolent. Dabimus autem magni LEIBNIZII [e] verba, qui cuncta more ſuo acute et eleganter enarrauit. „Monet is, oſtendi non poſſe, quo modo directionem iſtam ani„ma efficiat, nec eſſe in anima nec in corpore, id eſt, neque incogitatione, „neque in maſſa quicquam, quod ad explicandam hanc vnius per alterum „immutationem ſeruire poſſit, et ſiue anima quantitatem virtutis, ſiue li„neam directionis in corpore mutare dicatur, vtrumque aeque inexplicabile „eſſe.“ Repertas quoque poſt Carteſii tempora, duas veritates, magni in hoc negotio momenti. Quarum prima eſt, quod quantitas virtutis abſolutae quae conſeruatur, diuerſa ſit a quantitate motus, altera, quod conſeruetur, etiam directio eadem in omnibus ſimul corporibus, quae inter ſe agere ſuppo-

d) Part. II. Princ. philoſ. e) Theodicée §. 59.

ſupponuntur, quomodocunque demum ſibi mutuo occurrant, dum ſcilicet ſeruatur directio centri grauitatis communis. Si lex iſta Carteſio nota fuiſſet, corporum directionem aeque ac virtutem imperio animae ſubtracturum fuiſſe. Putat autem illuſtris philoſophus, ſi Carteſio hae leges naturae innotuiſſent, perductum fore ad harmoniam praeſtabilitam; nempe ex ea regula de manente eandem directione, motum ab anima independentem, atque a priorum motuum directionibus eſſe determinandum dicturum fuiſſe. Id quod tamen mutationes animae corpori harmonicas ſimul poſcit, quae ad Leibnizianam hypotheſin pertinent. Viderunt Carteſii ſectatores, maxime Mallebranchius eiusque aſſeclae, Cordemaeus aliique has difficultates, cumque faterentur, ab anima nihil proficiſci aut pendere effectiue, quod in corpore fit, nihil a corpore quod fit in anima: motus corporis omnes immediate ac vnice a diuina virtute et actione deriuarunt, quae pro occaſione volitionum mentis atque ad earum praeſentiam motus illos ſola efficit; et ad praeſentiam atque occaſione motuum in corpore noſtro a Deo excitatorum, perceptiones animae producit et mutat. vtrumque autem exequitur ſecundum certas a ſe ipſo ſemel arbitrarie latas, quarum vigore ad hunc motum haec perceptio et vice verſa ad alium producitur alia. Sicque aſſiſtentiae ſyſtema, quod Carteſio placuit in ſyſtema cauſſarum occaſionalium, quod vocant, commutarunt, de quo videndi MALLEBRANCHIVS [f], CORDEMAEVS [g], quique in hac parte Carteſianos ſequitur I. CHR. STVRMIVS [h]. Verum ne ſic quidem Carteſius emendatus videri, et Carteſiana philoſophia de hoc myſterio luculentius decreuiſſe iudicari poterat, cum innumeris premantur difficultatibus, quae a Carteſianis adducuntur, ſecundum quorum placita minime tamen in ſaluo ſunt leges naturae et motus, vt clare ſatis demonſtratum LEIBNIZIO [i], et ratio ſufficiens legum generalium naturae dari nequit, perpetua autem miracula ſupponuntur. De quibus tamen hoc loco, vbi Carteſii, non autem Carteſianorum ſententiam exponimus, plura dicere non licet. Adeundus autem, qui erudite rem omnem enarrat illuſtris GEORG. BERNARDVS BVLFINGERVS [k].

III. Senſus perceptiones non referuntur niſi ad iſtam corporis humani cum mente coniunctionem, et nobis quidem ordinarie exhibent, quid ad illam externa corpora prodeſſe poſſint, aut nocere, non autem, niſi interdum et ex accidente nos docere, qualia in ſe ipſis exiſtant.

IV. Natura corporis, ſiue materiae non conſiſtit in pondere, duritie, colore, aut ſimilibus, ſed in ſola extenſione.

V. Nec obſtat, quod corpora pleraque videantur ſic poſſe rarefieri, ac condenſari, vt rarefacta plus habeant quantitatis, quam condenſata. Nam

f) T. III. Inq. verit. p. 178.
g) De diſt. corporis et mentis Differt. IV. pag. 83.
h) Phyſ. elect. T. I. p. 135. 137. ſeq.
i) l. c. §. 60. 340. Iournal des ſauans 1695. p. 456. Recueil de div. Pieces T. II. p. 230
k) De Harm. praeſtabil. Part. IV. §. 73. ſeqq p. 76. ſeqq.

Nam in ipſis nihil aliud quidquam contingit, quam figurae mutatio, intercedentibus interuallis, corporibus aliis repletis, atqui ideo non minus tunc extenſa ſunt, quam cum maius ſpatium amplectuntur.

VI. Quantitas a ſubſtantia extenſa in re non differt, ſed tantum ex parte noſtri conceptus, vt et numerus a re numerata. Qui autem ſubſtantiam corpoream a quantitate eius diſtinguunt, confuſam tantum ſubſtantiae incorporeae notionem habent, quam falſo tribuunt corporeae.

VII. Non etiam in re differunt ſpatium ſiue locus internus, et ſubſtantia corporea in ea contenta ſed tantum in modo, quo a nobis concipi ſolent. Reuera enim extenſio in longum, latum et profundum, quae ſpatium conſtituit, eadem plane cum illa eſt, quae conſtituit corpus. Nam in idea corporis, reiectis omnibus aliis remanet extenſio in longum, latum et profundum, quae etiam continetur in idea ſpatii non modo corporibus pleni, ſed etiam eius, quod vacuum vocatur.

VIII. Eſt itaque differentia in modo tantum cogitandi, dum extenſionem loci, ab extenſione corporis in mente ſeparamus. Quippe nomina loci aut ſpatii non ſignificant quicquam diuerſum a corpore, quod dicitur eſſe in loco, ſed tantum eius magnitudinem, figuram et ſitum inter alia corpora deſignant. Fluunt aſſertiones hactenus enarratae ex idea corporis, cuius eſſentiam in extenſione philoſophus ponit. Hac enim definitione ſuppoſita inferebat, vbicunque eſt extenſum, in longum latum et profundum, ibi eſſe corpus, ex quo prona conſequentia deriuabat, ſpatium cum corpore reipſa coincidere, et non niſi mente ſeparari poſſe, adeoque non dari vacuum. Valde huic theſi contradixerunt, quotquot a Carteſio diſceſſum fecerunt, et corporis definitionem aliam dederunt; prout nempe ideam ſpatii et vacui in ſyſtemate ſuo definire e re ſua eſſe iudicarunt. Maxime illuſtris Newtoni ſchola vacuum reuocando Carteſianae ſe magnis moliminibus oppoſuit, vt Gaſſendi ſectatores taceamus, quae enarranda tamen in ſpeciali naturalis diſciplinae hiſtoria ſunt. Quamuis autem poſt Leibnizium τὸν πάνυ multi quoque fuerint, qui ſpatium inter non-entia, ſiue conceptus mentis negatiuos tantum referant [l], et ſolam non-contiguitatem, (ita loqui amant) rerum exiſtentium eſſe, decernant [m], ideoque Gaſſendum et ſequaces, ſpatium tertium quid praeter ſubſtantiam et accidens, in entibus vere poſitiueque exiſtentibus eſſe arbitrantes [n] deſerant, reprehendunt tamen Carteſium, quod ſpatium corpus eſſe dixerit, eo quod vel negatiuam vel relatiuam ideam in poſitiuam conuertendo, ipſam ſpatii notionem prorſus euerterit. Alii, inque

l) Vid. Principia philoſophiae ab HANSCHIO edita, def. 5. 7. 61. p. 21. ſeqq. et in Coll. epiſtolarum diuerſarum T. I. p. 31. Eſt autem illuſtri viro ſpatium ordo coëxiſtentium; eum ſequitur cel. WOLFIVS Metaphyſ. Germ. §. 46. 134. et Ontol. §. 589. et Cl. HAMBERGERVS Elem. phyſ. §. 2. vt alios taceamus.

m) V. C. SAM. CHRIST. HOLLMANN. Metaphyſ. §. 221. p. 723.

n) Phyſ. S. I. L. I. c. 1. 2.

que his LOCKIVS [o], id imprimis Carteſianae loci, ſpatiique ideae, et qua ea nititur corporis, oppoſuerunt, quod nec locus nec ſpatium, nec in genere extenſio ſoliditatem, reſiſtentiam, aliasque corporis proprietates habeat, vnde pro vacui poſſibilitate et exiſtentia acute pugnat philoſophus Anglus. Quae latius hoc loco excutere, quidque in his verum aut falſum ſit, diſpicere, Lectoris induſtriae relinquimus, ſolam Carteſiani dogmatis hiſtoriam ſtrictim enarraſſe contenti.

IX. Differunt nomina loci et ſpatii, quia locus magis expreſſe deſignat ſitum, quam magnitudinem et figuram, ad quae notio ſpatii reſpicit. Spatium ſemper ſumimus pro extenſione, locum autem aliquando conſideramus, vt rei, quae in loco eſt, internum, et aliquando vt ipſi externum. Et internus quidem plane idem eſt, quod ſpatium, externus autem ſumi poteſt pro ſuperficie quae proxime ambit locatum. Per ſuperficiem autem hic intelligitur ſolus terminus, qui medius eſt inter ipſum corpus ambiens, et id quod ambitur, quique nihil aliud eſt, quam modus.

X. Vacuum autem philoſophico more ſumtum, in quo nulla ſit ſubſtantia, dari non poteſt.

XI. Non fieri poteſt, vt aliquae atomi, ſiue materiae partes ex natura ſua indiuiſibiles exiſtant. Cum enim, ſi quae ſint, debeant eſſe extenſae, quantumuis paruae fingantur, poſſumus adhuc vnamquamque ex ipſis in duas aut plures minores cogitatione diuidere, ac proinde cognoſcere, eſſe diuiſibiles. Recedit in hac aſſertione Carteſius a Democrito et Epicuro, et qui hos ſequitur Gaſſendo. Aſt hac ratione dum diuiſibilitatem corporis et materiae infinitam propugnat, infinitum mathematicum, quod et indefinitum vocant, CONIMBRICENSES [p] infinitum ſectione apellauere, vel diuiſionem quoque mentalem cum reali confudiſſe viſus eſt. Obſeruatum enim acutiſſimis viris, LEIBNIZIO [q], WOLFIO [r], non dari compoſitum, niſi exiſtat prius ſimplex, monadasque nec compoſitas nec diuiſibiles; monuit quoque deſideratiſſimus SCHEVCHZERVS [s], puncta phyſica ſiue atomos non poſſe ſumi ſenſu mathematico, quoniam ex iis corpus nunquam poſſet exſurgere: aliis obſeruatum [t] nullum quantum ſimultaneum qualecunque et quantumcunque illud etiam ſit, actu ipſo infinitum eſſe poſſe, adeoque nec in infinitum diuidi realiter, neque plus producere per diuiſionem ex re aliqua licere, quam ante illam in eadem iam adeſt.

XII. Ex his cognoſcimus, hunc mundum, ſiue ſubſtantiae corporeae vniuerſitatem nullos extenſionis ſuae fines habere.

o) De Intellectu humano L. II. c. 13. §. 11. ſeqq. p. 186. ſqq.

p) Ad Phyſ. Ariſt. L. VI. c. 2. p. m. 221. ſeqq. vbi more ſuo prolixe diſputant, vtrum indiuiſibilia ſint entia poſitiua et realia in continuo?

q) Princip. philoſ. ab HANSCHIO illuſtr. theor. 107. ſchol. 4. et theor. 4. et 5.

r) Metaphyſ. Germ. §. 76. 582. vterque tamen diuiſibilitatem in infinitum mathematicam admittit.

s) Phyſic. P. I. c. 2. §. 7. p. 20. ſeq.

t) Cl. HOLLMANN. Phyſ. P. I. c. 1. §. 10. p. 51. ſeqq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XIII. Etiam colligi inde potest, non aliam esse materiam coeli, quam terrae, atque omnino, si mundi essent infiniti, non posse non illos omnes ex vna et eadem materia constare, nec proinde plures, sed vnum tantum esse posse, quia materia extensa omnia spatia imaginabilia, in quibus alii isti mundi esse deberent, iam occuparent.

XIV. Materia in toto vniuerso vna et eadem existit, nempe quae est extensa; omnesque proprietates, quas in ea clare percipimus, ad hoc vnum reducuntur, quod sit partibilis, et mobilis secundum partes et proinde capax illarum omnium affectionum, quae ex eius partium motu sequi posse percipimus.

XV. Omnis ergo materiae variatio, omniumque eius formarum diuersitas pendet a motu.

XVI. Est autem motus translatio vnius partis materiae, siue vnius corporis, ex vicinia eorum corporum, quae illud immediate contingunt, et tanquam quiescentia spectantur in viciniam aliorum.

XVII. Non plus actionis requiritur ad motum quam ad quietem. Sunt enim motus et quies nihil aliud in corpore, quam duo diuersi modi.

XVIII. Motus proprie sumtus non refertur, nisi ad corpora contigua eius quod mouetur; nec refertur nisi ad ea corpora contigua, quae tanquam quiescentia spectantur. Valde displicet haec definitio Io. Clerico [w], eo quod vsui loquendi recepto contraria, aptior sit obscurandae naturae motus per se clarae, quam obscurae rei illustrandae: putatque is, inuenisse Cartesium hanc definitionem ideo potissimum, vt terra, quae communi motu, cum vortice suo circa solem moueri dicebatur, posset simul dici quiescere, quod respectu vicinarum partium vorticis non moueatur, vt vitaretur censura inquisitionis Romanae, quae sententiam eorum, qui terram moueri aiunt, damnarat. Nec multum falli Clericum facile nobis persuadent ea, quae in *Tertia principiorum parte* [x]. Cartesius monuit, posse proprie loquendo quidem motum nec de terra, nec de planetis aliis praedicari; ast secundum vsum vulgi motum sumendo, dicendum esse, planetas et solem ipsum fixasque, et, incongrue quidem, terram moueri. Inde in definitione Cartesiana, quae si cetera spectes, ipsumque sensum intuearis, motum nihil dicit esse aliud, quam mutationem loci relatiui, siue situs, nonnemo [y] pro ambiguis Cartesii vocibus, *immediate contingunt*, aliam minus ambiguam, v. c. ambiunt, vel circumdant, substituendam esse monuit. Ceterum hanc definitionem motus passiuo sensu accipiendam, et a motu actiuo, siue vi illa, quae corpus ex loco vno in alium quendam transfert et eius situm mutat, distinguendam esse, nobis non monentibus lector attentus facile intelligit, neglectam tamen hanc obseruationem induxisse B. I. Fr. Buddevm [z], vt perperam

w) Phys. L. V. c. 5. §. 3. p. m. 98.
x) §. 28.
y) Hollmann. Phys. P. I. c. 1. §. 19. p. 60.
z) Phys. P. V. c. 1. §. 12.

perperam quaedam huic definitioni motus Carteſianae obiiceret, obſeruatum cel. HOLLMANNO [a].

XIX. Etſi autem vnumquodque corpus habeat tantum vnum motum ſibi proprium, participare tamen etiam poteſt ex aliis innumeris, ſi nempe ſit pars aliorum corporum alios motus habentium.

XX. Praeterea ille vnicus cuiusque corporis motus, qui ei proprius eſt, inſtar plurium poteſt conſiderari; ſed ideo tales motus non ſunt reuera diſtincti; nam vnumquodque punctum corporis, quod mouetur, vnam tantum aliquam lineam deſcribit.

XXI. Ex hoc autem quod dictum: loca omnia corporibus plena eſſe, ſemperque easdem materiae partes aequalibus locis coaequari, ſequitur, nullum corpus moueri poſſe, niſi per circulum, ita ſcilicet, vt aliud aliquod corpus ex loco, quem ingreditur, expellat, hocque rurſus aliud, et aliud, vsque ad vltimum, quod in locum a primo relictum eodem temporis momento, quo derelictus eſt, ingrediatur. Plurimum huic aſſertioni contradixerunt, qui motum non dari ſine vacuo contendunt.

XXII. Reperitur tamen in motu iſto aliquid, quod mens quidem percipit eſſe verum, ſed tamen, quo pacto fiat, non comprehendit, nempe diuiſio quarundam particularum in infinitum, ſiue indefinitum, atque in tot partes, vt nullam cogitatione determinare poſſimus tam exiguam, quin intelligamus, ipſam in alias minores reapſe eſſe diuiſam.

XXIII. Cauſſa motus aut vniuerſalis eſt, et primaria, aut particularis.

XXIV. Cauſſa motus vniuerſalis non alia eſſe poteſt, quam Deus ipſe, qui materiam ſimul cum motu et quiete in principio creauit, iamque per ſolum ſuum concurſum ordinarium, tantundem motus et quietis in ea tota, quantum tunc poſuit, conſeruat. Nam quamuis ille motus nihil aliud ſit in materia mota, quam eius modus, certam tamen et determinatam habet quantitatem, quam facile intelligimus eandem ſemper in tota rerum vniuerſitate eſſe poſſe, quam in ſingulis eius partibus mutetur.

XXV. Itaque cum vna pars materiae duplo celerius mouetur, quam altera, et haec altera duplo maior eſt, quam prior, tantundem motus eſt in minore quam maiore, ac quanto motus vnius partis lentior fit, tanto motus alicuius alterius ipſi aequalis fit celerior. Lex haec πολυθρύλλητος localis motus eſt, quam ad explicandas rerum naturalium cauſſas Carteſiani quam maxime in vſum vocant [b]. Aſt quid in ea deſideret Leibnizius ſupra iam dictum. Aliis vero viſum [c], experientiam ipſam ſufficientia nobis fundamenta non ſuppeditare, ex quibus de rei huius vel veritate vel falſitate iudicare dicereque liceat, motum in quibusdam corporibus ceſſantem in alia tranſire, ſicque motum partium collectum, motum totius iterum eadem quantitate euadere. Sed quia corpus inertia laborat,

a) l. c. §. 20. p. 62. not. a.

b) Vid. CLAVBERG. Diſp. phyſ. XVIII. n. 15. LE GRAND. Inſtit. philoſ. P. IV. c. 15. n. 15. et Carteſiani reliqui tantum non omnes.

c) HOLLMANN. l. c. §. 49. p. 87.

borat, omnique vi mouenti ſemper pro ratione maſſae reſiſtit, atque ad quietem magis quam motum propendet, ſed et illud modo vis motricis ad motum corporis cuiuscunque impenditur, quicquid poſt ſuperatam eiusdem reſiſtentiam ſupereſt, neceſſario inde conſequi, vt quotiescunque motus aliquis corpori cuidam nouo, antea quieſcenti, communicandus eſt, ſemper quantitati vis motricis tantum decedat, quantum ad vincendam prioris corporis reſiſtentiam impendendum erat, adeoque et illa toties minor euadat, quoties nouus in corpore, antea quieſcente motus excitandus erat. Quoniam quantitas vero illa motus quae in corpore aliquo in motu poſito datur, infinita non eſt, neque ideo in infinitum minui poteſt, deficere illum plane oportere. Quo pacto aliquam ſucceſſiue motus quantitatem in mundo minui contra Carteſium concludunt. Quemadmodum vnius quoque corporis motu nonnunquam plura alia ſucceſſiue in motum redigi ita poſſe contendunt, vt motus illorum coniunctim acceptus, primi mouentis impetum longiſſime ſuperet, ſicque noua aliqua, quae antea nondum adfuit, motus quantitas in mundo oriatur [d]. Quae latius hoc loco exequi vel examinare quoque et Carteſianorum reſponſiones adducere eſſet extra oleas vagari.

XXVI. Cauſſae ſecundariae motus ſunt regulae quaedam ſiue leges naturae, quibus motus particulares nituntur. Horum prima eſt, vnamquamque rem, quatenus eſt ſimplex et indiuiſa, manere quantum in ſe eſt, in eodem ſemper ſtatu, nec vnquam mutari, niſi a cauſſis externis. Vnde concludendum eſt, id quod mouetur, quantum in ſe eſt, ſemper moueri.

XXVII. Altera lex naturae eſt, vnamquamque partem materiae non tendere vnquam, vt ſecundum vllas lineas obliquas pergat moueri, ſed tantummodo ſecundum rectas; etſi multae ſaepe cogantur deflectere propter occurſum aliarum, et in quolibet motu fit quodammodo circulus, ex omni materia ſimul mota. Ex quo ſequitur, omne corpus quod circulariter mouetur, perpetuo tendere, vt recedat a centro circuli quem deſcribit.

XXVIII. Tertia naturae lex haec eſt: vbi corpus quod mouetur, alteri occurrit, ſi minorem habeat vim ad pergendum ſecundum lineam rectam, quam hoc alterum ad ei reſiſtendum, tunc deflectitur in aliam partem, et motum ſuum retinendo ſolam motus determinationem amittit, ſi vero habeat maiorem, tunc alterum corpus ſecum mouet, ac quantum ei dat de ſuo motu, tantundem perdit.

XXIX. Cauſſa huius legis eſt, quod differentia ſit inter motum in ſe ſpectatum, et ipſius determinationem verſus certam partem, qua fit, vt iſta determinatio poſſit mutari motu integro remanente. Diſplicere haec Leibnizio, controuerſiae ferram ea de re cum Carteſianis nonnullis reciprocanti, eo quod directionem motus mutari in mundo non poſſe ſtatue-

d) Idem ſummus philoſophus Iſaacus Newtonus, et qui eum ſequuntur contendunt, negant Leibnizii aſſeclae, qua de re conſulendi, qui de hac quoque quaeſtione diſputarunt clariſſimi viri VOLTAERIVS, in Metaphyſica Neutoniana c. 9. et KAHLIVS in Comparatione Metaph. Neut. et Leibnizianae c. 9. p. 152. ſeqq.

ſtatueret, ſupra iam tetigimus, et infra quoque, vbi de magni viri principiis dicendum, tangemus.

XXX. Vis cuiuscunque corporis ad agendum in aliud, vel ad actioni alterius reſiſtendum in eo conſiſtit, quod vnaquaeque res tendat, quantum in ſe eſt, ad permanendum in eo ſtatu, in quo eſt. Hinc enim id quod alteri coniunctum eſt vim habet nonnullam ad impediendum, ne disiungatur, id quod disiunctum eſt, ad manendum disiunctum, id quod quieſcit ad perſeuerandum in ſua quiete, atque ex conſequenti ad reſiſtendum iis omnibus, quae illam poſſunt mutare etc.

XXXI. Vis illa debet aeſtimari tum a magnitudine corporis in quo eſt, et ſuperficiei ſecundum quam iſtud corpus ab alio disiungitur; tum a celeritate motus, ac natura et contrarietate modi quo diuerſa corpora ſibi mutuo occurrunt.

XXXII. Motus motui non eſt contrarius, ſed quieti, et determinatio in vnam partem determinationi in partem oppoſitam.

XXXIII. Nihil particulas duorum corporum ita poteſt inter ſe vnire et firmius coniungere, quam ipſarum quies.

XXXIV. Fluidorum particulae aequali vi verſus omnes partes mouentur, et corpus durum in fluido exiſtens a minima vi poteſt determinari ad motum.

XXXV. Corpus durum ab alio duro impulſum, non omnem ſuum motum ab eo mutuatur, ſed partim etiam a fluido circumiacente. Non tamen poteſt ab iſto fluido maiorem celeritatem acquirere, quam habet a duro a quo impulſum eſt.

XXXVI. Cum corpus fluidum totum ſimul verſus aliquam partem fertur, neceſſario ſecum defert corpus durum, quod in ſe continet.

XXXVII. Cum corpus durum a fluido ſic defertur, non idcirco mouetur.

§. L. Principiis rerum materialium tractationem de mundo adſpectabili inaedificauit Carteſius, quae tertiam eamque copioſiſſimam principiorum philoſophiae partem conſtituunt. Ex qua tamen omnia, ad quae ſatis ſpeciali conſideratione deſcendit philoſophus, hoc loco repetere, limites tractationis noſtrae ſatis arcti non patiuntur. Adducemus ergo potiora tantum, reliqua Lectorem apud ipſum Carteſium legere iubemus. Ita vero ſtatuit: *Principia Carteſii de Mundo aſpectabili.*

I. Quamuis in ethicis ſit pium dicere, omnia a Deo propter nos facta eſſe, nempe vt tanto magis ad agendas ei gratias impellamur, eiusque amore incendamur, nequaquam tamen eſt veriſimile, ſic omnia propter nos facta eſſe, vt nullius alius ſit eorum vſus; eſſetque plane ridiculum et ineptum id in phyſica conſideratione ſupponere.

II. Lunae a terra diſtantia circiter triginta terrae diametros aequat, ſolis

ſolis vero ſexcentas vel ſeptingentas. Ex quo colligimus, lunam eſſe multo minorem terra, ſed ſolem multo maiorem.

III. Terra a coelo conſpecta non apparitura eſſet, niſi vt planeta Ioue aut Saturno minor. Cauendum itaque, ne lunam, vel terram vel ſolem magnitudine ſtellas ſuperare credamus.

IV. Non ſolem modo ſed et omnes ſtellas fixas propria luce fulgere, ex viuidis, quos vibrant, radiis, et diſtantia a ſole remota intelligi poteſt.

V. Luna e contrario et alii planetae lucem a ſole mutuantur, vt ex luce placidiori, quam fixarum, et minore a ſole diſtantia concluditur.

VI. Terra non minus ob opaca, quibus conflata eſt, corpora ſolis radios excipientia et reflectentia, lumen habet a planetis non differens.

VII. Poteſt ſol inter fixas ſtellas, terra inter planetas ideo numerari.

VIII. Stellae, quae eandem a ſe mutuo diſtantiam eundemque ordinem ſeruant, fixae dicuntur, quae vero aſſidue inter ſe ſitum mutant, planetae ſiue errantes appellantur.

IX. Copernici hypotheſis ſyſtematis mundani ſimplicior eſt, quam Tychonis, non autem inter ſe differunt, in quantum hypotheſes ſunt, quae eodem modo phaenomenis ſatisfaciunt.

X. Poteſt motus terrae verius quam Tycho, et curioſius, quam Copernicus fecit, proponi hac hypotheſi: 1) Fixae ſupponendae ſunt a Saturno quam maxime diſtantes; 2) Sol inſtar flammae ex materia quidem valde mobili conſtare dicendus, ſed non ideo ex vno loco in alium migrare. 3) Fixae omnes, aſſerendum, in eadem ſphaera non verſari, ſed vnamquamque vaſtum ſpatium circa ſe habere aliis fixis deſtitutum; porro concedendum 4) coelos eſſe fluidos, ſiue materiam coeli eſſe liquidam, 5) coelosque omnia corpora in ſe contenta ſecum deferre; 6) terram vero in coelo ſuo quieſcere, ſed nihilo minus ab eo deferri; 7) idemque ſentiendum de omnibus planetis. Ex quibus conceſſis, et definitione motus ſupra data in partes vocata ſequitur: terram proprie loquendo reliquosque planetas non moueri, nec vllos planetas, quamuis a coelo transferantur; quia non transferuntur ex vicinia partium coeli, quae illos immediate contingunt, quatenus iſtae partes coeli vt immotae conſiderantur. Quin nec ſecundum vſum vulgi, niſi incongrue, motus de terra praedicari poteſt, vulgus enim a terrae partibus vt immobilibus ſpectatis ſtellarum loca determinat, hasque eatenus moueri iudicat, quatenus a locis ita determinatis recedunt e).

XI. Ita ſublato omni ſcrupulo de terrae motu tota materia coeli, in qua planetae verſantur, concipienda eſt in modum cuiusdam vorticis, in cuius centro eſt ſol, gyrare aſſidue ac eius partes ſoli viciniores celerius moueri quam remotiores, ac planetas omnes, e quorum numero eſt terra, inter

e) Euſtandae cenſurae Romanae, quam in Galilaeum ſeueriſſimam fuiſſe compererat Carteſius, et palpi inquiſitoribus obtrudendi gratia operoſe ita philoſophum fucum verbis facere voluiſſe, ex ſupra dictis repetendum eſt.

ter easdem istius coelestis materiae partes semper versari. Ex quo solo omnia phaenomena facillime intelligentur.

XII. Sed cogitandi porro in maiori illo coelestis materiae vortice, alii minores vortices, vnus in cuius centro sit Iupiter, alter in cuius centro sit terra, qui in easdem partes, ac maior vortex ferantur, qui vortices assectas Iouis, et lunam terrae circa hos planetas deferant constituto tempore.

XIII. Non vero putandum, omnia contra planetarum accurate in eodem plano semper consistere, nec circulos, quos describunt, esse omnino perfectos.

XIV. Aberrationes planetarum a plano eclipticae vocantur motus in latitudinem; ipsorum autem circuitiones circa solem vocantur motus in longitudinem.

XV. Vix fieri potest, quin caussae, ex quibus omnia phaenomena clare deducuntur, sint verae.

XVI. Quamuis mundus ab initio creatus fuerit cum omni sua perfectione, nihilominus ad naturam rerum intelligendam longe melius est considerare, quo pacto secundum principia simplicia et cognitu facilia omnia velut ex seminibus quibusdam oriri potuerint. Supponi itaque quaedam libere possunt, modo omnia, quae ex ipso consequentur, cum experientia consentiant.

XVII. Supponemus itaque omnem illam materiam, ex qua hic mundus adspectabilis est compositus, fuisse initio diuisam a Deo in particulas quam proxime inter se aequales et magnitudine mediocres, siue medias inter illas omnes, ex quibus iam coeli atque astra componuntur, easque omnes tantundem motus in se habuisse, quantum iam in mundo reperitur; et aequaliter fuisse motas, tum singulas circa propria sua centra, et separatim a se mutuo, ita vt corpus fluidum componerent, quale coelum putamus: tum etiam plures simul circa alia quaedam puncta aeque a se mutuo remota, et eodem modo disposita, ac iam sunt centra fixarum; nec non etiam circa alia aliquanto plura, quae aequent numerum planetarum; ita vt tot varios vortices componerent, quot iam astra sunt in mundo. Decantatissima haec Cartesii hypothesis est, qua motus stellarum caussam probabiliorem quam Peripatetici fecerant, reddere conatus est; quaeque non ingenii modo, sed et verisimilitudinis laudem nacta est. Non vero primus vortices excogitauit Cartesius, sed ex Democriti et Epicuri disciplina traductos rationibus astronomicis instruxit, et ad systema solare explicandum adhibuit. Habuitque vir summus habetque hodie assectas satis multos et acutos, qui pro vorticibus velut pro aris focisque dimicarunt. Ast displicuerunt quoque magnis naturae interpretibus, maxime illustri NEWTONO *f*, cuius vestigia in impossibilitate vorticum demonstranda pressit Cel.

f) Princip. philos. nat. L. II. propos. LII. s. p. 347 et Opt. P. III. L. I. passim conf. COTESII Praef. ad Princ. philos. Eum Angli philosophi certatim sequuntur.

Cel. MAVPERTVIS *g*. Obiecerunt autem, si globus quidam alterius cuiusdam globi vortici innataret, vortices inde tandem esse exorturos, qui in infinitum propagarentur, et a se inuicem perpetuo magis magisque recederent; itemque in vorticibus planetas celerius in apheliis, et tardius in periheliis moueri oportere. Vnde reiectis vorticibus Cartesianis vim centrifugam et centripetam, quae corporibus planeticis inesse deprehenditur, in partes vocare, eiusque temperamento et proportioni mutuae reuolutiones circa solem tribuere maluerunt *h*. De qua tamen re in physicorum institutionibus plura quaerenda sunt, consulendique qui Newtonianis obiectionibus responderunt, inter quos eminet vir illustris Io. POLENVS *i*. Ceterum obseruandum hoc quoque loco est, Cartesium hactenus quidem principiis, quantum licebat, claris, perspicuis et in se rectis vsum esse, certe, vbi errauit, humani ingenii vitio et imbecillitate errauisse. Quam viam si semper fuisset secutus, dubium non est, quin altius in naturae adyta penetrauisset. Ast hac regia via semel relicta ad hypotheses excogitatas sine ratione delabitur, et ingenii commenta pro caussis postea naturalibus venditat. Quod licere sibi quidem putabat Cartesius, contentus hypotheses attulisse, ex quibus de phaenomenis naturae ratio quaedam idonea reddi posset. Ast duplici modo peccauisse is aliis visus est. Monuerunt enim non sufficere philosopho hypothesin effingere, qua faciat satis, et hypothesin illam non esse absurdam, id est, possibilem; sed ad verisimilitudinem quoque et experientiam, quibus fulciatur esse respiciendum. His vero haud raro carere Cartesii philosophemata, passim viderunt viri docti, et ingenue fassi sunt, inter quos imprimis magnus est CHR. HVGENIVS *k*. Deinde etsi ingenii laudem systemati Cartesiano non denegant, reprehendunt tamen, parum attendisse philosophum ad leges naturae, hasque ex ingenio magis, quam consulta natura, adduxisse, ideoque eius hypotheses parum facere satis. Id quod de ipsis Cartesii vorticibus viri quidam acuti obseruarunt, in quibus tamen cardo physiologiae Cartesianae vertitur. Monuerunt enim hanc hypothesin suppositumque vorticis motum, non descensum corporum partialium versus centrum, sed axem solum, illius corporis totalis, versus quod feruntur, euincere. Qua de re, quid in *Actis eruditorum Lipsiensibus* *l* disceptauerint illustres philosophi LEIBNIZIVS, BERNOVLLIVS, PAPINVS alii, consulendum est. Vnde emendare hypothesin Cartesianam conatus illustris HVGENIVS *m*, quem et alii secuti sunt, materiae subtilissimae vorticis alicuius talem tribui motum, quo non circulis sibi mutuo parallelis circa nucleum vorticis sui feratur, sed quaquauersum

g) Diss. de Astrorum figura diuersa Gallice edita, c. 3. vid. Journal des Savans 1733. Iun. art. 6. p. 227. seqq.

h) NEWTON, l. c. L. II.

i) Dial. de Vorticibus coelestibus Patauii 1712. edito. Conf. illustris BERNOVLLIVS in nouis cogitationibus de Systemate Cartesii Paris 1730. editis Bibl. Italique T. XI. art. 1. Tom. XIV. art. V. p. 145.

k) In Cosmotheoro L. II. p. 148.

l) 1686. p. 91. 1690. p. 228. 232. 1689. p. 183. seq.

m) In Diss. de Grauitate, Gallice edita, p. 135. A. E. 1690. p. 561.

uersum potius in spatio sphaerico ab aliis corporibus incluso circa eundem ita gyretur, vt motu suo infinitos circulos maximos, infinitis fere punctis se intersecantibus describat, sicque vndiquaque omnia ad nucleum centri sui vrgeat. Quae licet experientia et ratiociniis commendare philosophus praestantissimus conatus sit, impossibilia tamen aliis visa sunt; de quibus tamen alio loco n) disputiendum. Tacemus theologos, qui pati in hypothesibus Cartesianis non potuerunt, quod causam agentem ex hac rerum naturalium conformatione excluserit, quam ob causam dicam satis grauem ei scripserunt PETRVS POIRETVS o), et SAMVEL PARCKERVS p). Sed redeundum ad rerum naturalium generationem secundum Cartesium. Is ita porro viam istam prosequitur:

XVIII. Huic suppositio porro addendum, omnes materiae particulas initio fuisse tam in magnitudine, quam in motu inter se aequales.

XIX. Hae particulae initio non potuerunt esse sphaericae, quia plures globuli simul iuncti spatium continuum non replent: ast successu temporis non potuerunt non fieri rotundae, quandoquidem varios habuerunt motus circulares, quibus anguli, dum sibi mutuo occurrerunt, attriti sunt.

XX. Cum autem nullibi spatia omni corpore vacua esse possint, cumque illae rotundae particulae simul iunctae perexigua quaedam interualla inter se relinquant, necesse est ista interualla, quibusdam aliis materiae ramentis minutissimis, figuras ad ipsa implenda aptas habentibus, easque pro ratione loci occupandi perpetuo mutantibus, impleri. Nempe id quod ex attritis angulis deiicitur, adeo est minutum, et tantam celeritatem acquirit, vt sola vi sui motus in ramenta innumerabilia diuidatur, sicque impleat omnes angulos, quos aliae materiae particulae subingredi nequeunt.

XXI. Quo minora sunt ista particularum aliarum ramenta, eo facilius mouentur, atque in alia adhuc minutiora comminui possunt.

XXII. Sed et multo celerius mouentur et agitantur, quam aliae materiae particulae, a quibus tamen suam agitationem acquirunt, quia dum hae per rectas et patentes vias feruntur, expellunt ista per obliquas et angustas.

XXIII. Inde duo exsurgunt rerum elementa; primum est illius materiae, quae tantam vim agitationis habet, vt aliis corporibus occurrendo in minutias indefinitae paruitatis diuidatur, et figuras suas ad omnes angulorum ab iis relictorum angustias implendas accommodet. Alterum est eius, quae diuisa est in particulas sphaericas, valde quidem minutas, sed tamen certae ac determinatae quantitatis, et diuisibiles in alias multo minores.

XXIV. His tertium addi posse, ex dicendis constabit, quod partes vel magis crassas vel figuras minus ad motum aptas habet.

XXV. Ex primo elemento sol et stellae fixae, ex secundo coeli, ex tertio terra cum planetis et cometis orta sunt.

n) Conf. quos nominat Cl. HOLLMANNVS Physic. P. I. c. 1. §. 64. p. 102.

o) De Erud. triplici L. III. §. 34. seqq. p. 657. sqq.

p) Disp. III. de Deo §. 15. Disp. VI. §. 15. et quae Cudworthus passim monuit.

XXVI. Nempe creuit initio paulatim materia primi elementi, ex eo quod particulae secundi assiduo motu se inuicem magis magisque atterent; cumque maior eius quantitas fuit in vniuerso, quam necesse erat ad implenda exigua illa spatia, quae inter particulas sphaericas secundi elementi sibi mutuo incumbentes reperiuntur, quidquid ex ea residui fuit, postquam spatia ista impleta sunt ad centra confluxit, ibique corpora quaedam sphaerica fluidissima composuit, nempe solem ac stellas fixas.

XXVII. Est autem lex naturae, vt corpora omnia, quae in orbem aguntur, quantum in se est, a centris sui motus recedant.

XXVIII. Globuli itaque secundi elementi satis magna vi recedere conantur a centris vorticum in quibus gyrantur, et retinentur hinc inde ab aliis globulis circumpositis.

XXIX. Efficit hic conatus, vt corpora solis et fixarum sint rotunda.

XXX. Sed et porro efficit, vt materia coelestis ab omnibus punctis circumferentiae cuiusque stellae vel solis recedere conetur.

XXXI. Neque tamen globuli materiae coelestis se mutuo impediunt in isto conatu, quia perpetuo sunt in motu.

XXXII. Omnes lucis proprietates in isto conatu inueniuntur, adeo vt lux eius ope cerni posset, tanquam ex stellis manans, etsi nulla vis esset in ipsis stellis.

XXXIII. Cuiusque vorticis coelorum poli tangunt partes aliorum vorticum ab eorum polis remotas. Inflectitur autem motus istorum vorticum aliquo modo, vt inter se consentiant.

XXXIV. Vortices isti sunt magnitudine inter se inaequales, vt ex varietate in situ fixarum patet.

XXXV. Materia primi elementi ex polis cuiusque vorticis fluit versus centrum, et ex centro versus alias partes.

XXXVI. Idem autem de materia secundi elementi non potest intelligi, quia a materiae primi elementi motu impeditur.

XXXVII. Globuli secundi elementi, qui proximi sunt centro cuiusuis vorticis, minores sunt, ac celerius mouentur, quam illi, qui paulo magis ab eo distant, idque vsque ad certum terminum, vltra quem superiores inferioribus celerius mouentur, et quantum ad magnitudinem, sunt aequales.

XXXVIII. Globuli secundi elementi variis modis simul mouentur, quo fit, vt plane sphaerici reddantur.

XXXIX. Varii sunt gradus celeritatis in minutiis primi elementi.

XL. Quia quaedam materiae primi elementi ramenta reliquis minus diuisa et minus celeriter agitata, figuras necessario acceperunt valde angulosas et ineptas; fit inde, vt facile sibi mutuo adhaereant, magnamque partem suae agitationis transferant in illa alia ramenta, quae minutissima sunt, et celerrime agitantur.

XLI. Tales minutiae sibi mutuo adhaerentes praecipue inueniuntur in ea materia primi elementi, quae a polis ad centra vorticum fertur. LXII.

XLII. Quia saepe transeunt per angusta illa spatia triangularia, quae in medio trium globulorum secundi elementi se mutuo tangentium, reperiuntur, debent induere figuram triangularem. Quantum ad longitudinem autem, sufficit concipere illas tanquam exiguas columnas, tribus striis in modum cochlearum intortis excauatas, ita vt gyrando transire possint per illos angustos meatus triangulares.

XLIII. Istae particulae striatae ab oppositis polis venientes contrario modo sunt intortae.

XLIV. Quando materia ista primi elementi ad corpus solis alteriusue sideris peruenit, ibi omnes eius minutiae maxime agitatae cum nullis globulorum secundi elementi minutiis impediantur, in similes motus consentire laborant. Vnde fit, vt illae striatae, nec non etiam aliae multae paulo minores, quae ob figuras nimis angulosas molemue nimis magnam tantam agitationem refugiunt, ab aliis minutissimis separentur, ac sibi mutuo facile adhaerentes propter inaequalitatem suarum figurarum moles aliquando permagnas componant, quae intimae coeli superficiei contiguae, sideri ex quo emerserunt, adiunguntur, et ibi resistentes illi actioni, in qua vis luminis consistit, similes sunt illis maculis, quae in solis superficie conspici solent.

XLV. Illae maculae sole egressae et sibi mutuo nonnihil adhaerentes, componunt ibi magnam quandam molem rarissimam, et aetheri terrae circumfuso non absimilem.

XLVI. Multi quoque sunt meatus in istis maculis per quos libere transeunt particulae striatae.

XLVII. Fieri potest, vt totus vortex aliquando a circumiacentibus vorticibus absorbeatur, et eius stella mutetur in planetam vel cometam q).

XLVIII. Vastissimum illud spatium, in quo iam vnicus vortex primi coeli continetur, initio in quatuordecim pluresue vortices diuisum concipi potest, eosque ita fuisse dispositos, vt sidera, quae in centris suis habebant, multis paulatim maculis tegerentur, et deinde illi vortices vni ab aliis destruerentur, modo iam descripto vnus citius alius tardius pro diuerso eorum situ, adeo vt cum illi tres, in quorum centris erant Sol, Iupiter et Saturnus, ceteris essent maiores, sidera quae in centris minorum Iouem circumstantium versabantur, versus Iouem delapsa sint, et quae in centris duorum aliorum Saturno vicinorum; versus Saturnum: et Mercurius, Venus, Terra, Luna et Mars, quae sidera etiam singula suum vorticem prius habuerunt, versus solem; ac tandem etiam Iupiter et Saturnus, vna cum minoribus sideribus illis adiunctis confluxerint versus eundem solem, ipsis multo maiorem, postquam eorum vortices fuere absumti; sidera autem reliquorum vorticum, si vn-

q) Ex hac theoria cometarum originem, naturam, modum, phaenomena late P. III. §. 128. seqq. deriuat, quae, cum prolixiora sint, quam vt locum in hac pagina capiant, apud ipsum Cartesium legi merentur, comparanda autem sunt cum iis, quae de cometarum natura obseruarunt acutissimi naturae interpretes Heuelius, Newtonus, Cassinus, Halleius aliique.

quam plura fuerint, quam quatuordecim in hoc ſpatio, in cometas abierint.

XLIX. Quod quidam planetae ſunt aliis a ſole remotiores, id ex eo contingit, quod eorum, qui ſoli viciniores ſunt, ſoliditas ſit minor, quam remotiorum.

L. Quod luna non modo circa ſolem, ſed ſimul etiam circa terram gyret, cauſſa eſſe videtur, quod cum non minorem habeat vim agitationis quam terra, in eadem ſphaera cum ſole debeat verſari, et cum mole ſit minor, aequalem habens vim agitationis, celerius debeat ferri.

LI. Cauſſa cur omnes planetae, quamuis motus circulares ſemper affectent, nullos tamen circulos perfectos vnquam deſcribant, ſed modis omnibus tam in longitudinem quam in latitudinem aliquantulum aberrent, ea eſt, quia cum omnia corpora, quae ſunt in vniuerſo, contigua ſint, atque in ſe mutuo agant, motus vnusquisque a motibus aliorum omnium dependet, atque ideo innumeris modis variatur r).

Carteſii ſententia de terra.

§. LI. Haec de rebus coeleſtibus ex hypotheſi ſemel admiſſa viſa Carteſio, de rebus ad terram ſpectantibus ita porro ſtatuit:

I. Vt terrae geneſin ex adductis hypotheſibus intelligamus, fingendum: terram fuiſſe olim ex ſola materia primi elementi conflatam, et vaſtum vorticem circa ſe habuiſſe, in cuius centro conſiſtebat: ſed cum particulae ſtriatae, aliaeque non minutiſſimae minutiae, iſtius materiae primi elementi ſibi mutuo adhaererent, ſicque in materiam tertii elementi verterentur, ex iis primo maculas opacas in terrae ſuperficie genitas eſſe; deinde particulas tertii elementi, quae ex continua iſtarum macularum diſſolutione remanebant, per coelum vicinum diffuſas, magnam ibi molem aëris vel aetheris ſucceſſu temporis compoſuiſſe, ac denique poſtquam iſte aether valde magnus fuit, denſiores maculas circa terram genitas eam totam contexiſſe atque obtenebraſſe. Cumque ipſae non poſſent amplius diſſolui, ac forte permultae ſibi mutuo incumberent, ſimulque vis vorticis terram continentis minueretur, tandem ipſam vna cum maculis et toto aëre, quo inuoluebatur, in alium maiorem vorticem, in cuius centro eſt ſol, delapſam eſſe.

II. Terrae ita paulo poſt delapſurae verſus ſolem tres regiones concipi poſſunt. Harum intima continere videtur materiam primi elementi, ſe, vt in ſole, commouentis; media tota occupatur a corpore valde opaco et denſo; tertia magna eſt congeries particularum tertii elementi multum materiae coeleſtis circa ſe habentium.

III. Illae particulae ex plurimis ramentis primi elementi minutiſſimis ſibi mutuo adiunctis, componuntur, atque ſatis magnae ſunt, vt impetum

r) Quid in hac planetarum theoria deſiderent viri docti, ex illuſtris NEWTONI Princip. phil. nat. Lib. II. propoſ. 52. ſeqq. diſci poteſt.

tum globulorum secundi elementi circa se motorum sustineant, ex quorum tamen occursu nonnihil possunt immutari.

IV. Sunt quoque maiores globulis secundi elementi, sed iisdem minus solidae et minus agitatae.

V. Eae ab initio sibi mutuo incubuerunt, varia vero circa ipsas interualla materiae primi et secundi elementi relicta sunt.

VI. Porro globuli secundi elementi istis immisti eo minores initio fuerunt, quo centro terrae viciniores, meatusque habuerunt inter ipsos angustiores.

VII. Non semper crassiores inferiores fuere tenuioribus.

VIII. Cum globus terrae in tres istas regiones distinctus versus solem deuolutus est, vortice eius absumto, non magna quidem mutatio in intima et media eius regione potuit oriri, sed quantum ad exteriorem, primum duo, deinde tria, postmodum quatuor et plura alia corpora diuersa in ea distingui debuerunt.

IX. Corporum horum productio pendet a globulorum coelestium motu generaliter spectato, grauitate, lumine, calore.

X. Motus globulorum coelestium, siue continua eorum agitatio efficit, vt particulis tertii elementi corpora omnia tertiae terrae regionis componentibus, immisti varios effectus producunt.

XI. Primus est, quod pellucida reddat ea omnia corpora terrestria, quae liquida sunt, et constant particulis tertii elementi tam tenuibus, vt globuli isti circa ipsas in omnes partes ferantur. Sed et corpora dura sunt pellucida, quae dum formabantur, et adhuc liquida erant, pellucida fuerunt, quorumque partes retinent eundem situm, in quo positae sunt a globulis materiae coelestis, dum circa ipsas nondum sibi mutuo adhaerentes mouebantur: contra illa omnia opaca sunt, quorum particulae simul iunctae ac connexae sunt a vi aliqua externa, motui globulorum coelestium ipsis immistorum non obsequente.

XII. Secundus effectus est, quod vna corpora ab aliis secernat et liquores expurget.

XIII. Tertius effectus est, quod aquae aliorumque liquorum guttas in aëre alioue liquore ab iis diuerso pendentes reddat rotundas.

XIV. Per eundem motum globuli isti coelestes, totius molis terrae occursu impediti, ne secundum lineas rectas ferantur, omnes eius partes versus medium propellunt: atque in hoc grauitas corporum terrestrium consistit.

XV. Quamuis particulae materiae coelestis eodem tempore multis diuersis motibus cientur, omnes tamen earum actiones ita simul conspirant, ac tanquam in aequipondio consistunt, vnaque aliis opponitur, vt ex hoc solo, quod terrae moles obiectu suo earum motibus aduersetur, quaquauersum aequaliter propendeant ad se ab eius vicinia, et tanquam

ab

ab eius centro remouendas, nisi forte aliqua exterior caussa diuersitatem in hac re constituat.

XVI. Vis luminis in se spectata nihil aliud est, quam pressio quaedam, quae fit secundum lineas rectas a sole in terram extensas: quia tamen ista pressio non aequaliter omnibus particulis tertii elementi, quae supremam terrae regionem componunt, applicatur, variae inde motiones in particulis istis excitantur.

XVII. Haec particularum terrestrium agitatio, siue orta sit a lumine, siue ab alia quauis caussa, calor vocatur. Perseuerat autem vnaquaeque ex particulis terrestribus sic agitata, in suo motu iuxta leges naturae, donec ab aliqua caussa sistatur; adeoque ideo calor sublato lumine aliquamdiu remanet.

XVIII. Terra ad viciniam solis accedente, minores globuli, maioribus qui eam complectuntur, locum relinquunt, hicque in illa cum impetu ruentes in multas tertii elementi particulas impingunt, praesertim in crassiores, ipsasque infra caeteras detrudunt, atque ita efficiunt, vt istae crassiores infra ceteras depulsae figurasque habentes irregulares et varias, arctius inter se nectantur quam superiores, et motus globulorum coelestium interrumpant. Hinc fit, vt suprema terrae regio in duo corpora valde diuersa distinguatur, quorum superius est rarum, fluidum, pellucidum, inferius autem aliquatenus densum, durum, opacum.

XIX. Particulae autem terrestres in tria summa genera possunt distingui. Quaedam sunt in varia quasi brachia diuisae, atque hinc inde expansae velut rami arborum, aliae solidiores sunt et figuram habent cuiuslibet ruderis angulosi; aliae denique sunt oblongae ac ramis destitutae instar bacillorum. Ex his inter se variis modis mistis corpora alia et ab his diuersa extiterunt, nempe aër, aqua, terrae crusta interior crassissima ex qua metalla oriuntur, ac denique terra exterior, quae ex lapidibus, argilla, arena et limo est conflata. Et ex his quoque montes, campi, maria exorta sunt [s].

XX. Aër nihil aliud est, quam congeries particularum primi elementi, tam tenuium et a se mutuo disiunctarum, vt quibuslibet motibus globulorum coelestium obsequantur, ideoque corpus est valde rarum, fluidum et pellucidum.

XXI. Quia eius particulae sunt fere omnes flexiles, quo celerius aguntur, eo latius se extendunt, et idcirco maiorem spatii sphaeram requirunt ad motum suum. Ex quo intelligitur, per calorem nihil aliud quam accelerationem motus in istis particulis, et per frigus eiusdem imminutionem debere intelligi.

XXII. In aqua duae tantum particularum species reperiuntur, quarum vnae

s) Ingeniose versatur Cartesius in his explicandis, quae tamen, cum prolixiora sint, quam vt pagina ea capiat, apud ipsum P. IV. §. 32. seqq. legenda sunt.

vnae sunt flexiles, aliae inflexiles, atque si ab inuicem separentur, hae salem, illae aquam dulcem componunt.

XXIII. Terra interior constat particulis cuiusuis figurae, ac tam crassis, vt globuli secundi elementi ordinario suo motu eas secum non abripiant, sed tantum deorsum premendo graues reddant, ac per meatus, qui plurimi inter ipsas reperiuntur, transeundo non nihil commoueant. Hinc inaequaliter calor terram interiorem peruadit, et diuersae particulae exoriuntur, v. g. succi acres et acidi, materia oleaginea, sulphuris, quae in tria genera diuiduntur, succum acrem, oleagineam materiam et argentum viuum.

XXIV. Cum infra campos et montes sint cauitates aquis plenae, multi quotidie vapores, vsque ad exteriorem camporum superficiem atque ad summa montium iuga perueniunt; vbi frigore succedente torpescunt, et amissa vaporis forma rursus in aquam vertuntur, et hinc origo fontium repetenda.

XXV. Semper tanta quantitas aquae a mari versus radices montium redit per meatus patentissimos, quanta ex montibus egreditur. Hinc mare ex fluminibus non augetur.

XXVI. Exhalationum particulae tenuissimae, et ita celeriter agitantur, vt in oleum verti nequeant, si forte in rimas et cauitates terrae magna copia affluant, pingues ibi et crassos fumos componunt, ac deinde, si quae forte ignis scintilla in illis cauitatibus excitetur, protenus illi accenduntur, atque subito rarefacti, omnes carceris sui parietes magna vi concutiunt, praesertim cum multi spiritus ipsis sunt admisti, et ita oriuntur terrae motus.

XXVII. Particulae terrestres, cuiuscunque sint magnitudinis aut figurae, cum singulae seorsim primi elementi motum sequuntur, ignis formam habent, vt etiam habent aëris formam, cum inter globulos secundi elementi volitantes eorum agitationem imitantur.

XXVIII. Vt autem ignis alicubi excitatur, debent aliqua vi expelli globuli coelestes, ab interuallis nonnullarum partium terrestrium, quae deinde ab inuicem disiunctae atque in sola materia primi elementi natantes, celerrimo eius motu rapiantur et quaqua versus impellantur.

XXIX. Particulae in meatibus corporum terrestrium ex materia primi elementi efformatae non modo variarum attractionum, quales sunt in electro et magnete, sed et aliorum innumerabilium et admirandorum effectuum causae esse possunt.

XXX. Humana anima, etsi totum corpus informet, praecipuam tamen sedem habet in cerebro, in quo solo non modo intelligit, et imaginatur, sed etiam sentit: hocque opere neruorum, qui fili instar a cerebro ad omnia reliqua membra protenduntur, iisque sic annexi sunt, vt vix vlla pars humani corporis tangi possit, quin hoc ipso moueantur aliquot neruorum extremitates per ipsam sparsae, atque earum motus, ad alias

eorum neruorum extremitates in cerebro circa ſedem animae collectas transferatur [t]. Motus autem, qui ſic in cerebro a neruis excitantur, animam ſiue mentem intime cerebro coniunctam diuerſimode afficiunt, prout ipſi ſunt diuerſi. Atque hae diuerſae mentis affectiones ſiue cogitationes ex iſtis motibus immediate conſequentes ſenſuum perceptiones, ſiue, vt vulgo loquimur, ſenſus appellantur.

XXXI. Horum ſenſuum diuerſitates primo ab ipſorum neruorum diuerſitate, ac deinde a diuerſitate motuum, qui in ſingulis neruis fiunt dependent.

XXXII. Sunt autem ſeptem ſenſuum diuerſitates, quarum duae pertinent ad ſenſus internos, aliae quinque ad externos.

XXXIII. Nerui qui ad ventriculum, oeſophagum, fauces aliasque partes internas, explendis naturalibus deſideriis deſtinatas, protenduntur, faciunt vnum ex ſenſibus internis, qui appetitus naturalis vocatur.

XXXIV. Neruuli qui ad cor et praecordia, quamuis perexigui ſint, faciunt alium ſenſum internum, in quo conſiſtunt omnes animi commotiones ſiue παθήματα et affectus [u]. Hinc ex dilatatis neruulis affectus iucundi, ex conſtrictis et non ſatis dilatatis triſtes affectus oriuntur.

XXXV. Diſtinctae cogitationes, quas habemus de iis, quae amplectenda ſunt, vel optanda vel fugienda, toto genere ab iſtis affectibus diſtinguuntur.

XXXVI. Senſuum externorum quinque, propter tot diuerſa obiectorum genera numerantur.

XXXVII. Nerui in vniuerſi corporis cutem deſinentes a quibuslibet terrenis corporibus tangi poſſunt, et ab illis integris moueri; quotquot vero diuerſis modis vel mouentur, vel a motu ſuo ordinario impediuntur, tot in mente diuerſos ſenſus excitant, ex quibus tot tactiles qualitates denominantur.

XXXVIII. Cum iſti nerui ſolito vehementius agitantur, ſed ita tamen, vt nulla laeſio in corpore inde ſequatur, hinc fit ſenſus titillationis, menti naturaliter gratus; ſi vero aliqua laeſio inde ſequatur, fit ſenſus doloris.

XXXIX. Alii nerui per linguam et partes ei vicinas ſparſi, ab eorundem corporum particulis ab inuicem diſiunctis, et ſimul cum ſaliua in ore natantibus, diuerſimode mouentur, prout ipſorum figurae ſunt diuerſae, ſicque diuerſorum ſaporum ſenſus efficiunt.

XL. Duo etiam nerui ſiue cerebri appendices extra caluariam non exſertae, mouentur ab eorundem corporum particulis diſiunctis, et in aëre volantibus, non quidem quibuslibet, ſed iis, quae ſatis ſubtiles ac ſimul ſatis viuidae ſunt, vt in nares attractae per oſſis ſpongioſi meatus vsque ad illos

t) Prolixius hanc ſenſuum explicationem vrget in Dioptric. c. IV. §. 1. ſeqq. p. 53 ſeqq.

u) Fuſe haec explicat in tr. de Paſſionibus animae.

los neruos perueniant, et a diuerſis eorum motibus fiunt diuerſorum odorum ſenſus.

XLI. Duo alii nerui in intimis aurium cauernis reconditi excipiunt tremulos et vibratos totius aëris circumiacentis motus. Aër enim membranulam tympani concutiens, ſubiunctam trium officulorum catenulam, cui iſti nerui adhaerent, ſimul quatit, atque ab horum motuum diuerſitate diuerſorum ſonorum ſenſus oriuntur.

XLII. Denique neruorum opticorum extremitates tunicam, retinam dictam, in oculis componentes non ab aëre, nec a terrenis vllis corporibus ibi mouentur, ſed a ſolis globulis ſecundi elementi, vnde habetur ſenſus luminis et colorum *).

XLIII. Anima non quatenus eſt in ſingulis membris, ſed tantum, quatenus eſt in cerebro ea, quae corpori accidunt in ſingulis membris, neruorum ope ſentit.

XLIV. Talis eſt noſtrae mentis natura, vt ex eo ſolo quod quidam motus in corpore fiant, ad quaslibet cogitationes, nullam iſtorum motuum imaginem referentes poſſit impelli, et ſpeciatim ad illas confuſas, quae ſenſus, ſiue ſenſationes dicuntur.

XLV. Nihil a nobis in obiectis externis deprehenditur ſenſu, praeter ipſorum figuras, magnitudines et motus.

XLVI. Cum itaque ea ſit animae noſtrae natura, vt diuerſi motus locales ſufficiant ad omnes ſenſus in ea excitandos, experiamurque illos reipſa, varios ſenſus in ea excitare, non autem deprehendamus quicquam aliud, praeter eiusmodi motus, a ſenſuum externorum organis ad cerebrum tranſire: omnino concludendum eſt, non etiam a nobis animaduerti ea, quae in obiectis externis ſenſibilium qualitatum, vel etiam formarum ſubſtantialium nominibus indigitamus; nec eſſe quicquam aliud quam iſtorum obiectorum varias diſpoſitiones, quae efficiunt, vt neruos noſtros variis modis mouere poſſint.

XLVII. Dantur particulae corporum inſenſiles, quarum figurae et motus ex ſimpliciſſimis et maxime notis principiis determinandi ſunt.

§. LII. Haec in principiis philoſophiae ſtatuit Carteſius. Subiicienda iis pauca, quae de paſſionibus hominum noua dixit in peculiari tractatione: *Carteſii dogmata de paſſionibus animae.*

I. Quicquid fit, aut recenter accidit, dicitur paſſio, reſpectu ſubiecti cui accidit, et actio, reſpectu illius qui in cauſſa eſt, vt contingat.

II. Non datur vllum ſubiectum, quod in animam noſtram agat magis immediate, quam corpus cui iuncta eſt, hinc quod in ea eſt paſſio, in hoc actio eſt.

III. Calor et motus membrorum procedunt a corpore, et cogitationes ab anima, non vero dare poteſt anima motum et calorem corpori.

x) Conf. Dioptr. c. 3. p. 53.

IV. Viuidiores et subtiliores omnes partes sanguinis, quas calor in corde rarefacit, ingrediuntur indesinenter et maxima cum copia cauitates cerebri; et hae componunt spiritus animales, qui in cerebro separantur ab aliis sanguinis partibus minus subtilibus. Sunt itaque hi spiritus corpora, sed tenuissima, et quae mouentur celerrime.

V. Sola caussa omnium motuum membrorum est, quod quidam musculi contrahantur, et qui ex aduerso respondent, iis extendantur. Caussa autem quare hic musculus potius contrahatur, quam qui illi opponitur, est quod ad eum confluant paulo plures cerebri spiritus, quam ad alium.

VI. Oriuntur autem isti spirituum animalium motus, praeter actionem animi, ex varietate motuum qui excitantur in organis sensuum per ipsorum obiecta, et ex inaequali agitatione eorum spirituum, et varietate partium quibus constant.

VII. Possunt autem omnia membra moueri per obiecta sensuum, et per spiritus absque opera animae.

VIII. Nihil itaque restat quod tribuamus animae, exceptis cogitationibus nostris.

IX. Eae duorum generum sunt, quaedam sunt actiones, aliae passiones siue affectus.

X. Actiones sunt omnes nostrae voluntates, quia experimur eas directe venire ab anima nostra, et videntur ab illa sola pendere.

XI. E contrario passiones animae sunt omnes species perceptionum siue cogitationum, quae in nobis reperiuntur. Πρῶτον ψεῦδος hanc diuisionem operationum mentis humanae esse Cartesio in delineanda natura affectuum dudum obseruatum est viris doctis, inter quos Cartesianam pathologiam strictim enarrauit et examinauit CHRISTIAN. THOMASIVS y. Cum enim non in voluntate modo, sed in intellectu quoque percipiamus agere animam atque pati, non potuit non a vera via aberrare Cartesius, qui mechanismi amore illectus omnem affectuum considerationem ad motus mechanicos retulerat, cum nihil in iis remanere menti praeter perceptiones passiuas decerneret. Quo fundamento euerso, eo quod in affectibus non pati modo sed et agere mentem sentiamus, tota pathologia Cartesiana corruit.

XII. Voluntates nostrae sunt duplices; quaedam sunt actiones animae, quae in ipsa anima terminantur; e. c. amare Deum; aliae, quae terminantur ad nostrum corpus, vt est voluntas mouendi corpora.

XIII. Perceptiones nostrae etiam sunt duarum specierum; et quaedam animam pro caussa habent, aliae corpus. Illae sunt perceptiones nostrarum voluntatum, et omnium imaginationum aut aliarum cogitationum, quae ab ea pendent: quae tamen licet passiones sint, attamen denominatione a nobiliori petita actiones dicuntur.

XIV.

y) In Praxi ethices c. 2. §. 30 - 41. p. 58. seqq.

XIV. Perceptiones, quae fiunt in consideratione rei quae non est, vel quae solummodo intelligibilis est, pendent praecipue a voluntate et magis actiones quam passiones sunt. Aliae vero, quae pro caussa habent solum corpus, nempe spiritus diuersimode agitatos passiones sunt.

XV. Perceptiones quae referuntur, ad res extra nos positas, scilicet ad obiecta sensuum nostrorum, producuntur ab his obiectis, quae excitando quosdam motus in organis sensuum externorum, excitant quoque nonnullos motus opera neruorum in cerebro, qui efficiunt, vt anima illa sentiat.

XVI. Sunt etiam perceptiones, quas ad corpus, aliaeque, quas ad animam nostram referimus.

XVII. Passiones animae sunt perceptiones, aut sensus, aut commotiones animae, quae ad eam speciatim referuntur, quaeque producuntur, conseruantur et corroborantur per aliquem motum spirituum.

XVIII. Anima est vnita omnibus corporis partibus coniunctim; eius autem functiones maxime exercentur in cerebro, non vero toto: sed in certa quadam glandula admodum parua, sita in medio substantiae ipsius, quae pinealis dicitur. Et hanc praecipuam animae sedem esse cognoscimus inde, quia omnes partes cerebri duplices sunt, vna autem cogitatio, quae in vna sede debet vniri, qualis sola illa glandula est. In corde autem esse nequit, quia alteratio cordis ex passione sequens non sentitur, nisi opera neruuli, qui ex cerebro in illud descendit.

XIX. Hinc intelligi potest, quomodo anima et corpus agant inuicem, nempe anima ex hac sede radios emittit per reliquum corpus, opera spirituum, neruorum, et ipsiusmet sanguinis, et tenuia filamenta nostrorum neruorum ita distribuuntur per singulas eius partes, vt occasione diuersorum motuum, qui ibi excitantur ab obiectis sensibilibus aperiant varie poros cerebro, quo fit, vt spiritus animales ingrediantur musculos. Glandula ista quoque et a spiritibus potest varie moueri et ab animae perceptionibus, vnde spiritus deinde per neruos in musculos deducuntur z).

XX. Potest autem eadem caussa excitare diuersas passiones in variis hominibus, quia non omnia cerebra eodem sunt dispositа modo, vt motus glandis eandem perceptionem efficiat, motusque spirituum eosdem producat.

XXI. Praecipuus effectus in hominibus omnium passionum est, quod incitent et disponant eorum animas ad volendum ea, quibus sua corpora praeparant.

XXII. Voluntas adeo libera est sua natura, vt nunquam possit cogi: hinc omnis actio animae in eo consistit, quod eo ipso solo, quod vult, efficit, vt glandula, cui arctissime coniuncta est, se moueat modo conuenienti ad producendum effectum, qui huic voluntati respondeat.

z) Fiunt autem haec, secundum Cartesium non per influxum corporis in animam, sed per assistentiam, vt supra iam dictum, et ex Meditationibus patet.

XXIII. Cum anima vult recordari alicuius rei, haec voluntas efficit, vt glans ſeſe inclinans ſucceſſiue horſum et illorſum, impellat ad partes varias cerebri ſpiritus, vsque dum inuenerit eam, in qua ſunt veſtigia, quae reliquit obiectum, cuius volumus recordari.

XXIV. Si cum imaginari volumus aliquid, quod nunquam vidimus, haec voluntas vim habet mouendi glandem modo conueniendi ad impellendos ſpiritus verſus eos poros cerebri, quorum apertione hoc poteſt repraeſentari. Ita dum mouere volumus corpus noſtrum, haec voluntas efficit, vt glans impellat ſpiritus animales ad muſculos, qui huic rei inſeruiunt.

XXV. Paſſiones noſtrae nequeunt directe excitari vel auferri per actionem noſtrae voluntatis, ſed demum indirecte, per repraeſentationem rerum, quae ſolent iungi paſſionibus, quas habere volumus, et quae contrariae ſunt iis, quas nolumus reiicere.

XXVI. Vna homini ineſt anima, quae et ſenſitiua eſt et rationalis: eſt itaque conflictus inter partem ſuperiorem et inferiorem animae nihil aliud, quam lucta inter motus, quos corpus per ſuos ſpiritus et anima per ſuam voluntatem ſimul excitare annituntur in glande.

XXVII. Ex euentu horum conflictuum quisque poteſt cognoſcere robur aut debilitatem ſuae animae, nam illi, in quibus naturaliter voluntas facilius poteſt vincere paſſiones et ſiſtere motus corporis, qui eas comitantur, habent animas fortiores. His arma propria ſunt, iudicia firma et determinata de cognitione boni et mali, ſecundum quae decreuerunt actiones vitae ſuae dirigere. Et animae omnium maxime imbecilles ſunt, quarum voluntas non ita ſe determinat, ad ſequenda certa quaedam iudicia, ſed ſe patitur ſemper abduci, a praeſentibus affectibus.

XXVIII. Non autem ſufficit animae vis absque cogitatione veritatis.

XXIX. Nulla tam imbecillis eſt anima, quae non poſſit, cum bene dirigitur, acquirere poteſtatem abſolutam in ſuas paſſiones.

XXX. Paſſiones omnes poſſunt excitari ab obiectis, quae mouent ſenſus, et haec obiecta ſunt earum cauſſae frequentiores et magis principales.

XXXI. Affectus varios in nobis excitant obiecta, quae mouent ſenſus, non ratione omnium varietatum quas habent, ſed ſolum ratione variorum modorum, quibus nobis vel prodeſſe vel nocere, aut in genere ad nos ſpectare poſſunt.

XXXII. Vſus omnium paſſionum in eo ſolo conſiſtit, quod diſponant animam, ad res eas expetendas, quas natura nobis dictat eſſe vtiles, et perſiſtendum in ea voluntate; prout etiam eadem agitatio ſpirituum, quae ſolet eas producere, diſponit corpus ad motus, qui inſeruiunt earundem rerum executioni.

XXXIII. Admiratio, quae eo quod nouum et valde differens, ab eo, quod antea noueramus, percellitur, prima videtur eſſe omnium paſſionum.

Valde

Valde vapulat Carteſius moralis philoſophiae ſcriptoribus, quod inter affectus, qui commotiones voluntatis noſtrae, ipſo non diſſitente, ſunt, admirationem retulerit, quae non niſi ad intellectus iudicium referri poteſt, adeoque naturam affectus minime habet.

XXXIV. Admirationi iuncta eſt exiſtimatio vel contemtus, vnde oriuntur paſſiones magnanimitatis et humilitatis.

XXXV. Cum magni facimus vel parui obiecta, quae conſideramus vt liberas cauſſas capaces bene vel male agendi, oritur veneratio vel deſpectus. Et hae quidem paſſiones poſſunt excitari, vt nullo modo deprehendamus, vtrum obiectum quod excitant, ſit bonum vel malum.

XXXVI. Cum aliquid vt bonum reſpectu noſtri id eſt, vt nobis conueniens repraeſentatur, id ſui amorem, malum, odium excitat.

XXXVII. Ab eadem conſideratione boni et mali naſcuntur ceterae paſſiones, quae ſecundum tempora diſtingui poſſunt.

XXXVIII. Si poſſumus ſperare et metuere, licet euentus rei expectatae a nobis nullo modo pendeat, procedit inde animi fluctuatio, qua diſponimur ad deliberandum et conſultandum. Etiam in hac aſſertione confudit Carteſius operationem intellectus, cum actione voluntatis. Is enim fluctuat, qui de nexu idearum certus non eſt, nec aſſenſum dare poteſt. Verum vix aliter ratiocinari poterat Carteſius, cum ſemel ſtatuiſſet, quicquid actiuum in mente eſt, non ad intellectum, ſed ad voluntatem pertinere.

XXXIX. Conſideratio praeſentis boni excitat in nobis gaudium, praeſentis mali triſtitiam.

XL. Bonum, quod a nobis ipſis praeſtitum fuit, dat nobis acquieſcentiam interiorem, quae omnium aliarum paſſionum dulciſſima eſt. Aut confundit in hac aſſertione animi tranquillitatem ſiue εὐθυμίαν, cum laetitia [a], aut perperam in affectuum ſiue commotionum animae numero id ponit, quod illarum finis et ſtatus contrarius eſt.

XLI. Non dantur niſi ſex primitiuae paſſiones, nimirum, admiratio, amor, odium, cupiditas, laetitia et moeror: caeterae omnes ex his componuntur.

XLII. Admirationis cauſſa eſt in ſolo cerebro, reliquorum etiam in corde, in liene, in iecore, et in omnibus aliis partibus corporis, quatenus inſeruiunt productioni ſanguinis, et deinde ſpirituum.

XLIII. Languor eſt diſpoſitio, ad relaxationem et ceſſationem omnis motus, quae ſentitur in omnibus membris, induciturque a paſſionibus violentis, et tendit tandem in animi deliquium. Satis prodidit Carteſius, de tremore, languore, lipothymia, riſu, lacrymis etc. fuſe differendo magis ſe ad phyſicam quam moralem indolem affectuum reſpexiſſe. Vnde recte nonnullis iudicatum, tractationem hanc de paſſionibus animae magis ad phyſicam quam ethicam Carteſianam eſſe referendam. Certe quae prolixe de motibus paſſionum in corpore diſputat, phyſica tantum ſunt, et animae functiones non tangunt.

XLIV.

a) Id ex P. III. art. 190. ſatis clare patet.

XLIV. Paſſiones ſecundum inſtitutum naturae referuntur omnes ad corpus, nec animae imputantur, niſi quatenus corpori iuncta eſt: adeo vt earum vſus naturalis ſit incitare animam, ad conſentiendum et contribuendum iis actionibus, quae inſeruire poſſunt conſeruando corpori aut illi aliquatenus perfectius reddendo.

XLV. Quamuis vſus paſſionum ſit maxime naturalis, non ſemper tamen bonus eſt, cum multa ſint corpori noxia, quae nullam ab initio triſtitiam, immo quae aliquam laetitiam praebent; et alia dentur ipſi vtilia, quamuis primo obtutu incommoda et triſtia ſint. Bona et mala quoque multo maiora repraeſentantur quam ſunt. Idcirco experientia vti debemus et ratione ad diſtinguendum bonum a malo, et eorum iuſtum valorem cognoſcendum, ne vnum pro alio ſumamus, aut quidpiam cum exceſſu ſectemur. Maior vſus redundat ad animam.

XLVI. Quae nullo modo a nobis pendent, quantumuis bona queant eſſe, nunquam feruide appetenda ſunt, quia occupando noſtras cogitationes abducunt ſtudium noſtrum a rebus aliis, quarum acquiſitio pendet a nobis.

XLVII. Saepe itaque debemus reflectere ad diuinam prouidentiam, et cogitare, impoſſibile eſſe, aliquod euenire alio modo, quam ab aeterno ea determinauit, vt illa ſit inſtar fati vel immutabilis neceſſitatis, quae opponenda eſt fortunae, ad eam ſubruendam, vt chimaeram, quae non aliunde, quam ex errore intellectus noſtri prouenit.

XLVIII. Quia maior pars cupiditatum noſtrarum ſeſe extendit ad res, quae totae a nobis non pendent, nec totae ab aliis debemus exacte diſtinguere in illis, quod non niſi a nobis pendet, vt ad id ſolum noſtram cupiditatem protendamus [b].

XLIX. Quoad reſiduum etſi eius ſucceſſum cenſere debeamus fatalem et immutabilem, nec citra illud ſe occupet noſtra felicitas, conſiderandae tamen ſunt rationes, ex quibus plus vel minus ſperari poſſit, vt inſeruiant dirigendis noſtris actionibus.

L. Ita vero cupiditas noſtra in eo debet expleri, cum eam ſequuti fuerimus, quicquid inde mali nobis obuenerit, quia cum hoc malum fuerit reſpectu noſtri ineuitabile, nulla ſubfuit cauſſa optandi, vt ab illo eximeremur, ſed ſolummodo id faciendi, quod optimum intellectus noſter potuit cognoſcere.

LI. Noſtrum bonum et malum pendet praecipue a commotionibus internis, quae non niſi ab ipſa anima in ea excitantur: in quibus differunt ab his paſſionibus, quae ſemper pendent a quodam motu ſpirituum. Id quod ex laetitia intellectuali intelligi poteſt, quam etiam ex paſſionibus triſtibus capimus.

LII.

b) Haec Stoica eſſe, et Stoico fundamento de fati neceſſitate inniti, vel ex vno EPICTETI Enchiridio patet. Recteque obſeruatum LEIBNIZIO Epp. Vol. IV. p. 37. plurimum fauere Carteſium Stoicis.

LII. Omnes tumultus, qui aliunde veniunt, nullam vim habent nocendi animae noſtrae, modo ſemper ſatis habeat apud ſe, vnde contenta ſit, ſed potius auget eius laetitiam. Vt autem anima noſtra ita contenta ſit, nihil aliud debet, niſi virtutem ſectari.

LIII. Quicunque ita vixit, vt conſcientia ſua ei exprobrare nequeat, ipſum vnquam neglexiſſe ea facere, quae meliora iudicauerit, is virtutem ſectatus eſt, et inde percipit ſatisfactionem, quae tam potens eſt ad eum felicem reddendum, vt violentiores motus affectuum nunquam ſat habeant virium ad turbandam tranquillitatem animae ipſius.

LIV. Omnes paſſiones natura ſua bonae ſunt, nihilque nobis vitandum ex illis praeter earum prauos vſus aut exceſſus.

LV. Remedium generale contra omnes exceſſus affectuum eſt, quod vbi ſentitur ſanguinis commotio, praemoneri et meminiſſe oporteat, omnia quae ſeſe imaginationi offerunt non alio ſpectare, quam ad animae deceptionem: cum itaque paſſio ea demum perſuadet, quorum executio dilationem patitur, abſtinendum a ferendo de illis exemplo iudicio, et alio vertendae ſunt cogitationes, donec tempus et quies plane ſedauerint commotionem quae eſt in ſanguine. In actionibus autem, de quibus conſilium ſumendum ex arena, debet voluntas ferri ad rationes contrarias paſſioni.

LVI. Delectationes animae cum corpore agentis pendent plane ab effectibus.

LVII. Etſi beſtiae ratione careant, et forte omni cogitatione omnes tamen motus ſpirituum et glandis, qui excitant in nobis paſſiones, in illis quoque ſunt, et inſeruiunt conſeruandis et confirmandis, non vt in nobis, affectibus, ſed motibus neruorum et muſculorum, qui eos comitari ſolent [c].

Etiam hoc inter ſingularia Carteſii dogmata eſt, bruta non niſi machinas corporeas eſſe, et ſimilitudine tantum nonnullas animae operationes effingere. Quod tamen non primus excogitauit, ſed ante eum iam venditauit ſcriptor Hiſpanus παραδοξόλογος GOMEZ PEIRERA, in *Margarita Antoniana*, vnde a nonnullis plagium ei obiectum, vt obſeruatum P. BAYLIO [d]. Aſt forte praeter rem; ipſa enim cogitationis natura ſiue ſubſtantia cogitans, quam homini tribuit, et ex qua immaterialitatem et immortalitatem animae deriuauit, pati non potuit, vt animam immaterialem brutis adſcriberet, quam hos effectus edere non poſſe, et plane impoſſibilem eſſe inde ſequebatur, vnde recte concluditur, vi ſyſtematis hanc ei theſin enatam eſſe. Ita enim coactus eſt, bruta pro meris nudisque machinis habere, licet aliquo loco [e] probabilitatem tantum opinioni ſuae aſſerat. Secuti ſunt magiſtrum magno numero ſectatores Schuylius, Le Grand, Cordemaeus, Rohaltius, Poiſſonius, Geulincxius, quorum loca notat P. BAYLE [f]. Fatendum tamen opinionem, quae parum probabilitatis

c) P. I. art. 50. p. 21. Quae fuſe repetit de Methodo p. 47. et in epp. P. I. ep. 54. p. 107. ep. 67. p. 188. P. II. ep. 2. p. 6.

d) Dict. T. III. art. Pereira p. 650.

e) Ep. 67. ad Henr. Mor. p. 188.

f) l. c. et art. Rorarius not. D.

litatis habet, et paralogismo nititur, deseruisse, saltem suspectam habuisse Cartesianos nonnullos, interque eos, praeter Craanium, Medicum, Leidensem [g]; ipsum REGISIVM [h] qui maluit ἐπέχειν. Qui autem Cartesium refutasse videri voluit Iesuita PARDIES [i], defendisse potius et rem bonam pessime egisse a sodalibus iudicatus est [k]. Specioso tamen argumento non metaphysico tantum, quod a natura cogitationis humanae menti propria deriuauit Cartesius, sed physico quoque ab artificiosissima organorum, sensibus motibusque imprimis inseruientium structura, corporumque in eadem organa agentium impulsu desumto, pro hac thesi Cartesiani pugnant; quibus argumentum ab experientia petitum, et actiones brutorum rationales enarrans, quod post alios [l] HIERONYMVS RORARIVS [m] comsit, aduersarii opponunt, et ad eas brutorum actiones prouocant, quae facultatem res percipiendi, occasione praesentium praeteritas reuocandi in memoriam, et secundum imaginationes agendi, inuoluunt. De quibus tamen hoc loco dispicere pluribus non licet, adeunda autem sunt, quae eleganter differunt doctissimus GEORG. HENR. RIBOVIVS [n], et qui cuncta strictim, et, more suo, erudite persecutus est Cel. HOLLMANNVS [o].

Iudicium Leibnizii de Cartesio.

§. LIII. Potiora haec sunt, quae de philosophia rationali, naturali et morali scripta reliquit Cartesius. Discurrit haud raro in epistolis ad alia, sed cum systematico ea nexu non exposuerit, atque inter differendum tantum asseruerit, haud raro sibi non constat, vt vel ex vna eius de virtute doctrina incerta et dissona intelligi potest. Quare plura in praesentia, vbi specialem Cartesianae philosophiae historiam non scribimus, non addimus, lampada hanc, multum lucis recentioris philosophiae historiae illaturam aliis relinquentes. Nec prolixa quoque dissertatione post ea, quae fuse supra attigimus, de pretio, vsu et naeuis Cartesianae doctrinae agendum esse putamus, cum tantum allatum sit, quantum ad ferendum iustam sufficit sententiam. Addamus tamen viri summi G. G. LEIBNIZII censuram, eo magis audiendam, quo magis laudandum, esse in Cartesio, quod laude non caret, ast notandum quoque, quod improbandum est, aliquoties [p] monuerit, et hoc pacto aequitatem probauerit. Is de Cartesio eiusque conatibus philosophicis ita differit [q]: „Sub„iiciam nonnulla, quae mihi inter cogitata Cartesio ipsi debita imprimis „laudanda videntur. In metaphysicis argumenta Scepticorum ad bonum „vsum

g) BAYLE l. c. conf. quae de hac lite notat. Nouvelles de la rep. des lettres 1684. p. 19.
h) Inst. phil. L. VII. P. II. T. V. p. 126.
i) De la connoissance des bêtes.
k) Suite du voyage du monde de Mr. des Cartes pag. 9. 10.
l) BAYLE art. Rorarius.
m) Quod animalia bruta saepe ratione melius vtantur homine; edidit libellum G. NAVDAEVS 1645, recudi fecit, G. H. RIBOVIVS Helmst. 1728.
n) In Disp. praemissa libro Rorarii, de anima brutorum.
o) Pneumatolog. c. 5. §. 247. seqq. p. 409. seqq. add. Dissertationes vernaculae nuper a Cl. WINCKLERO Lipsiae 1741. de hoc argumento editae.
p) Leibniziana p. 340. 350, Recueil de philos. T. II. p. 135. Theodicée passim. Epp. Vol. I. ep. 160. 176. 195. 200. Vol. II. p. 123. Vol. IV. p. 14 39.
q) In Iudicio de Cartesio apud THOMASIVM Hist. Sap. et Stult. T. II. p. 119. et Vol. III. Epp. p. 388. seqq.

„vſum praeclare traduxit. In Phyſicis agnouit materiae partes aliquas „actu ſubdiuidi ſine fine, item motum ſeu loci mutationem eſſe aliquid „in ſe relatiuum. Debetur ipſi vorticum a veteribus coeptorum diſtincti„or explicatio, et ad philoſophiam Gilberti [r] magneticam applicatio. „Tentamentum praeclarum circa aeſtum maris, explicatio iridis aliorum„que emphaticorum, et ſpecimen elegans ratiocinandi circa geneſin ſalis. „Et in multis aliis etiam, vbi non aſſentior, ipſum philoſophandi filum „mirifice placet, et ſane vix pagina apud eum occurrit, vnde non vtile „aliquid et nouum diſci poſſit; itaque in referendis his ſum parcior. De„nique addam aliqua, quae nonnihil offendunt. Quantitatem motus „pro quantitate potentiae motricis accepit et ideo ſeruandam pu„tauit. Materiam cum extenſione confudit; vnionem ſeu firmi„tatem a quiete deriuauit, quae a motu eſt. Elementa ſua, globulos „imprimis, quos vocat, ſecundi elementi et particulas ſtriatas aliaque ſi„milia gratis confinxit et fruſtra. Vortices creauit immenſa celeritate di„ſtantiis proportionali. Porro brutis ſenſum negat, fictorum potius „quam verorum animalium geneſin explicat. Et vt ad grauiora veniam, „reiecit argumentum diuinitatis a prouidentia et dignis ſapiente finibus „rerum, et pro rationibus captu facilioribus metaphyſica ſola ſubſtituit. „Dubitationem ad ipſas primas aſſertiones maxime manifeſtas, neſcio quo „conſilio produxit, quaſi nihil certo ſciri poſſit, niſi ſuppoſita Dei exi„ſtentia, quod ipſum credidiſſe, nemo credet, aut quaſi veritas ipſa pen„deat ab arbitrio Dei, ita vt voluntate eius conſtitutum, trianguli tres „angulos eſſe duobus rectis aequales. Inſinuaſſe videtur, vnum in re„bus actorem eſſe Deum, quo abuſus Spinoza, vnam tantum ſubſtantiam „in rebus eſſe voluit, ipſum ſcilicet Deum hoc eſt naturam vniuerſi, cu„ius ceterae ſint modi materiae. Statuit etiam Carteſius, materiam „omnes ſucceſſiue formas accipere, ita vt nihil tam abſonum fingi poſſit, „quin tandem aliquando aut alicubi in vniuerſo contingat, quod eſt haud „dubie per conſequentiam omnem ſapientiae et pulchritudinis rationem „ne dicam prouidentiam tollere: quanquam ipſi hanc conſequentiam non „imputem, nec ab ipſo animaduerſam ſperem; aliaque huiusmodi, quae „puto defendi non poſſe, et nonnihil Spinozae praeluſiſſe.

§. LIV. Examinandam Lectori relinquimus cenſuram Carteſii Leibnizianam, quam, cauſſabuntur, qui pro Gallo philoſopho militant, nimis virum illuſtrem ſuis hypotheſibus adaptaſſe. Illud dubio carere exiſtimamus, multa vidiſſe Carteſium, vel plane non viſa, vel non recte deprehenſa ab aliis; multa ab iis, qui anteceſſerunt accepta longe melius et elegantius tradidiſſe, ingenium probauiſſe admodum felix et foecun- *Deſiderata in Carteſii Philoſophia.*

r) Guil. Gilberto, philoſopho Anglo, qui teſte Haruaeo in explorandam magnetis naturam quinquaginta nummorum millia impendit, debemus philoſophiam nouam de Magnete Amſt. 1600. fol. editam, in qua demonſtrauit virtutem magneticam terreſtri globo a natura inſitam terramque magnum eſſe magnetem. Huius obſeruationibus innixus eſſe viſus eſt Carteſius. Conf. I. B. du HAMEL de corporum Affect. I. II. c. 6. p. 193.

dum, ratiocinandique ſolertia ductum plurimum profeciſſe. Aſt fatendum quoque, ad incerta haud raro immo conficta penitus, et nulla veriſimilitudine ſe probantia principia eum confugiſſe, quin a recta regiaque via incautos lectores deducendo in deuia, nulla ratione ex labyrintho emergendi filum ſuppeditantia, fuiſſe digreſſum. Tacemus prima, quae toti philoſophiae ſuae ſupponit, fundamenta, falſa, vel ficta tamen, vt ipſe conceſſit hypotheſi nixa, palatium inaedificatum habere ſplendidum quidem, aſt facile ruiturum. Quod ne onerandae tantum virum inuidiae cauſſa dixiſſe videamur, omiſſa iam de dubitatione ab eo inculcata diſputatione, de qua ſupra dictum, ad vnum lepidum dogma prouocamus, quo cunctas rerum naturas non ab intellectu diuino, ſed voluntate deriuat. Scribit enim [r]: „Repugnat Dei voluntatem non fuiſſe ab aeterno indiffe„rentem, ad omnia, quae facta ſunt, aut vnquam fient, quia nullum bo„num vel verum, nullum credendum, vel faciendum, vel omittendum „fingi poteſt, cuius idea in intellectu diuino prius fuerit, quam eius vo„luntas ſe determinarit, ad efficiendum, vt id tale eſſet. Neque hic lo„quor de prioritate temporis, ſed ne quidem prius fuit ordine, vel natu„ra, vel ratione ratiocinata, vt vocant, ita ſcilicet, vt iſta boni idea „impulerit Deum ad vnum potius, quam aliud, eligendum.“ Ex quo ſequitur, omnipotentiam Dei etiam ad contradictoria extendi, libere enim fatetur [s]: *Non opus eſſe quaerere, qua ratione Deus potuiſſet ab aeterno facere, vt non fuiſſet verum, bis quatuor eſſe octo; id a nobis non poſſe intelligi.* Nec obſtat, quod alio loco [t] naturas rerum aeternas et immutabiles eſſe dixerit: hoc enim reſpectu hominum, non vero potentiae diuinae eum affirmauiſſe, ex diſſertationis Carteſianae ſerie eluceſcit. Aſt infirmum hoc eſſe, et tanti acuminis philoſophum indecens, intelliget, quisque vel primas notiones comprehendit; recteque pronunciauit Cvdworthvs [u], *pueros tam inficetis et ſtultis immenſam virtutem Dei cogitationibus contaminare, nec decuiſſe Carteſium, philoſophum ceteroquin ſubtilem et peracutum horum imbecillitatem et delirationem imitari.* Et certe mirandum haud obeſae naris virum ad hanc opinionem potuiſſe delabi, vnde facile nobis perſuaderi patimur a Io. Clerico [x], cum et ſequaces, qui in eandem opinionem conſenſerunt, propter vtilitates quasdam, quas ad ſe redituras putabant, hanc ſententiam propugnaſſe, et ita loquutos fuiſſe, vt ne fidem dogmatibus theologicis eccleſiae ſuae detrahere viderentur: cum enim ſtatuiſſent, eſſentiam corporis in extenſione eſſe ſitam, id non potuiſſe cum transſubſtantiatione conciliare, niſi eſſentias rerum, diuina potentia, eſſe mutabiles dixiſſent. Quamuis hac cauſſa etiam non conſiderata, certum ſit, ineptum praeiudicium, quod ſupra iugulauimus; omnem actionem, et hinc omne quoque

r) Reſponſ. ad Obiect. 6. p. m. 139.
s) §. 8. p. 141.
t) Med. 5.
u) Syſt. intell. c. V. ſ. 1. §. 21. p. 767.
x) Ontol. c. IV. §. 8. conf. c. XIV. §. 11.

que iudicium non ad intellectum, sed ad voluntatem pertinere, quae liberrima sit, hunc errorem gignere potuisse, vt acute vidit LEIBNIZIVS y. Quaecunque autem erroneae opinionis caussa sit, certe specimen haud leue est, ex quo colligamus, magnum cetera virum suos quoque manes fuisse passum, et talia affirmauisse, quae inter elementa philosophica ferri non possunt.

§. LV. Grauius, quod Cartesio obiicitur, ἔγκλημα quod apud multos haud parum infamiae eius nomini alleuit, est atheismus, cui si non directe, indirecte tamen fauisse, in suspicionem a nonnullis adductus est. Et viuo quidem Cartesio impietatem a factione Voëtiana fuisse obiectam, supra in eius vita enarrauimus. Eo autem fatis functo non defuerunt, qui Cartesianismum atheismi scholam esse dicerent; praesertim vbi Benedictus de Spinoza Cartesianis definitionibus et hypothesibus ad incrustandum atheismum vsus fuisse videri coepit, qua de re quid inter Ioannem Regium contra Cartesium et Ruardum Andalam pro Cartesio disputatum, supra tetigimus. Calcauit Regii vestigia AVBERTVS DV VERSE z, quibus addi possunt Spizelius et Osiander apud G. ARNOLDVM a et I. F. REIMMANNVM b, PHILARETVS personatus c, VALENTINVS GREISSINGIVS d, et notissimae foeminae Schurmannia et Bourignonia e, vt alios supra ex parte iam nominatos taceamus f. Absoluere tamen ab hac iniuria Cartesium haud pauci contenderunt, inter quos apologiam pro Cartesio contra Parckerum scripsisse Grandium supra quoque innuimus g. Sed et tertia virorum doctorum pars est, quae cum probe vidisset, Cartesium Dei existentiam atque discrimen inter corpus et mentem essentiale fundamenti instar ad exstruendam nouam, quam meditabatur, metaphysicam vel philosophiam primam adhibuisse, ab atheismi quidem crimine eum liberauit: ast reprehendit tamen, talia eum interdum affirmauisse, quibus incaute viam impietatis patronis strauit, quaeque frigidam illis suffundere apta sunt. Ita de Cartesio statuisse magnos viros Morum, Cudworthum, Leibnizium, ex supra dictis constat. Addi his possunt, qui de religione, scepticismo, et atheismo Cartesio obiecto erudite disseruerunt RITTERVS, FEVERLINVS, BECKHERVS h alii. Nobis, si more nostro sententia dicenda, omnes aequitatis leges migrarunt, qui atheismi data opera incrustati eum accusarunt, cum contrarium meditationes eius legentibus sit manifestissimum. Tolle enim existentiam DEI, tolle essentiale inter corpus atque mentem discrimen,

Carteſius an atheiſmi fautor?

y) Theodicée P. II. §. 185.
z) Impie conuaincu, conf. BAYLE Lett. T. I. p. 190. ed. Marchand.
a) Hist. eccles. et haeret. P. II. L. XVII. c. 20. p. 504.
b) Hist. atheismi p. 413.
c) In Dedic. ethicae Geulingii.
d) Exerc. duabus de Atheismo contra Cartesium et Matth. Knuzen Witteb. 1677. 8.
e) Conf. BAYLE Dict. T. I. p. 649.
f) Conf. laudati STOLLIO Hist. lit. P. II. c. 3. §. 28. p. 597.
g) Conf. nominati REIMMANNO l. c.
h) Ll. cc. add. MORHOF. Polyhist. T. II. p. III. seqq. BVDDEVS de Atheismo c. I. p. 152. GVIL. DERHAM Theol. phys. L. V. c. 1. p. 385.

annon tota peribit philoſophia Carteſii? Nec illi quoque audiendi eſſe videntur, qui propter phyſiologiam ex ſolis mechaniſmi legibus exſtructam hanc ei turpem notam inurunt. Quamuis enim melius forte feciſſet, ſi ad cauſſam quoque efficientem rationalem eiusque fines reſpexiſſet, cauſſam tam materialem tantum, conſiderando peccare in Deum eo minus potuit, quo minus mechaniſmus ab eo ſuppoſitus conſtare poteſt, niſi ſupponatur, certam motus quantitatem a Deo materiae inditam, certisque legibus eum motum alligatum eſſe. Aſt quamuis haec ita ſe habeant, et ex atheorum clandeſtinorum numero ſit expungendus, dolemus tamen non malo quidem ſcopo, at inaduertentia quadam nonnulla afferuiſſe Carteſium, quae a profanae mentis philoſophis non adhiberi modo in impietatis patrocinium poſſunt, ſed et adhibita quoque ex parte ſunt. Qualia ſunt, ſcepticorum dubia maxima vi inſtructa, ſenſuum fallacia vsque ad abſurdum extenſa, veritates primae certae, et naturae ſuae euidentes dubitationi obiectae, potentia DEI ad contradictoria relata, actionis omnis cauſſa vera ad vnum Deum reſtricta, eſſentia ſpiritus in cogitatione poſita, confuſa rerum eſſentia cum modis eſſentialibus, aliaque. Quarum tamen aſſertionum conſequentias ab atheiſmi fautoribus impie in vſum traductas cum non praeuiderit, multo minus intenderit Carteſius, ignoſcendum ei magis hoc eſſe, quam exprobrandum, aequus quilibet facile conceſſerit. Ceterum non nihil fanaticiſmi in Carteſii philoſophia quoque occurrere illis videri oportet, qui cum Pythagorae et Platonis placitis eam comparauerunt. Obſeruauit id praeter CVDWORTHVM [i], ὁ πάνυ LEIBNIZIVS [k], monuitque dogmata eius methaphyſica circa ideas a ſenſibus remotas, et animae diſtinctionem a corpore, et fluxam per ſe rerum materialium fidem prorſus Platonica eſſe. Addi his forte poſſent plura, niſi ſatius eſſet ab eiusmodi comparatione abſtinere. Non omittendum tamen Carteſium, dum actionem omnem ad Deum velut cauſſam vnicam et immediatam refert, occaſionem dediſſe, ad quendam enthuſiaſmum digrediendi. Quod qui negat, eum vel ſyſtema cauſſarum occaſionalium, vel hypotheſes alias Mallebranchianas, praecipue de origine idearum animo meditari atque expendere iubemus. Adeo in rebus humanis nihil eſt ab omni parte beatum perfectumque.

i) l. c. p. 192.

k) Memorabile, quod refert LEIBNIZIVS in Diſſ. de Stilo phil. Nizolio praemiſſo, et Epp. Vol. II. p. 106. habere ſe ex narratione doctiſſimorum virorum, ipſum illum magnum Carteſium non mediocriter confuſum fuiſſe, quum eſſet ei monſtratum, complura eius philoſophemata, quae nouiter inuenta putabat in Platone et Ariſtotele quorum tamen ille contemtum praeferebat, tum in naturalibus, tum in ciuilibus tradita clare, contineri cf. Vol. IV. p. 48.

❁ ❁ ❁

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

DE GODOFREDO GVILELMO LEIBNIZIO.

§. I.

Produximus hactenus in scenam viros summos quos emendandae philosophiae genuit Italia, Anglia, Gallia, quoue euentu in formandis veris eius vultibus sedulitatem atque ingenium probauerint, pro instituti modo enarrauimus. Restat Germania nostra, quae tantae felicitatis, quantam vera de rebus ad cognitionem humanam pertinentibus cura promittit, memor serius quidem, quam reliquae Europae regiones, at satis eleganter exoptatoque successu in restituenda philosophia eclectica desudauit. Cui par tanto conatui largita est prouidentia diuina ingenium, GODOFREDVM GVILELMVM LEIBNIZIVM; quem si reliquis, quos vnquam orbis literarius produxit, heroibus adnumeremus, et inter maximos aetatis recentioris viros collocemus, nihil faciemus, quod non recte nos feciſſe, et ciuitatis eruditae consensio, et sequens viri summi demonstrabit historia. Tanta enim tamque ingentia sunt viri famigeratissimi, et non πολυϊστορίας tantummodo laude celeberrimi, sed matheseos quoque et philosophiae cognitione admirandi merita, vt quantum ex eo ornamenti ad patriam, quantum vtilitatis ad literas omnes, maxime ad philosophiam, et quae cum ea conspirat mathematicam disciplinam accesserit, nemo ignoret, qui non rerum in orbe erudito gestarum plane rudis est atque hospes. Is cum post Cartesium nouam philosophiae faciem valde memorabilem effinxerit, inter restauratores philosophiae eclecticae suo iam merito est enarrandus.

Germaniae industria in excolenda philosophia eclectica.

§. II. Tanta cum laude artibus propemodum et disciplinis omnibus illustrandis, augendis, emendandis per totam septuaginta annorum vitam insudauit illustris Leibnizius, vt et viuus ignoraretur a nemine, de scientiarum fatis curioso, et post fata non deessent, qui viri summi historiam, meritaque de literis commentariis exponerent. Quod saxum voluendum sibi delegerat ipse Leibnizius, qui ad PELLISSONIVM [a] historiam vitae, morum, laborum et cogitationum transmisit, quam in vulgus non exiisse eo magis dolemus, quo magis in explorandis ingenii animique viribus atque moribus maximam vir summus perspicaciam probauit, in epistolis autem ad amicos scriptis luculenter prodidit, eam sibi φιλαυτίας vim atque imperium non ineſſe, quod vel veritati officeret, vel inanem ipsi gloriae sine meritis affectationem commendaret. Fatis functus, cum maximum sui desiderium reliquisset in eruditorum animis vir incomparabilis,

Scriptores historiae Leibnizianae.

a) Vid. PELLISSON Lettres de la tolerance p. m. 319.

bilis, nonnullorum in eo versata est industria, vt biographiam eius luci publicae sistendo illud aliquatenus lenirent, et quid in eo amiserint literae, quantisque per eum accessionibus auctae fuerint, accurate docerent. Fecerunt id, satis erepto Leibnizio, plerique, qui commentarios de rebus literariis, tum edidere: laudabili exemplo praeeunte, quae nostri patria fuit Lipsia, in quo bonarum mentium optimarumque scientiarum emporio, post *Noua literaria* [b], singulis hebdomadibus vulgari solita praestantissimi *Actorum eruditorum* collectores [c] Leibnizianam memoriam, condito ex more elogio immortalitati consecrarunt. Qui cum scire res magni viri potuerint, quocum familiariter vixerunt, et prolixe quoque eas exponendi occasionem habuerint, nobis ante omnes duces eligendi sunt, vt, quis in orbis literati theatro fuerit Leibnizius intelligi possit. Quamuis enim prolixiora dare et ex instituto summi mathematici et philosophi historiam conscribere susceperint VV. CC. SEBASTIANVS KORTHOLTVS [d], Io. GEORGIVS ECKARDVS [e] et DANIEL EBERHARDVS BARINGIVS [f], nihil tamen hactenus eorum lucem vidit. Secuti sunt acta eruditorum scriptores ephimeridum literariarum [g] alii, certatim in id connitentes, vt defuncti memoriae iusta soluerent et nominis eius gloriae calamos suos dicarent. In quo tamen pietatis et humanitatis officio nemo superasse censeri potest, elegantissimae eruditionis virum BERNARDVM FONTENELLIVM. Cum enim diu academiae scientiarum, quae regiis auspiciis Parisiis floret, membrum fuisset Leibnizius, atque ex more laudatissimo eius ad lares meliores translati vita, merita, laudes in consessu academiae essent enarrandae, instructus notitia de tanto viro ab Eccardo Leibnizii familiari vir facundissimus, elegantissimum herois incomparabilis elogium anno CIↃIↃCCXVII, Id. Nou. recitauit. Quod cum plausu omnium exceptum *Historiae illustris societatis* a se conditae inseruisset Fontenellius, nostris quoque hominibus vernacula legendum traditum et *Theodiceae Leibnizianae* [h] cum obseruationibus nonnullis adiectum est. Cuius editio cum recuderetur, adiectae sunt annotationes tum ab Eccardo, tum ab anonymo, quem Baringium esse, verisimillimum viris doctis [i] visum est. Quamuis autem ab homine familiari, rerumque Leibnizii peritissimo memoriae istae profectae sint, quibus vsus est Scriptor Gallus, dolendum tamen, et elogii indolem obstitisse Fontenellio, quo minus iustam tanti viri historiam conderet, et relationes nonnullas suspectas, quasdam falsas esse. Tacemus alios, qui vitam Leibnizianam pro scopo instituti sui tetigerunt, quod post Io. FABRICIVM [k], IOACHIMVM FRIDERICVM FELLERVM [l], CHRISTIANVM

b) 1717. p. 369.
c) 1717. Iul. art. 12. p. 312. seqq.
d) Noua lit. Lipſ. 1719. p. 80. Is imitaturus erat Gassendianam vitam Peirescii.
e) Elogium FONTENELLII, l. c. de quo tamen dubitat anonymus obseruator ad h. l.
f) Nou. lit. 1723. p. 374.
g) Journal des Savans 1717. Dec. art. 5. Europe savante 1718. Nou. art. 7. Mem. de Trevoux 1721. art. 3.
h) p. 142. seqq.
i) Cl. LVDOVICI l. citando c. 1. §. 4. p. 4.
k) Hist. bibl. suae Vol. I. p. 317.
l) Is Otio Hannouerano additiones ad vitam Leibnizii in A. E. enarratam praemisit. Fuit autem is quoque ex familiaribus Leibnizii.

NVM GRVNDMANNVM [m], FRID. GENTZKENIVM [n], IAC. FRID. REIMMANNVM [o], THEOPH. STOLLIVM [p]. Germanos ex Gallis fecit elegantissimus NICERONIVS [q]. Horum tamen omnium studium cum imperfectum merito visum fuerit, magno eruditi orbis commodo et plausu integram atque suis numeris absolutam Leibnizii historiam scribere suscepit vir eruditissimus, et de philosophiae recentioris historia praeclare meritus CAROLVS GVNTHERVS LVDOVICI. Debemus indefessae diligentiae et pulcherrimae eruditionis viro prolixos commentarios *de Philosophia Leibniziana* [r], (ita enim inscriptio habet,) quos tamen historiae Leibnizianae philosophiae prodromum tantum et delineationem ampliorem esse voluit, illam suo tempore plenissimam descripturus. Adeo vero in iucundissimo et erudito libro accurationem, ordinem, perspicuitatem et fidem praestitit vir doctissimus, vt ad hunc vnum fontem lectorem tuto ablegare possimus, ceteras vnde sua hausit auctor, scaturigines ex eo facile reperturum, idque vnum doleamus, Latino sermone non exaratum istum librum esse, vt quantus vir fuerit Leibnizius, etiam exteris inde luculentius constet. Nos secundum leges instituti nostri consultis virorum doctissimorum, quos nominauimus, laboribus, ipsa quoque Leibnizii scripta, maxime *Epistolas* ab eruditissimo CHRISTIANO KORTHOLTO edita [s], et *Collectanea* ex ore viri summi a Cl. FELLERO hausta [t], quaeque in ephimeridibus passim occurrunt, ad Leibnizii historiam pertinentia consulemus, et breuem quidem ac succinctam vt scriptionis nostrae modus postulat, veram tamen et a partis studio alienam dabimus illustris philosophi historiam.

Natiuitas et educatio Leibnizii.

§. III. Edidit polyhistorem Leibnizium Lipsia, tot ingeniorum praeclarissimorum mater et altrix, anno CIↃ IↃ C XLVI, IX. Cal. Iul. st. v. parentibus familiae decoribus [u], et literarum meritis conspicuis, patre Fridericо Leibnizio, facultatis philosophicae assessore, et moralis doctrinae doctore publico viro eruditissimo [x], matre Catharina, Guilelmi Schmuckii, I. V. D. et professoris filia. Cum parentum vterque, et naturali ingenii acumine et reliquis quoque praesidiis abundaret, quibus ad praeclara quaeuis formari solent elegantiora ingenia, feliciori natiuitatis sorte in vrbe tanto successu Musis operante, Leibnizius vti non potuit. Patrem autem sexennis puer amisit, a matre, magnae prudentiae et pietatis foemina rite educatus. Qui cum

m) In Ossibus et cineribus literarum anno 1716. defunctorum p. 16.
n) In Hist. phil. p. 178.
o) Hist. lit. germ. P. III. p. 576. P. IV. p. 147. P. V. p. 262. seq.
p) Hist. liter. P. II. c. I. p. 488. seqq.
q) Memoires T. II. p. 64. Praefixit quoque editioni Amstelodamensi Theodiceae anni 1754. vitam auctoris L. DE NEVFVILLE, quam Latine versam adiecerunt editores Tubingenses nouae versioni Latinae 1739.
r) Lipsi. 1737. 8. II. Vol.
s) Lipsi. 1738-1742. IV. Vol.
t) Edidit ea Otii Hannouerani, s. Miscellaneorum Leibnizianorum titulo Lipsi. 1718. 8. quae tamen, nescio quo iure, displicuere Eccardo. vid. A. E. 1718. p. 214.
u) Enumerat ea LVDOVICI l. c. §. 14. pag. 28. sqq.
x) Programmata in funere publice vulgata et vitam enarrantia legas l. c.

cum paulo adoleſceret, ſcholae Nicolaiticae traditus, diuini quod nactus erat, ingenii ſcintillas praemature prodidit, condiſcipulis non induſtria modo, ſed felicitate quoque ingenii cito ſuperatis. Totus enim in diſciplinarum optimarum ſtudium cum exardeſceret, non contentus lectionibus, quas peritiſſimorum praeceptorum induſtria ſuppeditabat, adoleſcens admodum in patris bibliothecam optimis libris refertam ſe abſcondit, et contemtis riuulis ad humanitatis fontes, ſcriptores veteres Graecos et Latinos, accurrit, iugi lectione atque meditatione ardentem veteris literaturae ſitim reſtincturus γ). Incidit autem in Liuium atque Virgilium, optimos dicendi fingendique auctores, quos cum difficiles nimis tenero adoleſcenti praeceptores diſſuaſiſſent, peruicit tamen ignea vis animi eius, vt vtrumque totum fere deuoraret: tanta memoriae fidelitate, vt ad ſenium vergens, poëtarum principem totum fere atque integrum ex memoria recitare poſſet. Ita vero formata eſt praeſtantiſſima viri ſummi quam in humanitatis ſtudiis poſtea oſtendit, peritia, qua elegantiſſimis ſuae aetatis calamis et proſa et ligata oratione inferiorem ſe non eſſe apud omnes demonſtrauit. Sed et rhetores, poëtas, hiſtoricos, philoſophos, et quicquid bonorum ſcriptorum ei ſuggerebat paterna ſupellex tanta diligentia et iudicandi ſolertia legit adoleſcens praematurae indolis, vt egregia τῆς ἐγκυκλοπαιδείας notitia ei ſuccreſceret, et ante dies virilibus ſtudiis eſſet aptus. Sane eo tempore collegiſſe diuini ingenii virum eas elegantioris literaturae, maxime antiquae, opes, quibus velut gemmis eius ſcripta interſtinguuntur, ex ſcriptis eius in iuuenili aetate editis eſt manifeſtiſſimum. Ita cum ante aetatem animi vis robur eximium acquiſiuiſſet, altius ingreſſus ſtadium ad academicorum ſtudiorum curſum animum applicuit, et quindecim annos natus anno cIↃIↃCLXI, albo academiae patriae nomen dedit. Quo facto dici non poteſt, quantum animorum ſuccreuerit adoleſcenti ignea animi virtute exſuperanti ad proſequendum gnauiter eum curſum, quem intenderat. Igitur lectioni, auditioni, meditationi totus immerſus, non vni literarum generi inhaeſit, ſed quoscunque ſcriptores fors obtuliſſet, ſupra aetatis vires iudicio inſtructus ita legit, vt ſeuere examinaret, et in horrea memoriae longe fidiſſimae referret, quicquid eruditioni futurae poſſet eſſe vtiliſſimum. Ita theologorum, iuris peritorum, medicorum, philoſophorum, auctorumque aliorum, quos eruditionis lumen commendabat, libros nocturna diurnaque manu verſando inexſpectatos inde fructus retulit. Quod ſi difficiliora occurriſſent, ad praeceptorum oracula accurrens auxilium implorabat, quod tamen ex proprio fundo, aciem animi in partes vocando, omnium optime hauriebat. Erat inter eos, a quorum ore pendebat omnium ſine dubio eruditiſſimus Iacobus Thomaſius, cuius excellentiſſimam doctrinam in *antecedente Parte* ex merito deprae-

γ) Act. erud. l. c. et poſt hos reliqui. Inter praecoces ideo eruditos locum ſuo iure poſtulat Leibnizius. De quibus praecocibus eius ſtudiis ipſe plura enarrat Vol. I. ep. 176. p. 276. ſeq. hic omnino legenda, vt ingenii eius excellentia intelligatur.

depraedicauimus. Is cum vaſtiſſimam lectionem cum iudicio accurate copulaſſet, et imprimis veteris philoſophiae, maxime Graecanicae, raro eius aetatis inter Germanos exemplo, eſſet conſultiſſimus, Leibnizium, acerrimi ingenii adoleſcentem ad haec myſteria accurate cognoſcenda maxima dexteritate adduxit [z], ea felicitate euentus, vt in philoſophiae hiſtoria paucos poſtea ſibi pares haberet Leibnizius, mirabile vero ſit, virum tot difficillimis geometrarum et hiſtoricorum laboribus diſtractum tantum in eo eruditionis genere vidiſſe. Candide gratoque animo agnouit Leibnizius, quantum per hunc virum profeciſſet. Cuius rei teſtimonia peti plurima poſſunt ex epiſtolis Leibnizii ad Thomaſium in collectione Kortholtiana occurrentibus [a]. Maxime autem eius rei teſtimonium extare vir ſummus voluit in epiſtola ad hunc praeceptorem ſuum data, quam recuſis eius cura NIZOLII commentariis praemiſit, et in qua de Ariſtotelica philoſophia cum recentiori reconciliabili diſputat, et de Carteſii ſectatoribus iudicat. *In ea enim mire γεῦμα hiſtoriae philoſophicae Thomaſianum extollit, quod quantum inter nudas nominum recenſiones et profundas de ſententiarum connexionibus rationes interſit, oſtenderit, et philoſophiae magis quam philoſophorum hiſtoriam ab eo expectat, teſtatus omnes veterum receſſus eum luſtrauiſſe, et recentiorum inuenta, quando mereantur, non aſpernari; atque illos illuſtrare, hos examinare vnum optime poſſe.* Talem cum Thomaſium iudicaret atque deprehenderet Leibnizius, mirum non eſt in philoſophia addiſcenda plurimum illi tribuiſſe, ſic vt fateatur [b]: *ingratus ſim, ſi tibi in philoſophia multa me debere negem.* Et hanc quoque animi fiduciam poſtea conſeruauit erga Thomaſium Leibnizius, ex quo iucundiſſimum literarum commercium enatum inter vtrumque eſt, quod quantum qualemque diſcipulum educauerit Thomaſius praeclare loquitur. Fallimur autem, aut ex hac cauſſa deriuandum quoque eſt, magnum quod veteribus philoſophis Leibnizius ſtatuit pretium, quos, imprimis Pythagoram et Platonem, praetuliſſe recentiorum plerisque in epiſtolis ad amicos [c] multoties prodidit. Sed vt ad praeceptores Leibnizii reliquos reuertamur, in mathematicis Ioannem Kuhnium, in philoſophia etiam Ioannem Adamum Scherzerum et Fridericum Rappoltum audiuit. Et ille quidem ſcholaſtici acuminis laude tum praeclarus habebatur: hic autem in veteris philoſophiae myſteriis probe verſatus audaciori conatu coeperat ſeruile iugum ſcholaſticae philoſophiae abiicere, vnde meruit a CHRISTIANO THOMASIO [d] cum Io. Chriſtophoro Sturmio primi eclectici nomine laudari, quibus ex merito Leibnizium iam tum addidit perſonatus Realis de Vienna [e]. Tantis viris, quorum doctrinam multiplicem foetus literarii

z) Laudat id ipſe Leibnizius Vol. I. ep. 170. p. 270. cf. Vol. II. ep. 14. p. 142.
a) l. c. Vol. III. p. 22. 50. 45. 48. 49. 55.
b) Vol. III. Epp. p. 43.
c) Vid. Ep. ad Hanſchium Vol. III. p. 64. ſqq. Vol. IV. p. 35. 37. vbi ſe etiam Stoicis plurimum fauere ait. Vol. I. p. 270.
d) Introd. in philoſ. aul. c. 1. §. 93. p. 44.
e) Vid. REIMMANN. Hiſt. Liter. German. Vol III. p. 467.

abunde teſtantur, praeceptoribus vſus, omni ſpe citius profundiusque in artium adyta penetrauit Leibnizius, et futurae magnitudinis haud obſcura indicia prodidit. Id quod latere non potuit Thomaſium, futuram, quam in orbe erudito, obtenturus eſſet, fortunam locumque illuſtrem, noſtro admodum iuueni praeſagientem *f*.

Mora Leibnitii Ienenſis et promotio academica.

§. IV. Ita in patria academia ſeuerioribus diſciplinis rite initiatus ad Muſas Salanas abiit, et in Ienenſi ſchola magnos tum viros Erhardum Weigelium *g*, mathematicarum diſciplinarum peritia inſignem, et Ioannem Andream Boſium *h*, hiſtoriarum doctorem publicum, et criticae artis praeſidio magna cum laude in hiſtoria veteri verſatum, in iurisprudentia autem, cui ſe patris auique materni exemplo addixerat, Ioannem Chriſtophorum Falcknerum duces ſtudiorum habuit. Quos maximo Leibniziani ingenii commodo illi praeceptores obtigiſſe, ſi non ipſo euentu conſtaret, ſatis tamen id diſci poſſet ex laudatiſſimorum virorum doctrina, multis ſpeciminibus inter eruditos tum probata. Maxime autem plurimum incrementorum ad Leibnizianam eruditionem acceſſit, ex lectionibus Weigelii, qui arithmeticae et mechanicae myſteria profundius rimabatur, hisque Pythagoream philoſophiam iungere tentabat *i*. Hoc enim duce vſus Leibnizius, facile in iſta penetralia peruenit, diuini ingenii felicitate adiutus, quae clauſa manſere praeceptori. Cuius exemplum eſſe poteſt arithmetica tetractyos, quam inſtituerat Weigelius, quam ſibi de arithmetices dyaticae arcano cogitandi occaſionem ſuppeditauiſſe, non negat Leibnizius *k*. Et huic quoque praeceptori eius tribuendum videtur, quod eo tempore ad ſyncretiſmum inter veteres et recentiores philoſophos, a quo abhorrebat Thomaſius inclinauerit. Weigelium enim inter Ariſtotelem et nouatores paciſci voluiſſe, ipſe nos docet Leibnizius *l*: qui quanti hunc philoſophum fecerit, loco quodam *m* ſatis teſtatum fecit. Non vero apud Ienenſes virorum doctorum praecepta audiuiſſe contentus, ipſe quaerere veritatem, et nouam viam tentare ſuſcepit, nomenque ideo dedit quaerentium collegio, quod ſodalitium de nouis veritatibus inquirendis maxime tum erat ſollicitum *n*. His ſtudiis auctus et politus in patriam rediit, et priſtina oracula conſuluit, aceptaque prima, quam vocant, laurea, tantum abeſt, vt philoſophiae ſtudium ſepoſuerit, vt duce Thomaſio veterum Graecorum, maxime Platonis et Ariſtotelis commentarios

f) citati.

g) Videndus de eo REIMMANN. l. c. Vol. III. p. 178 IV. p. 61, 136. 153. 181. 248. 251. 387. STOLL. Hiſt. Lit. P. I. p. 323. 335 704. ſqq.

h) V. ZEVMER. Vit. prof. phil. Ienenſ. REIMMANN. l. c. Vol. V. p. 238. ſeqq. STOLLE l. c. p. 156. 262. 723.

i) Edidit eius rei ſpecimen in Tr. Vernaculo: in Deſcriptione arithmetica philoſophiae moralis ſecundum numeros Pythagorae eiusque tetractyn. qui Ienae 1674. 8 prodiit.

k) Epp. Vol. II. p. 491.

l) In Ep. Nizolio praemiſſa, quae etiam Vol. II. Epp. extat p. 133.

m) Apud STOLLIVM Hiſt. Lit. P. III. c. 4. § 17. p. 674.

n) Eam ſocietatem inſtituerat Boſius, vid. STRVVIVS Intr. in Hiſt. Lit. c. 10. § 31. p. m. 521. Eodem tempore florebat etiam Societas Pythagorea Ienae, auctore Weigelio inſtituta, quae de arithmetica Pythagorica ſollicita erat. Etiam huius partem fuiſſe Leibnizium omnino veriſimile eſt.

tarios sedulo euolueret, Scholasticorum cum iis cogitata conferret, et recentiorum inuenta cum illis componeret, maxime autem Cartesiana placita examinaret, profundisque meditationibus ita se immergeret, vt, quod ad Burnetum nobilem Scotum scribit [o], quindecim annorum adolescens, totos dies in sylua oberraret, et disceptationem inter Aristotelem et Democritum institueret; saepius autem, nouis luminibus exortis veterem sententiam exueret. Vt autem vires quoque publico specimine periclitaretur, praeside Iacobo Thomasio *de Principio indiuidui* in arenam philosophicam descendit. Quod argumentum licet ex senticetis Scholasticorum hausturn esset, auctore pro entitate Nominalium contra Thomistarum materiam signatam pronuntiante, in eo tamen et acumen iudicii probauit, et errores ex recepta Scholasticorum sententia oriundos detexit [p], et quam profunde Aristotelis sententiam perspexerit, demonstrauit. Tacemus corollaria, quae ingenium Leibnizii supra iuueniles annos eminens produnt. Istis peractis, et suscepto ad Ioannem Strauchium Brunsuicensem syndicum itinere, redux in patriam honores in philosophia summos more maiorum petiit, meritosque nondum duodeuiginti annos natus, anno cIↃIↃCLXIV accepit: et tum ad iuris legumque disciplinam maiori contentione conuersus Schacherum et Schwendendoerferum ICtos Lipsienses praeceptores habuit. Adeo vero philosophiae deliciis inescatus ab eius penitiori meditatione non destitit, vt magno labore id tum temporis ageret, qua ratione Platonem cum Aristotele conciliare posset. Viribus itaque satis atque eruditione instructus, qui docentis iura publico specimine tueretur, *Quaestiones philosophicas ex iure collectas* in arenam deduxit, ventilandasque viris doctis exhibuit: idem sub Schwendendoerfero in iure suscepit, argumento disceptationis literariae *de Conditionibus* proposito. Addunt *Actorum eruditorum* collectores, etiam in philologico argumento vires tentaturum Leibnizium, *de Scriptoribus Laconicum Lipsii scribendi genus imitantibus* schediasma meditatum multa collegisse, haud iniucunda, editione tamen posthac ab aliis laboribus impedita. Vt vero in philosophica facultate academiae patriae locum aliquando obtinere posset, iuxta leges et statuta *de Complexionibus* [q] publice disputauit. In qua dissertatione anno cIↃIↃCLXVI habita, tum primum paulo clarius emicuit, quam ingenium eius magnitudinem portenderet. Multa enim excelsa, singularia, et profundam meditationem prodentia cum attulisset, maxime veritatum nonnullarum, quas aetate maturior in meridiana luce collocauit, auroram iam tum coelo philosophico induxit. Qua de re vel sola, quae more recepto adiecit,

o) Leibniziana p. 43.

p) Conf. eruditam praefationem, quam disputationis huius actui praemisit I. THOMASIVS inter eius praef. XLIII. p. 246. seqq. In eo testis est, Leibnizium, (17. aetatis annum agentem) ingenium et industriam, iam per hanc sane virescentem adhuc aetatem difficillimis iisdemque prolixissimis controuersiis parem ostendisse

q) Inseruit Dissertationem Vol. II. Epp. p. 48. Cl. KORTHOLTVS.

corollaria exemplum praebent luculentum. Ex qua tractatione [r] enata Leibnizio *Ars combinatoria*, eodem anno edita, *in qua ex arithmeticae fundamentis complicationum ac transpositionum doctrina nouis praeceptis exstruitur, et vsus ambarum per vniuersum scientiarum orbem ostenditur, noua etiam artis meditandi, seu logicae inuentionis semina spargantur.* Adiecit in fine *Demonstrationem existentiae Dei ad mathematicam certitudinem exactam* [s]. Valde placuit ingeniosum scriptum viris passim eruditis, qui probe viderunt, nouas meditationes haud plane nullius vsus in eo aperiri, spargi semina inuentionis, et pulchra multa afferri: multa aliorum παραφράματα acute configi. Quae causa fuit, vt inconsulto licet auctore, anno clɔ Iɔ c xc. Francofurti recuderetur [t]. Id quod tamen valde displicuit Leibnizio, „eo quod libellum non satis esse „limatum, nec praesentibus eius cogitatis ac personae vbique respondentem iudicaret, et veniam olim annis datam, in quibus aliqua interdum „luxuriantis ingenii audacia laudetur, nunc a se peti non posse perspiceret." Vnde in *Actis eruditorum* editionem istam improbari iussit, indicauitque, quibus in articulis meliora iam ipsi arrisissent. Quibus tamen non obstantibus magnae auctoritatis viris labor iste probatus est [u], eo quod ad faciliorem iurisprudentiae methodum cuncta attemperauisset. Talis cum esset, licet vigesimum aetatis annum vix attigisset [x], summos in vtroque iure honores petere ausus est; et obtinuisset eos sine dubio, cum spectatissima iam tum eius eruditio in patria fuisset, nisi lepido errore [y], quem causis arcanis, et quod nondum maturus annis crederetur, tribuunt *Acta eruditorum*, repulsam fuisse passus, a qua ipse iure consultorum ordo sine dubio abhorruisset, si ab eo res tum stetisset.

Studia Leibnizii academica Altdorfii.

§. V. Indignatus hanc iniuriam Leibnizius, de alio loco circumspexit, in quo praeclarae, quam possidebat doctrinae maior ratio haberetur, obtinerique honores diu meriti possent. Ad Noricam ideo, quae Altdorfii floret, academiam eodem anno abiit. In quo itinere, cum alte sibi animo infixisset, quod postea symboli loco adhibuit [z], partem vitae, quoties perditur hora, perire; de emendanda iurisprudentia nouaque atque faciliori methodo introducenda meditatus est, et cogitationes sine librorum apparatu [a], solius mentis beneficio, conceptas in chartam retulit, quas biennio post typis vulgauit. Vbi autem Altdorfii appulisset, ad examen more consueto admissus, ita praeclarissimam eruditionem doctoribus legis,

r) Continet enim initia istius libelli.
s) Eam repetit Cel. Lvdovici l. c. c. 7. p. 315. seqq.
t) 1691. m. Febr.
u) Godofr. Stravchivs Diss. de Syllogismo iuridico §. 5. apud Lvdovici l. c. p. 313. seqq. add. Morhof. Polyhist. T. I. p. 360. seqq.
x) Conf. Vol. ep. 176. 277.
y) Nempe cum in aedibus decani consilii sui indicium ex more facere vellet, ab vxore eius, adolescentiam illius contemnente repulsam passus dicitur. Lvdovici l. c. p. 45. qui recte obseruat, bellum nondum Aristotelicis et scholasticis tum indixisse Leibnizium, vt ea propter impediretur, quam causam nonnulli allegant.
z) Conf. Lvdovici l. c. c. XX. §. 322. Vol. II. p. 228.
a) In itineris diuersoriorumque strepitu destitutus libris, Act. erud. l. c.

legis, qui in ea schola tum viuebant, probauit, vt ad dissertationem inauguralem, secundum academiae statuta sine praeside habendam lubentissime admitteretur. Disputauit viginti annorum iuuenis *de Casibus perplexis in iure* [b] tanto omnium applausu, vt non bonus modo quilibet, de hoc nouo academiae ornamento reipublicae eruditae gratularetur, sed et senatus academicus, egregie consultum isti scholae putaret, si in docentium numerum reciperetur. Obtulit itaque nouo doctori ius atque potestatem legum scientiam extra ordinem docendi: Quam conditionem tamen reiecit, cum aulicam potius anhelaret. Ideo relicta Altdorfio Norimbergam concessit, vt, et viros ibi doctos conueniret, et praeclaros artifices, quibus semper abundauit vrbs celeberrima, inuiseret. Ibi in societatem quorundam incidit, qui in summum chemiae arcanum, (lapidem philosophorum vocant,) inquirebant. Qui cum maxime sacra atque silentio tecta mysteria sua haberent, eo ipso vehementer accenderunt Leibnizii animum, cupientem discere, quibusnam hi homines thesauris inhiarent, quibus modis finem, toties alios frustrantem obtinere sibi pollicerentur, ratus nonnulla se ab eis, vt fieri haud raro solet, discere posse, quae ad recludendos naturae recessus facere possent. Simulabat ergo alchemistorum mysteriorum insignem quandam notitiam conscripta ex libris huius generis epistola aenigmatum ipsi auctori imperscrutabilium plena. Quam cum directori exhibuisset, facile obtinuit, vt dicto certo stipendio societati isti a secretioribus chartis esse, et librorum arcanorum compendia describere iuberetur. Id quod ingenio Leibniziano, insigni ἀγχοινίᾳ praedito non potuit non euenire vtilissimum; cum ea breui teneret omnia, quae magnis sumtibus istud sodalitium congesserat [c].

§. VI. Non neglexit tamen, his intentus, virorum doctorum consuetudinem Leibnizius, vndequaque alimenta quaerens doctrinae, quam alebat, indies crescentis. Maxime Iusto Iacobo Leibnizio, ecclesiastae Norimbergensi [d] innotuit, viro eleganter docto, nostrum autem sola nominis cognatione attingenti [e]. Is illustri Boineburgio, viro summo, et praeter prudentiam aulicam insigni eruditione conspicuo, qui tum Norimbergam diuerterat, Leibnizium commendauit, cum et heroëm illum magnis fauere ingeniis nosset, et Leibnizium ea scientiarum omnis generis notitia pollere intellexisset, quae illustris viri curiositati abunde posset satisfacere. Vix autem conuenerat eum Leibnizius, cum ingenii magnitudinem et iudicandi solertiam vastae omnium fere scientiarum peritiae iunctam admiratus Boineburgius, de beneuolentia sua eum iuberet esse certissimum, sponderetque, in eo versaturum curam suam, vt sereniss. electori Moguntino eum tradat, et ad aulae ministerium aditum

Commendatus Boineburgio Leibnizius.

b) Eam postea recudi fecit, additis dissert. 99. Phil. ex iure, et de Conditionibus, vulgatis titulo Speciminum iuris, Francofurti 1672. 4.

c) Citati.

d) Huic addi potest Dilherrus.

e) Edidit is Memorabilia Bibl. Norimb.

aditum paret. Cui scopo obtinendo praeclaras de iurisprudentiae et historiarum pomoeriis dilatandis cogitationes augere, prolixe, hisque se ornamentis eum commendare iussit. Paruit optimo consilio Leibnizius, et vt Moguntiae propior esset, Francofurtum abiit, fortunae suae fabrum ita acturus, vt, quae cupiebat, honestissimis nominibus consequi posset. Quod eo facilius facere licebat, cum abunde haberet, quibus omni ministerii generi sufficeret, et consilia literaria concepisset, ingentem vtilitatem pollicentia.

Traditus Leibnizius Moguntino electori.

§. VII. Intellexerat illustris Boineburgius, quantum emolumenti ad aulam heri sui ex tanto viro redundare posset, eumque ideo electori valde commendauerat. Qui cum ipse viris meritorum gloria insignibus optime cuperet, ab eo vocare Leibnizium Moguntiam Boineburgius iussus est. Is vbi aduenit, et salutandi electoris veniam nactus est, in primo congressu beneuolentiam principis sibi conciliauit. Qui vt intelligeret, quid de eo esset sperandum, specimen doctrinae edere constituit, quaeque de iurisprudentiae emendandae modo et ratione deque noua methodo in chartam coniecerat, in ordinem redacta vulgare et inscribere nomini electoris statuit. Prodiit ita hoc anno cIↃ IↃ CLXVIII, *Noua methodus docendae discendaeque iurisprudentiae, cum subiuncto catalogo desideratorum in iurisprudentia* [f]. Qui libellus mole exiguus, at meditationum praestantia magnus, vehementer viris doctis placuit, qui gauisi sunt confusum illud chaos, quo premitur legum peritia, et difficillimum redditur eius studium in ordinem redigi posse, inuentumque esse, qui hoc Augiae stabulum purgaret. Ipse quoque celeberrimus auctor, quamuis de se modeste, praecipue de aetatis iuuenilis laboribus iudicaret, multa se noua et proficua detexisse, semper affirmauit, licet non deessent, qui vetera nouis melioribus praeferre mallent [g]. Nec quod non nemo [h] magnae auctoritatis in eo reprehendit, de sola methodo demonstratiua in eo libello sollicitus fuit, et vt illa in legum scientiam introduceretur, suasit, sed innumeros quoque, quibus ea premitur, defectus, ostendit, et quae impedimenta, ad promouendam scientiam elegantissimam, remouenda essent, quae media neglecta, prudentissime detexit. De quo tamen alibi dicendum, cum ad hanc nostram tractationem non pertineat, et adeundus, qui in compendio cuncta enarrauit Cl. FELLERVS [i]. Ipse autem Leibnizius, cum intellexisset, placuisse admodum electori consilium noui corporis iuris condendi, quod ordine, elegantia et perspicuitate se magis commendaret, eodem adhuc anno, breui scriptione *Corporis iuris reconcinnandi* rationem explicuit, et cum viris doctis atque iurisprudentiae peritis communis laboris consilium aggressus,

f) Francof. 12.
g) Oppositit his laboribus protribunalia N I c. CHR. LYNCKERVS Giessae 1669. conf. Leibniziana p. 143.
h) Illustris LVDEWIGIVS. vid. LVDOV. l. c. p. 323.
i) In Supplem. vitae Leibnizianae Otio Hannou. praemisso.

greſſus, ipſam iuris collectionem natiuo ordini reſtituere aggreſſus eſt. De quo eius ſtudio, cum nobis prolixioribus eſſe non liceat, conſulendi ſunt, qui hiſtoriam iuris recentiorem tradunt, quaeque accurate enarrauit doctiſſimus LVDOVICI [k]. Idem conſiliorum ingentium capax Leibnizii animus tentare tum coepit in omnibus diſciplinis, vnde ALSTEDII *Encyclopaediam* emendare, augere, et perficere animo concepit et Heſenthalerum in laboris ſocietatem pertraxit. Quae tamen conamina maiora et grauiora, quae ſuperuenerunt, negotia breui ſuppreſſerunt, quamuis animum conſiliumque nunquam abiecerit Leibnizius, et iam ſenex de ea re cum illuſtri Wolfio egerit [l], vt ſimilis encyclopaedia inſigni cum orbis eruditi vtilitate tandem procuderetur [m].

§. VIII. Impediuerunt autem Leibnizium, talia meditantem curae publicae, cuius pars eſſe iuſſus eſt. Nempe cum ſe regno Poloniae abdicaſſet Ioannes Caſimirus [n], deque nouo rege diſceptarent proceres, qui electionis diem VI. Non. Mai. anni ſequentis indixerant, inter coronae candidatos nomen quoque profeſſus eſt Philippus Guilelmus, Palatinus dux Neoburgicus, cui Boineburgium rerum ſuarum adminiſtrum commendauerat, ſpectata viri excellentiſſimi prudentia, rerumque ciuilium cognitio atque experientia. Cuius beneuolentia cum totus gauderet Leibnizius, eius molimina eruditione ſua, incertum iuſſus, an ſponte? iuuare ſtatuit. Enatum *Specimen demonſtrationum politicarum pro eligendo rege Polonorum, nouo ſcribendi genere ad claram certitudinem exactum*, quod laruato nomine Georgii Vlicouii Lithuani Leibnizius edidit [o]. In quo libello ita vim animi etiam in rebus ad prudentiam ciuilem pertinentibus demonſtrauit Leibnizius [p], vt virum ſibi vtiliſſimum in aulam ſuam pertrahere omnibus modis princeps laudatus conaretur, fruſtraneo tamen euentu cum Moguntiam praeferre Neoburgo a Boineburgio perſuaſus conſtituiſſet. Neque tamen tunc quoque in alium quaſi orbem raptus philoſophiae curam ſepoſuit, ſed emendare ſenſum de philoſophia rectum, quo poſſet modo, perrexit. Hinc cum MARII NIZOLII librum *de Veris principiis et vera ratione philoſophandi contra pſeudo-philoſophos*, cuius in antecedente Parte mentio iam facta eſt, quique tum prorſus diſparuerat, a Boineburgio accepiſſet, vt et diuturni carceris ſqualore ſcriptorem, *in quo eſſet acuminis ſatis, plurimum eloquentiae philoſopho dignae, libertatis nimium* [q], *protraheret, ad ſananda bonarum literarum, quae paſſa erant, mala*, recudi fecit, annotationes adiecit, quibus nimiam

Labores Leibnizii Moguntini.

k) l. c. p. 54. 326.
l) A. E. l. c.
m) Cogitationes Leibnizianae de Encyclopaedia diſci poſſunt ex Epp. Vol. III. p. 264. cf. FELLERI Monum. inedita Trim. II. p. 112. ſeq.
n) Factum id anno 1668. d. 16. Sept. conf. B. CONNORRII Deſcriptio Poloniae et magnae Lithuaniae p. 172. ſeqq.
o) Vilnae, vt eſt in titulo 1669. 12.
p) Conf. Boeclerus in Act. Erud. l. c.
q) Vid. Dedicatio ad Boineburgium.

miam libertatem inter repagula aliqua coërcuit, praefixitque duas dissertationes, quarum vna, de Stilo philosophico differit, et praeclara multa de Nizolio de ratione dicendi scribendique in philosophia, de habitu linguarum ad philosophiam, de perspicuitate dicendi inter philosophandum, de pretio scholasticae philosophiae statuendo, de secta Nominalium, de vsu metaphysicae, de vniuersalium natura, de scriptis Aristotelis, deque similibus cumulat: altera epistolaris ad Iacobum Thomasium de scribenda historia philosophica, de Cartesio, Aristotele, Scholasticis, horumque philosophorum placitis, maxime autem de conciliatione inter Aristotelem et recentiores disputat [r]. Patet autem ex his dissertationibus, quamuis multos receptae philosophiae naeuos iam vidisset, maluisse tamen concordiam tum inter veteres et recentiores inire, quam illos totos deserere [s]. Quem veterum amorem per totam quidem vitam non deposuit, maxime tamen eo tempore, quo nouum systema condendi consilium nondum fouerat, prodidit, vnde ista quoque ad syncretismum propensio enata est, quam in istis dissertationibus manifestauit, quam in quadam epistola candide, vt hanc historiae philosophicae pestem valde oderat, confodit IACOBVS THOMASIVS [t]. Valde commendatos sibi habuit Leibnizii conatus Boineburgius, qui, vt praeclare iudicabat, multum incrementorum ad literas a Leibnizio profectum iri intelligebat. Vt itaque sponte currenti calcar adderet, tradere eum principibus summa cura annisus est, vt actus gloriae stimulo Leibnizius in iuuandis disciplinis, eo maiori contentione pergeret. Sensit eius commendationis effectum Leibnizius mature, anno cIↃ IↃ cLXX, inter consiliarios supremi iudicii reuisorii assessores in aula Moguntina cooptatus, annoque sequenti adductus in notitiam magni principis Ioannis Friderici Brunsuicensium et Luneburgensium ducis, qua fundamentum futurae felicitatis noster posuit, ab eo tempore intemerata optimi principis gratia vsus. His calcaribus nouo instinctu auctus Leibnizius, quacunque ratione posset, velificare studiis Boineburgii, et iuuare scientias conatus est. Inde enata praeter *Defensionem logicam SS. Trinitatis per noua inuenta logica, contra Wissouatium*, hominem Socinianum, in gratiam Boineburgii conscriptam,

r) Vtramque laudabili consilio recudi fecit Cl. KORTHOLTVS, Vol. II. p. 63. seqq. qui annotationes quoque Leibnizianas Vol. IV. p. 68. exhibet. In hac dissertatione priore carpit Io. BAPT. ROESCHOELIVS, diss. de Phil. conciliatrice §. 15. quod inter syncretistas Leibnizius Scaligerum, Digbaeum, et Thom. Anglum retulerit, qui eclectici fuerint. Ast immerito reprehendi virum illustrem ea, quae de his philosophis supra diximus, satis euincunt.

s) Non hoc ita intelligendum, ac si Leibnizius veterum vmbras recentiorum lumini praetulisset. Sed cum in Aristotele notiones terminosque vagos et incertos deprehenderet, eorum significationem ex recentiorum obseruationibus determinauit, hocque ipso alium longe Aristotelem nobis dare voluit, quam reuera fuit. Vidit id, vt mire perspicax erat, in dignoscendis inter se philosophorum sententiis, IACOBVS THOMASIVS, falsus in responsione sua, quae Vol. III. Epp. p. 30. seqq. extat, sibi non persuaderi, Aristotelem a recentioribus philosophis non adeo dissidere, licet agnoscat, dogmata eius quaedam loquendique modos eiusmodi esse, vt conciliare volentibus faciant spem aliquam concordiae, vereri autem se, ait, vt illa pax queat ipso satis volente sanciri, siquidem mentem philosophi paulo penitius rimemur, sed et reliqua merentur legi, prorsus enim sunt egregia et syncretismo huic euertendo aptissima.

t) l. c. nam in eundem sensum ad eum scripserat iterum Leibnizius l. c. p. 26.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſcriptam, *Hypotheſis phyſica noua, quae phaenomenorum naturae plerorumque cauſſae ab vnico quodam vniuerſali motu in globo noſtro ſuppoſito neque Tychonicis, neque Copernicanis aſpernando, repetuntur*, quam etiam *Theoriam motus concreti* vocauerat u). Eam ſocietati Britannicae inſcripſit, eo quod ex Oldenburgero intellexiſſet, coniecturas has ei non ingratas fore. Supponit autem globum ſolarem, globum terreſtrem, et ſpatium intermedium, maſſa quieſcente, quam aetherem vocat plenum. Et in globo quidem ſolis atque terrae motum ſtatuit circa proprium centrum, ſiue internum, et alium motum in ſole, quo agat extra ſe, varie circularem, et radios emittentem, qui agant in globum terreſtrem, totum initio homogeneum, eumque miriſice mutent, admiſſo ab eo dehiſcente aethere. Hinc tot ictibus plerisque centrorſum euntibus maiorem materiae partem in fundum collectam terram dediſſe, aquam ſupernatauiſſe, aërem emicuiſſe, intruſum aetherem omnia intus peruaſiſſe in bullas interceptum hypothetice aſſerit. Ex quo colligit, terram noſtram etſi radiis lucis dehiſcens in partes heterogeneas abierit, vbique tamen ſubtiliſſimo aethere penetrari; eumque proportionatam ſibi ſubtilitate partium radiorum lucis actionem potiſſimum recipere. Cum igitur terra agatur circa proprium centrum ab occidente verſus orientem, ſubtiliſſimum aetherem terram circumdantem contrario motu non tantum retardationis, ſed et obnitentiae, lucem ſequutum, motum iri ab oriente verſus occidentem. Et hunc vniuerſalem motum in globo noſtro terraqueo eſſe putat, a quo potius, quam ab atomorum figuris aut ramentorum de vorticum varietatibus, res repetendae ſint. Quaqua ratione fieri debeat, ingenioſe, vt ſunt Leibniziana omnia, explicat, et ex innumerabilibus bullis, ex fluidi aeſtuatione et fuſione per lucem ſeu calorem exortis, ſemina rerum et ſtamina ſpecierum, receptacula aetheris, corporum baſin, conſiſtentiae cauſſam, et fundamentum omnis varietatis in rebus, impetusque in motibus deriuat. Quae tamen huc transcribere omnia, delineareque qua ratione vir ſummus maximis ingenii viribus nouam phyſiologiam effinxerit, tractationis ſcopus dicendorumque ratio impedit. Legenda autem tota diſſertatio eſt, vt quam elegans atque foecundum iam tum viri magni ingenium fuerit, intelligatur. Mirum itaque haud eſt, placuiſſe foetum hunc nouum non modo viris paſſim doctis, ſed et ſocietati regiae Londinenſi, cuius iuſſu editio repetita eſt; ipſum quoque ſchediaſma illuſtrem CHRISTIANVM KNORRIVM Cabbalae denudatae auctorem, aſſumti Chriſtophori Peganii nomine Germanis legendum dediſſe x). Aſt non inficiandum tamen, haud pauca in hac diſſertatione poſtea viro ſummo diſplicuiſſe, cum ſententiam mutauiſſet, viris quoque nonnullis eruditis y) ab iis aſ-

u) Recuſam dedit KORTHOLTVS, l. c. Vol. IV. p. 279.

x) Ad calcem THOM. BROWNII Pſeudoxiae epidemicae, quam Germanice edidit vir illuſtris Norimb. 1680. 4.

y) Vid. ill. WOLF. Tent. phyſ. P. III. KASCHVBIVS in Elementis phyſico-mechanicis, Io. WALLISIVS, Philoſophical transactions n. LXXIV. p. 2227.

sertionibus dissentientibus. Quoniam autem in hac noua hypothesi physica effingenda, motus leges supponendae erant, ideo philosophus acutissimus nouam quoque *Theoriam motus abstracti* delineauit [a], cuius regulis theoriam motus concreti inaedificauit: eam autem, post hanc demum editam publici iuris fecit, et academiae regiae Francicae scientiarum inscripsit. In schediasmate, heic ob arctam propositionum connexionem in epitome non delineando, sed ipso, cum breue sit, inspiciendo, id sibi constituit, et indiuisibilium naturam illustraret, cohaesionis rationem detegeret, hypothesin afferret, vnde omnia naturae phaenomena, mechanice explicari possent etc. Multa in hoc breui sed acuto scripto sunt, quae placitorum, postea viro celeberrimo propriorum semina continent. Inter quae referri potest, quod monadibus eius praelusit dogma: *Omne corpus esse mentem momentaneam, seu carentem recordatione, quia conatum simul suum et alienum contrarium non retineat vltra momentum, adeoque careat memoria sensu actionum passionumque suarum, atque cogitatione*, quibus assertis Hobbesium secutus fuisse non nemini [a] peperam visus est. Ast multa in hac quoque theoria motus abstracti postea improbauit Leibnizius, ad alias cogitationes delatus. Cuius exemplum hypothesis dynamica esse potest, quam tunc quidem nondum conceperat, vnde hoc loco cum Democrito, Gassendo et Cartesio essentiam corporis in sola massa inerte posuit. Addi his debet *Notitia opticae promotae* in qua noua vitrorum opticorum poliendorum artificia tradidit, de quibus etiam cum Benedicto de Spinoza, in ea arte mire versato per literas egit [b].

Leibnizii iter Gallicum prius.

§. IX. Hactenus in coelo Germanico nouum philosophiae omnisque literaturae sidus exortum resplendescebat Leibnizius; iam de fatis eius ita disponere incipiebat prouidentia, vt regionibus sub alio sole calentibus innotesceret, quanto scientiarum bono is natus esset. Occasionem subministrauit Boineburgius, qui negotiorum transigendorum filiique regendi caussa Leibnizium rogauit, vt in Galliam concederet, aliquam ibi ob dictas caussas moram acturus. Factum id anno cIↃ IↃ CLXXII. Quod iter exoptatissimum Leibnizio accidit, qui cum ingenio, doctrinaque esset instructissimus, facile vidit, ex virorum praestantissimorum, quos tum Gallia, maxime Lutetia Parisiorum nutriebat, consuetudine plurimum incrementi accepturam esse ipsius eruditionem, ingenii excellentiam autem illis fore commendatissimam. Consultis itaque exploratisque in itinere memorabilibus [c], quae ad naturalem et eruditam historiam pertinent, cum in Gallia aduenisset, fama iam tum notissimus, et dotibus ingenii diuini admirabilis, viros doctos certatim sibi amicos comparauit. Quorum tanta erga

a) Extat quoque Epp. Vol. III. p. 409. seqq.
a) Io. Raphsono Epist. miscell. p. 97. 163. Cui respondit Chr. Avg. Salig. Diss. Philosophumena veterum ac recentiorum de anima eiusque immortalitate, Viteb. 1714 §. 60.
b) Vid. Spinozae Opera posthuma, vnde repetiit Cl. Ludovici l. c. §. 295. p. 337. seqq.
c) Indicem adhibebat Monconnysii Itinerarium, vid. Feller l. c.

erga illum fuit fiducia, vt maximi momenti consilia de rebus ad disciplinarum cultum pertinentibus cum eo communicarent, eiusque arbitrio haud parum in controuersiis inter se enatis auctoritatis deferrent. Cuius specimina tum in epistolis eius, tum alibi haud contemnenda occurrunt. Maxime tum temporis caput inter Gallos efferre coeperat geometria sublimior atque interior, in qua eo tempore hospitem se adhuc plane fuisse alicubi [d] fatetur. Ast eo tempore Christiani Hugenii, cui post Galilaeum et Cartesium plurimum tum debebat ista scientia, notitiam nactus, cum legeret eius librum *de Horologio oscillatorio*, adiungeretque Des Honuillaei, id est PASCALII *Epistolas*, et GREGORII A S. VINCENTIO opus, de *Quadratura circuli et sectionibus conicis*, sola animi perspicacia vique diuina ingenii adiutus, subito maximam lucem hausit, et sibi, vt ipse scribit, et aliis quoque, qui eum in his nouum norant, inexpectatam, idque mox speciminibus datis ostendit. Mirari ergo quis queat, eum in tam difficili arduoque opere totum occupatum, prominciam potuisse pati hanc sibi imponi a duce Montauserio, et qui eius nomine rem vrgebat, Petro Daniele Huetio, vt ad Martianum Capellam in vsum Delphini illustrandum operam suam conferret; quam eum perfeciisse, sed schedas furto subtractas amisisse narrant *Acta eruditorum* [e], Vnde verisimilius putamus esse, quod FELLERVS [f] narrat, monitum ea de re, satius fore putauisse, si tam effusi sumtus in detegenda naturae arcana et scientias parum excultas impenderentur, quam quod auctores isti, post nitidas Belgarum editiones et notis variorum exornatas, paucis immutatis alia tantum veste in lucem ederentur. Quanquam verum quoque est, etiam huic labori vna cum geometriae arcanioris studio, cui se totum tum tradiderat, suffeciisse ingenium Leibnizii vastissimum. Quicquid autem illius rei fuit, id sane ex dictis est manifestissimum, magnitudinem ingenii Leibniziani mature effulsisse. Factum inde est, vt cum fatis erepto Boineburgio patre, filius moderatore haud amplius egeret, Leibniziusque abitum pararet, retinere ipsum teste FONTENELLIO [g], oblata regis gratia, munereque et honoribus haud contemnendis, haud pauci conarentur. Sed cum Protestantium communionem, quam sequebatur, ecclesiasticam deserere nollet, nec placeret transitus ad Romanam ecclesiam, fauorem hunc fatorum oblatum generoso pectore respuit, annoque ɔIↃ IↃCLXXVI in Britanniam abiit.

§. X. Primum autem, quod agendum sibi esse credebat Leibnizius in insulam delatus, erat, vt in virorum doctissimorum notitiam veniret, quibus ad augendas animi diuitias vti posset. Facile autem viam illi parauit doctrina atque virtus apud omnes conspicua, et amicitia Collinsii atque Oldenburgeri, qui regiae societati ab epistolis tum erat. His parariis, quisquis eruditionem spirabat, imprimis mathematicarum disciplinarum periti,

Iter Leibnizii Britannicum prius.

d) Act. erud. 1691. Sept.
e) In Elogio Leibniz. l. c.
f) loc. cit.
g) loc. cit.

periti, musea pariter atque pectora illi recluserunt, virumque praestantissimum ad amicitiae iura admiserunt. Inter quos si vnum Isaacum Newtonum nominauerimus, satis dictum esse putamus. Ita vero et augendis geometriae sublimioris luminibus, et reliquis, quae vrgebat ἐυρήμασι, inter quae eminet machina arithmetica, ab ipso illustri viro in *Miscellaneis Berolinensibus* [b] depicta, tempus impendendi vtilissimam occasionem nactus est. Ast dum laeti florent rerum Leibnizii successus, oborta ex improuiso tempestas, omnem fortunam euertere minatur. Obiit enim hoc anno cIↃ IↃ cLXXIII elector Moguntinus, cuius morte extincta simul fuit omnis, quae hactenus succreuerat spes emergendi, quin et stipendium hactenus illi solui solitum desiit. Quae tamen, cum deprimere animum quoque fortem atque magnum potuissent, Leibnizium non fregerunt, Dei potissimum beneuolentia, ingeniique quod ab eo acceperat, opibus nixum. Relicta ergo Britannia Lutetiam reuersus est, quo loco sibi conatuum auxilia exoptatiora promittebat; vt vero futurae quoque fortunae consuleret, ad Ioannem Fridericum, Brunsuicensium ducem scripsit, eiusque gratiam, qua diu iam fruebatur, implorauit. Is, quanto non prudentiae modo ciuilis, et artium mathematicarum praesidio, sed et πολυιστορίας laude esset inclytus Leibnizius, probe intelligebat; vnde profuturum rebus suis ratus, si hunc sibi virum vindicasset, consiliarii aulici et bibliothecarii munus cum stipendio lauto ei obtulit, permittens simul, vt Lutetiae moram facere, vsque ad perfecta conanima, et imprimis absolutam machinam arithmeticam, liceret. Qui nuntius vt exoptatissimus nostro accidit, ita ad augendam industriam eum calcaris instar excitauit. Factum inde, vt ita laudatam machinam perficeret, vt eius copiosiorem, quam Londini ediderat, delineationem Colberto, qui scientiis artibusque amplissime apud regem fauebat, itemque Academiae scientiarum offerre posset. Quae cum ingenii Leibniziani magnitudinem et doctrinae excellentissimae merita satis nosceret, anno cIↃ IↃ cLXXV primum ei locum inter exteros, albo suo inscriptos designauit. Quem honorem vt meritis sibi peperit Leibnizius, ita nouis indies inuentionibus tueri stategit, de quibus tamen, cum ad matheſin pleraeque spectent, dicere plura hoc loco nihil attinet. Eodem vero anno relicta Gallia iterum in Britanniam soluit, vt quae noua detexisset, cum geometris communicaret, anno autem sequenti, nempe cIↃ IↃ cLXXVI, ad Batauos abiit, vbi incidit in Huddenium, Amstelodamensis vrbis consulem, quem cum arcana geometriae sublimioris plurima detexisse, et inuenta egregia in chartam coniecisse comperisset Leibnizius, qui de augendis et amplificandis praestantissimae artis limitibus mire erat sollicitus, impense laetatus est [i]. Tandem absoluto itinere Hannoueram petens, circa auctumni initia sospes aduenit, benigne

Alterum iter Gallicum.

Alterum iter Britannicum.

h) Hist. huius inuentionis in compendio enarrat LVDOVICI P. II. §. 328. p. 233. sqq. Conf. P. I. §. 463.

i) Conf. A. E. loc. cit.

benigne a principe suo exceptus, cuius iussu anno CIↃIↃCLXXVII locum in consilio aulico occupauit.

§. XI. Ita sedem fixam certamque nactus Leibnizius in id totis viribus incubuit, vt et principi suo, quem optimum experiebatur, vtilissimum, et scientiis tantum non omnibus exoptatissimum se praestaret. Et ante omnia quidem bibliothecam a principe collectam, cuius cura ipsi demandata erat, accurate disponere, augereque studuit, vnde hero suo suasit, vt Martini Fogelii, medici et professoris Hamburgensis [k] bibliothecam [l], libris rarissimis atque optimis magno iudicio conquisitis refertam aere suam faceret; quo pacto insignem accessionem ad hanc bibliothecam fecit. Deinde vt reditus quoque ducis sui augeret, de emendandis metalli fodinis cogitans, egregia auxilia detexit, quibus aquae subterraneae, illis tantopere inimicae exhauriri possent. Quae cum duci magnopere placuissent, amplumque Leibnizio stipendium is decreuisset, perducere ad optatos euentus magno labore studuit; morte principis autem praeuentus desistere ab eo consilio coactus est. Sed et alia ratione Hannoueranae domui fidei et deuotionis praestandae modum suppeditauit Leibnizio conuentus procerum pacis pangendae caussa Nouiomagi eo tempore habitus. Cum enim Gallorum legati Germaniae principibus praeter electores legationis ius competere negarent, noster id asserere, licet personatus, edita demonstratione politica, conatus est. Enata inde CAESARINI FVRSTENERII tractatio *de Iure suprematus ac legationis principum Germaniae*. Quem libellum, cum singularia multa complecteretur, Leibnizius autem nomen studiose reticeret, alii Ludolpho Hugoni, alii Esaiae Pufendorfio, alii Ezechieli Spanhemio, alii Bernardo Koehne, quorum nomina tunc inter rerum politicarum consultos eminebant, tribuerunt, certo indicio, talem istum laborem esse, cuius poenitere summos viros haud debeat. Quamuis fuerint, qui displicere in eo sibi nonnulla sint professi [m]. Nunquam autem, quod mireris, se auctorem illius libelli auctor professus est, forte quod regum electorumque aulas, quae alia sentiebant, quasque passim fauentes habebat, offendere nollet. Post curas has publicas, quas principi suo debebat, de scientiis quoque amplificandis sollicita fuit indefessa, χαλκεντέρου Leibnizii diligentia. Et memorabile imprimis est, hoc anno CIↃIↃCLXXVII, XII Cal. April. primam calculi differentialis a se inuenti mentionem feciisse Leibnizium ad Isaacum Newtonum, qui paulo ante in literis de calculo fluxionum a se detecto ad eum scripserat, eum autem aenigmatice tantum indicauerat [n]. Porro et mechanica nonnulla et chemica noua in lucem produxit, interque haec nouam phosphori rationem

Labores Hannouerani.

k) De praestantissimo hoc viro consulendus MORHOFIVS Polyhist. T. I. L. I. c. 7. p. 61.

l) Prostat catalogus Hamb. 1679. 8. editus, et tum raritate tum selectu librorum commendandus.

m) Historiam libelli vide in Bibliotheca imperantium p. 263. conf. REIMMANN. Hist. Lit. Germ. P. V. p. 262. not. O.

n) Tangemus hoc argumentum infra.

tionem a Brandio detectam viris doctis significauit [o], eamque postea in Ephemeridibus Parisiensibus et Berolinensibus vulgauit. Tacemus alia ad Cartesianas et Stenonianas controuersias pertinentia, quae in literis ad amicos agitauit; nulla enim eruditionis pars erat, in qua non virum se praestaret Leibnizius.

Acta Leibnizii ab anno 1679.

§. XII. Feralis fuit Leibnizio annus sequens cIↃ IↃ CLXXIX, ille enim fatali morbo principem optimum et beneficentissimum ei abstulit, cuius memoriam carmine heroico celebrauit; in quo tantam artis poëticae facultatem, canendique elegantiam prodidit, vt mirabile prorsus sit, virum in abstrusis speculationum geometricarum mysteriis rimandis, et politico argumento excutiendo totum occupatum, tam facilem felicemque venam potuisse prodere. Verum ea singularis erat ingenii Leibniziani felicitas, vt omnibus sufficeret, nihilque attingeret, in quo non praestantiam demonstraret. Talis cum esset, negligi a defuncti fratre, qui in ducatu successerat, vir tantus non potuit. Ab Ernesto Augusto enim, regiminis habenas capessente, inter consiliarios aulicos esse DC. thalerorum stipendio conuictuque et domicilio aulico auctus iussus est: quamuis ipsi imperatori seruiendi occasionem captaret, post mortem Petri Lambecii. Is enim cum caesareae bibliothecae praeesset, et historiographi titulo gauderet, conuenientissimum rebus suis iudicauerat Leibnizius, si ea sparta potiretur, admissus simul in consilium aulicum, qua de re epistolam eius vulgauit Cl. FELLERVS [p]. In qua laborum suorum rationem ita exponit, vt dicat, *se fodinis aquarum incommodo laborantibus subueniendi opere detentum spem habere, intra paucos menses rem confectum iri; hosque se iam cogitationibus delectari, et quod ab officio otii est, subinde mathematicis studiis impendere, quibus videat, pleraque tum oeconomicae tum etiam militaris scientiae arcana contineri.* Probant id egregia multa, quae ab eo tempore vulgauit, specimina; nam et aërometriam, quam iuuare conabatur Samuel Reyherus, augere, et de organo auditus cum Gunthero Christophoro Schelhammero conferre, et alia multa cum eruditis communicare studuit [q]. Cuius egregiam occasionem nactus est, cum laudatissimo Actorum eruditorum instituto, quod anno cIↃIↃCLXXXIII auctore Ottone Menckenio coepit, socius accessisset. Ab eo enim tempore obseruationibus quam plurimis istis Ephemeridibus insertis disciplinas mathematicas et philosophicas auxit, libros praestantissimos, maxime ad mathesin spectantes recensuit, et in hoc agro foecundissimi ingenii semina ita sparsit, vt laetissima inde innumerorum inuentorum messis exsurgeret. Id quod accurata elegantissimorum schediasmatum Leibnizianorum, quae istis Ephemeridibus inserta sunt enarratione demonstrari operae pretium esset, nisi hanc paginae nostrae prolixitatem refugerent. Vnde lectorem

o) Consulendus Cl. LVDOVICI l. c. §. 69.
p) In otio Hannouerano p. 1. sqq.
q) Conferendae sunt Collectiones epistolarum Leibnizii, et in Compendio LVDOV. loc. cit. §. 87. sqq.

lectorem ad ipsam praestantissimae collectionis inspectionem dimittimus, commendato cel. LVDOVICI [r] indice, qui recensiones et obseruationes Leibnizianas omnes in *Actis Eruditorum* extantes accurate indicauit. Nos id vnum obseruamus, nullam fere matheseos, maxime, quae pura dicitur, partem esse, quae non in hoc eruditionis horreo ab ingenio Leibniziano insignem accessionem atque augmentum acceperit, multas esse, quas ad summum perfectionis apicem perduxerit. Qua de re ad eius proportionem circuli ad quadratum circumscriptum in numeris rationalibus, ad aequationem exponentialem, ad nouum principium catoptricum et dioptricum, ad specimen dimensiones figurarum inueniendi, ad methodum de maximis et minimis, ad methodum nouam tangentium, ad calculum differentialem, ad obseruationes staticas, de momentis grauium in planis inclinatis, ad meditationem de natura anguli contactus et osculi, ad problema de linea catenaria seu funiculari ad specimen dynamicum, et complura alia prouocamus. Quibus iungi debent obseruationes atque dissertationes, quas ephemeridibus literariis Parisiensium aliisque passim inseruit. Quorum omnium historia hoc quidem loco exponi non potest, merentur autem matheseos acta insigni capite de meritis Leibnizii in hanc artem praestantissimam a viro rerum harum accurate perito augeri. Magis ad nostrum institutum spectant philosophicae meditationes ab eo tempore *Actis eruditorum* insertae, inter quas primum locum occupauere editae anno cIↃ IↃ CLXXXIV meditationes *de Cognitione, veritate et ideis*, in quibus rationali philosophiae noua accendere lumina stategit. Quas cum infra exhibituri simus, hoc loco de iis plura dicere nihil attinet.

Iter Leibnizii ad colligenda monumenta Brunsuicensia.

§. XIII. Tanta cum luce quotidie illustrior coruscaret eruditio Leibniziana, isque in omni disciplinarum campo cursum prae aliis egregie absoluisset, eius opera ad res sereniſſimae domus Brunsuicensis describendas ab Ernesto Augusto, Luneburgensium duce, adhibita est. Cuius principis iussu atque sumtibus cIↃ IↃ CLXXXVII iter literarium ingressus est, vt ex tabulariis, bibliothecis, monasteriis, et quaecunque aditum permitterent, adytis literariis monumenta colligeret, quibus illustrari atque in apricum produci posse historiam domus sereniſſimae posse iudicaret. Perlustrauit autem primo quidem haud contemnendam Germaniae superioris partem, Franconiam, Sueuiam, Bauariam, Austriam, et nec bibliothecas publicas, maxime Caesaream, nec archiua atque tabularia principum et ciuitatum, nec forulos monasteriorum, nec priuatorum quoque thesauros literarios neglexit, vt heri sui iussibus obsecundaret. Tum in Italiam progressus, in qua Estensem familiam vnam cum Brunsuicensi originem habuisse nouerat, simile institutum fauentibus passim viris doctis, vrgere gnauiter perrexit. Neque tamen huic vni negotio attentionem suam

r) Vol. I. c. 7, Vol. II. c. 13.

ſuam deſtinauit: ſed cum ingenii vaſtitas pluribus ſufficeret, ad conſueta quoque ſtudia reſpexit, et imprimis matheſin porro iuuare, transmiſſis ad collectores *Actorum eruditorum* obſeruationibus, reſpondere viris eruditis, qui dubia obiecerant, explorare naturae artisque opera, et curam augendarum diſciplinarum nunquam deponere anniſus eſt. Maxime tunc mechanicae atque rebus ad metalli fodinarum culturam pertinentibus valde fauit, nihilque in eo itinere neglexit, quod ad hunc ſcopum facere poſſe intellexiſſet. Id quod occaſionem ECCARDO [s] dedit, conquerendi, non tantum in vrgendo ſcopo primario, et publico ſtudium adhibuiſſe Leibnizium, quantum in hoc ſecundario et priuato, nec ſatis feliciter hoc itinere ad augendam hiſtoriam Brunſuicenſem fuiſſe vſum. Negant id tamen alii, monentes ampliſſimam Leibnizii eruditionem et induſtriam plane ſtupendam vtrique labori abunde ſuffeciſſe, et haud contemnendam ſupellectilem monumentorum ad hiſtoriam Luneburgenſem pertinentium, ſecum reducem attuliſſe. De qua re ſententiam interponere nobis non licet, qui quid reportauerit Hanoueram, ignoramus, vix autem perſuaderi nobis patimur, Leibnizium τὸ ἔργον, quod iniunctum illi erat, adeo neglexiſſe, vt παέργα ei praeponeret; recordamur quoque, quanta difficultates ſuperandas patiantur, qui arcana nonnunquam rerum veterum conclauia adire, perreptare bibliothecarum forulos, et ἀνέκδοτα inde protrahere in lucem ſatagunt. Quibus ſi ſufflaminata fuerit viri magni induſtria, nihil inde redundat, quod eum culpa premat.

Reuerſi ſtudia et labores.

§. XIV. Reuerſus ad lares Leibnizius priſtinum curſum maxima induſtria perficere aggreſſus eſt, et tum diuini ingenii felicitate noua εὑρήματα mathematica cum orbe erudito communicauit, tum iurisprudentiae methodum emendare, reconcinnare collectionem iuris, et in formam artificioſi ſyſtematis leges coniungere denuo tentauit. Quo in arduo negotio viros quoque doctos iurisperitiſſimos ſocios ſibi adſciuit. Quanti autem laboris opus ſuſceperit, quantum in eo profecerit, quam inde legum ſcientiae lucem accenderit, quid abſoluere conatus laudatiſſimos impediuerit, hoc loco enarrari non poteſt, ſed ad iurisprudentiae hiſtoriam recentiorem pertinet, rem vero omnem eleganter complexus eſt Cl. LVDOVICI [u], qui videndus. Eadem ratio eſt, cur quae hoc tempore inter Leibnizium et Paulum Pelliſſonium de tolerantia et illis religionis capitibus, quae Romanam et Proteſtantium eccleſiam diſiungunt, diſputata et ab ipſo Pelliſſonio inuito et aegre ferente Leibnizio [x] vulgata ſunt, praetereamus, quamuis partis ſtudio non occupato prodant, etiam in religionis negotio accurationem philoſophicam et iudicium, quo Pelliſſonium longe anteuertebat, eum demonſtrauiſſe. Quod qui negat, aut nos fauori aliquid dediſſe putat, eum illa recolere iubemus, quae de fide

s) In Annot. ad vitam Leibnizii a Fontenellio ſcriptam.
t) Anonymus ad h. l.
u) l. c. §. 103. p. 106.
x) Vid. Cl. KORTHOLT. Praef. ad Vol. I. Epp. Leibniz.

fide ac rationis et philosophiae vsu inter vtrumque virum doctissimum disputata sunt, cum caussae suae diffisus Pellisonius, earum testimonium eiuraſſet [y], inque Scepticorum castra transfugisset. Aliter instituens Leibnizius ita philosophiae praesidio fidebat, vt non obstare eam reuelationi Pellisonio post traditionis carecta latenti demonstraret. Ceterum eodem anno CIↃ IↃ C XCI ab Antonio Vlrico, Guelpherbytano Duce consilio aulico adscriptus, curamque illustris bibliothecae habere iussus est: ipse in variis Ephemeridibus literariis more suo obseruationibus praestantissimis iuuare artes mathematicas et philosophiam perrexit, controuersiae hydraulicae inter Guilelminum et Papinum ita arbiter interceſſit, vt quanti viros de scientiis praeclare meritos faceret, et quam longe a fastu paedagogico abesset, omnes intelligerent [z].

§. XV. Abunde viri doctissimi officio feciſſe satis Leibnizius censendus esset, etiamsi plura ad promouendas literas non fuisset molitus: at suppeditauere inexhaustae diligentiae et vastissimae lectionis viro alia quoque ad ius publicum pertinentia doctrinae praestantia et vsus atque exercitatio, summa iudicii acie instructa. Occasio autem enata ex conatibus heri sui, Ernesti Augusti, ducis Hannouerani, cui spes potiundae dignitatis nouae electoralis tunc enascebatur. Cum enim in actis tum imperii Romani publicis, tum sereniſſimae domus Luneburgensis et Brunsvicensis, Leibnizius esset versatissimus, et acute vbique videret, tabularia principis, autem omnia ei paterent, tanta industria, tantoque pro sereniſſima domo studio in eruendis eius iuribus, priuilegiis, praerogatiuis et similibus desudauit, vt vtiliſſima inde illustrissimo Platenio, qui res futuri electoris in comitiis curabat, auxilia exsurgerent, annoque CIↃ IↃ C XCII res omnis ex voto finiretur, adscripto celsissimo principe electorum collegio. Ita vero dum historiam antiquissimae domus scrutatur, et res eius ab ouo quod aiunt orditur, initio facto ab ipsis originibus, enatae viro foecundissimi ingenii nouae de statu terrae primaeuo post diluuii tempora cogitationes, naturalem historiam mire illustrantes [a], quarum compendium *Actis eruditorum* [b] inseruit, integras autem in chartam coniecit, quas transmissas collegio Sorbonae calculum eius meruisse testatur, qui ad biographiam Leibnizii, Germanice versam annotationes adiecit. Neque tamen exiguae tantum molis libellis eruditionem in hoc quoque genere prodidit, licet vbique praeclara atque vtiliſſima funderet, sed cum actorum publicorum, chartarum atque monumentorum insignem prorsus aceruum collegisset, isque vndequaque augeretur, praeter historiam Brunsuicensem, cui saxo volendo ex domini sui iussu

Studium Leibnizii in illustrando iure publico.

y) Vid. p. 337. Ed. Fell. vbi satis prodidit Pellisonius, triumphare se cum interitu philosophiae, malleque ineptas nugas, si suae parti fauerint, quam veritatem rationibus philosophicis probatam. Sed et reliqua apertum Pyrrhonismum sapiunt; sine his enim armis tela Leibniziana effugere erat impossibile.

z) Vid. Act. erud. 1692. Sept.

a) Eas, Protogaea, appellauit.

b) 1693. Ian.

praecipue inuigilabat, totius quoque Europae historiam publicam, et quod illi potissimum innititur ius gentium publicum illustrare aggressus est. Vocauit autem, praeter collectanea tanto studio congesta in subsidium, bibliothecae Augustae Guelpherbytanae, his diuitiis mire splendentis codices, monumenta regia aliaque auctoritate et fauore principum ex tabulariis publicis collecta, libros rarissimos, in quibus acta publica deprehenduntur, verbo, quicquid argumentum nobile et grauissimum illustrare et perficere posse iudicabat. Accessere studia et beneuolentia virorum doctorum, qui conatus laudatissimos illustris viri, pro viribus iuuare atque promouere contenderunt, qua in re humanitatem Ezechielis Spanhemii, Boisotii, Christophori Schraderi, Io. Alberti Heugelii, Gerardi Meieri, Greifencranzii, Io. Georgii Graeuii, Pauli Voëtii, Gilberti Burneti, Thomae Rymeri, Thomae Smithi, Sparuenfeld, aliorumque laudauit. Ita tandem, consultis quoque praestantissimis collectionibus historicis prodiit anno cIↃ IↃ C XCIII *Codex iuris gentium diplomaticus, in quo tabulae authenticae actorum publicorum tractatuum, aliarumque rerum maioris momenti per Europam gestarum, pleraeque ineditae vel selectae, ipso verborum tenore expressae ac temporis serie digestae continentur, a fine seculi vndecimi ad nostra vsque tempora.* Cuius libri praestantissimi historiam hoc loco enarrare, institutum vetat, consuli autem non sine fructu viri docti possunt, qui hanc operam susceperunt [c], maxime autem legenda sunt, quae illustris auctor more suo doctissime tum in primum codicis tomum, tum in alterum, qui mantissam continet, est praefatus [d]. Nobis id annotasse sufficiat, quod et FONTENELLIVS [e] obseruauit, virum summum non modo ingenio, quod supra modum acutum et elegans nutriebat, sed et ferrea diligentia et studio indefesso, quod ad publica emolumenta referebat humanae societatis, amor, et iudicium rectum, literis pariter rebusque publicis prodesse voluisse, et omnium quoque bonorum expectationem expleuisse.

Labores philosophici Leibniziani eo tempore.

§. XVI. Reuersus ab hoc labore historico ad consueta studia, ad refingendos philosophiae primae siue ontologiae vultus animum applicuit. Cui labori eo magis par erat excelsum Leibnizii ingenium, quo magis totum erat ad metaphysicas speculationes quasi natum, systemati autem apte et cohaerenter concinnando omnium aptissimum. Indignabatur autem vir acutissimus, scientiam nobilissimam, ex qua communia recte sentiendi et definiendi principia hauriri debeant, in inanem terminorum notitiam esse mutatam. Hinc qua ratione emendari posset, quidque substantiae notioni, quam velut fundamentum, substernendam esse reliquis statuebat, esset addendum, peculiari obseruatione, actis eruditorum [f] inserta explicuit; multos in ea re assecias nactus, quamuis Cartesianis, maxime RVAR-

c) Act. erud. 1693. Mart. August. LVDOVICI l. c. §. 361. p. 386.
d) Extat vtraque praefatio Vol. III. Epp. a KORTHOLTO editarum p. 168. seqq.
e) loc. cit.
f) 1694. Mart. p. 110.

RVARDO ANDALAE [g], aliisque vis illa actiua, conatusque substantiae mire displicuerit. Ipse vero Leibnizius, cum hoc pacto naturam rerum, ipsasque motus leges modo simpliciſſimo recludi posse crederet, quadriennio post eandem assertionem, commentatione *de Ipsa natura siue vi insita*, repetiit. Alios labores tum ad geometriam, tum ad artem salutarem, tum ad ius publicum pertinentes, quos hoc anno excluſit foecundiſſimum Leibnizii ingenium, cum ad tractationis nostrae argumentum non pertineant, breuitatis causſa praeterimus [h].

§. XVII. Nouis philosophiam accessionibus auxit inexhausta Leibnizii doctrina anno sequente CIↃ IↃ C XCV. Cum enim deprehendisset, falsas motus leges sibi concepisse Cartesium, de veris earum fundamentis atque principiis displiciens, nouam de viribus substantiarum scientiam tandem meditatus est, ex qua omnis mechanismi ratio simplex atque naturalis posset deduci, et mensura virium, maxime viuarum definiri. Quia tamen, quam animo conceperat, scientiam nouam, quam dynamicen salutabat, integram exponere, tot simul laboribus obrutus non poterat, *Specimen dynamicum actis eruditorum* [i] inseruit, ex quo multa postea materia viris doctis enata est, de mensura virium disputandi, quae hoc loco enarrare nihil attinet. Quemadmodum hoc tempore ad dubia a clariſſimo viro, Bernardo Niewentyt contra calculum differentialem eiusque vsum in resoluendis problematibus geometricis proposita, more suo, id est acute et humaniter respondit [k]. Nullae autem in argumento magis aut ingenii Leibniziani vis emicuit aut nouitas hypotheseos omnium in se oculos conuertit, quam in nouo, quod hoc anno in *Ephemeridibus Parisiensium literariis* [l] vulgauit, *Systemate de natura et communicatione substantiarum, itemque vnione inter corpus et animam intercedente.* In quo famigeratiſſimam hypothesin de harmonia inter animam et corpus praestabilita, de qua infra ex instituto dicemus, prima vice cum philosophico orbe miro et diuerso euentu communicauit. Anno CIↃ IↃ C XCVI nouis honoribus Leibnizius ab electore Hanouerano auctus est, cum merita eius de domo Brunsuicensi in dies crescerent et augerentur. Declaratus enim consiliarius iustitiae intimus et historiographus electoralis, non titulo modo, sed emolumentis quoque gauisus est, quamuis vitae pragmaticae rationi non adstringeretur, nec in consessu administrorum status locum caperet, nisi cum de rebus ad historiam et ius publicum spectantibus consuleretur, vt in causſa Saxo-Lauenburgica, et in controuersia cum duce Virtembergico accidisse, Ludolfo Hugone, Vice-cancellario Hanouerano, dirigente et dicendi rationem emendante, obseruauit Cl. FELLERVS [m]. Ita vero nouis excitatus

Acta literaria Leibniziana anni MDCXCV.

g) In diss. de Vera notione substantiae, quae extat in Pentade dissert. philos. diss. 1.
h) Consulendus LVDOVIC. l. c. §. 363. seqq. p. 394. seqq.
i) 1695. p. 145.
k) ib. p. 310.
l) 1695. Iuin. p. 444. 455.
m) Supplem. vit. Leibniz.

tatus ſtimulis pro cauſſa atque gloria heri ſui omnem mouere lapidem maxima contentione ſtuduit. Cumque ſereniſſimae domus Brunſuicenſis hiſtoria eum quotidie occuparet, ab eo tempore coeptum tramitem noua opera et maiori induſtria proſequi, et adiutus miniſterio virorum doctorum, maxime Ioachimi Fridr. Felleri, et Io. Georgii Eccardi, quos in laboris ſocietatem adſciuerat, quaecunque in ampliſſimo hiſtoriae medii aeui campo reperire poterat ad Brunſuicenſes res facientia mira patientia collegit, digeſſit, et in horrea ſua retulit. Cuius generis curis cum interponere gaudia ſoleant alii, ipſe ad philoſophiae hortos diuertit, et eius deliciis medii aeui taedia leuauit. Ex qua recreatione philoſophica, exortae *Meditationes* [n] eius in Io. Lockii *Librum de Intellectu humano*, in quibus debitis quidem laudibus ornat opus praeſtans et acutum, non diffitetur autem diſplicere ſibi ea, quae contra ideas innatas, de idea ſubſtantiae, de anima interdum actu non cogitante, de idea vacui, de forma logica, philoſophus Anglus diſſeruit, quamuis ea non obſtare putet, quo minus acceſſiones maximi momenti ad philoſophiam factas eſſe a Lockio dici poſſit. Quo iudicio aequiſſime et non ſine meritorum Lockianorum laudibus lato, valde tamen et ipſum Lockium, et amicos eius Guilelmum Molinaeum et Ioannem Clericum offendit, quorum iniquitatem inferendo de hominibus noſtris iudicio accurate ſolideque demonſtrauit celeberrimus Io. Christoph. Gottschedius [o], dignus fama Leibniziana vindex. Reliquum, quod a labore, cui praecipue ſe deuouerat Leibnizius ſupererat, tempus amplificandae defendendaeque hypotheſi harmoniae praeſtabilitae impendit, et ad obiectiones Foucherii reſpondit, breuibus autem ſcriptionibus philologiam illuſtrauit, id cauens, ne vlla in re, etiam in literis, otioſus eſſet, diceretque aliquid, quod non eſſet vtiliſſimum.

Inuenta arithmetica binaria.

§. XVIII. Habet porro annus cIↃIↃCXCVII aliquid noui profectum a Leibniziano ingenio, quod admirationem orbis eruditi meruit. Nempe creationis ex nihilo atque vno, id eſt creatore, imaginem delineaturus nouum computandi genus ex nihili atque vnitatis ſigno conſtans, mira ingenii felicitate detexit, quod arithmeticam binariam ſiue dyaticam adpellauit. Non patitur locus atque tractationis ratio, vt quo pacto numerandum eſſe ſolis ſignis O. et I. doceat vir maximus ingenio, quoque ſerierum fundamento nitatur, quam vtilitatem prae arithmetica denaria habeat. Exponenda haec ſunt in hiſtoria arithmeticae, in qua nobiliſſimam atque elegantiſſimam partem conſtituit. Id hiſtoriae Leibnizianae cauſſa modo enarrandum, viginti atque amplius annis virum illuſtrem hanc numerandi viam iam in animo habuiſſe, iſto autem quem diximus anno delineato numo maioris molis, ad explicandum creationis ex nihilo myſterium elegantiſſimum ἔυρημα primum adumbraſſe, dicaſſeque Rudolpho Auguſto Brunſuicenſium

n) Extat in Collect. Schediaſmatum philoſ. Leibnizii, Clarkii, Neutoni etc. T. II. p. 143. et T. III. Opp. Lockii Londini 1717. editorum.

o) In Progr. de Iniquitate exterorum in ferendo de eruditis noſtratibus iudicio illuſtrium virorum Io. Lockii et Wilh. Molinaei exemplis confirmata.

sium duci, prolixius autem expoſuiſſe in epiſtolis ad Io. Chriſtianum Schulenburgium [p] perſcripſiſſe quoque myſterii huius rationem ad Claudium Philippum Grimaldum, qui tunc ex ſocietatis patribus tribunali mathematico apud Sinenſes praeerat, eique ac ſociis perſuaſiſſe, clauem hanc eſſe ſapientiae Fohianae, a tot ſeculis ipſis Sinenſibus deperditae. Qua de re cum in fine tractationis aliquid dicendum ſit, hic plura non cumulamus. Conſuli autem poſſunt quae pro myſterio hoc arithmetico enucleando vulgarunt RVD. AVGVSTVS NOLTENIVS [q] et Cl. KOEHLERVS [r]. In reliquis quibus de re literaria hoc anno mereri anniſus eſt vir celeberrimus, laboribus de Carteſii philoſophia ad Nicaſium diſſeruit, de rebus Sinicis nouiſſimas relationes vulgauit, ſuo quoque loco a nobis tangendas, et capita quoque nonnulla ad hiſtoriam Germaniae veteris et medii aeui pertinentia eleganter illuſtrauit. Anno autem ſequenti *Acceſſionum hiſtoricarum, ſiue monumentorum nondum hactenus editorum* Tomos duos publici iuris fecit: In argumento philoſophico autem, cum de notione naturae eiusque vi, et operatione inter ſe digladiarentur Ioannes Chriſtophorus Sturmius et Guntherus Chriſtophorus Schelhammerus, dynamica principia iam ante propoſita contra obiectiones Sturmianas confirmauit illuſtrauitque [s]. Et eandem quoque viam ad decurſum ſeculi exſpirantis tenuit; ſemper enim aliquid noui eruditae ciuitati legendum dedit, quod vel geometriam perficeret, vel calendarium emendaret, vel hiſtoriam ciuilem pariter atque literariam iuuaret, quae recenſere omnia, loci huius non eſt, videndus autem, qui cuncta pulchre complexus eſt, biographus Leibnizii Cl. Ludouici. Hoc vero tempore quoque P. Baylio, dubia contra harmoniam praeſtabilitam nectenti reſpondit.

§. XIX. Illuſtre autem prorſus eſt, quo ſibi ciuitatem eruditam immortaliter deuinxit Leibnizius, meritum, cuius euentus laetiſſimus vertente ſeculo apparuit. Nempe totus exardeſcebat vir ſuo iure magnus in literarum incrementa promouenda, omnemque lapidem mouebat, vt et ipſe ex abundantiſſimo penu quotidie noua conferret, et alios ingenio atque doctrina praeſtantes ad ſimiles conatus perficiendos exhortaretur. Probe autem et ratione inductus, et exemplis Galliae atque Britanniae conuictus nouerat, nihil magis proficuum eſſe literis, quam ſi mutuas inter ſe manus viri docti iungant, initoque foedere, poſitisque legibus ſuas ſymbolas ad emendandas et augendas diſciplinas conferant. Cui fini obtinendo, vt erat animo magno, cum valiturum praeſidium atque medium adhibendum eſſe ſtatueret, Fridericum I. Boruſſiae regem, principem vere magnum

Societatis ſcientiarum Berolini conſtituendae auctor Leibnizius.

p) Inſertae ſunt eius conſilio de concilianda feſtorum cum Paſchate ratione, Lipſ. 1724. edito p. 183. 186.

q) Pec. Schediaſmate Lipſ. 1734. edito, vbi nummi a Leibnizio inuenti delineatio quoque exhibetur. Add. Appendix ad Germ. Verſ. Theodiceae, quae narratio ex TENZELII Colloquiis menſtruis hauſta eſt.

r) In verſioni Monadologiae Leibnizianae, ipſam illuſtris viri epiſtolam ad ducem Brunſuicenſem p. 103. ſeqq adiecit.

s) A. E. 1698. Sept. diximus de hac controuerſia in Vita Sturmii parte antecedente. Conf. Vol. I. Epp. p. 25.

magnum et ampliſſime literis fauentem in partes pertrahere conſtituit. Illum igitur cohortatus eſt, vt exemplum Ludouici XIV et Caroli II, imitaturus, ſocietatem ſcientiarum regiis auſpiciis conderet, viros doctos conceſſis priuilegiis ad augendum diſciplinarum honorem excitaret et hoc pacto nouam Muſis ſedem in aula ſua panderet. Haec, vt efficax erat eloquentia Leibnizii, regi praeſens perſuaſit, virosque doctiſſimos ipſosque adminiſtros regis ea in re ſocios laboris et commodationis habuit [t], eo euentu, vt, ruptis tandem, quae conſilium laudatiſſimum ſufflaminauerant, impedimentorum repagulis, res omnis perficeretur, et, impoſito prius nouo regi diademate regio, anno ſequenti recenti ſocietati praeeſſe Leibnizius, etiam abſens iuberetur. Quo axiomate bonis auibus, feliciſſimisque, pro republica literaria auſpiciis ornatus, omnem in id vires contulit, vt viros vndequaque colligeret, et eruditionis laude et ſcriptorum gloria commendatiſſimos, qui datis ſocietati nouae nominibus ſymbolas ſuas ad amplificandas literas, maxime philoſophiam, matheſin et philologiam conferrent, et exempla exterorum laudabili aemulatione ſequerentur. Qua in re gnauiter vrgenda, quam ſedula fuerit Leibnizii contentio, ex epiſtolis eius a Cel. KORTHOLTO [u] editis abunde conſtare poteſt; His vero artibus adeo gratioſum ſe optimo principi, gloriam ex literis promotis ſibi iuſtiſſimam quaerenti reddidit, vt ſingularia prorſus beneuolentiae regiae ſpecimina multoties acciperet. Immo non regis tantum ſapientiſſimi gratia frui, ſed et optimae reginae, quae parem in ſexu ſuo eo tempore et virtutis, et doctrinae cultu non habebat [x], et ampliſſime viris doctis fauebat, eorumque colloquiis mire gaudebat, placere et frequenter illi adeſſe Leibnizio licuit. Qui vt animum maieſtati gratiaeque regis deuotiſſimum teſtaretur, cum literariis conſiliis bene coepta ſecundauit, tum ex rariſſimae eruditionis hiſtoricae penu in controuerſiis illuſtribus regiae domus, ſtatus adminiſtris, qua poſſet ratione impiger adfuit. Interrupit tamen nonnihil laudabiles conatus morbus, quo aliquot menſes anno CIↃ IↃCCIII Berolini aegrotauit.

Acta Leibnizii anno CIↃ IↃCCIV *ſeqq.*

§. XX. Quod Berolini tam laeto ſucceſſu voluerat ſaxum, Dreſdae quoque in aula Poloniae regis ſimiliter voluendum ſibi eſſe ratus Leibnizius, quod conuictus eſſet, maximo animo fauere literis principem incomparabilem, huius quoque mentem ad excitandam academiam ſcientiarum compellere ſtatuit, eo fine, vt ſororio cum Berolinenſi vinculo iuncta communibus niſibus laboreque inter ſe communicato literarum incrementa promoueret. Fulciebat ſpem Leibnizii, quod regem artium mathematicarum iucunditate et elegantia plurimum delectari noſſet. Nec dubitandum eſt, quin ſucceſſum conſilium habuiſſet exoptatiſſimum, ſi in alia tempora incidiſſet. Aſt belli ſtrepitu tum valde moleſto perſonabat Polo-

t) Conf. ſi placet, quae ea de re in Vita Danielis Erneſti Iablonskii, Decade II. Pinacothecae ſcriptorum noſtra aetate illuſtrium diximus.

u) Vid. Vol. I. p. 68. 70. 74. 76. ſeqq. Vol. IV. p. 347.

x) Vid. Vol. I. Epp. p. 248.

Polonia, et ad magis neceſſaria et grauiora vocabatur regis animus. Ita vero factum, vt in ipſo partu ſpes omnis ſuffocata euaneſceret. Noſter itaque ad praeſentia conuerſus, non modo irenica, quae tum in aula Berolinenſi feruebant conſilia maxima prudentia iuuare, et inepta, ac bello magis accendendo, quam paci reſtituendae idonea proſcribere [y], maxime autem hiſtoriam Brunſuicenſem, cui augendae promouendaeque deſtinabatur, nouis laboribus illuſtrare aggreſſus eſt. Qua occupatione lenire ſe ſimul poſſe dolorem, quem ex obitu reginae Boruſſiae, Sophiae Charlottae, qui anno CIↃ IↃCCV accidit, conceperat, ſperabat. Sub praelum ergo miſit *Collectionem hiſtoricorum*, quibus antiquitates Brunſuicenſes et Ateſtinae, (quae vno ex fonte promanarunt) illuſtrarentur, quae tamen annis demum ſequentibus CIↃ IↃCCVII, CIↃ IↃCCX, CIↃ IↃCCXI, tribus voluminibus prodiit. De qua, cum nobis inſtituti noſtri limitibus retractis dicere hoc loco, et quanta illuſtris viri merita ob eandem in hiſtoria medii aeuii ſint, oſtendere non liceat, conſulendi, poſt ipſum collectorem, eleganter prolixa eaque doctiſſima praefatione de pretio huic collectioni ſtatuendo commentantem, Ephimeridum literariarum eius anni [z], itemque bibliothecarum hiſtoricarum ſcriptores, qui laude digna virum ſummum mactarunt. Interim more ſuo, dum editioni inuigilat, ſcientias mathematicas, philologiam, hiſtoriam, iusque publicum minoribus ſcriptis, diariis literatis paſſim inſertis, illuſtrare perrexit [a]: quae cum argumentum noſtrum non tangant, praetermittimus, facile autem ex indice ſcriptorum Leibnizianorum colligi, diſcique poſſunt. Maius momentum habet ſtudium, quod haud leue hocce tempore vrgebat, *Theodiceae* opus, hortante Boruſſiae regina ſuſceptum, at poſt eius funera ab eo omiſſum, reſumendi, emendandi, augendi, perficiendi, ad quod amici eum fuerant cohortati. Abſoluiſſe autem anno CIↃ IↃCCVII foetum celeberrima poſtea fama per orbis literati circulos notum, ex epiſtola ad V. C. Mich. Gottlieb Hanſchium [b] conſtat, qua breuem naſcentis eius libri hiſtoriam eſt complexus. Alia quibus theologis Helmſtadienſibus commodum vtilemque ſe eo tempore praeſtitit, cum hac non pertineant, omittimus. Tacere autem non licet ea, quibus in argumento philoſophico verſatus eſt vir illuſtris anno CIↃ IↃCCVIII et ſequente. Nempe cum CVDWORTHI *Syſtema intellectuale* a doctiſſima filia dono accepiſſet, legere illud more ſuo, cumque in argumento grauiſſimo verſaretur, examinare conſtituit. Vidit autem (quod ad Cornelium Dietericum Kochium ſcripſit [c]) *eum pro parte feciſſe, quod faciendum ipſe cenſeat, vt non tam enarrentur omnia de rebus diuinis*

y) Conſulendae epiſtolae Leibnizii ad Ioannem Fabricium, Vol. I.

z) Act. erud. 1707. p. 460. FONTENELLE in Elog. Leibniziano, Io. FABRIC. Hiſt. bibl. ſuae T. III. p. 21. ſeqq. qui ſcriptores in iſta collectione comprehenſos fuſe recenſet.

a) Conf. LVDOVICI P. I. §. 437. ſeqq. pag. 442. ſeqq.

b) Principia philoſ. ab HANSCHIO edita p. 144.

c) Annal. Acad. Iul. ſem. III. p. 191.

nis dogmata hominum, cum errorum numerus sit infinitus, quam excerpantur vtiliora ad illustrandam veritatem, quae vnica est. Aſt concoquere naturas plaſticas [d] non potuit, quamuis materiae, praeter ἀυτιτυπίαν inſitas eſſe ἐντελεχείας ſtatueret; eo quod ſecundum Cudworthum naturae iſtae non agant mechanice in corporibus, cum tamen cenſeret ipſe [e], omnia in natura corporea fieri mechanice, etſi ipſa mechaniſmi principia ex ſola materia non pendeant. Et de hoc quidem argumento, ad ingenioſiſſimam foeminam, quae miro in philoſophia acumine gaudebat, in literis diſſeruit, et aſſertorum ſuorum rationes explicuit. Deinde cum Leibnizium, ſententiam de Pufendorfii philoſophia morali, in libro *de Officio hominis et ciuis* comprehenſa rogaſſet Gerardus Woltherus Molanus, abbas Loccumenſis, de ea quoque ita diſputauit [f], vt ſatis luculenter oſtenderet, totum quod conſtruxerat Pufendorfius iuris naturalis aedificium ſibi diſplicere, principia defectibus non exiguis laborare, plerasque ſententias in progreſſu non admodum principiis cohaerere, neque ex iis, tanquam cauſſis deduci, ſed potius aliunde ex bonis auctoribus ſumi, improbari ſibi, quod finem ſcientiae iuris naturae ambitu huius vitae includat, ea, quae intra pectus latitant, nec foris prorumpunt, ex iure naturae excluſerit, cauſſam efficientem iuris naturae non in rerum natura, ſed in ſuperioris decreto quaeſiuerit, ſibimet ipſi vero ſaepe numero obloquatur. Vnde iudicauit, libellum, etſi multa bonae frugis contineat, illis tantum vſum praeſtare, qui leui aliqua tinctura contenti ſcientiam ſolidam non affectent. Qua cenſura, dici non poteſt, quam moleſtus Pufendorfianae philoſophiae moralis cultoribus viſus ſit, qui famam Pufendorfii inuidia inſtigante arroſiſſe Leibnizium cenſebant. Enatae inde *Obſeruationes* celeberrimi IOANNIS BARBAYRACII *in epiſtolam Leibnizianam* [g], quam tamen vindicandam poſtea ſibi delegit BALTHASAR BRANCHV [h], arbitri ſibi partes ſumente GERSCHOMO CARMICHAEL [i]. Io. CLERICVS [k] quoque, quae iniuſte et praeter rem notata eſſe a Leibnizio iudicabat, publica ſcriptione confixit, eandemque ſemitam calcauit IMMANVEL WEBERVS [l], vt alios taceamus, qui vocibus pugnare Leibnizium, et praeiudicia ex philoſophia Scholaſtica hauſta cenſuerunt. Quibus tamen reſpondit, et pro veritate cenſurae Leibnizianae diſputauit Cl. ISRAEL THEOPHILVS CANZIVS [m]. Porro circa idem tempus ad certamen philoſophicum Leibnizium prouocauit Franciſci Lamy

d) Extat iam anno 1705. in Hiſtoria operum eruditorum M. Maio 1705. p. 222. Commentatio Leibnizii de naturis plaſticis.

e) Epp. Vol. IV. p. 16.

f) Edidit eius epiſtolam primus Io. Chriſtoph. Boehmerus 1709. tum Ephimerides nouae Bibliothecae Lipſ. T. I. p. 836. et KORTHOLTVS Vol. II. Epp. p. 145. ſqq. ſed multis quoque editionibus libelli de O. H. et C. praefixa eſt.

g) Adiectae ſunt Gallicae verſioni eius libri a viro praeſtantiſſimo editae, Amſt. 1718. 8.

h) In Obſeruationibus ad ius Romanum, Leid. 1731. 8. editis.

i) Edit is Pufendorfii libellum et ſupplementis ac obſeruationibus auxit. Edimburg 1724. 12. Vid. A. E. 1727. Ian.

k) Bibl. anc. et mod. T. IX. P. II.

l) In Monito apologetico ad epiſtolam Leibnizii cenſoriam Gieſſae 1719.

m) In Philoſ. Leibnizianae et Wolfianae vſu in theologia P. I. c. II. §. 12. 13.

Lamy monachi Benedicti contentio; qui dubiis premere harmoniam praestabilitam coepit: iis enim more suo docte et sine bile respondit [n].

XXI. Admodum foecundus fuit industria Leibniziana annus CIↃ IↃ CC X, quo plurimum philosophiam editis nouis lucubrationibus amplificauit, et omni quoque literaturae accessiones haud contemnendas adiecit. Et primo quidem loco euentum hoc anno habuit exoptatissimum cura Leibnizii obseruationes societatis scientiarum, Berolini conditae, vno fasce collectas edendi. Quam cum iam triennium fouisset, circa auspicia anni dicti prodiere *Miscellanea Berolinensia, ad incrementum scientiarum ex Scriptis Societati Regiae Scientiarum exhibitis edita, cum figuris aeneis et indice materiarum.* Quam obseruationum praestantissimarum farraginem, non extorsit modo precibus et cohortationibus suis viris doctis Leibnizius, totam digessit, praefatusque est et regi inscripsit, omnemque editionis curam vnus fere absoluit, sed et ipse ex abundantissimae eruditionis penu quam plurima contulit, immortalem ei gloriam conciliantia. Siue enim matheseos mysteria rimaretur, siue antiquitatis fontes aperiret, siue rerum physicarum, historicarum, philologicarum rationes panderet, in omnibus aeque magnum ostendit ingenium, dignus cuius vel hoc solo nomine apud posteros perennet memoria. Deinde quam absoluerat, *Theodiceam, siue dissertationem de bonitate Dei, libertate hominis et origine mali*, hoc anno typis Amstelodamensium prodire iussit, cuius celeberrimi libri historiam atque fata infra strictim enarrabimus. Id in praesentia monemus, et scribendi elegantiam, et argumenti varietatem multiplici doctrina refertam, et nouas atque inauditas hypotheses miro acumine defensas et aduersarios, quibus doctissima commentatio opposita est, in admirationem plerosque rapuisse, ita vt faterentur illi quoque, quibus multa paradoxa visa sunt, incomparabile esse decus ingenii Leibniziani. In hac autem tractatione, quamuis plurima noua sint, harmonia tamen praestabilita non inter animam modo et corpus, sed et inter naturae ac gratiae regnum, itemque elementa monadologiae prorsus singularia orbis philosophici oculos prae reliquis in se conuerterunt. Ceterum et Longium, *Bibliothecam sacram* augentem hoc tempore adiuuit, et thesaurum codicum Mscr. Gudianum bibliothecae Guelpherbytanae vindicauit. Tanto ardore cum in literarum disciplinarumque augmenta esset accensus, maximo eius gaudio accidit, vt anno sequente Petro I. Russorum imperatori innotesceret, quem Torgauiae conueniendi occasionem erat nactus. Vt enim maxima quaeuis complexus erat animo princeps magnus et praecipue emendandis ad meliores sensus subditis excelso spiritu intentus, ita non potuit non facilem se praebere Leibnizio, cuius ingens animi acies et summa de artibus atque scientiis merita ipsi commendata erant, auresque praebere patulas, cum nobilissima de augendis iuuandisque

Fructus industriae Leibnizianae an. CIↃ IↃ CC X. et seqq.

n) Iournal des Savans, Suppl. 1709. Mai.

que literis consilia vir optimus suppeditaret [o]. Quae gratissima fuisse monarchae, non modo muneribus, eius magnificentiam decentibus demonstrauit, sed et paulo post memorabili euentu compertum est. Relatus enim in numerum consiliariorum iustitiae, quos vocant, intimorum, annuo mille thalerorum stipendio auctus est [p]. Sed et postea an. cIↃIↃccxvI, quod ipse ad Kortholtum scripsit [q], ad acidulas Pyrmontanas profecto, Russorum imperatoris exporrecta frui gratia licuit: eidem quoque per biduum, quod deinde Herrenhusae prope Hannoueram egit, adhaesit, miratus in tanto principe non tantum humanitatem, sed et notitiam rerum et iudicium acre. Quod quanta reipublicae eruditae vtilitate, quantis scientiarum incrementis factum sit, facies Russiae literatae, pristinae barbariei ingenioque Scythico prorsus dissimilis satis probat, cum hodie tanti principis consiliis, quae fouit, auxit, formauit Leibnizius, id potissimum debeatur, vt nec vlla elegantiae literariae pars in vastissimo regno desideretur, nec laudatissimis institutis sequi vestigia ista cessauerint, quibus sceptra Russica post Petrum I. tradidit diuina prouidentia.

Conatus Leibnizii promouendarum scientiarum in aula Viennensi.

§. XXII. Quae in aula monarchae Russorum arrisit Leibnizio fortuna, apud Romanorum imperatorem non minus fuit fauentissima. Cum enim optimus princeps Antonius Vlricus, Brunsuicensium dux, Leibnizium Carolo VI. gloriosissimae memoriae de meliori commendauisset, locum eum in consessu consiliariorum imperii aulicorum capere iussit, et baronis axiomate clementissime auxit [r]. Cuius clementiae magnitudinem eum satis intelligeret Leibnizius, dignum ea se reddere cupiens, anno cIↃIↃccxIII Viennam aduolauit, et quid sibi de pacis Vltraiectinae ratione a Sinzendorfio delineata videretur, augustissimo imperatori scripto exposuit. Quae cogitationes adeo placuere et ipsi imperatori et summis rerum administris, vt stipendium bis mille florenorum Leibnizio decerneretur, vna cum conuictu in aula, duplo auctius, testibus *Actis eruditorum* [s] obtenturo, vbi sedem fixam, quod facturus erat, si diutius superuixisset, Viennae constitueret. Sed et alios inde effectus habuit ipsi laetissimos atque exoptatissimos. Admissus enim in amicitiam Eugenii Sabaudiae principis, aditum parante Bonneualio comite, incomparabilem heroëm, artis non minus patrocinio quam Martis fauore et experientia, atque felicitate bellica immortalem sibi fauentissimum expertus est [t]. Qui cum plurimum in aula valeret, omnium autem optime literis cuperet, easque promotum, quo posset modo, iret, facile intelligi potest, non Leibnizio tantum, sed et disciplinis exoptatissimam euenisse tanti herois beneuolentiam. Simili ratione aulae cancellario Sinzendorfio, de quo magna erat imperatoris opinio, valde commendata est Leibniziana eruditio [v]. Et his summis viris parariis ausus est Leibnizius, vltimam in vita

o) Epp. Vol. I. p. 304. 150. 414.
p) A. E. l. c. q) p. 365.
r) Factum id exspirante anno 1711.
s) loc. cit.
t) Vid. Vol. III. Epp. p. 289. seqq.
v) Ibid. p. 293.

vita sua manum promouendarum literarum negotio admouere, excitata quaestione atque consultatione de erigenda auspiciis imperatoriis societate scientiarum. Ad augustissimum ideo monarcham consilia sua detulit, qui cum animo non minus, quam imperio esset maximus, mature perspexit, plurimum ad gloriam sceptri sui, quin et vtilitatem patriae et regnorum suorum conferre posse, si hoc pacto scientiae iuuarentur. Vrsere institutum et ipse Eugenius, et comites Sinzendorfius atque Dieterichsteinius, aliique rerum Austriacarum et Bohemicarum administri, qui literis egregie fauebant; neminem enim facile omittebat vir illustris, quem laudatissimum institutum in aula Viennensi precibus, monitis, consiliis iuuare promouereque posse crederet. Et licet nonnulli, quos religionis zelus quidam, sane praeposterus, in scientias armauerat, intercederent x), et clandestinis artibus sufflaminare successus exoptatos tentarent, ipsum tamen clementissimum monarcham res immortalitatem gloriae comparatura fauentissimum habuit. Et dubium non est, quin ad laetissimum tandem euentum negotium totum peruenisset, nisi et fata publica moram iniecissent; et fata vltima Leibnizii illud tandem imperfectum relinquere eum coëgissent. Scripsit enim Leibnizius ad Ioannem Christianum Langium V. C. *magnum imperatorem praeclara agitare consilia, et scripto etiam decreto sibi rei curationem commissam esse. Sperareque, vbi nonnihil respirauerit aula ab incredibili sumtu, qui in bellum praesens poscatur, rationem initum iri nouae fundationis, quae viris egregiis viam apertura sit, ad praeclara destinata in rem conferenda.* Alio autem tempore, ad Schmidium, quo imprimis intercedente apud imperatoris amicos in aula vtebatur, scripsit, *accepisse se a cancellario aulae imperatoris nomine decretum confirmatorium eius rei, sic vt negotium ex voto optime succedat, et speranda modo atque expectanda pax sit; rem enim tantum non confectam esse, et desiderare modo, vltimam manum imponendam.* Ex quibus, aliisque, facile cumulandis, si historiam literariam scriberemus, constat, fatorum iniquitatem obstitisse, quo minus res euentum sortita sit y). Plurimum quoque ei obfuit absentia Leibnizii, quem et negotia ab aula Brunsuicensi commissa reuocauerunt, et pestis, quae anno cIↃ IↃ cc XIII Viennam depopulata est, relinquere aulam coëgit. Ceterum in ista mora Viennensi non modo scientiis mathematicis et historiae promouendae consilia sua destinauisse Leibnizium ex epistolis eius patet; sed et philosophiam amplificare studuisse, eamque in rem Eugenii voluntate in literas et philosophiam optime affecta prudenter fuisse vsum, ex dedicatione *Principiorum philosophiae* a viro celeberrimo MICHAELE GOTTLIEB HANSCHIO ad Eugenium Franciscum principem de Sabaudia et Pedemontio etc. scripta, constat, in qua docet, *serenissimum principem auctorem ei extitisse, vt primam de illis conscribendis cogitationem susciperet.*

x) Ibid. p. 294. et in Collectione Epp. Gallicarum Leibnizii Kortholtiana p. 65.

y) Plurimum hanc rem illustrant Epistolae Leibnizianae Vol. III. ab ep. 38. ad 57.

Reuerſi Hannoueram Leibnizii labores.

§. XXIII. Et haec quidem Viennae a Leibnizio acta ſunt: domum autem eum reuocauit admotus Britanniae throno poſt mortem Annae electror Hannoueranus, quem ſalutare, gratularique diadema regium conſtituerat. Qui cum ante aduentum in Angliam diſceſſiſſet, ſeruitio tamen fidem demonſtrare atque obſequium ſtuduit. Cui heri ſui rebus velificandi contentioni tributum tunc eſt ſchediaſma, quod rege in Britanniae throno collocato titulo *Anti-Iacobitae* comparuit, quodque ſcriptis Anglorum nonnullorum, quae contra religionem Lutheranam ad conflandum regi apud populares ſuos odium prodierant, reſpondit, et diſcrimen eccleſiae Anglicanae atque Lutheranae in articulo de coena curatius demonſtrauit. Aſt negauit Leibnizius haud ſemel [z], ipſum eius ſcriptionis auctorem eſſe. Certius eſt, nouis ſtimulis adactum Leibnizium condendae hiſtoriae Brunſuicenſis filum reſumſiſſe [a]. Sunt qui tradant, indignationem aulae meruiſſe Leibnizium, quod negotium, in quod immenſi hactenus ſumtus fuiſſent facti negligentius tractaret, et crebrioribus itineribus longaque in alienis locis mora rem interpellaret; idque adeo aegre tuliſſe Leibnizium, vt de relinquenda Germania, figendaque fortunarum ſuarum ſede apud Gallos cogitare coeperit [b]. Quod vtrum indubitato verum ſit, dicere non habemus [c]: fatemur autem, non carere omni veriſimilitudinis ſpecie. Nam biennium fere Hannouera abfuerat, reduxque Tourneminio, Ieſuitae Gallo, quo amico vtebatur, conſilium ſuum aperuerat, in Galliam concedendi: lectis quoque eius literis rex Ludouicus XIV, gratiam ei atque commoda obtulerat. Paulo poſt autem conſtitutus eſt a rege Angliae hiſtoriographus Brunſuicenſis Eccardus, vt tantum opus perficeret. Leibnizius vero, quem dolores arthritici, quibus ſubinde miſere vexabatur, in Germania retinuerunt, ſuſtentatus Eccardi induſtria gnauiter proſequi negotium perrexit, fauente rege, et diligentiam vtriusque fouente. Itaque in ſtudio hiſtorico iterum verſatus noua vbique detegere, vetera firmare, et origines quoque gentium eruere tentauit. Cui labori elegans quoque ſchediaſma *de Origine Francorum* debemus [d], quo Francos primum veniſſe a Baltico mari, fuiſſeque confluxum hominum ex Danis, Saxonibus, Anglis, Warnis aliisque populis vicinis probat. Quo in aſſerto, veterum teſtimoniis confirmato aduerſarios expertus eſt Ioannem Tourneminium et Nicolaum Hieronymum Gundlingium, de qua tamen controuerſia plura hic dicere non licet [e]. Non vero, argumentum tantummodo hiſtoricum controuerſiae circa hoc tempus implicuit Leibnizium, ſed et philoſophicam contentionis ferram reciprocare cum Samuele Clarckio, Newtoni aſſecla et ſectatore coactus eſt. Cum enim Newtoniani quidam valde reprehenderent, quod

z) FONTENELLE et Act. erud. l. c.
a) Vid. Nou. Lit. Lipſienſ. 1715. Suppl. XI. p. 495. Epp. Vol. III. p. 302.
b) Vid. Anonymus ad elogium Leibnizii Fontenellianum.
c) Journal des Sauans 1722. Fevr. art. 9.
d) Extat quoque in ECCARDI Legibus Francorum Salicis et Ripuariorum.
e) Conf. omnino Cl. LVDOVICI l. c. §. 505. 210. 211.

quod Deum intelligentiam supramundanam dixisset, harmoniam quoque praestabilitam improbarent, et haud pauca Leibnizianae metaphysicae arroderent, ipse, vt ingenio metaphysico Newtonum longe superabat, grauissimas obiectiones contra attractionis et grauitationis principium, contra spatium, Dei sensorium, contra vacuum, aliaque philosophiae naturalis Newtonianae capita opposuit [f]. Ex quo enata elegans et erudita *Collectio epistolarum Leibnizii, Newtoni, Clarckii, aliorumque philosophiam, religionem naturalem et mathematicas artes illustrantium* [g], quae consuli omnino ab illis debet, qui de pretio Newtonianae et Leibnizianae philosophiae (de qua nuper inter se decertarunt clarissimi viri VOLTAIRIVS [h] et KAHLIVS [i]) iudicare cupiunt. Cuius tamen argumentum atque summam enarrare hoc loco nobis, aliud agentibus non licet. Non absoluit tamen controuersiam istam Leibnizius fatis praeuentus, quare ad vltimam Clarckii epistolam pro Leibnizio respondit V. C. LVDOVICVS PHILIPPVS THVMMIGIVS [k].

§. XXIV. Ita totus literarum amore et promouendarum disciplinarum desiderio flagrabat Leibnizius, cum decrescere corporis vires, ex arthritidis doloribus et frequentibus insultibus valde exhaustas, ipse sentiret, aliquoties ab inimico malo deiectus, a quo tamen cruciatu eum medicina quaedam a nonnemine ex Societate Iesu suppeditata ad tempus liberauerat. Susceptis autem breuibus itineribus, cum de philosophia Sinensi ad Remondum [l] scriberet, arthritidis vehementia, humeros infestans exitialis illi esse coepit. Et assumsit ille quidem decoctum illud, quod a Iesuita Ingolstadiensi parare didicerat; ast exhaustae corporis ad senium vergentis et doloribus fracti vires eiicere potionem istam medicatam nequiuere, quo pacto obrui corporis aedificium praegrauarique malo necesse erat. Accedebant calculi dolores, affine malum, cui medendo quidem adhibebatur celeberrimus Seipius, cuius tamen medicamina effectu exoptato caruere, accedentibus conuulsionibus, quas instantis fati praenuntias esse, ipse probe vidit. Chartam itaque atque calamum dum poscit, et quae scripserat lumine admouet, caligantes oculos deprehendit, abiectisque scribendi adminiculis quieti se componit, sicque post octidui morbum, nihil vaticinatus, nihil locutus, tegumento capitis oculis inuolutis

Obitus Leibnizii.

f) Adiecit has epistolas mutuas CLARCKIVS editioni secundae Dissertationum de Existentia DEI, Lond. 1717. 8 Vid. Bibl. Angloise T. I. P. II. art. 17. Act. erud. 1717. p. 439. Nouvelles de la rep. des lettres 1717. Ianv. art. 5.

g) Tomum I. illius collectionis constituunt, Germanice vertit HENRICVS KOEHLERVS Fr. et Lipsi. 1720.

h) In Comparatione Metaphysicae Leibnizianae et Newtonianae, Gallice edita, quam Germanica veste indnit G. C. MOSHEMIVS magni parentis haud degener filius, Helmst. 1741. 8.

i) In Comparatione Metaphysicae Leibnizianae atque Newtonianae oppositaVoltairio. Goett. 1741. 8. Germ. disputatum autem est de Deo, de vacuo et loco in Deo, de libertate Dei, de principio rationis sufficientis, de religione naturali, de anima eiusque vnione cum corpore, de principiis materiae primis, de natura elementorum monadumque, et de vi actiua.

k) Addita est eius Responsio ad epistolam Clarckii quintam KOEHLERIANAE versioni.

l) Prodiit postea in Coll. epp. Kortholtiana Vol. II. p. 413. seqq. de qua suo loco dicemus.

uolutis [m] XVIII Cal. Dec. anno cIↃ IↃ cc XVI placide exſpirauit, annos natus ſeptuaginta. De cuius morte varii, vt ſolet fieri, rumuſculi oborti ſunt [n], quos tamen, cum fide dignis teſtimoniis careant, omittere, quam fabulis hiſtoriam commaculare philoſophicam virique de literis immortaliter meriti famam onerare malumus. Quo etiam epitaphium Galli nonneminis pertinet, qui mortuo leoni inſultare non erubuit. Aequius, viri docti memoriam defuncti, quem viuum principum fouit clementia, honorauit ciuitas erudita, laudibus cumulauit immenſa eruditio, elogia decantarunt, inter quae eminet elegans elegia ampliſſimi Chriſtiani Goldbachii [o], quae poſtquam merita viri illuſtris per omnem Europae ambitum doctrina illuſtris eleganter deſcripſiſſet, ita finitur:

Nil iam terra dabat, quo pergeret, inuolat aſtris
Fallor? an hic etiam cognita cunctæ videt.

Elatus eſt funere ſatis ſplendido [p], dignoque axiomate, quo eum virum extulerat principum fauor atque clementia, poſtquam a pueritia ad annum aetatis ſeptuageſimum in ſcientiarum ſtadio ita cucurriſſet, vt plerosque anteuerteret, totus ſtudiis intentus et in augendas ſcientias omnem vim animi corporisque conuertens. Quae cauſſa quoque fuit, cur coelibem vitam matrimonio praetulerit; de quo ſemel tantum in vita, aetate iam prouectior, ſed fruſtra cogitauit.

Character Leibnizii.

§. XXV. Fuit Leibnizius corpore non quidem procero, ſed ad iuſtam tamen viri magnitudinem aſſurgente, eoque habitu, qui macilentus magis, quam pinguis videri poſſet, quique animi vim mole ſua non grauaret. Eius autem robur in ſene fregerunt frequentes dolores arthritici et podagrici, quibus factum, vt aliquoties in vita aegrotauerit. Igneum autem temperamentum ſtomachi ardor ſubinde prodidit, vnde vinum aqua temperauit, calida [q] ſaepiuſcule cum lacte vſus: parcior potu, cibo paulo pleniore alebatur, quod viro, plurimum temporis meditationi tribuenti, et diu ſedenti non nocuiſſe mirum eſt [r]. Ita vero victus rationem habuit, vt philoſophum decet, cui vna veritatis cura, nullum enim ipſi prandii, nullum coenae tempus erat, ſed vacans a ſtudiis, famem habebat prandendi indicium. Teſte autem biographo [s], cum in ſenectute doloribus arthriticis vexaretur, loco prandii pauculo lactis fruebatur, ſed largius coenabat, ſtatimque a coena cubitum ibat, quod antehac ante horam primam vel ſecundam matutinam vix contingebat. Nempe inſatiabili deſiderio cum in lectionem optimorum librorum, atque vtiliſſimarum veritatum meditationem ferretur, omnes vitae commoditates his occupationibus

m) Vid. Eccard. in Bibl. Brem. T. VIII. Faſc. 1. p. 51.
n) Vid. FELLER. l. c.
o) Nou. Lit. Lipſ. 1717. p. 69.
p) Ibid. p. 125. ſeqq.
q) Potu Caffee, HANSCH. l. c. p. 135.
r) Nempe temperamentum ardens et naturalis ſtomachi firmitas iuuiſſe concoctionem etiam ſedentis videtur.
s) Act. erud. l. c.

tionibus posteriores habuit, adeo vt integros saepe menses a studiis et ex museo non discederet, quod vtrum sanitati eius fuerit inimicum, nec ne [t], medicorum filiis disceptandum relinquimus, negari autem non posse arbitramur, vitam sedentariam potissimum scorbuticam massae sanguinis dispositionem induxisse, ex qua tandem arthritidis malum, et calculi quoque incommoda enata sunt. Multum tamen praestabat ingens vis animi, et diuinum, quod nactus erat ingenium, cuius facultates ita ad optimam temperamenti rationem efformatas habuit, vt, quid natura in producendis viris magnis possit, in Leibnizio demonstrauisse, sine temeritate iudicare liceat. Et iudicii quidem acumen in discernendis veri falsique causis, modo, effectibus et similibus ita prodidit, vt mirum plane sit, virum tot disciplinarum inter se diuersissimarum studiis addictum inque argumenti generibus vastam lectionem et memoriam copiosam poscentibus, tanta certitudine iudicasse, et in veritatum systematumque recessus tam alte penetrauisse, errores detexisse innumeros, viamque a plerisque neglectam haud raro inueniisse. Quod ne παναγυρικῶς dixisse videamur, ad incredibilem εὐστοχίαν prouocamus, quam in difficillimis algebrae atque geometriae sublimioris problematibus prodidit, quae tanta fuit, quanta ab homine expectari potest, quaque meruit maximis veteris nostrique aeui viris aequiparari, immo praeferri plurimis. Quod cum in concessis habere orbem eruditum sit notissimum, disputationis feruori adscribendum esse putamus, quod vir quidam doctus censuit [u], iudicio Leibnizium defeciisse. Quamuis enim ad hypotheses nouas et ratione carentes prouocent, qui ita statuunt, si quid tamen iudicamus, egregie falluntur: quod si enim concesserimus, de quo disputandi locus hic non est, non probari posse hypotheses Leibnizianas accurate et sine praeiudicio iudicantibus, aliae tamen caussae, quam iudicandi vis imminuta accusandae sunt; cum frequentia satis exempla sint virorum iudicio acutissimo instructorum in annalibus literariis, qui ad nouas tamen et inauditas paucisque probatas sententias delapsi sunt. Vt taceamus, pleraque ea quae iudicandi virtute non consulta vir illustris attulisse accusatur, ab eo ὑποθετικῶς asserta fuisse, quorum natura ea est, vt de ipsius hypotheseos veritate et falsitate hactenus dispici non soleat, modo ratio pateat de phaenomenis aliquid statuendi, quo duce tandem, abiecta hypothesi, ad veritatem perueniri posse sperandum sit. Quo pacto harmoniae praestabilitae hypothesin virum summum adhibuisse, quae iudicio carere multis visa est, infra dicemus. Fatemur autem, etsi acerrimo iudicio vsus sit Leibnizius, inue-

t) Negat id Cl. LVDOVICI l. c. §. 236. p. 263.

u) Ven. IOACH. LANGIVS in Recensione scriptorum Anti-Leibnizianorum et Anti-Wolfianorum p. 36. conf. tamen EIVSD. Modestam Disquisitionem noui philosophiae systematis de Deo, mundo et homine p. 151. HEVMANN. Act. phil. Vol. II. p. 469. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. III. p. 642. MORHOF. Polyhist. T. II. p. 297.

inueniendi tamen fingendique vim animi praecelluisse, quam vere diuinam et incredibilem fuisse concedent, qui tot ἐυρήματα ab illustri viro producta in lucem, tot problemata geometrica summis quoque viris imperuia, quae construxit, et soluta postea explicuit, tot coniecturas historicas mire rerum circumstantiis respondentes, profectas ab ingenio Leibniziano expenderint. Cuius facultatis tanta illi adfuit felicitas, vt, quod ipse de se obseruauit x) omnia difficilia sibi facillima haberet, in facilibus nonnullis difficultatibus impediretur, cum ad summa et excelsa tantum animum intenderet. Nec vel illustrius eius rei specimen vel gloriosius Leibniziano nomini est, calculo differentiali, quo solo aeternitatem famae vir incomparabilis meruit. Solet autem ita plerumque euenire, vt qui has intellectus facultates habent excellentes, memoria valde leui sustententur, contra qui reminiscendi copiose et fideliter virtutem possident, iudicii paupertate premantur. Aſt contrarium in Leibnizio eueniſſe omnino mirandum est: qui cum tantum legisset, quantum alii in tota vita vix oculis capiunt, non modo fideliter retenta suo tempore locoque resumere semper in potestate habuit, sed et rerum copia minime impeditus suis quaeque locis adhibere, ministrante memoriae fidelitate, potuit. His accessit insatiabilis veritatum incognitarum emendandarum cupiditas, et fames scientiarum inexplebilis, qua concitatus fere puer Leibnizius illis aetatis annis ad disciplinarum culmina properauit, quibus aegre gressibus titubantibus stadium literarium ingrediuntur alii. Quod nos affectui non dare aut admirationi ineptae, ea quae de praecoci eius eruditione et vulgatis in ipsa adolescentia speciminibus supra copiose narrauimus, euincunt. Et hunc quidem scientiarum amorem non nisi cum vita deposuit, cui quas curas, quos labores, quamque disciplinarum apud principes quoque promouendarum industriam orbis eruditus debuerit, ex narratione vitae eius abunde constat. Ita vero factum, cum tot diuini ingenii dotes, suo iure maximae conspirarent, vt doctrina enasceretur in viro summo non modo amplissima et per omnem fere disciplinarum campum se diffundens, sed et ingens atque ad abditissima naturae arcana se extendens. Quae cum in vita satis longa iugi exercitatione firmaretur, nec cessaret vir optimus eam augere, ornare, amplificare, experientia illi exorta haud leuis, qua ex arena haud raro illa manibus quasi palpabat, quae longa meditatione assequebantur alii. Accessere his intellectus dotibus animi virtutes haud paucae, quas valde praedicant, qui cum eo familiariter vixerunt, vel qui commercio literario inito eius consuetudine sunt gauisi y). In quibus humanitatem et beneuolentiam viri illustris, bene omnibus cupientis, et scientiarum iuuandarum conatus, quibus posset modis, promouentis, huncque in finem consilia optima sine inuidia suppeditantis prae reliquis suspiciendam esse putamus. Testem volumus innumeram epistolarum farraginem, ad viros doctos cuiuscunque generis et ordinis scriptarum, quarum partem lauda-

x) Leibniziana p. 160.

y) Conf. BVDDEVS Hist. phil. c. 6. p. 492.

laudabili induſtriae Ven. KORTHOLTI[z] debemus. In iis enim mira dulcedo atque lepor regnat, lectoris animum mire alliciens atque capiens, iucunditasque tanta, vt legendi faſtidium obrepere vix poſſit. Quod non modo doctrinae varietati, qua velut floribus per hortum ſparſis abundant, ſed et humanitati et beneuolentiae, quibus eas quaſi melle condiuit Leibnizius, adſcribendum eſt. Huic merito iungimus aequitatem virorum doctorum meritis praeſtitam. Quamuis enim, vt erat animo magno et a ſeruili admiratione vacuo, candide et aperte de ſummis quoque viris iudicaret, eorumque naeuos modeſte reprehenderet, laudandam tamen et voluntatem eſſe cenſuit, et iuſtum ſtatuendum eſſe pretium iis, quae recte feciſſent, ſtatuit. Tantum autem ab inuidia aberat, vt gloriam, quae ipſi debebatur, haud raro inter viros doctos diuideret, et ad gloriam capeſſendam non hortator modo ſed et viae dux atque pararius adeſſet. Nempe tantae erant, quas in proprio fundo poſſederat, ingenii doctrinaeque diuitiae, vt ex aliorum gloria ſurrepta ſibi laureolam quaerere, quod non niſi ingeniis vulgaribus licet, erubuerit. Mirum autem eſt, quantum a philoſophiae exercitatione acceperit praeſidium Leibnizius, in continendo intra modeſtiae limites animo. Quam virtutem prorſus egregiam, tum maxime oſtendit, vbi cum antagoniſtis erat certandum. Quoscunque enim ſibi aduerſantes expertus eſt, aut quos refutare eſt aggreſſus [a], ita compellauit, vt laudare voluiſſe cenſeretur? ita refutauit, vt habere amicos et plurimum eos facere omnes crederent. Et profecto inter ſummas viri incomparabilis laudes referendum eſſe exiſtimamus, quod de eo teſtatur biographus rerum Leibnizianarum callentiſſimus [b], quodque qui intima amicitia illi innotuerat IOANNES FABRICIVS [c] confirmat: de nemine vnquam male locutum, quin omnia in meliorem partem interpretatum eſſe. Quod qui fauori et amicitiae datum eſſe putauerit, eum ad epiſtolas ſummi viri, quarum pleraeque familiares fuerunt, et in quibus maior ſentiendi iudicandique vſurpari ſolet licentia, merito amandamus. Nihil autem iactantius ipſe aut vindicauit ſibi, quod ſuum non eſſet, aut inanem gloriam, licet verae laudis eſſet valde cupidus, affectauit vnquam, cum vires ſuas ſufficere ad eum tuendum locum noſſet, qui praeſtantiſſimae eius doctrinae debebatur. Ex quibus omnibus, vnam in rationem conductis, recte, niſi toti fallimur, colligimus, inter maxima orbis literati ingenia, quae omnis aetas tulit, eſſe numerandum Leibnizium, et paucos habuiſſe pares ſuperiorem inter viros doctos fere neminem.

§. XXVI. Nihil in hac animi doctrinaeque Leibnizianae imagine depingenda dediſſe nos aut partis ſtudio aut gentis noſtrae amori, conſtans *Iudicia virorum doctorum de Leibnizio.*

z) Prodiere quatuor voluminibus Lipſiae ex elegantiſſima typographia Breitkopfiana 1734-1742. commendarique ad noſcendum Leibnizium merentur praefationes venerandi editoris doctiſſimae.

a) Cum nemine animo magis vulnerato eſt congreſſus, quam cum Keilio et nonnullis aliis Newtoni ſectatoribus; verum et heic quoque modeſtiam non neglexit, luculenter teſtatus, diſplicere ſibi bella, quae victoriam ſpondent, ſed ingloriam. Vid. Recueil. T. II. p. 5. ſeqq.

b) Act. erud. l. c.

c) Hiſt. bibl. ſuae T. II. p. 317.

ſtans ciuitatis eruditae inferenda de Leibnizio ſententia concordia probat. Facilis autem labor eſſet, ſi id ageremus, ſatis magnum elogiorum Leibnizianorum aceruum congerere, quae de inſigni philoſopho pronuntiauit respublica literaria. Verum quo minus his inhaereamus, dicendorum copia obſtat. Ne vero ſine calculo doctorum virorum de praeſtantia ingenii ingentibusque doctrinae meritis tanti viri ſententiam dixiſſe cenſeamur, trigam virorum inter eruditos celeberrimorum in partes vocamus; P. Baylivm, Pavlvm Pellissonivm, et auctorem *Memoriarum literariarum Triuultinarum*. Et Baylius [d] quidem cum epiſtolarum inter Pelliſſonium et Leibnizium controuerſias religionis agitantium mentionem feciſſet, ſubiicit: *illi ipſi, qui mille ſpeciminibus edocti ingenii Leibniziani vaſtitatem intelligunt, non poſſunt ſatis mirari, quanta puritate Gallici ſermonis has obiectiones exarauerit. Certe ex illorum virorum numero eſſe cenſendus eſt, qui meritorum, quae hominibus obtingunt, limites ignorant, ſed omnem eorum orbem implent.* Pelliſſonius autem non minus eleganter ad Pirotum [e]: *Fidem teſtor, totum me cepiſſe Leibnizium noſtrum, cuius annotationes priores mihi pulcherrimae viſae ſunt, indeque poſtea conieciſſe ineſſe ei ingenium elegantiſſimum, iudicium acre, ratiocinandi peritiam accurate in receſſus rerum penetrantem, quamuis ſolida ea eſſe, quae ſcripſit, non videantur. Teſtatur autem transmiſſa epiſtola magnam iudicii vim, doctrinam ſolidam, ſenſumque rerum omnium exquiſitum. Gaudeo quoque ex meditationibus phyſicis tantum religionis relucere, ex quo et intentio animi optima, et ſcopus iuſtus atque purus pectusque integrum elucent: recta quoque videntur, quae de extenſionis idea diſſerit, quibus omnino pollicem premo etc.* Paulo plenius de Leibnizio iudicat auctor *Memoriarum Triuultinarum* [f], qui cum recenſum epiſtolarum Leibnizianarum a Kortholto editarum dediſſet, pulchreque obſeruaſſet, ex epiſtolis familiaribus virorum doctorum imaginem atque characterem omnium certiſſime diſci poſſe, addit: *Totum ſe in his epiſtolis denudaſſe Leibnizium: conſpici in iis theologum, iuris peritum, philoſophum, hiſtoricum, mathematicum, et cum omnia comprehenderet, in omnibus totum.* Patere in iis non eius modo ſyſtemata, et animi ſenſa, ſed et characterem: *vbique enim prodere virum bonum, honeſtum, humanum atque beneuolum, pacis amantem, contradictionis et liticularum humanitate carentium atque iudiciorum temerariorum inimicum, quem cum in ſupremo loco infinita doctrinae vis et amplitudo collocaſſet, attingere vulgi inuidia non potuerit. Apparere luculentis ſpeciminibus, quanta facilitate animi, gloriam ſuam aliorum honori inſeruire iuſſerit, licet illi minima pars eorum eſſet, de quibus gloriarentur: quanto deſiderio vires omnes in id contulerit, vt ſcientiarum incrementa, promoueret; neglecta earum promotarum fama atque laude; quam impiger fuerit in iuuandis meditationibus et luminibus ſuis, illis qui*

d) Dict. T. III. art. Pelliſſon not. C. p. 642. e) l. c. p. m. 344. f) 1737. Nou. art. 2.

qui magnum quid conarentur; quantumque precum, cohortationis, consiliorumque ad eam rem contulerit, idque effecerit, vt prima fere consiliorum omnium cauſſa mouens eſſet, quibus aucta ſit eo tempore respublica literaria, in qua ob ſingulare ſtudium et ingenii capacitatem principatum aliquem obtinuerit. Adduntur plura, de ſcriptis, meritisque ſummi viri magnificis elogiis differentia, quae breuitatis cauſſa omittimus. Haec enim non a Germanis ſed a Gallis profecta, qui in contemnendis alias Germanorum ingeniis faciles ſunt, opponere licet iis, quae Lockius, Molyneus [ff], Keilius, et nonulli alii cenſurae impatientes de tanto viro ſiniſtrius iudicarunt.

§. XXVII. Recte iudicauiſſe viros doctiſſimos, quorum de Leibnizio effata adduximus, facta inductione exemplorum demonſtrari, probarique poteſt, polyhiſtoris laudem eum, ſi quis vnquam iure ſuo meruiſſe. Nam non vna ſibi deuotum habuit ſcientia, ſed per omnes diſciplinarum circulos late vagatus, nulla eſt, quam non attigerit, perſpexerit, amplificauerit. Mirumque omnino eſt, quod cum in geometriae ſublimioris ſtudio omnem fere, quae ante ipſum fuit, aetatem ſuperauerit, in aliis tamen eruditionis generibus, ab hac diſciplina theoretica longiſſime diſtantibus, qualia ſunt iuriſprudentia, hiſtoria, antiquitatum cognitio, ſtudium etymologicum et ſimilia, vbique Roſcium ſeſe praeſtiterit, in iis quoque diſciplinis commendatiſſimus, quae ab ingenio laudem accipiunt. Cuius exempla eſſe poſſunt carmina Latina, propitia vena a viro ſummo conſcripta, in quibus ſiue inuentionis elegantiam, ſiue numerorum apte fluentium concinnitatem, ſiue totius carminis effigiem ad veterum exempla feliciter effictam conſideres, facile conceſſeris inter melioris generis poëtas Latinos ſuo tempore Leibnizium fuiſſe connumerandum [g]. Maxime autem acumen et rerum pondus in illis miratur Fontenellius [h], ideoque cum Lucano Leibnizium comparat: quem tamen caſtigata cogitandi fingendique ratione ſuperauiſſe, omnino fatendum eſt. Cuius vt ſpecimen lector habeat, aliquod in fine paginae ſubiungimus [i]. Non impari felicitate verſiculos Gallicos ſcribere tentauit, cuius linguae elegantiam ita tenebat, vt non modo in Gallia natus videri poſſet, ſed et Gallorum eloquentiſſimos paribus veſtigiis fuiſſe ſecutus iudicaretur. Praeclariſſime autem in omni hiſtoriae genere, maxime, quae ad medium aeuum pertinet, erat verſatus. Cuius ſtudii fundamenta cum a doctiſſimis praeceptoribus, maxime Ioanne Andrea Boſio hauſiſſet, mature induſtriam illi dica-

Merita Leibnizii de diſciplinis.

uit

ff) Conf. DES MAIZEAVX Praef. collectionis Gallicae diſſertationum Leibnizii, Clarckii, Newtoni.

g) Recenſet carmina Leibniziana LVDOVICVS l. c. P. II. p. 71.

h) loc. cit.

i) In Neptunum, pacti ſtatorem, quum mare Mardicenſis aquaeductus exitum ſabulo oppleuiſſet:

Anglia Neptuno conqueſta eſt, Gallica pacta
Irrita ludibriis eſſe pudenda ſuis.
Quid Dunkerca vacet, ſi proxima Mardica ſurgat
Longaque ſit ſtatio, quae modo lata fuit.
Cui Deus; hoc poteras cauiſſe o filia, falli
Plus ſemel illuſus foedere, dignus erat
Ipſe tamen tueor. Quatit et mox ipſe tridentem,
Et ſubito eſt cumulus, quae modo foſſa fuit.

Vid. Vol. I. Epp. p. 268. 319.

uit ſuam, eo quod intelligeret, iurisprudentiam publicam, cui ſe in iuuentute praecipue addixerat, principumque controuerſias non niſi hoc lumine colluſtrari poſſe. Iuuenem autem in hac eruditionis parte Leibnizium excelluiſſe, et hiſtoriam quoque illuc traduxiſſe, vt vſum in cauſſis illuſtribus haberet, ex ſcriptis Vlicouii et Furſtenerii nomine editis diſci poteſt. Maxime vero immenſa rerum mediae aetatis cognitio illi ſubnata eſt, ex quo tradita ſparta deſcribendae hiſtoriae Brunſuicenſis, iter fecerat per Germaniam et Italiam, reduxque vndecunque affluebant, quibus conſilium iſtud iuuari poſſet. Qua de re cum ſupra nonnulla dixerimus, ea otioſe non repetemus. Aſt iunxerat vaſtiſſimae notitiae rerum veterum inſolitam coniiciendi felicitatem, qua in cauſſas abditas et latentes penetrabat, et eruebat nonnunquam illa, quae ignota prius erant omnibus. Neque ſolis Brunſuicenſis domus limitibus ſe circumſcribi paſſus, ad omnium fere regionum hiſtoriam reſpexit, vetuſtas origines eruit, pacta, foedera, ſtatuta, quaeque alia publica diplomatum fide conſtant, conſuluit, indeque elegantiſſimum *Codicem iuris gentium diplomaticum* exſtruxit. Nec aliis fuit in iurisprudentia, cuius naeuos quam acute perſpexerit, quantaque induſtria medicinam illis afferre tentauerit, ex ſupra narratis liquere poteſt. De quibus tamen eius meritis heic prolixius agere, inſtitutum vetat, meretur autem vir ſummus ex laboribus literariis cognoſci, vt conſtet, quanta πολυϊστορίας laude merito floruerit. Praeclare vero in philoſophiae hiſtoria verſatus, omnem veterum doctrinam eleganter animo complexus eſt, tantaque iudicandi acie excuſſit, vt non poſſint non ea iucundiſſima eſſe, quae vbique fere tum in ſcriptis tum in epiſtolis diſſeminauit. Id quod eo magis mirandum, quo magis, eo quidem, quo Leibnizius viuebat, tempore, hiſtoria philoſophica vix ex puluere ac ſqualore inter Germanos protracta caput efferre et lumina diſciplinis philoſophicis praeferre coeperat. Solebat autem vir illuſtris non ipſa tantum veterum dogmata perquirere, ſed momenta quoque ſyſtematum expendere, deque eorum veritate aut falſitate iudicium interponere. In quo licet, fato humano, non ſemper ad ſcopum collineauerit, fatendum tamen, virum acutiſſimum multa vidiſſe, quae ignorabantur aliis, et penetralia veteris philoſophiae perreptauiſſe. Ad quam ineundam viam dux illi fuit incomparabilis Iacobus Thomaſius, cui reuera reſtitutam hiſtoriam philoſophicam maxime illam, quae de genuinis veterum opinionibus decernit, in Germania noſtra debemus. Cuius ductum ſecutus admodum iuuenis veteres et recentiores inter ſe comparauit, eorum dogmata excuſſit, rationes latentes in apricum produxit, talemque ſe praeſtitit, vt, niſi, neſcio quo fato, praepoſtero Syncretiſmi [k] inter veteres et recentiores ineundi ſtudio fuiſſet praeoccupatus, ab eo adhuc iuuene ingentia incrementa ſperare potuiſſet hiſtoria philoſophica.

Ex

k) Dictum de hoc ſtudio ſyncretiſtico Leibnizii ſupra. Illud autem aetate prouectior abiecit, nouo ſcilicet, quod ipſe cudere coeperat ſyſtemati metaphyſico et phyſico intentus.

Ex hinc cauſſa quoque deriuanda eſt, cur veteribus per totam vitam fuerit propenſiſſimus, quos facilius contemni atque reprehendi, quam intelligi a plerisque recte ſtatuebat. Maxime vero fauebat vir ſummus Platoni, in cuius philoſophia ipſi plurima probabantur. Vnde ad Bierlingium ſcripſit [l]: *de Platone non ſentire ſe tam contemtim, meditationes eius autem ſibi et profundas paſſim et vtiles videri. Et habere ſe Ciceronem non malam iudicem ſecum ſentientem. Didiciſſe enim nos non ita pridem, plus Platonem in receſſu habere, quam vulgo appareat.* Paulo prolixius autem de Platone eiusque philoſophia differuit, et quid ipſi in ea probetur expoſuit in epiſtola ad Cel. HANSCHIVM [m], eius ſchediaſmati *de Enthuſiaſmo Platonico* praefixa, quae ideo memorari expendique merentur, quia ad origines hypotheſium Leibnizianarum intelligendas plurimum facere poſſunt. Scribit autem polyhiſtor praeſtantiſſimus: „Nulla veterum philoſophia magis ad Chri„ſtianam accedit, quam Platonica, etſi merito reprehendantur, ſi qui „vbique putent Platonem conciliabilem Chriſto. Sed ignoſcendum eſt „veteribus, initia rerum creationemue [n], et corporum noſtrorum reſur„rectionem negantibus. Haec enim ſola reuelatione ſciri poſſunt. In„terim pulcherrima ſunt multa Platonis dogmata, quae tu quoque attingis: „vnam omnium cauſſam eſſe: eſſe in diuina mente mundum intelligibi„lem, quem ego quoque vocare ſoleo regionem idearum. Obiectum ſa„pientiae eſſe τὰ ὄντως ὄντα ſubſtantias nempe ſimplices, quae a me mona„des appellantur, et ſemel exiſtentes ſemper perſtant πρῶτα δεκτικὰ τῆς „ζωῆς, id eſt Deum et animas, et harum potiſſimas, mentes, producta a „Deo ſimulacra diuinitatis. Mathematicae autem ſcientiae, quae agunt de „aeternis veritatibus in diuina mente radicatis praeparant nos ad ſubſtantia„rum cognitionem. Senſibilia autem, et in vniuerſum compoſita, ſeu, vt „ita dicam, ſubſtantiata, fluxa ſunt, et magis fiunt, quam exiſtunt. Porro „quaeuis mens, vt recte Plotinus, quendam in ſe mundum intelligibilem „continet, immo mea ſententia et hunc ipſum ſenſibilem ſibi repraeſen„tat. Sed infinito diſcrimine abeſt noſter intellectus a diuino, quod Deus „ſimul omnia adaequate videt, in nobis pauciſſima diſtincte noſcuntur, „cetera confuſa velut in chao perceptionum noſtrarum latent. Sunt ta„men in nobis ſemina eorum, quae diſcimus, ideae nempe, et quae in„de naſcuntur, aeternae veritates: nec mirum, quum ens, vnum, ſub„ſtantiam, actionem, et ſimilia inueniamus in nobis, et noſtri conſci„ſimus, ideas eorum nobis ineſſe. Longe ergo praeferendae ſunt Plato„nis notitiae innatae, quas reminiſcentiae nomine velauit, tabulae raſae „Ariſtotelis et Lockii aliorumque recentiorum, qui ἐξωτερικῶς philoſo„phantur. Itaque Platonem Ariſtoteli et Democrito vtiliter coniungen„dum cenſeo ad recte philoſophandum. Sed nonnullas κυρίας δόξας in „eorum

l) Vol. IV. Epp. p. 37.
m) Extat etiam Vol. III. Epp. p. 64. ſeqq.
n) Id de creatione et nihilo intelligendum eſt. Factum enim in tempore mundum a cauſſa ſumma et optima ex praeiacente materia Plato ſtatuit.

„eorum vnoquoque expungi oportet. Non male Platonicis quatuor in „mente cognitiones agnoſcuntur, ſenſus, opinio, ſcientia, intellectus, „nempe experimenta, coniecturae, demonſtratio et pura intellectio, quae „veritatis nexum vno mentis ictu perſpicit: quod Deo in omnibus com„petit, nobis tantum in ſimplicibus datum eſt. - - Animam in hoc „corpore velut carcere eſſe, ſano ſenſu intelligi poteſt. Sed abiicienda „eſt philoſophorum veterum opinio, quod corpus poenalis ſit carcer in„telligentiae olim peccantis. - Illud recte veteres, animam in corpore „tanquam in ſtatione eſſe, vnde iniuſſu ſummi imperatoris decedere fas „non ſit. Nec illud inelegans, prouidentia nos regi, qua rationem ſe„quimur fato, et inſtar machinae, dum affectibus ferimur. Id enim ex „harmonia praeſtabilita hodie nobis perſpectum eſt, Deum omnia tam „mirifice inſtituiſſe, vt corporeae machinae mentibus ſeruiant, et quod „in mente eſt prouidentia, in corpore ſit fatum. Etiam de virtutibus „praeclare Platonici et Stoici veteres etc.“ Deſcribendus erat locus integer, licet longiuſculus, vt dictorum ratio conſtaret. Etiamſi enim non negemus, explicationes Platonicorum dogmatum nonnullorum a magno viro allatas illis probari non poſſe, qui ſine praeiudicio Platonem legerunt: qualia ſunt quae de obiecto ſapientiae, deque harmonia inter fatum et prouidentiam dixit, in quibus in deuia virum eruditiſſimum deduxit ſtudium hypotheſes ſuas apud veteres inueniendi: fatendum tamen, inſolitam Platoniſmi notitiam in his demonſtrauiſſe Leibnizium, ſatisque prodidiſſe, quam pulchre Academiae parenti faueret. Sed et aliis Graeciae veteris ſapientibus mire ſe praeſtitit beneuolum, illis indignatus, qui de maioribus abiecte ſentiunt. Id nos animaduerſiones ad Bierlingium ſcriptae [o], docent, in quibus inter alia: „Etiam Senecae et Stoicis plurimum faueo; idem fe„cit Carteſius etiam in morali philoſophia et in vniuerſum ſentio, rectius „et vtilius diſpici, quid in veteribus probandum, et in vſus noſtros trans„ferendum ſit, quam quid reprehendendum. Nemo vnquam clarus fuit, „in quo non multa laudem mererentur. Video hodie iuuenes hoc morbo „laborare paſſim, vt de maioribus contemtim loquantur: credo ignoran„tiae, vel potius negligentiae excuſandae cauſſa, vt iure illorum prae„ceptis carere videantur. Itaque conſultum puto, vt prudentia docenti„um a tam praeuo more abducantur. Veriſſima eſt Stoicorum doctrina, „affectus eſſe perturbationes, et dandam operam, qua licet, vt ſine per„turbatione iudicemus. Sed fatendum eſt, perturbationes non ſemper „vitari poſſe, et tunc noſtram eſſe debere curam ſecundariam, vt eas mo„deremur, tanquam in poteſtate. Ideam ſapientis perfecti, vt optimae „reipublicae proponi vtile eſt, etſi nuſpiam detur in terris. Etiam „Academicorum et Scepticorum placita multa cum vtilitate expendentur „ab eo, qui vera philoſophiae principia conſtituere volet. Multa enim „veriſſime

o) Tranſmiſerat Leibnizio Bierlingius Lineamenta methodi ſtudiorum, ad quae animaduerſiones optimae frugis plenas ille ſuggeſſit; extant Vol. IV. Epp. p. 32. ſeqq.

„ veriſſime de ſenſibilium inſubſiſtentia, quae phaenomenis magis ſed le-
„ gitimis, quam rebus, accenſeri merentur. Non omnis cognitionis
„ fundamentum ſunt ſenſus: veritates neceſſariae a ſenſibus non docentur
etc. Non vero Graecanicae modo philoſophiae ſe fauentem praebuit Leib-
nizius, ſed exoticae quoque, maxime Sinicae, quam mire ab eo tempore
deperire coeperat, ex quo cum Ieſuitis religionis Chriſtianae inter Sinas
ſerendae cauſſa a pontifice Romano miſſis commercium epiſtolicum inſti-
tuerat, legeratque libros Sinicos a Remondo communicatos. Fatetur
enim in epiſtola ad hunc virum clariſſimum [p]: ſenſum aequiorem atque ſa-
niorem omnino tribuendum eſſe veterum Sinarum praeceptionibus; inde-
que doctrinas eorum de ſupremo principio, de eius vnitate, de materia
vniuerſali, de ſubſtantiis ſpiritualibus et ſimilibus ita explicari poſſe, vt
falſae et ſuſpectae ſignificationes omittantur. Vnde facilis quoque eſt in
excuſando cultu maiorum Sinico. Sed et Scholaſticos contemnendos
haud eſſe, planeque reiiciendos ſtatuit, quamuis naeuos eorum ſatis intel-
ligeret. Quare iam faſſus eſt cum Nizolii librum ederet [q]: *iniquos eſſe, qui
temporum infelicium lapſus tam acerbe perſtringunt, qui ſi illic fuerint,
aliter ſentirent.* Cuius rationes cum ab iniquitate temporum et miſera-
bili fato, quod ſcriptores optimos et alia ſtudiorum auxilia hominibus in-
uidit, deriuauiſſet, addit: *Non vereri ſe dicere, Scholaſticos vetuſtiores
nonnullis hodiernis et acumine, et ſoliditate, et modeſtia ab inutilibus
quaeſtionibus circumſpectiore abſtinentia longe praeſtare: eſſe quoque ſe-
ctam nominalem hodiernae reformatae philoſophandi rationi congruentiſſi-
mam* [r]. Alibique Scholaſticos agnoſcit abundare ineptiis, ſed aurum eſſe
in illo coeno, hocque bene ſciuiſſe Grotium. His opinionibus decretisque
cum ſubſcriberet Leibnizius, mirum non eſt, haud pauca veteris philoſo-
phiae, et Scholaſticae quoque in eius ſyſtema, quod formare coeperat,
confluxiſſe, et praetuliſſe eum veteres recentioribus, quorum καινοφιλίαν
non aequo ſatis animo ferebat. Fatendum tamen, viris in philoſophia
ſummis, quos recentior aetas tulit, honorem, quem mereri credebat, de-
tuliſſe, cuius ſpecimen eſſe poteſt iudicium eius de Hobbeſio [s], quem
paucos cenſebat intelligere, eumque non tam eſſe pro abſoluta poteſtate,
quam putatur, licet inſufficientia principia ſint. In ipſa philoſophia au-
tem omnibusque eius partibus nouum ſyſtema meditando animi vim pror-
ſus ſingularem demonſtrauit, licet nullam earum perfecerit, ad alia mox
traductus. Et logicam quidem artem noua luce perfundere in medita-
tionibus de cognitione, veritate et ideis conatus eſt, cuius ſummam ex-
hibet Ven. WALCHIVS [t]. In quo breui ſchediaſmate multa ad naturam
idearum

p) Hoc vltimum Leibnizii ſcriptum fuit, quod moriente fere manu conſignauit. Eius diuulgationem debemus Ven. KORTHOLTO Vol. II. Epp. p. 413. ſeqq. deperdito iam autographo Leibniziano. vid. diſſ. proaem. §. 7. p. 21.

q) In diſſert. praefixa.

r) Epp. Vol. IV. p. 8.

s) Epp. Vol. IV. p. 8.

t) In Hiſt. Logicae L. II. c. 1. §. 3. §. 20. Pareng. acad. p. 664.

idearum intellectus humani pertinentia cumulauit. Quae diſplicuere quidem viris nonnullis doctis, D. Fr. Hoheiselio [a], et I. Fr. Mvllero [x], maxime vero Lockio, qui *ſe, lecta illa tractatione iudicaſſe* ait [y], *etiam optimis naturae muneribus inſtructos, in fundamenta rei ipſa penetrare, non ſine diuturna meditatione poſſe, et vaſtiſſima quoque ingenia non niſi ad valde limitatam cognitionem peruenire* [z]: aſt in aliam longe ſententiam diſceſſerunt alii, inter quos illuſtris Wolfivs [a], his potiſſimum aſſertis in exſtruendo logicae aedificio vſus eſt, viri clariſſimi autem Frid. Philippus Schlofferus, et Ioannes Vlricus Cramerus defendere Leibnizium ſategerunt. Quam profunde autem ad naturae arcana reſpexerit, eaque explicuerit in *Theoria motus abſtracti et concreti*, quas ſupra enarrauimus, abunde demonſtrauit, quas tamen hypotheſes miſſas fecit, poſtquam noua principia dynamica, nouamque ſubſtantiae corporisque notionem ſibi effinxerat [b]. Totum porro ſibi vindicauit Leibnizium metaphyſica. Maximo enim ingenio vſus, cum geometriae beneficio notionibus vti generaliſſimis, abſtractis, vniuerſalibus didiciſſet, et ſummo acumine ex axiomatibus paucis, et vniuerſalem veritatis complexum ſpondentibus geometrica ratiocinandi peritia concluſiones deduceret infinitas, mirum non eſt, totum quaſi ſyſtematicum factum eſſe. Nec erraſſe cenſendi ſunt, qui ingenium eius mere ſyſtematicum fuiſſe [c], et in eo genere omnes ante ſe ſuperauiſſe, iudicauerunt. Non contentus enim rerum ſenſibus et attentioni obuerſantium experientia et hiſtoria intellectus humani, ad vniuerſales notiones et principia prima aſſurgebat, et, vt mira foecunditate ingenii pollebat, longam ex illis conſequentiarum atque concluſionum catenam efformabat. Vnde nouae enatae hypotheſes, ſatis quidem paradoxae et a communi philoſophantium ſententia, quin a ſenſu quoque plerumque remotae, ideoque tot contradictionibus oneratae, aſt ita principiis ſuis connexae, et implicitae, vt arctiſſime inter ſe cohaereant; quo factum, vt concinnum prorſus et mire cohaerens aedificium exſurgeret, qua in re ingenium Leibnizianum prorſus excelluiſſe recte viri docti obſeruauerunt. Argumentum morale autem nuspiam ex inſtituto tetigit, pauca quaedam ὡς ἐν παρόδῳ [d] attulit, quae infra referemus. In tractatione

a) In Sched. de Ideis.

x) In Dubiis cel. Wolfio de Facultatibus intellectus obiectis.“

y) In Epiſt. ad Molyneum, quae extat inter Epp. poſthumas Lockii. conf. Des Maizeavx Praef. ad Collect. ſchediaſm. phil. p. 69.

z) Lecto hoc iudicio ita iudicabat Leibnizius: „Ego id non miror, nimis diſtamus diſſentimus„que in principiis, vnde quod ego affirmaui paradoxum viſum eſt Lockio. Habebat ille ſubtili„tatem ingenii, atque aptitudinem, ſpeciem „quandam metaphyſicae exotericae et ſuperficia„riae extollendi, pingendique, ſed expers erat „methodi mathematicae.“ Recueil T. II. p. 140. 141.

a) Vid. Praef. Logicae Germanicae.

b) Factum id 1694. vulgata diſſ. de Primae philoſophiae emendatione et notione ſubſtantiae. Cupiebat autem Leibnizius, mechanicam, geometriam et metaphyſicam iungi ad exſtruendum iuſtum naturalis doctrinae aedificium. Hinc pleraque ſchediaſmata mathematica, quae vel geometrica vel mechanica ſunt, huc referri debent.

c) Des Maizeavx. l. c. p. 80.

d) In Praef. ad Cod. iuris gentium diplomaticum.

tione politica vero eo acutius vidit, quo maiori ad id hiſtoriae apparatu erat inſtructus, quoque felicius ad regulas generales cuncta transferebat. Nulla autem in ſcientia vel ingenii vaſtitatem vel cogitationum ſublimitatem vel meditationum felicitatem magis prodidit, quam in artibus mathematicis. In quibus difficillimas arithmeticae et geometriae diſciplinas perficere aggreſſus, ſupra omnem exſpectationem ad humani intellectus apicem progreſſus fuiſſe recte cenſetur. Non prouocabimus ad vniuerſi orbis mathematici ſententiam et conſenſum, quem conſpirare amice in hac Leibniziani nominis gloria, nemo eſt rerum literariarum tam ignarus, vt neſciat: ſed ipſa viri maximi ſpecimina *Actis eruditorum* et *Ephemeridibus Pariſienſibus* pleraque inſerta in partes vocamus, quibus tantum matheſin ſublimiorem iuuit, quantum ab humano ingenio proficiſci potuit. Illuſtre autem prorſus exemplum eſt calculus differentialis, cuius inuentionem, praeſtantiam, vſum, ſublimitatem hoc loco deſcribere velle, eſſet falcem in alienam meſſem mittere. Conſuli de eo debent qui hodie magnis paſſibus tantum virum ſequuntur geometrae Galli et Germani incomparabiles: inter quos primi fere laudatiſſimam ſcientiam explicare et transferre in vſus coeperunt Bernoullii fratres, primus integram ſcripto explicatam dedit illuſtriſſimus HOSPITALIVS [e], vel potius, cuius ſchedis et inſtitutione is vſus eſt illuſtre hodie Baſileae ſidus Ioannes Bernoullius [f]. Id vnum obſeruamus, quantitates infinite paruas calculo ſubiicientem, Leibnizium ſatis demonſtrauiſſe, quantis greſſibus aliorum lumina anteuertendo, in ipſa infiniti adyta penetrare coeperit. Vnde ſuo iure inter maxima orbis ingenia locum ſibi vendicat, quem incaſſum, ſi fatendum, quod res eſt, illi denegant, qui inuentionis illuſtris gloriam Leibnizio tribuere recuſant, magnae Britanniae mathematici, quibus illuſtris eques Iſaacus Newtonus, cui methodum fluxionum, cum calculo differentiali conſpirantem debemus, Leibnizio praeluxiſſe viſus eſt. De qua re controuerſiam non ſine animorum motibus agitatam, heic exponere eſſet hiſtoriam matheſeos ſublimioris ſcribere, quae alio loco quaerenda eſt. Conſuli autem praeter ſcripta ἀμοιβαῖα poſſunt, quae viri clariſſimi DES MAIZEAVX et LVDOVICVS [g] ſtrictim expoſuerunt, qui tamen inter ſe comparandi ſunt, vt, quid in ancipiti argumento, in quo excutiendo ad leges rationalis ſcientiae haud ſemper attenderunt viri docti, et fidei hiſtoricae gradus non ſemper ponderarunt, veriſimiliter credendum ſit, pateat. Difficile enim eſſe, de re ipſa, quae facta reſpicit, ſtatuere, vel inde conſtat, quia, licet epiſtolas chartasque ad hiſtoriam huius controuerſiae illuſtrandam pertinentes a viris doctis examinare iuſſerit ſocietas regia, quae poſtea typis quoque vulgatae ſunt [h], Leibni-

e) In Analyſi infinite paruorum.

f) Vid. Pinacoth. ſcriptorum illuſtr. dec. II. in elog. Bernoulliano, vbi id ex indicio ipſius viri illuſtris retulimus.

g) ll. cc. Ille Newtono, hic Leibnizio fauet.

h) Prodiit: Commercium epiſtolicum D. IOANNIS COLLINS, et aliorum de analyſi promota, iuſſu ſocietatis regiae in lucem editum Londini 1712. 4. illud per omnem fere Europam diſtributum eſſe teſtatur LVNOV. l. c. p. 297.

zius tamen, qui consultus prius de eo examine non erat, alias schedas αὐτογεάφους illis opponere promisit, quas vulgare tamen morte praeuentus non potuit. Vnde aequum censuit illustris societas [i] declarare, quod arbitrium interponere, et dirimere controuersiam lata sententia non voluerit. Nobis id vnum hoc loco ad tuendam, quam Leibnizio deberi, praeter Angliam, omnis orbis mathematicus fatetur, gloriam annotauisse satis est, ipsum illustrem Newtonum in eo potissimum cum sectatoribus decertasse, vt ante Leibnizium analysin infinitesimalem, quam methodum fluxionum vocat, se inuenisse, sibique primi inuentoris gloriam deberi contenderet, negare non ausum [k], quod negari quoque non potest [l], Leibnizium ipsum suo ingenio illam debuisse, adeoque secundum inuentorem fuisse. Qua de re tantis animorum motibus an decertandum fuerit, cum vtrique viro maximo tanta ingenii vastitas configerit, vt suae meditationis profunditate et felicitate hanc viam detegere potuerit, aetas postera absque fauore et inuidia iudicabit. Certe Leibnizium animi magnitudo, toties probata a plagii suspicione eo magis vindicat, quo magis, recte annotante Fontenellio, iam in *Theoria motus abstracti* prodidit, fundamenta totius rei a se non ignorari; et ipse Leibnizius, si verum fatendum, nec verba torquentur, Newtoni famam plagii suspicione onerare nunquam intenderit, quod a moribus eius alienum fuisse vel ex solis epistolis constat, et multoties ab eo fuit improbatum. Illud nec contraria factio facile negauerit, cum anno cIↃ IↃ C LXXXIV prima calculi differentialis specimina prodire iuberet Leibnizius, neminem inuentionis gloriam ei denegauisse, eoque integro nouennio iure gauisum esse virum summum, donec primus Ioannes Wallisius inuentionem Newtono vindicaret. Verum de his disputare prolixius aliorum industriae relinquimus, dolemus autem scientiam infiniti, quam meditabatur vir summus, morte praeuentum dare non potuisse.

Eruditio theologica Leibnizii.

§. XXVIII. Eminuisse in omnibus fere partibus eruditionis Leibnizium ex dictis est manifestissimum. His si cognitionem theologicam adiecerimus, nihil faciemus, quod non veritas comprobauerit. Legerat enim et cum cura inspexerat veteris ecclesiae doctores, deque eorum placitis et acute et moderate iudicabat, cuius exempla haud pauca in *Theodiceae* opere occurrunt, in epistolis quoque nonnulla deprehenduntur. Recentiores autem theologos, et suae, cui addictus erat, et ceterorum, quae dissentiunt, ecclesiarum euoluisse et examinasse, si alia non suppeterent,

i) DES MAIZEAVX l. c.

k) Que Mr. Leibniz l'art inuenté apres moi, ou l'art eu de moi, c'eſt vne queſtion qui n'eſt de nulle conſequence, puisque les ſeconds inuenteurs n'ont proprement aucun droit a l'inuention. NEWTON Recueil T. II. p. 108. Ita vero tota controuersia non de ingenii acumine, sed de fati felicitate, temporeque priore contendit.

l) Negauit autem id, qui renouatae litis auctor erat cel. KEILIVS in Epist. ad H. Sloane, Commerc. epist. p. 110. Contrarium tuetur BERNOVLLIVS in Epistola adiecta Germ. Versioni Theodiceae p. 920. Frigidam vero distinctionem inter inuentorem primum et secundum retundunt A. E. 1720. Mart. p. 137. seqq.

rent, ea satis probant, quae in irenicis consiliis agitauit atque scripsit, quaeque cum Pellissonio de articulis in controuersiam vocatis disputauit. Laudandus vero in eo magnopere, quod philosophiae auxilio, vsus, diuini ingenii acie atheorum copias in fugam dederit [m], et Socini assecias pessum dederit [n], eorum argutias rationum acumine confundendo. Quod pro ecclesiae Lutheranae dogmatibus ita adhibuit, vt qui praecipue eam a reliquis coetibus disiungit, articulum praesentiae sacramentalis in S. coena, rationibus quoque philosophicis confirmari posse confideret [o]. Quamuis enim, vt animo erat ab omni seruili iugo abhorrente, et in tolerandis dissidentibus inter Christianos esset facillimus, immo valde ad vnionem inter eos reuocandam inclinans consiliis, rationibus, cohortationibus pacem suaderet, discedere tamen ab eius ecclesiae communione noluit, etiam magnis promissis tentatus [p].

§. XXIX. Sunt et alia, in Leibnizio laudanda, quae vero hic tangere omnia breuitas, cui in abundanti argumento studendum, prohibet. Non tacenda tamen inexhausta eius diligentia, qua dies noctesque intentus studiis tot meditationibus excitandis, fouendis, examinandis, tot vastis voluminibus voluendis, tot itineribus suscipiendis, tot epistolis scribendis vnus sufficit. Nempe ineffabilis cupiditas iuuandi literas, iuncta ingenio excellentissimo et ad hanc rem nato, calcaris instar erat, vt cuncta alacriter susciperet, suscepta autem magna patientia persequeretur. Cuius rei testimonium omni exceptione maius exhibet primo quidem studium, quod immensum posuit in excolendis perficiendisque inuentis, maxime autem in absoluenda machina arithmetica, cuius eum curam iam inter Gallos Anglosque versatum habuisse supra memorauimus, et in quam ingentem vim pecuniae profudit [q]. Qui sumtus, quos in machinas et alia huius generis impendit, in caussa fuerunt, cur, licet frugaliter viueret, et magnis reditibus ex munificentia principum gauderet, eam tamen auri summam, vt nonnulli fingunt [r], non reliquerit, quae admirationem meruisset, sed intra mediocritatem eius facultates constiterint. Deinde industriae specimen esse possunt itinera frequentia, quae vel rogatus a principibus, vel instinctus desiderio promouendarum disciplinarum, *Diligentia Leibnizii.*

m) In Demonstratione existentiae Dei, Arti combinatoriae adiecta, quam repetit LVDOV. l. c. P. I. p. 315. et in Confessione naturae contra Atheistas, adiecta a SPIZELIO nostro libro de Atheismo. Etiam in hac scriptione nonnulla postea displicuere Leibnizio, vid. Leibniziana p. 62. Sed et Caussa DEI. Theodiceae addita huc pertinet.

n) In Defensione Trinitatis per noua logica reperta, quae extat etiam in apparatu liter. Viteberg. Coll. I. Spec. XI. p. 226. seqq.

o) Supponebat vir illustris: „Substantiam corporis in potentia primitiua actiua passiuaque „consistere, et in huius applicatione immediata, „consistere praesentiam substantiae etiam citra dimensiones," vid. Epp. Vol. I. p. 41. conf. Discours prelim. de la Theodicée §. 20. conf. KORTHOLT. ad l. c. CANZ. de Vsu phil. Leibnizianae in theol. c. VII. p. 309. Epp. ad Pellisson. p. 323.

p) Conf. FONTENELLE l. c.

q) 24000 thalerorum summam in eam impendisse tradunt Noua literaria Lipsiensia 1717. p. 376. et tamen imperfecta mansit. Plura de ea dabit Cl. LVDOVICI diligentia l. c. P. II. c. 21. §. 328. p. 233. seqq.

r) NICERON. Memoires l. c. qui a peregrinante quodam, vt saepius illi accidit, deceptus esse videtur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuſcepit. Cum enim abundantiſſimam doctrinam nutrire merito crederetur, et inſolitum viri acumen in aulis principum magnam exiſtimationem meruiſſet, fauor inde aularum ſecutus eſt, quibus obſequium praeſtare eo magis anniſus eſt, quo magis ita feliciſſime promoueri extendique rei literariae fines poſſe intelligebat. Id quod magno orbis eruditi commodo factum eſſe, ex iis, quae ſupra de mora Leibnizii in aula Moguntina, Hanouerana, Berolinenſi, Viennenſi et apud Ruſſorum imperatorem tradidimus conſtat. Nec omittendum eſt, in hiſtoria Leibnizii philoſophica, virum illuſtrem, quem viuendi prudentia et philoſophiae cognitio etiam foeminis commendauit, purpuratis atque illuſtriſſimis, literis eas compellauiſſe; ſic vt commercium hoc literarium teſtis ſit fide digniſſimus prorſusque immortalitati tradendus, non deeſſe noſtrae aetati foeminas, quae mulierum philoſophantium catalogo ſummo iure mereantur adſcribi. Inter quas et natiuitatis ſorte et ingenii ſceptro atque diademate digni excellentia primum locum tenent, Sophia Charlotta, Boruſſiae regina, et Guilelmina Charlotta eo tempore princeps regia Walliae. Et illam quidem *Theodiceae* ſcribendae auctorem fuiſſe Leibnizio, vbi hypotheſes ſuas explicantem audiuiſſet, ſupra iam narrauimus. Ad quam excelſo, quo poſita fuit, loco non tam fortunae quam naturae muneribus et conſummatae virtutis meritis dignam plures epiſtolas ſcripſit, quae quales fuerint, ipſe alicubi prodidit Leibnizius, ſcribens ad Ioannem Albertum Fabricium *, *optare ſe plerasque epiſtolas a regina Boruſſorum et ad eam ſcriptas non combuſſiſſent male circumſpecti homines, habituros enim nos, quae facile opponi reginae Suedorum poſſent. Non paucas tamen paſſim ſeruatas eſſe, et inter eas nonnullas adſeipſum ſibi ſupereſſe, vnde vim ingenii in principe foemina, animumque mire ad doctrinas erectum intelligas.* Alteram principem autem nobilitauit in ciuitate philoſophica controuerſia illa literis reciprocata inter Leibnizium et Clarckium, cuius ſupra facta eſt mentio; illa enim committere inter ſe acutiſſimos philoſophos dignata, ipſa ſcriptorum et diſceptationum teſtem egit atque arbitrum. His tertiam addimus Charlottam Eliſabetham, Caroli Ludouici electoris Palatini, principis literatiſſimi, filiam, Philippo V. Aurelianenſi duci nuptam; ad eam enim de antiquitatibus nonnullis nuper detectis erudite differuit, et cum Baudelotio, ea attenta, diſceptauit [s]. Sed et alias foeminas illuſtres literis addictas ſibi fauentes literisque innoteſcentes habuit, leguntur enim in memoriis Leibnizianis paſſim extantibus nomina Brinoniae [t], Kilmanſeggeriae comitis [u], Cleinburgiae [x], Cudworthiae [y], Mashamo iunctae, Weileriae [z], et praecipue Sapphus

*) Vol. I. p. 256.

s) Vid. LEIBNIZII Collectanea etymologica p. 75. ſeqq.

t) Leibniziana p. 94.

u) Recueil T. II. p. 29.

x) Collectio epiſtolarum Leibnizii Gallica edita a KORTHOLTO p. 13. et Vol. III. Epp. pag. 117. ſeqq.

y) Dictum de ea ſupra.

z) Recueil des lettres de Mr. Leibniz par KORTHOLT. p. 12. ſeqq.

phus Gallicae, Magdalenae Scuderiae [a]. Tacemus imperantes principesque alios, ad quos frequenter literas exarauit, et haud paucas ab iis accepit Leibnizius. Omnium autem luculentissime et studium quod seruauit Leibnizius, ingens scientias promouendi, et inexpugnabilem industriam probat commercium literarium, quod cum celebratissimis totius Europae viris aluit, quorum nomina adducere hoc loco omnia paginae angustia prohibet; fulgent autem velut inter ignes luna minores tituli nomenque Arnaldi, Behrensii, Eduardi Bernardi, Bernoulliorum, Bignonii, Boecleri, Boineburgii, Bosii, Burneti filii, Bouueti, Chamberlaynii, Caluini, Ciampini, Cluueri, Conringii, Contii, Croffaei, Dangicourti, Dittoni, Edzardi, Ioannis et Io. Alberti Fabricii, Fahrenheiti, Fardellae, Foucherii, Gobienii, Graeuii, Grimaldi, Guerickii, Guilelmini, Hanschii, Hardtii, Hartsoeckeri, Heraei, Hugenii, Iablonskiorum, Ianingi, Imhofii, Kestneri, Kircheri, Kochanzkii, Kortholtii, Lanae, Langii, Leuwenhoeckii, Lehmanni, Longii, Ludolfi, Magliabechii, Marinonii, Mascouii, Menckeniorum, Michelotii, Molani, Montmorii, Morelii, Morhofii, Muratorii, Neumanni, Neutoni, Nicasii, Obrechti, Oldenburgii, Papebrochii, Pellissonii, Petersenii, Pfaffii, Pfeffingeri, Pinsonii, Piroti, Reimmanni, Remondi, Reyheri, Roemeri, Schelhameri, Schmidii, Schraderi, Seckendorfii, Sloanii, Thomae Schmithi, Ez. Spanhemii, Sperlingii, Spinozae, Struuii, Sturmii, Thewenotii, Tenzelii, Thomasiorum, Tourneminii, Tschirnhausenii, Varignonii, Vignolii, Volcameri, Wallisii, Weigelii, Willisii, Witsenii, Christiani et Christoph. Wolfiorum, Wottoni, aliorumque multorum, quos nominauere FELLERVS [b] atque LVDOVICVS [c]. Tandem inter stupendae industriae et improbi laboris specimina numeranda quoque est, immensa, quam sustentabat Leibnizius lectio, atque studium ea excerpendi, quae legerat. Quamuis enim magno operum magnificorum apparatu eius bibliotheca non superbiret, quem Brunsuicenses Hanoueranae et Guelpherbytanae bibliothecae illi suppeditabant [d], sed ad schediasmata breuia, dissertationes raras, folia fugitiua, et similia, quae cito disparere solent, maxime respiceret, indefinenter tamen per maxima et minima volutatus, quicquid memorabile visum schedulis inscripsit, easque suis dein repositoriis condidit, ex quibus suo tempore ordine desumere posset. Quem modum vt commodissimum atque vtilissimum expertus est [e], ita didicisse videtur a PLACCIO [f], qui similia repositoria descripsit.

§. XXX. Quemadmodum autem in pulcherrimis corporibus quidam interdum inueniuntur naeui imperfectionis, quam in optimo mundo reperiri Leibnizius contendebat, testes atque specimina, ita in maximo atque elegantissimo Leibnizii ingenio maculas nonnullas obseruauerunt, viri docti humanae imbecillitatis testimonia, et reprehendenda non-

Desiderata atque reprehensa in Leibnizio a viris doctis.

a) Vol. III. Epp. p. 96. 230. Leibniziana p. 95.
b) loc. cit.
c) Hist. Leibniz. P. II. c. 16. §. 100. seqq.
d) FELLER. l. c.
e) Id ipse testatur Vol. IV. epist. p. 54.
f) Vid. PLACCII Tr. de Arte excerpendi.

nonnulla, quae vel ad doctrinam eius pertinent, vel ad animum. Inter illa multa sunt, quae recentissima aetate, qua illustris WOLFII cura Leibnizianarum hypothesium memoria valde resuscitata et vehementissimis controuersiarum dissidiis agitata est, apud quamplurimos suspecta facta sunt, ac si naturali pietati maxime vero reuelatis Christiane fidei dogmatibus e diametro essent aduersa. Quae tamen hoc loco adducere non vacat, nec speciali enarratione exponere licet, cum prolixiora sint, quam vt recenseri omnia in vniuersali philosophiae historia queant. Summam autem eorum, quae velut pestes quaedam ac fontes errorum periculis plenissimorum, a tot virorum doctorum calamis confossa ac obelo notata sunt, quaeque, si non omnia, potiorem tamen partem suppeditauerunt paradoxae harmoniae praestabilitae et monadum hypotheses, ex *Recensione XXVI scriptorum aduersus philosophiam Wolfianam editorum* [g], quam vulgauit venerandus IOACHIMVS LANGIVS, theologus Halensis celeberrimus, discere licet. Quanquam enim in accusanda illustris philosophi, Christiani Wolfii, philosophia horum scriptorum diligentia potissimum versata est, constabit tamen ex dicendis, virum celeberrimum potiores Leibnizii hypotheses suas feciſſe, suoque, quod sibi formauit, systemati proprio adaptata recepisse, modum quoque Leibnizii in philosophando, maxime in metaphysicis fuisse secutum. Cuncta autem, quae in hac quidem parte obiiciuntur, ad tria capita, eleganter, nisi fallimur, reuocauit doctissimus KORTHOLTVS [h], alii enim, φιλοσοφούμενα Leibnizii omnem tollere libertatem contendunt; alii sanctitatem Numinis ab iisdem laedi asserunt; nonnulli, etsi ab hac accusatione liberum pronuntiant, obtrudi tamen loco Christianae religionis theologiam quandam naturalem atque philosophicam, quae Spiritus S. opera ac motu opus haud habeat conqueruntur. Non hic locus est, nec instituti nostri ea ratio, vt quibus potissimum argumentis tanta ἐγκλήματα viro illustri obiiciantur, prolixe exponamus: dabitur tamen infra placita philosophiae Leibnizianae enarrantibus occasio nonnulla, quae huc pertinent, paucis tangendi. Id nos in praesentia monemus, fuisse haud paucos, qui Spinozismi, saltem Deismi incrustati culpam Leibnizio, et qui eius hypotheses suas fecit, Wolfio intentarent. Ita enim et anonymo visum [i], qui Cabbalisticam κάσοφίαν in monadologia et harmonia praestabilita deprehendit; et Io. GODOFREDVS WALTHERVS statuit, qui Eleaticam impietatem renouauisse Leibniziana philosophemata assertum iuit [k]. Maxime autem RVARDVS ANDALA [l], Leibnizium Spinocismi accusare non cunctatus est, cuius vestigia secuti sunt, quotquot necessitatem Spinozisticam in systemate harmoniae praestabilitae deprehendi contenderunt, quorum tamen heic excitare nomina

g) Halae 1725. 4.
h) In praef. Tomo IV. Epp. Leibnizian. praemissa, In qua de philosophia Leibniziana Christianae religioni non pernicioſa differit.
i) In Harmonia phil. recentiorum sibi ipsi contrariis, c. 3. §. 8. p. 21. seqq. cuius docti libelli auctor est vir celeberrimus Io. Georgius Wachterus.
k) In Sepulchris Eleaticis recens apertis.
l) In Diss. de Vnione mentis et corporis physica. §. 3. p. 8.

mina supersedemus, cum haec recentiori demum aetate in controuersiis Wolfianis obiecta sint, quarum historia alio tempore enarranda est. Non tacendum vero, ipsos Iesuitas Triuoltinos, magnos cetera Leibnizii admiratores, cum recensione *Theodiceae* facta sententiam dicerent [m], laudata ingenti lectionis et iudicii copia, et tractationis ordine, accuratione et concinnitate systematica, fateri tamen, multos errores philosophum summum admisisse, maxime vero optimi mundi assertionem (optimismum vocant) non nisi laruatum materialismum et spiritualem Spinozismum inuoluere, eiusque suspicionem iam antea per monades, harmoniam praestabilitam, brutorum immortalem et immaterialem animam eum meruisse; ita enim Deo in αὐτόματον conuerso omnem prorsus libertatem euerti, atque hac noua scientia physica geometrico-mechanica Spinozisticae necessitati frigidam fuffundi. Immo in ipsa dissertatione praeliminari Deismum magna cautione confirmatum esse pronuntiant. Aequiores tamen in eo se praestant Leibnizio, fassi, non data opera et malitioso consilio talia effinxisse, sed rationis abusu, cum vim eius maximam animo possideret, ideoque argumentationibus metaphysicis cuncta complecti vellet, qui virum cetera bonum se semper praestiterit. Tacemus alia, quae Britannici philosophi, maxime Clarckius harmoniae praestabilitae obiecerunt, quam tibiam quoque inflauit Warburtonus [n] aliique. Ita vero dum naturam Christianae religionis a philosophia Leibniziana euerti plurimi timent, ipse Leibnizius pietatem non nisi naturalem coluisse quibusdam visus est, adeo vt viuum inter suos in suspicionem naturalismi quem vocant, adductum esse nonnemo [o] retulerit. Praeter ipsa philosophumena et decreta Leibnizi methodus quoque philosophandi haud paucis displicuit. Inter quos illustris NEWTONVS id reprehendi in eo posse aequissimis rationibus putat [p]: quod hypotheses praeferat ratiociniis ab inductione petitis, aut experientia duce hausti, quodque loco quaestionum, quarum examen ab experientia fieri debet, hypotheses erigat, easque admitti postulet priusquam examinentur. Aliis in ipso ratiocinationis filo, hypothesis amore seductus ab iis, quae antea asseruerat, deficere visus est, vnde negligentiam quandam et attentionis defectum in eo culpant Ephemeridum Triuoltiensium conditores [q]. Qui dum ita contra Baylium pugnauisse Leibnizium putant, vt in ipso acerrimi conflictus feruore subito arma deponere et pacem inire videatur, in eorum sententiam concedere videntur, qui non ex animi sententia, sed ἐξωτερικῶς tantum et ad tentandam eruditorum mentem istam pugnam iniisse contenderunt [r]. Displicuerunt quoque in eo alia, quae quan-

m) 1737. Febr. art. 1. vnde repetuntur in accessionibus ad Noua liter. Lipsi. T. III. p. 425. seqq.
n) Vid. History of the Works of the Learned 1739. Febr. art. 2. KORTHOLT. l. c. §. 8. p. 17.
o) Anonymus ad biographiam Fontenellianam.
p) Recueil T. II. p. 18. quae more suo repetit VOLTAIRIVS in Comparat. phil. Leibniz. et Newton. p. 59.
q) loc cit.
r) Vid. Summe Reu. PFAFFII diss. de Morte naturali §. 5. p. 17. vbi se in ea dicit esse sententia, Leibnizium totum illud systema, quod P. Baylio opposuit

quandam animi ἀταξίαν referre visa sunt. Inter quae haud postremum est, quod veteribus supra modum delectatus recentiorum, maxime eorum, qui circa tempora sua caput efferre nouaque philosophiae facie enitescere coeperunt, cogitata alte despexerit, eorumque meritis obtrectando obelo eorum placita confixerit, licet id non merentia. Quod inuidiae caussa factum esse, vt scilicet nouae, quam condere coeperat philosophiae viam atque gloriam pararet, nonnulli valde suspicaces, conquesti sunt [s]. Ita inuidisse Lockio atque Newtono philosophiae interioris gloriam, hacque ex caussa Cartesii doctrinam Spinozismi suspicione onerauisse visus est. Maxime autem ea, quae in Pufendorfium dixerat, ab animo aegre famam atque fortunam systematis iuris naturae ab eo asserti productique in lucem ferente profecta esse, plerique coniecerunt; quibus clara et luculenta Pufendorfii tractatio obscura et Scholasticos imitata philosophia Leibnizii iudicata est. Qui et nugas Scholasticorum et metaphysica somnia Platonis philosophum noua veste induta reuocauisse in lucem [t], et inextricabili obscuritate fucum haud raro legentibus feciisse atque nebulas obiecisse contenderunt [u]. Tacemus alia, a Cartesianis, Newtonianis, aliisque, qui nouam eius metaphysicam oppugnabant ei obiecta, et non sine inuidia, vt humani ingenii vitio, plerumque in controuersiis fieri solet, cumulata, inter quae numeranda sunt, quae satis inhumaniter contra eum disputarunt Tatius Duillerius, Keilius aliique ex Britannis, quibus et plagii culpa eum onerare, et acerbiora nonnulla virosque bonos vix decentia obiicere placuit [x]. Ab amicis autem [y], cetera plurimum ei fauentibus quaedam, vt nemo est ab omni parte perfectus, in eo reprehensa sunt, quae humanae imbecillitatis specimen esse possunt. Inter quae eminet animus ad celeres irae motus pronior moxque exardescens, sed tamen paulo post sedatior; vnde factum, vt ex initio disputationis contradictionis fuerit impatientior. Quidam aliquam πλεονεξίας suspicionem in eo deprehendisse, sibi visi sunt, quod in tanta redituum affluentia satis parce sine familia viueret [z]. Alii gloriae stimulo nimium actum et παν επιστημοσύνης atque famae cupiditate plus quam par est incensum, latius se diffusisse per omnes eruditionis partes, quam iniuncti muneris partes postulabant, hincque tandem

potuit, per lusum ingenii quendam saltem confixisse nec seria mente id egisse: et Baylio frigidam potius suffudisse. Id se ipsi Leibnizio fuisse fassum, et virum summum subridendo dixisse, rem eum acu tetigisse. Ipsam Leibnizii epistolam tandem vulgauit in Act. Erud. 1728. Mart. In qua ita scribit Leibnizius: „ Ita prorsus est, V. S. R. vti „ scribis de Theodicea mea, rem acu tetigisti. Et „ miror, neminem hactenus fuisse, qui lusum hunc „ meum senserit. Neque enim philosophorum est, „ rem serio semper agere, qui in fingendis hypothe„ sibus, vti bene mones, ingenii sui vires experiun„ tur, tu, qui theologus es, in refutandis erroribus „ theologum ages. " Simile quid suspicati sunt Des Maizeaux Pref. du recueil p. 172. Clericvs Bibl. anc. et mod. T. XV. P. I. art. 16. p. 179. Poiret. de Nat. et orig. idearum. P. IV. S. 3. §. 9. p. 323.

s) Clericvs Bibl. anc. et mod. T. IX. P. I. art. 6. Barbayrac Reflexions sur le Iugement de Mr. Leibniz sur les devoirs de l'H. et C. de Pufendorf. Buddevs Hist. phil. c. 6. p. 492.

t) Citati.

u) Des Maizeaux l. c. Clericvs Bibl. anc. et mod. T. XXIII. P. II art. 8. auctor diss. de Anima brutorum, vid. Journal Literaire T. XIII. P. I. art. 16. qui putat Leibnizium ipsum suum systema non satis cepisse.

x) Vid. Recueil. T. II.

y) A. E. l. c. Fontenelle l. c.

z) Ibid. Ludovici l. c. §. 249. p. 280.

dem aulae Hanoueranae indignationem meruisse iudicarunt [a]. Ipsa vasta viri immensa eruditione pollentis lectio non satis digesta visa est, eo quod vaga esset et subita, cuiuscunque generis librorum, ex quibus multa excerpta in schedulis paruis descripta, pauca tamen redacta sint in ordinem [b]. His tandem illi adiiciendi sunt: qui narrant, de fato supremo admonitum composito et frigido oris habitu hoc dedisse responsi: ceteris quoque hominibus esse moriendum, hisque dictis mox efflauisse animam [c].

§. XXXI. Grauia haec esse, et famam illustris viri haud parum imminuere apta, nemo non intelligit. Non defuerunt autem, qui viri immortalibus meritis de eruditione vniuersa inclyti apologiam susceperunt scribere, eumque contra has obiectiones atque facta a viris doctis opprobria vindicarunt. Et praecipue quidem in eo versata est virorum eruditorum, qui Leibnizianae memoriae fauent industria, vt ab impietatis et naturalismi suspicione eum liberarent, ac innocentissimum esse systema metaphysicum Leibnizii, ac neque in Deum, neque in libertatem humanam, neque in decretorum diuinorum ordinem, neque in Scripturam Sacram et Christianam religionem miraculis confirmatam iniurium demonstrarent. Et huc quidem omnes pertinent, qui libellis eristicis Antiwolfianis responderunt, et atheismi clandestini atque indirecti obiectionem non a Wolfio tantum, sed a Leibnizio quoque, qui per latus Wolfii istis telis petebatur, retuderunt. Quos hoc loco enarrare institutum prohibet, quod demortuorum philosophorum, non vero hodie viuentium historiam describere, praescripto termino, iubet. Consuli autem ab iis debet, qui plura hic cupiunt, clarissimi LVDOVICI industria, qui omnium prolixissime et diligentissime *Historiam philosophiae Wolfianae* [d] enarrauit. Non tamen indictos praeterire licet viros clarissimos [e] ISRAELEM THEOPHILVM CANZIVM et CHRISTIANVM KORTHOLTVM. Ille enim *Philosophiae Leibnizianae et Wolfianae vsum in theologia per praecipua fidei capita* demonstrare, et ostendere aggressus est, eum sensum esse placitorum Leibnizianorum in suspicionem adductorum, vt cum decretis Christianis amica concordia consp irent. Hic autem *quarto volumini epistolarum Leibnizianarum* a se edito dissertationem doctam et luculentam praemisit, in qua ipsis Leibnizii verbis recitatis contendit, eius philosophiam atque doctrinam Christianae religioni non esse pernicios am, et nec libertatis dogma, nec principium rationis sufficientis, neque praedispositionem, quam vocat, neque hypothesin de harmonia praestabilita inter animam et corpus, neque doctrinam de origine mali et de miraculis quicquam continere, quod vel sanctitati Numinis

Apologia pro Leibnizio a nonnullis scripta.

a) FELLER. l. c. p. 23.
b) Ibid.
c) Ibid.
d) c. 14. Part. I. et II.
e) Illis merito addi potest tertius illustris BVLFINGERVS, qui in Dilucidationibus philosophicis eandem operam Leibnizio atque Wolfio erudite praestitit, et haud vulgare acumen mentis demonstrauit.

vel libertati voluntatis humanae, vel principiis actionum moralium, vel legi Christi refragetur. Ita vero Spinozismi quoque suspicionem tolli contendunt, eo quod ingens intercedere discrimen putant inter fatalem necessitatem a Spinoza introductam et nexum rerum a causa sapientissima introductum, et cum libertate actionum humanarum facile reconciliabilem [f], eo quod a Leibnizio homini ea tantum praedeterminatio vel praeordinatio, quae connexionem rerum sistat, vindicetur, qua, etsi alterum prae altero eligat, in ipso sui exercitio, et constanter quidem, suo tamen id faciat arbitrio, possitque in hisce omnibus circumstantiis agere aliud atque aliud [g]. Qua in re ad ipsius LEIBNIZII verba prouocant, statuentis [h]: *Licet nunquam eueniat quicquam, quin eius ratio reddi possit, neque vlla vnquam detur indifferentia aequilibrii, quasi in substantia libera, et extra eam omnia ad oppositum vtrumque se aequaliter vnquam haberent, cum potius semper sint quaedam praeparationes in causa agente, concurrentibusque, quas aliqui praedeterminationes vocant: dicendum tamen est, has determinationes esse tantum inclinantes, non necessitantes, ita vt semper aliqua indifferentia siue contingentia sit salua: nec tantus vnquam in nobis affectus appetitusque est, vt ex eo actus necessario sequatur.* Quin et celebrem illam de mundo optimo Lnibnizii hypothesin fatali huic necessitati fauere pernegant, eo quod creationem innumerabilium mundorum aliorum possibilem, adeoque praesentis ex contingentia quadam factam, Leibnizius afferat, secus ac Spinoza statuat, nec aliud velit, quam impulisse creatorem sapientiam eius summam bonum maius prae bono minori eligere, cum duos mundos aequaliter bonos esse ex principio indiscernibilium, quod vocat, impossibile sit. Et ita quoque, quae de malo ad mundi optimi rationem a Leibnizio requisito, obiiciuntur, velut in sanctitatem diuinam iniuria tolli posse putant, eo quod optimus mundus id tantum velit: seriem contingentium omnium praesentium, praeteritorum, futurorum, optimam esse, quoniam mundus, qui eam complectitur, ab ente sapientissimo conditus sit, neque optimum hunc mundum esse desinere, licet in eo sit malum, quum et mala ab ente sapientissimo in optimum finem dirigantur; ratio autem diuinae voluntatis atque electionis non nisi a bono sumi possit. Tacemus ea, quae prolixe ex scriptis Leibnizianis per potiores doctrinae Christianae articulos adduxit diligentissimus Kortholtus, vt euinceret, Leibnizium de principio cognitionis in diuinis et Scriptura Sacra, de trinitate, de peccato originali, de Christo, de miraculis, de operationibus Spiritus sancti, de testimonio Spiritus sancti interno, de virtutibus Christianis, ita statuisse, vt salua maneant fidei capita ab oraculis sacris definita, et omnis religionis naturalis ad salutem sufficientiae suspicio euanescat. Ex quo non tam frigide externam quoque religionis professionem edidisse concludunt, licet sint, qui concedant,

f) Acute de hoc discrimine peculiari schediasmate disseruit illustris C. WOLFIVS.

g) BVLFINGER l. c. S. I. c. 4. §. 88. p. 81.

h) In Causa Dei Theodiceae subiuncta § 105.

dant, sacrarum doctrinarum interpretes negligentius eum audiuisse [i], eo quod eorum dissertationes saepe inanes ei viderentur, aut aculeatae, quod an verum sit, illi dicent, qui cum Leibnizio vno loco vixerunt. In scriptis enim animum a pietate minime alienum saepe demonstrat, et haud obscure virtuti Spiritus S. internae locum facit [k], et statuit [l], *poëtas non posse melius de republica mereri, quam si omnibus viribus in aeterna felicitate omni colorum genere pingenda atque animis imprimenda occupentur, eique rempublicam Christianam plurimum debituram, qui effecerit, vt summa sit in pietate iucunditas.* Valde autem contemnunt sectatores Leibnizii, quae Newtoni affeclae contra hypotheticam Leibnizii philosophiam monuerunt [m], his enim adhibitis theorematibus, adductisque regulis generalibus in ea naturae adyta penetrasse philosophum contendunt, quae cum non perspiciant aduersarii, pro hypothesibus fundamento carentibus habeant. Ipse vero Leibnizius dum se vniuersalissimis quibusdam principiis paucisque axiomatibus natura notis, maxime vero principio rationis sufficientis et indiscernibilium, de quibus infra, aedificium metaphysicum inaedificasse contendit, inductionis particularis vitia Newtoni affeclis obiicere non omisit. Valde autem eius amicis displicuit, quod Leibnizius in *Theodicaea* simulatam tantum pugnam iniisse dicatur, vrgent enim iisdem hypothesibus atque decretis, quibus Baylium aggressus est, per totam eum vitam fuisse addictum, ea vbique etiam in extremis vitae annis sparsisse, iis geometricum demonstrationis habitum induisse, sic vt dubitandum non sit, quin veram sententiam mentis suae aperuerit [n]. Quare licet vir summus Matthaeus Christophorus Pfaffius, ad ipsum Leibnizium fatentem, se seria heic mente non egisse prouocauerit, illi tamen, qui Leibnizio fauent, id probari inde non posse magnis animis contenderunt. Contra inuidiae suspicionem ea allegantur, quae cum gloriae propriae neglectu pro aliis egit promouitque Leibnizius supra iam ex parte enarrata. Quibus additur, illis ipsis, quibus dicam aliquam scripsit; nec laudem eruditionis et ingenii denegasse, nec alio eos fine notauisse, quam quod intelligeret, superficiariam eos philosophandi rationem et philosophiam quandam exotericam ad interiores naturae et essentiarum recessus non penetrantem velut summa Palladis mysteria crepare et iuuentuti, leuiter tinctae propinare: certe sua principia metaphysica secutum, ordinique ratiocinandi atque demonstrandi geometrico addictum illis pretium ponere magnum non potuisse, apud quos ratiociniorum ἀταξίαν quandam deprehenderet. Quam vbi obseruauerit, extulisse eum ingenia etiam in sententias sinistras deuiantia, vt ex eius iudicio de Hobbesio constare possit. Ipsi vero Cartesio satis honoris detulisse, quum in adyta quidem philoso-

i) Anonymus ad FONTENELLIVM, pag. 909.

k) Vid. Praef. Theodiceae §. 29.

l) Leibniziana p. 175.

m) Conf. Cl. KAHLIVS in Compar. philos. Leibniz. et Newton. p. 133. et passim.

n) Vid. Cel. GOTTSCHEDIVS Vindic. syst. influxus physici §. 2. sqq. LVDOVICI l.c. P. I. §. 485. p. 477.

phiae non peruenisse, ast limina eius tamen adiisse fateretur o). Et simili quidem ratione veteres non recentiorum inuentionibus et praeclaris luminibus, sed contemtui imperitorum oppositum secretum, ex omnibus magnorum virorum assertionibus aliquid veri eruere. Et hi quidem obscuritatem oriri non ex philosophi culpa, sed legentium, methodo mathematica eiusque neruis non assuetorum, dictitant. Animum autem celeriori irae tumultu excitatum, dum cito placaret, et omnium scientiarum iuuandarum studium ad communem vtilitatem transferret, ingenio vero diuino fisus et memoriae incredibili, quaedam negligere sine ἀταξίᾳ posset, ferri in eo posse istas labeculas putant, quas supra tetigimus. Nihil autem frigidum, et ab aequitate alienum magis esse, quam narratiunculis vulgi virorum summorum pietatem circa extremas horas in suspicionem adducere, nemo facile paulo moderatiori animo erit, qui non fatebitur. Nos his omnibus, quae contra Leibnizium et pro eo viri docti, interdum feruore plus iusto, accensi disputarunt, arbitrium non interponimus, sed ad Lectoris prudentiam prouocamus: immo nec eorum omnium patrocinium suscipimus, quae affirmanda sibi esse credidit Leibnizius: in quibus sine inferenda tanto viro iniuria facile concedi potest, esse παράδοξα multa et consequentiis valde odiosis exposita, nonnulla reperiri, quibus satius fuisse videtur, si acumen metaphysicum paulo magis repressisset: ast id tamen aequitas postulat, vt et earum consequentiarum inuidia non prematur, quas detestatus est, cum facile fieri possit, vt acutissima quoque ingenia systematis et hypothesis amore occupata talia nec videant, nec fluere ex assertis putent, quae alii satis clare se cernere contendunt: et vt hypotheseos ratio atque natura respiciatur, quae non semper ea pro veris habet, quibus velut adminiculis vtitur ad detegendam rerum naturam et soluendas τῶν φαινομένων rationes. Quibus monitis id recte effici posse putamus, vt a mali animi suspicione liberetur philosophus praestantissimus, cuius vita tot boni viri specimina exhibuit. Et concedamus, non omnia vidisse Leibnizium, in nonnullis maximo, quod possidebat ingenio nimium fuisse confisum, quaedam paralogismis inaedificata admisisse, non perspexisse sinistras consequentiarum ambages facile ex quibusdam assertis enascendas, adeoque securius decreuisse, et imprimis nimis hypothesibus indulsisse; quid ex his aliud concludemus, quam fuisse Leibnizium hominem, licet magnum, et mortalitatis infirmitates fuisse perpes-

o) Praeclare Leibnizium de Carteſio, neque contra modeſtiam iudicaſſe, ex iis, quae ſuo loco in hiſtoria Carteſii dicta ſunt conſtat: et ſi quid iudicamus, omnino ab inuidiae crimine abfuiſſe, concedi FONTENELLIO aliisque debet. Fatemur tamen, iniquiorem eum videri in Pufendorfium, quem quauis occaſione ſugillat. Quod tamen non inuidia ſtimulante, ſed animo vulnerato feciſſe, ex iis colligimus, quae ad Bierlingium ſcripſit Vol. IV. Epp. p. 14 indignationis plena et humanitatem Leibnizii non ſpirantia. Ibi enim inter alia ait: „Receperat is aliquando in ſe cu„rationem negotii cuiusdam mei in Suecia, ſed „per amicos didici, contraria omnia ab illo acta „eſſe; inde optime eum animatum virumque bo„num fuiſſe negat.“ Ita magni quoque viri homines ſunt!

perpessum p)? Aſt inſignibus tamen meritis fuiſſe illuſtrem eaque meritorum ſerie enituiſſe, quorum memoriam nulla vnquam aetas delebit.

§. XXXII. Non caruiſſe Leibnizium aduerſariis, ex enarrata hactenus eius hiſtoria eſt manifeſtum: idque et in orbe mathematico et in philoſophico contigit. Et ingenia quidem mathematicorum Britanniae magnae ipſi valde aduerſantia expertus eſt, ex quo infauſta de gloria inuentionis calculi differentialis controuerſia enata eſt: quam cum ſupra iam tetigerimus, hoc loco nihil dictis adiicimus. Propagata autem eſt ad philoſophiam quoque Leibnizianam iſta inimicitia, factumque inde, vt et ipſe Newtonus, cetera non niſi geometriae, opticae, aſtronomiae mechanicaeque addictus quique metaphyſicum agere nunquam in animum induxerat, φιλοσοφούμενα nonnulla Leibnizio opponeret q), principiis ſuis phyſico-mathematicis inaedificata, et qui eum preſſo pede ſecutus eſt, Clarckius magnis arietibus hypotheſes Leibnizii philoſophicas, metaphyſicas pariter atque phyſicas confodere inciperet. Nec cum Carteſianis, quique ex horum numero prodierunt, Mallebranchio r) eiusque diſcipulis ſatis amice ei conuenit; habuitque Catelanum aliosque aduerſarios, Andalam autem caſtigatorem principiorum metaphyſicorum, etiam a ſuſpicione Spinoziſmi imputanda non alienum s). Tacemus illos, qui vulgata harmonia praeſtabilita contra illum ſurrexerunt, et quibus ipſe reſpondit, Foucherium, Lamium aliosque ſupra iam memoratos. Maxime P. Baylio virum illuſtrem hoſtilia arma intuliſſe, apparatus *Theodiceae* loquitur; ille autem harmoniae praeſtabilitae bellum quoque indixit, cuius obiectionibus Leibnizius reſpondit. Diſputauiſſe autem cum Sturmio quoque atque Schelhammero de notione naturae atque ſubſtantiae, ex ſupra dictis repetendum eſt. Commiſerunt eum quoque ſingulares, quas in argumento hiſtorico fouebat, hypotheſes, cum Kulpiſio, Pfannero, Gundlingio, Tourneminio aliisque, quorum ſupra iam mentio facta. Ipſa autem eius philoſophiae dogmata aduerſarios fere innumeros in Germania et extra eam reperiſſe, nemo non ex iis, quae de reprehenſionibus virorum doctorum ſuo loco diximus intelligit. Factum inde, vt Leibnizianae philoſophiae breuem aetatem, fortunamque non ſatis beneuolam quidam vaticinarentur, quae imprimis coniectura fuit clariſſimorum virorum FONTENELLII t) et DES MAIZEAVX u). Aſt falſos eos fuiſſe, euentus

Aduerſarii Leibnizii.

Sectatores Leibnizii.

p) Aut fallimur, aut id vnice in epiſtola ad cel. Pfaffium voluit Leibnizius, ſe hypothetice tantum Baylium refutauiſſe, quemadmodum eidem, admiſſa Origenis hypotheſi, reſpondit Clericus. Aſt hoc non obſtante poterat his hypotheſibus ſerio inhaerere, cum veriſimiles et ad exponenda myſteria philoſophiae aptiſſimas iudicaret. Nihil itaque egit philoſopho indignum, et a viri boni officio abludens, ſed nec ideo nimium conſequentiis premendus eſt.

q) Ex iis philoſophiam Newtonianam exſculpſit Voltaerius, vt haberet, quod Leibnizio opponeret, inuito, vt videtur, Newtono, quem de ſyſtemate metaphyſico nunquam cogitaſſe, ſed naturalem tantum doctrinam matheſeos opera iuuare voluiſſe, idque praeclare fuiſſe exſecutum conſtat. Conf. Cl. KAESTNERVS l. c.

r) Vid. Recueil T. II. p. 211. vbi extat examen principiorum Mallebranchii. Controuerſiae cum Catelano ad argumentum mechanicum pertinuere.

s) Vid. ſupra p. 385. not. o)

t) l. c. p. 875.

u) l. c. p. 70.

euentus prodidit. Nam nondum humanis rebus erepto Leibnizio inter mathematicos pro eius partibus ſtetere magna nomina Gallorum, Germanorum, Italorum, inter quos Bernoullios primo fere loco ponere aequitas poſtulat, quibus calculus Leibnizianus plurimum incrementorum debet, quique alia quoque philoſophiae Leibnizianae capita, praecipue quod de viribus corporum viuis tradit, et illuſtrarunt egregie, et fortiter propugnauerunt [x]. Philoſophia autem, vel metaphyſica potius Leibniziana, auctore ſuo adhuc ſuperſtite in ſectam non abiit. Id quod praeter difficultatem et ſublimitatem eius, qua plerisque lectoribus obſcura facta eſt, ipſi quoque parenti ſuo debet, a ſpiritu ſectario, vt decet philoſophum longe alieno, qui eum proſcribendum eſſe ex ciuitate erudita prudenter ſtatuit [z]. Plurimum tamen philoſophiae Leibnizianae detulit, eamque et doctiſſimis lucubrationibus ſuam fecit, vir celeberrimus MICHAEL GOTTLIEB HANSCHIVS. Qui cum Leibnizio innotuiſſet, eiusque amicitia atque commercio literario vti coepiſſet, occaſione hac ſauentiſſima vſus eſt, vt per literas de viri illuſtris mente accurate edoceretur. Cuius rei exempla exhibent epiſtolae Leibnizii ad laudatum virum exaratae, quas vulgauit KORTHOLTVS [a]. Ita de vera Leibnizii mente rite eruditus lucem metaphyſicae Leibnizianae accendere aggreſſus eſt, et fatis erepto Leibnizio plura de ea commentari coepit. Enata inde anno cIↃ IↃCCXXII *Meditatio philoſophica de Vnione mentis et corporis ſecundum principia G. G. Leibnizii;* tum *Theoremata metaphyſica ex philoſophia Leibniziana ſelecta, de Proprietatibus quibusdam entis infiniti et finiti, mundique exiſtentis perfectione, methodo geometrica demonſtrata* [b]; tandemque G. G. Leibnizii *Principia philoſophiae more geometrico demonſtrata, cum excerptis ex epiſtolis philoſophi et ſcholiis quibusdam ex hiſtoria philoſophica, vulgata anno* cIↃ IↃCCXXVIII [c]. Quo libro vtilem et iucundam operam vir acutus philoſophiae Leibnizianae cultoribus, eiusque hiſtoriam perquirentibus praeſtitit, cum non tantum ratiocinationum neruum oſtenderit, ſed plura quoque ex ſcriptis et epiſtolis Leibnizianis addiderit, quae obſcurius dicta illuſtrarent, interdum quoque paralleliſmum veteris philoſophiae, quam haud raro in partes vocauit Leibnizius, adduxerit. Vnde introductionis loco in metaphyſicam Leibnizianam adhiberi poteſt. Maiorem autem fortunam, aſt miris viciſſitudinibus expoſitam experta eſt philoſophia Leibniziana, ex quo illuſtris Halenſium philoſophus CHRISTIANVS WOLFIVS, cui cum viuo Leibnizio amicitia interceſſerat, non modo methodo philoſophandi Leibniziana ſed hypotheſibus quoque ab eo excogitatis vſus eſt. Quamuis enim integrum philoſophiae ſyſtema condere Leibnizius nunquam

x) Diximus de ea re plura in Elogio illuſtris viri Ioannis Bernoullii, Dec. II. Pinacoth. ſcriptorum illuſtrium, quae, ſi ita videtur, conſuli poſſunt.

z) Vid. Epp. Vol. III. p. 97.

a) Vol. III. p. 64. ſeqq.

b) Aug. Vind. 1728. ſuffixa eſt meditatio philoſophica.

c) Lipſ. et Francof. 4. inſcripta ſunt Eugenio principi Sabaudiae.

quam in animo habuerit, contentus harmoniam mundi ex principiis quibusdam metaphyſicis deduxiſſe, vnde nouum philoſophiae ſyſtema formanti Wolfio neceſſe fuit, ipſum opus, affectum magis, quam confectum a Leibnizio aggredi, et ſibi peculiare philoſophiae genus effingere, quod per omnes philoſophiae partes eundo, iuſtum daret rerum omnium, quae ſub hominis ſcientiam cadere poſſunt, corpus: negari tamen non poteſt, hypotheſes Leibnizianas non quidem omnes, plerasque tamen eum in philoſophiam ſuam recepiſſe, et ſeriei meditationum ſuarum, ſuo quamlibet loco, inſeruiſſe, methodo mathematicis familiari eas demonſtratum iuiſſe, et nouo lumine colluſtraſſe. Id qud metaphyſicam eius cum Leibnizianis philoſophematis comparanti erit manifeſtiſſimum [d]. Non id ita intelligi volumus, vt ſectam aliquam Leibnizianam propagaſſe virum celeberrimum dicamus: id enim affirmari eo minus poteſt, quominus ipſe Leibnizius de ſecta vnquam cogitauit, contentus ſemina quaedam philoſophiae, qualem ſibi conceperat, ſparſiſſe, ex quibus, ſi ingenium accedat ſolers et intelligens, iuſti ſyſtematis meſſis exſurgere poſſit. Praeterea vir magnus de rationali philoſophia pauca dixit, phyſicas hypotheſes ſenex ipſe abiecit in morali philoſophia fere nihil reliquit, quod ad integrum philoſophiae corpus pertineat. Vnde factum, vt, cum celeberrimus Wolfius nouam ſibi philoſophiae faciem efformaret, electis iis, quae apud philoſophos, maxime veteres [e] itemque Scholaſticos [f] veritatis notam ſuſtinere videbantur, ex principiis vniuerſalibus cohaerens aliquod doctrinae aedificium, rationalem, metaphyſicam, naturalem et moralem philoſophiae partem complexum exſtrueret. Qua ratione inter eclecticos philoſophos omnino haud infimus ei locus debetur, cum cogitandi ſentiendique et hinc eligendi libertatem recte ſibi vindicauerit [g]. Sunt etiam inter eius decreta nonnulla, quae a Leibnizianis placitis diſſentiunt, teſtemque habemus ipſum Leibnizium, in epiſtola ad Remondum ſcribentem [h]: *Wolfium placitorum ſuorum quaedam recepiſſe, pauca autem ſe de philoſophia cum eo communicaſſe, nec decretorum ſuorum alia illum cognouiſſe, quam quae literis vulgata ſint. Vidiſſe ſe nonnulla a iuuenibus eo moderante ſcripta, in quibus multa bona inſint; deprehendantur autem nonnulla, in quibus diſſentiat.* Quare omnino ipſe vir illuſtris audiendus eſt, teſtans [i], parum ſibi id curae eſſe, vtrum philoſophemata ſua cum Leibnizianis conſpirent, nam ſe ea tantum ex illius metaphyſica recepiſſe, quae concordare cum conceptibus ſuis deprehenderit. Nec ſuam, quam tanto viro deberi credat, venerationem coecam eſſe et adoran-

d) Ideo Leibnizianam philoſophiam inter fontes Wolfianae doctrinae refert Cl. LVDOVICVS in Hiſt. phil. Wolf. c. 9. §. 136. P. I. p. 123.

e) Vid. Praef. Metaphyſicae Germanicae.

f) Conf. LVDOV. l. c.

g) Vid. eius Relatio de ſcriptis propriis, c. 4. p. 123. c. 5. p. 155.

h) T. II. Recueil p. 162. conf. BVLFINGER. de Harmonia praeſtabilita §. 155. not. g. p. 136.

i) In Monito de ſua philoſophandi ratione Act. Erud. 1728. Dec. art. 7.

adorantis obsequium, sed ea se tantum admittere, quae cum systemate suo salua veritate cohaereant etc. Et hoc quidem sensu virum celeberrimum inter sectatores Leibnizii referendum non esse, quilibet aequus arbiter facile concesserit. Ast eo ipso fatente pleraque tamen, etsi non omnia, quae in logicis et metaphysicis Leibnizius dixit, sua fecit [k], suoque systemati apte innexa atque accommodata seruauit, clariorem iis lucem affudit, effecitque, vt in disceptationem deducto ipsius systemate philosophico, totus fere orbis philosophicus de philosophia Leibnizio-Wolfiana disputaret: inuitis, quod de tantis veritatis sectatoribus recte credimus, ipsis eius auctoribus, quos sectae studium, philosophum indecens et libertati philosophandi [inimicum non fouisse, nec fouere voluisse, merito credimus. Certe id in historia Leibnizianae philosophiae negligendum non est, fassum esse illustrem Wolfium, meditationes Leibnizianas, *de Cognitione, veritate et ideis* etc. sibi de intellectus humani viribus et facultatibus sollicito plurimam lucem praetulisse; duxisseque ipsum fundamenta semel posita, naturali filo ad hypotheses Leibnizianas [l], maxime de harmonia praestabilita. Id quod principia philosophiae Leibnizianae et Theodiceam cum Metaphysica Wolfiana comparanti erit manifestum, in qua principia cognoscendi, nempe rationis sufficientis et indiscernibilium, notiones loci, motus, vacui, temporis, definitiones DEI, animae, eiusque commercii cum corpore, monadum atque elementorum mundi; leges motus et similia cum Leibnizianis mire conspirant, arctoque nexu cohaerent. Quae tamen cum integrum philosophiae Leibnizianae corpus non efficiant, singularem tractationem celeberrimi viri merita in philosophia postulant, qui quod Leibnizius cogitauit tantum et tentauit, mira mentis sollertia et acumine perfecit, poliuit, auxit, nouasque meditationes exhibuit, ex quibus larga messis scriptorum enata est. Ast haec recensere omnia, licet maxime digna posteritatis memoria, fines nobis, vt tractationis modus esset, positi et intra demortuorum philosophorum limites conclusi non permittunt. Dedimus autem viri summi imaginem, vitaeque atque meritorum elogium et scriptorum indicem alibi [m]: plenis autem cyathis hauriendi copiam suppeditat Cl. LVDOVICVS [n].

Scripta Leibnizii. §. XXXIII. Diligentissimus quanquam fuit Leibnizius, et laboris patientissimus, magna tamen opera non edidit, si collectiones historicas excipiamus, nempe *Scriptores historiae Brunsuicensis* et *Codicem iuris gentium diplomaticum*, in quibus tamen describendis teste FELLERO [o], aliorum cura atque opera, vsus est. Pleraque, quae vulgauit, dissertationes breuiores sunt, Ephemeridibus literariis insertae, aut tractationes epistolicae et schediasmata, qualia ea sunt, quae adolescens et iuuenis edidit.

k) In Praef. Logicae Germanicae.

l) Praef. prima ad Metaphysicam Germ.

m) In Pinacotheca scriptorum nostra aetate illustrium Dec. I. quo loco imago quoque viri celeberrimi accurate efficta exhibetur.

n) In Hist. philos. Wolfianae Lipsiae 1737. 8. duabus partibus edita.

o) loc. cit.

edidit. Horum autem omnium recenſionem dare, opus non eſſe hoc loco cenſemus, cum potiora, maxime quae ad philoſophiam nempe rationalem, metaphyſicam, naturalem, moralem, politicam pertinent, in vitae eius hiſtoria iam indicauimus. Diligenter autem in hac opera praeſtanda verſatus eſt Cl. LVDOVICVS [p], qui ſcripta Leibnizii omnia typis impreſſa ſecundum temporis ordinem accurate enarrauit, et a ſingularium obſeruationum, recenſionum, epiſtolarum, diſſertationum, tractationumque indicem cupientibus ipſe euoluendus eſt. IDEM autem, vt curioſitati lectoris faciat ſatis, de ſcriptis Leibnizii editis latentibus et affectis promiſſisque, integris quoque capitibus diſſeruit. Inter ea *Hiſtoria Brunſuicenſis* eſt, cui meliorem vitae partem addixit, aſt affecta tantum et ad annum CIↃIↃCC perducta, cuius cauſſam in §. antecedente iam attulimus, nihil tamen in iſto catalogo deprehendimus, quod philoſophiam magnopere iuuet. Dolemus autem ſyſtema philoſophiae primae, quod paulo ante mortem delineauit, miſſum ad Cel. Sebaſtianum Kortholtum Kilonium in via periiſſe [q], cum dubium non ſit, quin natiuam faciem philoſophiae ſuae ipſe omnium veriſſime depinxerit. Meditatus etiam eſt ſcientiam de mente per geometricas demonſtrationes, ad quam multa ſe mira obſeruata habere, ad Ioannem Oldenburgium ſcripſit [r], ſed eam poſtea intermiſit, quod fatum quoque habuit promiſſa ab eo noua dynamices ſcientia; itemque ſcientia infiniti, in qua viam analyticam demonſtrare [s] cogitabat, calculum differentialem cum integrali pleniſſime expoſiturus. Immo non ſine hiſtoriae philoſophicae damno factum, vt quam *corpuſculi* κειμηλίων φιλοσοφικῶν titulo meditabatur, editionem opuſculorum philoſophicorum Ratramni, Campanellae, Valeriani Magni, Carteſii, quibus Suiſſeti *Calculatorem* additurus erat [t], perficere non potuerit. Tanta autem eruditione pollent, quae vir ſummus viuus in vulgus exire paſſus eſt, vt merito voluntas virorum doctiſſimorum laudanda ſit, qui ſchedas eius paſſim, maxime in Ephemeridibus literariis diſperſas colligere, et vno faſce comprehenſas edere in animum induxerunt. Id quod primus ſuſcepit Ioannes Georgius Eccardus, qui Leibnizio in condenda hiſtoria Brunſuicenſi operam praeſtitit, quem ſcripta eius minora ſigillatim impreſſa vno volumine recudi curaturum eſſe, promiſerunt *Acta eruditorum* et Fontenellius [u]. Aſt intercedente rerum Eccardi conuerſione diſceſſuque ad academiam Herbipolenſem, conſilium illud euanuit. Idem poſtea ſaxum voluere in ſe recepit V. C. Daniel Eberardus Baringius, qui ſcripta minora in diariis eruditis diſperſa colligere, et annotationibus aucta edere promiſit; ſed et hic Aiax in ſpongiam incubuit. Tertius ad ſimile propoſitum acceſſit Cl. LVDOVICVS [x], qui non

p) l. c. c. 7. Adiectus quoque ſcriptorum Leibnizianorum index Theodiceae verſioni Germanicae, auctore Eccardo, et editioni Amſtelodamenſi a Neuuillano (Dn. de Neufville) editae, vterque accuratus ſatis haud eſt.

q) Vid. Anonymus ad Elog. Fontenellianum.

r) Extat ea epiſtola T. III. Opp. Ioannis Walliſii p. 620.

s) Conf. LVDOVIC. loc. cit. c. II. §. 39. p. 59. et quos laudat.

t) Epp. Vol. I. p. 255. conf. FELLER. l. c. p. 24.

u) loc. cit. x) l. c. c 5. § 262. p. 290.

edita modo in Ephemeridibus, sed et singulatim vulgata et quae fere dispa-ruere, opuscula Leibnizii legenda iterum dare, facto initio ab opusculis metaphysicis et logicis, commentario illustratis constituit. Qui cum studio, quod in historia philosophiae Leibnizianae posuerat, et laboris patientia spem lectorum mire excitauerit, optamus, vt, quae ipse nobis impedimenta sibi obiecta exponit, e via tandem tollantur. Certe cum nec eruditissimus Bourgetus, qui similes conatus susceperat, nec, cui lampadem ille tradidit illustris Iordanus, orbem philosophicum istis laboribus auxerint, omnino excitanda est eorum, quibus occasio simile quid suscipiendi fauet diligentia, vt omnem lapidem moueant, quo hac quoque in parte literae, quas tantopere promouit Leibnizius, iuuentur. Interim gratias agendas debet ciuitas erudita Cl. Kortholto, hanc iacturam eleganti epistolarum Leibnizianarum collectione, qui schediasmata nonnulla minora, typis vulgata, quae ad philosophiam respiciunt, et historiam prudenter inseruit, ex parte sarcienti; qualem operam praestitisse quoque cel. DES MAIZEAVX, ex supra narratis constat.

Historia literaria Theodiceae Leibnizianae.

§. XXXIV. Diximus et attulimus ex immenso rerum ad historiam philosophicam et literariam Leibnizii pertinentium aceruo tantum, quantum institutum nostrum requirebat, et sufficere nos putamus, vt intelligatur, quid philosophia eclectica magno viro debeat. Transeuntibus iam ad decretorum philosophicorum Leibnizii enarrationem, in via *Theodicea* occurrit, ex qua magnam partem de eius placitis decernendum. Qui liber cum ingenti orbis literarii plausu exceptus, ast non minus multas contradictiones passus sit, paucis eius historia separatim hic tradenda est. Summam enim eius exponere hoc loco non licet, consulendae autem sunt Ephemerides Lipsienses y), in quibus interprete celeberrimo WOLFIO eruditissimi libri compendium eleganter enarratur. Constat autem praefatione, qua historiam enatae tractationis auctor exponit, quam supra quoque retulimus, tum dissertatione praeliminari de concordia rationis et fidei: quam sequitur ipsa tractatio P. Baylio opposita, cui bonitatem DEI ex necessitate mali ancipiti argumentorum pugna, telisque Manichaeorum aggredienti suas phalanges obiecit, a regina Borussiae ad eam pugnam excitatus. In hac vero scriptione et suam de mali origine sententiam exponit, et Baylii obiectionibus respondit, et hunc potissimum nodo inextricabili ensem admouet, vt elegisse Deum mundum ex multis possibilibus vnum eumque optimum, inque eo malum bono admixtum ita admisisse, vt cuncta sapientissima concordia tandem ad bonos fines perducantur, statuat. Adiectae sunt meditationes in Hobbianam dissertationem *de Necessitate, libertate et fortuna*, et annotationes in GVIL. KINGII librum *de Origine mali.* Claudit elegantissimum librum *Caussa DEI asserta per iustitiam eius, cum ceteris eius perfectionibus cunctisque actionibus* conci-

y) 1711. Mart. p. 110. April. p. 159.

conciliata. Dici non potest, quanto fulgore lectorum animos perstrinxerit tractationis elegantia atque nitor, sententiarum nouitas, eruditionis coaceruatae sed mira arte distributae pulchritudo, lectionis vastitas, obseruationum literariarum farrago, ipsaque dictio Gallica iucunditate et puritate commendabilis, quae omnia cumulauit, et diuitias suas profudit in isto opere Leibnizianum ingenium. Inde sequuta maxima eruditorum approbatio, qui licet in haud paucis Leibnizii mentem non assequerentur, disputationis tamen per amoenissima deuia lectorem detinentis iucunditate illecti nihil nisi quod suaue erat, deprehenderunt. Vnde non tantum Ephemeridum literariarum scriptores in eo libro laudando decertarunt [z], sed meruit quoque calculum theologorum, Turretini [a], Loescheri [b] aliorumque, quibus Io. Albertum Fabricium addere licet [c]. In Gallia autem, si *Nouorum literariorum Lipsiensium* [d] fide standum est, inuincibiles phalanges visae sunt, quas in aciem produxit Leibnizius. Primus vero, qui displicere sibi Leibnizianam de Origine mali sententiam professus est, fuit B. Io. Franciscvs Bvddevs, quo praeside dissertatio [e] comparuit *de Origine mali contra recentiores quorundam hypotheses.* In qua tamen auctorem mentem suam recte non percepisse, male autem actionum moralitatem ex sola lege diuina deriuare, ad ipsum praesidem dissertationis scripsit Leibnizius [f]. Buddeum secutus est Ven. Pfaffivs [g] cui nonnulla dicta de praesentia reali in S. coena minus probabantur, qui tamen et ipse rectius sensisse Leibnizium edoctus est. Ipse liber aduersarios publicos paucissimos reperit, Leibnizio viuente, bis, et post eius mortem duabus iterum vicibus [h] typis repetitus. Latinam vero versionem non nemo ex Iesuitarum societate Coloniae vulgauit, Germanicam edidisse Lentnervs dicitur, cui elogium Fontenellii Leibnizianum accessisse in limine huius capitis diximus, adiecto indice scriptorum Leibnizianorum: emendauit, et totam fere refinxit cel. Georgivs Frid. Richtervs, meliorem Latinam quoque dedisse Tubingenses supra retulimus. Quamuis autem harmoniae praestabilitae aliaeque hypotheses aduersarios haud paucos expertae sint, nemo tamen integrum *Theodiceae* opus refutare aggressus est, forte quod argumenti sublimitas et disputationis miro artificio per integram tractationem diffusae, molestia dissentientes deterreret. Mortuo autem Leibnizio acri censura librum hunc, multos per partes iugulasse supra iam narrauimus, ex quibus repetenda, quae historiae libri celeberrimi lucem accendere apta sunt.

§. XXXV. Enarrata Leibnizii historia literaria atque philosophica, restat, vt de eius placitis philosophicis more nostro ipso viro summo duce tracte- *Philosophia Leibnizii.*

z) Iournal des savans 1713. p. 9. 123. Nouuelle de la rep. des lettres T. I. p. 237. 241. T. II. p. 162.
a) In Posit. theologicis.
b) In Praenotionibus theologicis.
c) Bibliograph. antiq. p. 239.
d) 1717. p. 374.
e) Extat quoque in eius Miscell. SS.
f) Vol. II. Epp. p. 169. et alibi.
g) In Fragm. Irenaei et diss. adi. §. 16.
h) Vid. Act. Erud. 1715. Aug. p. 376.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tractemus, exponamusque qua ratione philosophiam innouauerit. Monuimus autem in antecedentibus, integrum philosophiae systema Leibnizium non condidisse [i], contentum, assertiones potiores ex principiis generalibus deduxisse, ex quibus iudicio satis instructo liceat integrum philosophiae excitare aedificium. Difficile ideo est, philosophiae Leibnizianae delineationem exhibere, cum nihil, quod integrum eius ambitum comprehendat, reliquerit. Maxime vero in logicis pauca quaedam ad naturam idearum pertinentia attulit, in physicis veteres hypotheses de motu in abstracto et concreto considerata abiecit, in morali doctrina paucissima nonnulla monita regulasque aliud agens disperſit. Vna metaphysica paulo meliori fortuna vsa, eius *Principiis Philosophiae*, siue monadologia aucta est, theologiam naturalem in *Causſa DEI asserta*, non tamen totam explicuit, in *Theodicea* autem haec omnia sparsim attulit. Vnde operae pretium esset, ex scriptis viri summi philosophicis ea colligere, et ordine systematico exponere, quae illustri philosopho placuere. Quod saxum neminem hactenus voluisse merito miramur. Nam eos, qui Wolfianas philosophiae institutiones pro Leibnizianis habent, falli in antecedentibus demonstrauimus. Quae vero Cel. Hanschius expossuit supra memorata solam metaphysicam partem comprehendunt: nec ea, quae nos olim de placitis Leibnizianis adduximus [k], plenam opinionum eius atque assertionum historiam explicant. Vnde merito optamus, vt, qui iustum philosophiae Leibnizianae syntagma ex scriptis celeberrimi philosophi congestum meditatur, Cl. LVDOVICVS [l], laudatissimum institutum perficiendi occasionem et circumstantias fauentes nanciscatur. Nos quo minus hoc onus humeris nostris imponamus, ipsa instituti ratio prohibet, quae et istam prolixitatem refugit, et ipsa potissimum verba et philosophemata philosophorum celebrium, eo, quo ipsi proposuerunt, ordine, adducere postulat. Sequemur ergo methodum hactenus adhibitam, et quae de rationali philosophia in meditationibus *de Cognitione, ideis et veritate* disseruit Leibnizius, primo enarrabimus, hisque ipsa viri summi *Principia philosophica*, et quae in *Causſa DEI* philosophatus est, subiungemus; speciminis moralis loco autem ex praefatione *Codicis iuris gentium* ea explicabimus, quibus doctrinae moralis aedificium inaedificandum esse statuebat. Addemus autem ὡς ἐνπαρέδῳ, quae passim monuerunt viri docti, vt hoc pacto aliquam, si non plenam, philosophiae Leibnizianae nanciscamur notitiam.

Logicae meditationes Leibnizii.

§. XXXVI. Meditationes rationales Leibnizii hae sunt:

I. Cognitio est vel obscura vel clara, et clara rursus vel confusa vel distincta,

i) Diserte id testatur Leibnizius in Ep. ad Remondum Recueil T. II. p. 161. Verum est Theodiceam meam non sufficere ad exhibendum integrum systematis mei aedificium; non tamen multa deerunt, si iungantur ea, quae in Ephemeridibus literariis, Lipsiensi, Parisiensi, P. Baylii et Basnagii dixi, saltem, quoad principia.

k) In Germanic. Hist. phil. opere T. VII. p. 460, seqq. Conf. LVDOV. l. c. cult. §. 621. p. 425.

l) l. c. P. I. c. 1. §. 8.

ſtincta, et diſtincta vel inadaequata vel adaequata, item vel ſymbolica vel intuitiua, et quidem ſi ſimul adaequata et intuitiua ſit, perfectiſſima eſt.

II. Obſcura eſt notio, quae non ſufficit ad rem repraeſentatam agnoſcendam.

III. Clara cognitio eſt, cum habeo vnde rem repraeſentatam agnoſcere poſſim, eaque rurſus eſt vel confuſa vel diſtincta.

IV. Confuſa eſt, cum non poſſum notas ad rem ab aliis diſcernendam ſufficientes ſeparatim enumerare, licet res illa tales notas atque requiſita reuera habeat, in quae notio eius reſolui poſſit.

V. Ita colores, odores, ſapores aliaque peculiaria ſenſuum obiecta ſatis clare quidem agnoſcimus, et a ſe inuicem diſcernimus, ſed ſimplici ſenſuum teſtimonio, non vero notis enuntiabilibus: licet certum ſit, notiones harum qualitatum compoſitas eſſe, et reſolui poſſe, quippe cum cauſſas ſuas habeant.

VI. Diſtincta notio eſt, quae ſit per notas et examina ſufficientia ad rem ab aliis omnibus corporibus ſimilibus diſcernendam: tales habere ſolemus circa notiones pluribus ſenſibus communes, circa multos affectus animi, verbo circa omnia quorum habemus definitionem nominalem, quae nihil aliud eſt, quam enumeratio notarum ſufficientium.

VII. Datur tamen et cognitio diſtincta notionis indefinibilis, quando ea eſt primitiua, ſiue nota ſui ipſius, hoc eſt, cum eſt irreſolubilis ac non niſi per ſe intelligitur, atque adeo caret requiſitis.

VIII. In notionibus autem compoſitis, quae rurſus notae ſingulae componentes interdum clare quidem, ſed tamen confuſe cognitae ſunt, hinc talis cognitio licet diſtincta ſit, inadaequata eſt tamen.

IX. Cum vero id omne quod notitiam diſtinctam ingreditur, rurſus diſtincte cognitum eſt, ſeu cum analyſis ad finem vsque producta habetur, cognitio eſt adaequata. Diſcedit in his notionum idearumue definitionibus et diſtinctionibus a Carteſianis et Lockio Leibnizius, cuius ad illius librum de intellectu humano obſeruationes [m] heic merentur conferri.

X. Plerumque non totam ſimul naturam rei intuemur, ſed rerum loco ſignis vtimur, quorum explicationem in praeſenti aliqua cogitatione compendii cauſſa ſolemus praetermittere, ſcientes aut credentes, nos eam habere in poteſtate; talis vocari poteſt cogitatio coeca vel ſymbolica.

XI. Cum notio valde compoſita eſt, non poſſumus omnes ingredientes eam notiones ſimul cogitare.

XII. Vbi tamen hoc licet, vel ſaltem quantum licet cognitio oritur intuitiua.

XIII. Notionis diſtinctae primitiuae non alia datur cognitio, quam intuitiua, vt compoſitarum plerarumque cogitatio non niſi ſymbolica eſt.

XIV. Eo-

m) Dictum de iis ſupra. Extant Recueil T. II. p. 143. ſeq. et Vol. IV. Epp. p. 509. ſeqq.

XIV. Eorum, quae distincte cognoscimus, ideas non percipimus, nisi quatenus cogitatione intuitiua vtimur. Et sane contingit, vt nos saepe falso credamus habere in animo ideas rerum, cum falso supponimus aliquos terminos, quibus vtimur, iam a nobis fuisse explicatos.

XV. Saepe vocabula vtcunque intelligimus, aut nos antea intellexisse meminimus, quia tamen hac cogitatione coeca contenti sumus, et resolutionem notionum non satis prosequimur, fit vt lateat nos contradictio, quam forte notio composita inuoluit.

XVI. Ex his fluit discrimen inter definitionem nominalem et realem. Definitio nominalis est, quae notas tantum rei ab aliis discernendae continet; realis, ex qua constat rem esse possibilem. Est itaque definitionis realitas non arbitraria, quod volebat Hobbius, nec quaelibet notiones inter se possunt coniungi.

XVII. Definitiones nominales non sufficiunt ad perfectam scientiam, nisi quando aliunde constat, rem definitam esse possibilem.

XVIII. Idea vera est, cum notio est possibilis, falsa cum contradictionem inuoluit.

XIX. Possibilitatem rei vel a priori cognoscimus vel a posteriori.

XX. A priori possibilitatem cognoscimus, cum notionem resoluimus in sua requisita, seu in alias notiones cognitae possibilitatis, nihilque in illis incompatibile esse scimus.

XXI. Fit id inter alia, cum intelligimus modum, quo res possit produci: vnde prae ceteris vtiles sunt definitiones caussales.

XXII. A posteriori possibilitatem cognoscimus, cum rem actu existere experimur, quod enim actu existit vel extitit, id vtique possibile est.

XXIII. Quandocunque habetur cognitio adaequata, habetur et cognitio possibilitatis a priori; perducta enim analysi ad finem, si nulla apparet contradictio, vtique notio possibilis est.

XXIV. Cauendum ne quis abutatur iactato principio: quicquid clare et distincte de re aliqua percipio, id est verum, seu de ea enuntiabile. Saepe enim clara et distincta videntur hominibus temere iudicantibus, quae obscura et confusa sunt. Inutile igitur axioma est, nisi adducta clari et distincti criteria adhibeantur, et nisi constet de veritate idearum.

XXV. Non contemnenda veritatis enuntiationum criteria sunt regulae communis logicae, quibus et geometrae vtuntur, vt scilicet nihil admittatur pro certo; nisi accurata experientia vel firma demonstratione probatum.

XXVI. Firma autem demonstratio est, quae praescriptam a logica formam seruat; non quasi semper ordinatis scholarum more syllogismis opus sit, sed ita saltem, vt argumentatio concludat vi formae.

XXVII. Itaque nec praetermittenda est aliqua praemissa necessaria, et omnes praetermissae iam ante vel demonstratae esse debent, vel saltem instar hypotheseos assumtae, quo casu et conclusio hypothetica est.

XXVIII.

XXVIII. Commendanda ideo est ingeniosissimi Pascalii regula, definiendos esse omnes terminos parumper obscuros, et comprobandas omnes veritates parumper dubias. Quod quomodo faciendum sit, ex attenta eorum, quae dicta sunt, consideratione constare potest n).

XXIX. Omnia nos videre in Deo, vetus est sententia, et si sano sensu intelligatur, non omnino spernenda.

XXX. Etsi omnia in Deo videremus, necesse tamen esset, vt habeamus ideas proprias, id est non quasi icunculas quasdam, sed affectiones siue modificationes mentis nostrae, respondentes ad id ipsum, quod in Deo perciperemus.

XXXI. Vtique aliis atque aliis cogitationibus subeuntibus aliqua in mente nostra mutatio fit: rerum vero actu non cogitatarum ideae sunt in mente nostra, vt figura Herculis in rudi marmore.

XXXII. At in Deo non tantum necesse est actu esse ideam extensionis absolutae atque infinitae, sed et cuiusque figurae, quae nihil aliud est quam extensionis absolutae modificatio. Tangunt haec controuersiam Mallebranchii de origine idearum, cuius infra historiam enarrabimus. Pluribus id agit, notionesque Cartesianas Mallebranchii suis vel emendare vel refellere contendit in examine principiorum Mallebranchii, quod cum his comparandum est. Multa enim eo loco habet, quae dicta illustrant et amplificant.

XXXIII. Cum colores aut odores percipimus, vtique nullam aliam habemus, quam figurarum et motuum, perceptionem, sed tam multiplicium et exiguorum, vt mens nostra singulis distincte considerandis in hoc praesenti suo statu non sufficiat, et proinde non animaduertat perceptionem suam ex solis figurarum et motuum minutissimorum perceptionibus compositam esse. Hactenus de ideis Leibnizius, qui principia ratiocinationis et cognitionis quoque in monadologia tetigit o). Hanc itaque, quam principia philosophiae exhibere Leibnizius contendit, iam porro audiemus, mittemus autem in compendium, et, quae probandae assertionis caussa attulit, more nostro omittemus, cum ea scire desiderantibus principia haec philosophiae vbique inuenire liceat.

§. XXXVII. Ita vero de elementis rerum, et quae illa consequuntur, Leibnizius statuit: *Metaphysica Leibnizii.*

I. Monas non est, nisi substantia simplex, quae in composita ingreditur. Simplex dicitur quia partibus caret.

II. Ne-

n) Recueil T. II. p. 218. seqq.

o) Prima monadologiae semina sparsit LEIBNIZIVS in Theodicea, sed pleniora dedit lingua Gallica in Europa erudita. Latine comparuere in A. E. T. VII. Suppl. S. XI. p. 500. seqq. Recusa dedit cum annotationibus Cl. CREILINGIVS, geometrice demonstrauit HANSCHIVS vt supra dictum. Historiam autem quomodo ad hanc hypothesin delatus sit, ipse recitat LEIBNIZIVS in Ep. ad Remondum Recueil T. II. p. 133 vbi ad Platonis, Academiae mediae et Scepticorum consensum prouocat.

II. Neceſſe autem eſt, dari ſubſtantias ſimplices, quia dantur compoſita, neque enim compoſitum eſt, niſi aggregatum ſimplicium. Primam fere rationem, cur ad monadas rerum omnium principia atque elementa retulerit Leibnizius, iſtis theſibus affert, nempe quia compoſita, neceſſe eſt, conſtare ex partibus ſimplicibus, ex quibus aggregatis omnia compoſita exſurgunt. Sine his enim principiis ſimplicibus nihil reale ineſſe rebus compoſitis ſtatuit. Hinc ſubſtantias ſimplices, ex quarum aggregato corporeae maſſae exſurgunt, neceſſario admittendas eſſe contendit, ſine quibus, velut veris elementis res eſſe nequeant [p]. Reliqua enim, quae in natura occurrunt, ſola eſſe phaenomena, quae inde reſultent, concluſit. Haec elementa naturae monades appellare iuſſit virum inſigniter doctum et natura rei et veterum auctoritas. Quemadmodum enim monas, id eſt, vnitas, fons eſt et origo numeri, omnemque vim et poteſtatem eius complectitur, qui nihil aliud eſt niſi aggregatum vnitatum; ita et elementa iſta atque principia prima et ſimpliciſſima res omnes, quae ex illorum aggregatione componuntur, conſtituunt. Notum autem ex iis, quae *Tomo primo* de philoſophia Pythagorica diximus [q], monadas in huius iam ſectae doctrina principia rerum abſoluiſſe. Sunt quoque in monadibus Pythagorae complura, quae cum monadibus Leibnizianis conſpirant; nominis ratio, quae ἀπὸ τῦ μένειν fluit, qua idem ſignificat, quod ſubſtantiam, nempe rem, quae ſemper ſtet, et in eadem ratione maneat, itemque multitudini opponatur: origo rerum ex monadibus deriuata; admiſſae monades velut vera elementa naturae, et principia rerum, et ſimilia. Aſt confuſas notiones ſaepenumero in deſcribendis monadibus ſequebantur Pythagorei, vnde ipſam quoque materiam monada vocare non dubitarunt, vt ſuo loco probatum [r], non ſolas ſubſtantias intellectuales: immo totum quoque chaoticum monadis rationem habere, epitheta monadi tributa produnt. Quae omnia cum vnitatum, ſiue elementorum, naturae repugnent, recte a philoſopho reiecta ſunt: qui licet nonnulla ex monadologia Pythagorica accepiſſet, vt tamen erat ingenio acutiſſimo, iſta voce tantum ad deſignanda rerum principia prima, ſimplicia atque elementa naturae vſus eſt. Conuenire autem monadas ſuas cum monadibus Pythagoricis, et ideis Platonis, quae coincidunt, ipſe vir illuſtris faſſus eſt, ſcribens ad Hanſchium [s]: *Pulcherrima ſunt multa Platonis dogmata, obiectum ſapientiae eſſe* τὰ ὄντως ὄντα, *ſubſtantias nempe ſimplices, quae a me monades appellantur, et ſemel exiſtentes ſemper perſtant* [t]. Verum et aliis veteris philoſophiae Graecae vocabulis ad has ſubſtantias ſimplices ſiue elementa rerum deſignanda Leibnizius vſus eſt. Vocat enim eas πρῶτα δεκτικὰ τῆς ζωῆς [u], quod primario

p) Vid. Ep. ad Bierlingium Vol. IV. p. 49. vbi monadologiam breui compendio enarrat.
q) p. 1049. ſeqq.
r) p. 1078.
s) Vol. III. Epp. p. 65.
t) Inter recentiores Iordanum Brunum monades in explicanda natura rerum adhibuiſſe, ex c. 1. huius partis conſtat. Feciſſe autem id ſenſu Leibniziano infra probabimus.
u) loc. cit.

rio vitam ſenſumque illis et actionis vim ineſſe contenderet. Sed et atomos vocauit, aſt ſenſu a Democriti et Epicuri decretis valde diuerſo [x]. Atomos enim Democriteas et Epicureas principio rationis ſufficientis contrarias eſſe arbitrabatur [z]; eo quod duritiem naturalem et primitiuam, quae ipſis inſit, ſupponant, cuius ſufficiens ratio dari nequeat. Vnde eas quoque ab Hartſoeckero aſſertas reiecit [a]. Monades itaque atomos vocando, non atomos molis intelligendas eſſe monet [b], ſed ſubſtantiae, id eſt vnitates reales, et partibus, quibus atomi Epicuri non carent, deſtitutas, quae fontes exiſtant actionum, ſintque prima et abſoluta principia ex quibus res componantur, et in quae velut vltima elementa ſubſtantiata reſoluantur. Sed et punctis mathematicis aſſimilauit, puncta metaphyſica appellans et formas ſubſtantiales dixit, quarum conſiſtat natura in vi actiua, perceptionis et appetitus participe; qua ratione obſcuram Ariſtotelis denominationem entelechiae primae intelligendam eſſe, contendit: eiusque veram ſignificationem ſe detexiſſe ſcripſit ad PELLISSONIVM [c].

III. Vbi non dantur partes, ibi nec extenſio, nec figura, nec diuiſibilitas locum habet. Atque monades iſtae ſunt verae atomi naturae, et vt verbo dicam, elementa rerum.

IV. Neque etiam in iis metuenda eſt diſſolutio, nec vllus concipi poteſt modus, quo ſubſtantia ſimplex naturaliter interire poteſt.

V. Ex eadem ratione non datur modus, quo ſubſtantia ſimplex naturaliter oriri poteſt, quoniam non aliter niſi per compoſitionem formari poſſet.

VI. Poſſunt itaque monades non oriri niſi in inſtanti, id eſt per creationem, nec finiri, niſi per annihilationem.

VII. Nullo modo explicari poteſt, quomodo monas alterari aut in ſuo interiori mutari queat per creaturam quandam aliam. Neque enim ſubſtantia neque accidens in monadem quae partium mutationem non habet, forinſecus intrare poteſt.

VIII. Opus eſt tamen, vt monades habeant aliquas qualitates, alias nec entia forent.

IX. Immo opus eſt, vt monas quaelibet differat ab alia quacunque. Neque enim vnquam dantur in natura duo entia, quorum vnum ex aſſe conuenit cum altero, et vbi impoſſibile ſit, quandam reperire differentiam internam aut in denominatione interna fundatam. Ratio quam affert, illuſtris philoſophus, appellata ab eo eſt principium identitatis indiſcernibilium, quam et rationi eſſe conformem contendebat, et experientiam te-

x) Vid. Theſ. III. HANSCH. Theor. VII. p. 69.

z) IDEM. l. c. putabat Leibnizius, etſi exiſtentia atomi molis non eſſet contra diuinam potentiam, fore tamen contra diuinam ſapientiam: non enim dari rationem ſufficientem Deum determinantem ad ſubdiuidendum hoc, non vero illud.

a) Vol. IV. Epp. p. 376. ſeqq.

b) Recueil. T. II. p. 565. ſeq. Journ. des Savans 1695. p. 453. ſeq.

c) p. m. 326.

ſtem habere affirmabat [d], quamque neglectam fuiſſe vna cum principio rationis ſufficientis dolebat, eo quod longe meliorem et ſaniorem metaphyſices faciem inducere videbat. Hoc potiſſimum principio vſus, atomorum molis inanitatem demonſtrare aggreſſus eſt. Neque tamen nouum hoc axioma eſt, ſed dudum, teſte CICERONE [e] a Stoicis aſſertum: *Dicis*, ita ille, *nihil eſſe idem, quod ſit aliud, Stoicum eſt quidem, nec admodum credibile, nullum eſſe pilum omnibus rebus talem, qualis ſit pilus alius, nullum granum.* Recentiori autem aetate IORDANVS BRVNVS, cuius plura cum monadologia Leibniziana conſpirant, ſatis luculenter [f]: *Neque eſt poſſibile in ſpecie vlla, duo omnino concordantia vel aequalia indiuidua comperire, duos, inquam hic, dies, circuitus, annos aequales atque ſimiles non ſolum pro habitudine ad alia, ſed vel etiam abſolute potentia in phyſica referre.* Vnde inter theoremata de minimo hoc quoque aſſertum iuit: *Duas figuras vel lineas in materia omnino aequales offendere, vel bis eandem repetere impoſſibile eſſe.* Quod etiam valde ſubtiliter rationibus geometricis munit. Falluntur itaque [g], qui hoc principium, ſi non tactum receptum tamen et demonſtratum primo atque in philoſophiae vſum translatum Leibnizio tribuunt. Cui tamen haec concedenda eſt gloria, quod primus fere ad demonſtrandas veritates metaphyſicas eo principio vſus ſit. Vix autem axioma hoc Clarckio oppoſuerat Leibnizius, cum is contradictionem deprehendiſſe ſibi videretur [h], eo quod ipſi ſupponenti res duas inter ſe aequales, reuera duas eſſe, non eandem, id Leibnizius conceſſerit, et tamen contenderit, vnam rem fore duobus nominibus inſignitam. Ad quae reſpondere Leibnizius morte praeuentus non potuit, eius autem partes ſuſtinuit Cl. THVMMIGIVS [i]: receperunt autem theſin poſt illuſtrem WOLFIVM [k], et HANSCHIVM [l], qui rationibus eam metaphyſicis confirmauit, etiam alii, qui cetera Leibnizianam philoſophiam non in omnibus probarunt. Vnde acute nuper cel. SAM. CHRISTIANVS HOLLMANNVS [m] monuit: *Etſi demonſtrari nequeat, impoſſibile eſſe, plures res ſingulares ita in ſingulis ſuis determinationibus conuenire inter ſe poſſe, vt nulla amplius rei, quam ſolo numero, inter ſe differant; imprimis ſi a determinatione loci, ſeu ſpatii modique coëxiſtendi cum aliis rebus ſingularibus, vere exiſtentibus hic abſtrahatur: experientia tamen conſtare, adeo infinitam fere eſſe, rerum exiſtentium, imprimis materialium et corporearum varietatem, vt ne duas quidem res ſingulares eiusdem ſpeciei, deprehendere liceat, quarum determinationes omnes eodem modo vtrobique ſe habeant, et ſi vel maxime omnes eodem modo ſe habere,*

d) Recueil T. I. p. 50. 94. 95. 418. HANSCH. l. c. Theor. XIX. p. 80. BVLFINGER, Dilucid. philoſ. p. 87.
e) Qu. Acad. L. II.
f) De Minimo p. 71.
g) LVDOVICVS l. c. c. 2. §. 460. p. 357.
h) l. c. p. 156.
i) In Reſp. ad Ep. V. Clarckii.
k) Metaphyſ. germ. §. 587. p. 361.
l) l. c. p. 81.
m) Metaph. §. 255. T. I. Syſt. phil. p. 845.

re, vellemus ſupponere, vel ſolo tamen loco coëxiſtendique modo ſemper adhuc inter ſe differre. Duasque ergo pluresque res ſolo numero inter ſe differentes, non dari, neque ſi loci intuitu ſimul ſpectentur, dari poſſe. Idem a poſteriori quoque et experientia duce probatum iuit cel. HAMBERGERVS [n]. Sed redeundum in viam.

X. Omne ens creatum eſt mutationi obnoxium, et conſequenter etiam monas creata, eſtque in vnaquaque mutatio continua.

XI. Sequitur ex hactenus dictis, mutationes naturales monadum a principio interno proficiſci, propterea quod cauſſa externa in eius interius influere nequit. Et generaliter affirmare licet, vim non eſſe, niſi principium mutationum.

XII. Opus etiam eſt, vt praeter principium mutationum detur quoddam ſchema eius, quod mutatur, quod efficit, vt ita dicam, ſpecificationem ac varietatem ſubſtantiarum ſimplicium.

XIII. Inuoluere illud debet multitudinem in vnitate aut ſimplici. Omnis enim mutatio naturalis cum per gradus fiat, aliquid mutatur, et aliquid remanet, conſequenter in ſubſtantia ſimplici datur quaedam pluralitas affectionum ac relationum, quamuis partibus careat.

XIV. Status tranſiens, qui inuoluit ac repraeſentat multitudinem in vnitate ſeu ſubſtantia ſimplici, non eſt, niſi iſtud quod perceptionem appellamus, quam probe diſtinguere debemus ab apperceptione ſeu conſcientia. Nodus hic praecipuus eſt, quem inſolubilem eſſe viri docti, non illi modo, qui Leibnizianam metaphyſicam oppugnarunt, ſed illi quoque, qui cetera illi ſubſcripſerunt, faſſi ſunt. Et Leibnizius quidem adeo huic aſſerto primario fidebat, vt Carteſianos reprehenderet, quod ex neglecta perceptione, cuius nobis non ſumus conſcii, ſolos ſpiritus eſſe monades, nec dari animas brutorum, nec alias entelechias crediderint, immo ingenia peruerſa in opinione de mortalitate animarum confirmauerint. Cum autem perceptionem monadibus ſine appetitu tribuere non poſſet, vt ex theſi ſequenti conſtat, perceptionem autem per mechanicas rationes explicare impoſſibile eſſet, neceſſarium erat, eas dicere automata incorporea, quae cum perceptionem et appetitum habent, animae nomen ſuſtinere poſſint, a quibus animae brutorum hominumque ipſiusque DEI gradu tantum et perfectione, diſtent. Aſt id incomprehenſibile viris eruditis paſſim viſum eſt, certe ipſe illuſtris WOLFIVS, cum metaphyſicam conderet, faſſus eſt [o], dubitare ſe hactenus, vtrum iſta monadum perceptio admittenda ſit, vnde ſola elementa rerum ſimplicia, neglectis monadibus Leibnizianis ſufficere putauit. Non excitabimus obiectiones virorum doctorum, quibus ob hoc

n) Elem. phyſic. §. 209.
o) §. 598. et P. II. p. 368. Idem faciunt Cl. KAHLS adu. Voltaerium p. 134. ENGELHARD in not. ad ANDALAE Diſput. de Monadibus p. 15.

assertum monadum hypothesin presserunt [p], tantam enim prolixitatem institutum nostrum non patitur, sed consuli eos iubemus, qui Leibnizii monades oppugnarunt, quorum allegandorum otium nobis fecit Cl. LVDOVICI industria [q]: id vnum notamus, visum fuisse illis, qui elementa rerum materialium simplicia concedunt [r], confudisse virum summum immateriale cum simplici, adeoque perperam illius attributum huic tribuisse: cum non repugnet simplex esse, et tamen materiae, quae ex istis simplicibus componitur, affectiones habere. Ceterum ipse HANSCHIVS [s], qui tamen Leibnizianam monadum perceptionem demonstrare geometrice voluit, fassus est, viros harum rerum quam maxime intelligentes, et quorum industria hactenus in euoluendis principiis Leibnizianis summa cum laude versata sit, de huius theorematis veritate determinare non audere, licet concedant, esse in monadibus repraesentationem multitudinis externae: nec ipsis certum videri, vtrum repraesentatio haec in monadibus nudis inferat identitatem status illarum monadum cum statu animae nostrae in stupore, lethargo et profundo somno: et annon in monadibus nudis possit concipi vis perdurans, nec perceptiua tamen, cuius mutationes non inferant multitudinem partium, sed graduum et relationum externarum tantum, et tamen a perceptione proprie sic dicta, obscura etiam et cum nullo actu reflexo coniuncta, differant essentialiter?

XV. Actio principii interni, qua fit mutatio seu transitus ab vna perceptione ad alteram, appetitus appellari potest. Verum equidem est, quod appetitus non semper prorsus peruenire possit ad omnem perceptionem ad quam tendit, semper tamen aliquid eius obtinet, atque ad nouas perceptiones venit.

XVI. Negari tamen nequit perceptionem, et quod inde pendet, per rationes mechanicas explicari non posse, hoc est, per figuras et motum, quia partibus se mutuo impellentibus carent. Non itaque in substantia simplici reperietur aliud, hoc est, praeter perceptiones earumque mutationes in ea nihil datur. Atque in hoc consistere debent omnes actiones internae substantiarum simplicium.

XVII. Nomen entelechiae imponi posset omnibus substantiis simplicibus seu monadibus creatis, habent enim in se certam quandam perfectionem, ἀπὸ ἐντελὲς, datur quaedam in iis sufficientia, αὐτάρκεια, vi cuius actionum suarum internarum fontes sunt, quasi automata incorporea [t].

XVIII.

p) Newtonianorum obiectiones explicat VOLTAIRE Comp. Met. Leibniz. et Newtonianae c. 7. Carteſianorum ANDALA Diss. cit. Anti-Wolfianorum LANGIVS in Idea analytica systematis metaphysici Wolfiani c. 1. p. 71. seqq. nulli sectae addictorum; WACHTERVS in Harmonia recentiorum philosophorum secum non concordante, c. 3. seqq. p. 14. seqq.

q) l. c. P. II. c. 23 §. 463. seqq. p. 359. seqq.

r) Vid. cel. HOLLMANN, Theol. nat. c. 1. §. 7. p. 65.

s) Theor. XXVII. p. 86.

t) Conf. Leibniziana p. 113. et Schediasma de Notione substantiae Act. Er. 1694. p. 110. 1695. p. 145. 1698. p. 427. vbi contra Sturmium disputat. Notionem hanc substantiae euertere aggressi sunt, quotquot monadologiam oppugnarunt, maxime Carteſiani et Newtoniani, tum et Cl. GROVSAZIVS in Prael. de physicae orig. conf. Bibl. anc. et mod. T. XXIV. P. I. art. 10.

XVIII. Quod si animam appellare lubet, quicquid perceptionem et appetitum habet in sensu generali, omnes substantiae simplices aut monades creatae dici possent animae u). Enimuero cum apperceptio aliquid amplius importet, quam simplicem quandam perceptionem: consultius est, vt nomen generale monadum et entelechiarum sufficiat substantiis simplicibus, quae simplici perceptione gaudent x), et animae appellentur, quarum perceptio est magis distincta et cum memoria coniuncta.

XIX. In deliquio aut stupore, et somno profundo anima quoad sensum non differt a simplici monade, sed non caret tunc omni perceptione.

XX. Quando nempe ingens adest exiguarum perceptionum multitudo, vbi nihil distincti occurrit, mens stupet. Istiusmodi statum ad tempus animalibus mors conciliare valet.

XXI. Quemadmodum omnis praesens substantiae simplicis status naturaliter ex praecedente consequitur, ita vt praesens sit grauidus futuro;

XXII. Ita quoque cum euigilantes ab isto stupore perceptionum nostrarum conscii simus, necesse est, vt aliquas immediate ante habuerimus, quamuis earum conscii non fuerimus. Etenim perceptio naturaliter non oritur, nisi ex alia perceptione, quemadmodum motus naturaliter non oritur, nisi ex motu.

XXIII. Apparet inde, nos quando nihil distincti in nostris perceptionibus habemus, in perpetuo fore stupore. Atque is monadarum nudarum status est.

XXIV. Videmus etiam, naturam dedisse animantibus perceptiones sublimes, dum iis organa concessit, quae complures radios luminis, aut complures vndulationes aëris colligunt, vt per vnionem fiant efficaces. Simile quid in odore, sapore, et tactu etc. occurrit.

XXV. Memoria speciem consecutionis suppeditat animabus, quae rationem imitatur, sed ab ea distingui debet. Videmus ideo animantia, dum percipiunt obiectum, quod ipsa ferit, et cuius similem perceptionem antea habuere, per repraesentationem memoriae exspectare, quod eidem in perceptione praecedente iungebatur, et ad sensationes ferri similes iis, quas tunc habuerant.

XXVI.

u) Non noua haec est hypothesis, sed et Platonicis nonnullis et Cabbalistis omnibus familiaris, qui omnem substantiam esse spiritualem i. e. animam, materiam tantum phaenomenon putant. Conf. Cl. WACHTER. l. c. p. 19. seqq. vbi tamen materiam ex mente Platonis talem dici posse non comprehendimus.

x) Conferri meretur cum his assertionibus Leibnizianis systema Campanellae de sensu rerum, supra c. 5. enarratum. Legisse Campanellae libros Leibnizium ex Vol. I. epp. p. 139. 255. et Leibnizianis p. 162. constat, vtrum autem perceptionem monadum a Campanella habuerit, dicere non habemus. Sufficiebat enim acutissimo viro harmonia regnorum DEI supposita, vt concluderet repraesentationem quandam mundi in monadibus esse necessariam, conf. Cl. KAHLIVS adu. Voltaerium c. 8. p. 135. Ceterum iucundum hoc loco erit obseruare, etiam GASSENDVM a perceptione rerum omnium asserenda non fuisse remotum. Quamuis enim humanam iis cognitionem recte denegari contendat, contendit tamen, propriam qua opera sua peragant, quae homo nec norit nec possit moliri illis denegari non posse. Phys. S. I. L. IV. c. 1. T. I. Opp. p. 286.

XXVI. Imaginatio fortis, quae ipsos ferit ac mouet, vel a magnitudine vel a multitudine perceptionum praecedentium proficiscitur. Interdum enim idem est impressionis fortis, vno ictu factae, effectus, qui diuturni habitus aut perceptionum mediocrium, saepius repetitarum.

XXVII. Homines bestiarum instar agunt, quatenus consecutiones perceptionum, quas habent, non nisi a principio memoriae pendent, et instar medicorum empiricorum, qui simplici praxi absque theoria vtuntur.

XXVIII. Enimuero cognitio veritatum necessariarum et aeternarum est id, quod nos ab animantibus simplicibus distinguit, et rationis atque scientiarum compotes reddit, dum nos ad cognitionem nostri atque DEI eleuat. Atque hoc est istud, quod in nobis anima rationalis siue spiritus appellatur y.

XXIX. Cognitioni veritatum necessariarum et earum abstractionibus acceptum referri debet, quod ad actus reflexos eleuati simus, quorum vi istud cogitamus, quod Ego, appellatur, et hoc vel istud in nobis esse consideramus. Et inde etiam est, quod nosmet ipsos cogitantes de ente, de substantia cum simplici tum composita, de immateriali et ipso DEO cogitemus, dum concipimus, quod in nobis limitatum est, in ipso sine limitibus existere. Atque hi actus reflexi praecipua largiuntur obiecta ratiocinionum nostrorum.

XXX. Ratiocinia nostra duobus magnis principiis superstructa sunt. Vnum est principium contradictionis, vi cuius falsum iudicamus, quod contradictionem inuoluit, et verum, quod falso opponitur, vel contradicit.

XXXI. Alterum est principium rationis sufficientis, vi cuius consideramus, nullum factum reperiri posse verum, aut veram existere aliquam enuntiationem, nisi adsit ratio sufficiens, cur potius ita sit, quam aliter, quamuis rationes istae saepissime nobis incognitae esse queant. Celeberrimum hoc principium rationis sufficientis factum est in orbe philosophico, quam primum resuscitatum et quasi vita donatum ex ingenio Leibniziano prodiit. Quod non ignotum fuisse Sinensibus, qui ita virtutum praecepta naturae humanae inaedificauerint, vt ratio inde sufficiens earum constaret, contendit ill. WOLFIVS z. Nos certiori iure ad omnium gentilium philosophorum, maxime Graecorum, principia philosophica prouocari posse putamus, quae axiomati huic inaedificata sunt, quaerendam omnium rerum rationem sufficientem, cur sint magis, quam non sint. Hoc enim axioma illud: ex nihilo nihil fit, progenuit, cum facile intel-

y) Etiam hae theses cum c. 20. et 21. CAMPANELLAE de Sensu rerum possunt comparari, ast eas Campanellae assertiones olim reiiciebat LEIBNIZIVS vid. Diss. de Aristot. recentioribus conciliabili §. 12. p. 139. Tunc negabat, dari ens, quod neque extensionis neque cogitationis sit capax: agnoscebatque in formis substantialibus esse appetitum et instinctum secundum Aristotelicos.

z) In Or. de Philosophia Sinensium.

intelligerent, si nulla ratio sit, cur aliquid existat, nihil quoque fieri atque existere posse. Quod principium omnis aetatis gentisque philosophos tenuisse, alio loco indubitatis testimoniis probauimus [a]. Nec obstat, quod obiici posse videtur, eos omnia ad necessitatem quandam, contingentiae rerum oppositam, retulisse. Nam etsi hoc de plerisque, non tamen de omnibus, verum sit [b], nihil tamen id probat aliud, quam homines hos hypotheseos amore seductos eiusmodi rationem sufficientem naturae rerum quaesiuisse, quae reuera non datur, cum hoc ipso principio verissimo duce facile ad id potuissent peruenire, vt intellexissent, cum res omnes contingentes quae existunt, rationem sufficientem, cur sint, et ex statu possibilitatis in statum existentiae progressae sunt, in se non habeant, ideo quaerendam eam esse in alia, quae vltimam rationem extra seriem contingentium in se necessario habeat, quo pacto systemati tum emanatiuo, tum dualistico, quae omnem gentilem philosophiam in praeceps egere, nuncium misissent, et ad veram DEI notionem peruenissent. Vidit huius rei aliquid SENECA [c], sed systematis Stoici ineptiis delusus, et seriem contingentium non recte excutiens, male ad errorem transtulit. Postquam enim de caussis rerum longam enarrationem ex mente veterum instituisset, concludit: *Sed nos nunc primam et generalem caussam quaerimus, haec simplex esse debet; nam et materia simplex est. Quaerimus*, quid sit caussa? *ratio faciens, id est, Deus. Ita enim quae nunc retuli, non sunt multae et singulae caussae, sed ex vna pendent, ex ea, quae fuit.* Confundere in tota hac de caussis dissertatione Senecam rationem sufficientem cum caussa [d], manifestum; ast ad illam potissimum respexisse, ex eo satis manifestum est, quod vnam caussam Deum ponat, eo quod rationes rerum omnium intra se habeat. Ratio enim siue caussa Stoicis est, propter quid aliud fit, cui effectum adiecerunt. Similia passim apud veteres deprehendi possent, si id ageremus [e]. Obseruatum autem ipsi Leibnizio Archimedem huic principio dogma de aequilibrio corporum inaedificasse. Tacemus recentiores alios, praecipue inter Scholasticos [f], qui passim ex hoc principio ratiocinantur. Ab Euclide vero idem se didicisse fatetur IORDANVS BRVNVS [ff]. Quibus ipse addendus CARTESIVS [g]. Non nouum

a) Amoenit. liter. T. VIII. p. 304. conf. cel. DE BEAVSOBRE Hist. Manich. P. II. L. V. c. 2. p. 166. seqq. et GASSENDVS Phys. S. I. L. III. c. 1. Opp. T. I. p. 231.

b) Aliter enim Epicurus, qui, licet sine ratione sufficienti, contingentiae atomorum concursum permittebat, secus ac factum a Democrito, qui necessitatem intrinsecam siue fatum agnoscebat.

c) Ep. 65.

d) Id omnes omnino vetères et recentiores plerique fecerunt, ipse LEIBNIZIVS in Diss. de Aristotele recentioribus reconciliabili, quae extat quoque Epp. Vol. II. p. 121 seqq. aliquoties caussam et rationem pro eodem habuit, vid. §. 11. p. 136.

e) Passim axioma hoc occurrit apud CICERONEM de Diuin. L. II. de Fin. bon. L. I. et de Fato, quo loco, quando scribit, contra Epicurum disputans: „Rursus autem, ne omnes a physicis irrideamur, si dicamus, quicquam fieri sine caussa etc. apertum facit, totam veterum physiologiam huic principio fuisse innixam. Nemo autem fortius hoc argumentum vrsit, quam LVCRETIVS L. I. qui meretur consuli, his enim inhaerere hoc loco non licet.

f) Vid. Conimbric. T. II. p. 310.

ff) De Minimo p. 53.

g) In Resp. ad obiect. sec. Medit. primae p. 77. qui luculentus est.

nouum itaque principium est, nunquamue auditum, sed singulari tamen explicatione non excultum, quod, nisi fallimur, primus ad constituendas confirmandasque veritates metaphysicas Leibnizius adhibuit. Cum autem ratio sufficiens, cum caussa necessaria facile confundi possit, hinc factum, vt axioma sensu recto egregium, contradictionem pateretur, quod vix e puluere protraxerat Leibnizius. Clarckius enim, cum libertatem indifferentiae ita tolli videret, hacque ratione in Deo quoque quandam necessitatem poni suspicaretur, infringere hoc principium, negare licet totum non auderet, constituit. Concedebat ille [h], indubitatum quidem esse, nihil existere sine ratione sufficiente existentiae suae, nihilque existere hoc magis modo, quam alio, cuius ratio sufficiens non extet: Ast vrgebat, in rebus in se indifferentibus, simplicem nudamque voluntatem esse rationem sufficientem, vt existant, vel certam existendi determinationem modumque accipiant, neque hanc voluntatem opus habere, vt a caussa aliena determinetur: id quod ex ordine particularum formati mundi probat, quem ex sola voluntate DEI pependisse statuit. Oppossuit huic arieti principium identitatis indiscernibilium, Leibnizius [i], et inductione vsus et ratione metaphysica, nempe quod duae res, quae discerni nequeant, eadem res sint duobus nominibus, ex quibus exemplum ab ordine mundi allatum a Clarckio impossibile figmentum esse conclusit. Quibus repossuit Clarckius [k], res duas sibi perfecte similes non tamen desinere esse duas res; id quod spatii et temporis partibus aequalibus illustrat, quarum tamen momenta duo vnum non sint, nec sola duo nomina vnius momenti. Regessit ad haec quoque Leibnizius, fassus [l], si duae res perfecte aequales, vt discerni nequeant, existerent, fore duas res; ast supponi falsum aliquod, et a rationis principio alienum, decipique aduersarium cum philosophis ex vulgo, qui solo numero res discerni posse credant, id est, quia numerum habeant, ex quo errore perplexa de principio indiuiduationis disputatio exorta sit. Malle autem temporis et loci partes inter se aequales huc afferri, obseruat, eo quod res ideales sint, quae in abstracto considerentur, quod in concreto aliter se habeat. Adeo vero claritate sua lucere rationis sufficientis principium putat illustris philosophus [m], vt negari a nemine posse contendat, et probatione opus haud habere existimet, tantae autem necessitatis esse credat, vt sine eo neque Dei existentiam probare, neque demonstrare veritates alias maximi momenti liceat. Neque vero sic quieuit Clarckius, sed rem ab ouo, quod aiunt, exorsus [n], exemplum aequilibrii reiicit, quod ad spiritum libere sponteque agentem applicari nequeat, quia instrumentum passiuum sit: contenditque negata libera voluntatis, virtute eligendi ex duobus bonis aequalibus, quodcunque voluerit, negari actionum humanarum principium, agendique virtutem et confundi cum motiuis eorumque impressione

h) Recueil T. I. p. 39. i) pag. 50. l) pag. 94. m) pag. 147.
ii) pag. 65. n) pag. 160. seqq.

sione in animum, qui circa ea passiue se habeat, et qualitas perceptiua sit, quam sequatur facultas agendi, id est se mouendi, ex qua spontaneitas, et in agentibus rationalibus libertas oriatur. Et hinc omnem illum errorem profluere putat, quod principium actionis cum perceptione rationis commouentis confundatur, agensque liberum cum aequilibrio ponderis passiuo misceatur. Contendit etiam, posse habere agens liberum rationes valde sufficientes, quo minus cesset agere, quamuis nullam rationem habeat determinandi, vt hoc vel illo modo agat. Et hinc omne argumentum Leibnizii petitionem principii esse declarat, eo quod exempla in contrarium allata ex hoc ipso principio refutet. Concedit autem Deum (de quo proprie disputabatur,) licet inter duas res absolute indifferentes et bonas aequaliter non aliam rationem determinantem quam suam voluntatem habeat, non carere tamen rationibus commouentibus, rationesque sufficientes, quibus Deus commotus ex duobus aequaliter bonis et indifferentibus vnum eligat, esse impulsiuas ad eligendum. His Leibnizius morte praeuentus respondere non potuit, patet autem ex vltimo ratiocinio, rem tandem ad verborum pugnam abiisse. Et haec quidem viuo Leibnizio disputata sunt; acriter vero et satis vehementer de veritate principii huius Logici et Mataphysici disputatum est, cum celeberrimus Wolfius illud inter veritates metaphysicae primarias referret [o], ostensoque discrimine inter caussam et rationem sufficientem, hoc axiomate in demonstrando, quod sibi conceperat, aedificio metaphysico vteretur. Ab eo enim tempore quisquis Wolfium sequutus est, pro hoc principio stetit, illud autem antagonistae vehementer oppugnarunt, cuius vtriusque partis scripta cum adduxerit doctissimus LVDOVICVS [p], ad eum lectorem remittere, quam longiore digressione a scopo deducere, malumus. Addimus id vnum, metaphysicos antiquiores rationem sufficientem, quae a caussa, rationem continente distingui solet, rationem simpliciter, vel etiam rationem caussandi vocasse; placuisseque rationis sufficientis axioma, etiam aliis a Leibnizio satis libere discedentibus, cuius exemplum dabit Cl. HOLLMANNVS [q], qui acute et perspicue rem exposuit, rectequc post ipsum Leibnizium monuit, falli eos, qui putant, rationem sufficientem non adesse, quando interdum nulla a nobis cognoscitur.

XXXII. Quando veritas necessaria, ratio reperiri potest per analysin, dum eam resoluimus in ideas et veritates simpliciores, donec ad primitiuas peruentum fuerit.

XXXIII. Dantur ideae simplices, quarum definitiones dare non licet: dantur etiam axiomata et postulata, aut verbo, principia primitiua, quae probari nequeunt, nec probatione indigent, atque ista sunt enuntiationes identicae.

o) c. 2. §. 29. et T. II. p. 26. Metaph. Germ. qui etiam p. 29. ostendit, quo sensu eius axiomatis prima cultura tribui queat Leibnizio.

p) l. c. §. 433. seqq. p. 347. seq.

q) Metaphys. Part. I. cap. 4. §. 101. seqq. pag. 715. seqq.

XXXIV. Enim vero ratio sufficiens reperiri etiam debet in veritatibus contingentibus, vel facti, hoc est, in serie rerum, quae reperitur in vniuerso creaturarum, vbi resolutio in rationes particulares progredi posset in infinitum, propter immensam rerum naturalium varietatem et diuisionem corporum in infinitum.

XXXV. Quemadmodum tota haec series non nisi alia contingentia anteriora inuoluit, quorum vnumquodque simili analysi opus habet, vbi rationem reddere voluerimus, progressus nil iuuat, necesse est rationem sufficientem seu vltimam contingentium reperiri, quantumuis infinita ponatur.

XXXVI. Propterea quoque ratio ultima rerum in substantia quadam necessaria contineri debet, in qua series mutationum non nisi eminenter existat, tanquam in fonte suo.

XXXVII. Iam cum substantia ista sit ratio sufficiens omnis istius seriei, quae etiam prorsus connexa est; non nisi vnus datur Deus, atque hic Deus sufficit.

XXXVIII. Iudicare etiam licet, quod substantia ista suprema, quae est vnica, vniuersalis et necessaria, cum nihil extra se habeat, quod ab ea non dependeat, et simplex rerum possibilium series existat, limitum capax esse nequit, et omnem realitatem possibilem continere debet.

XXXIX. Vnde sequitur, Deum esse absolute perfectum, cum perfectio non sit, nisi magnitudo realitatis positiuae, praecise sumta, sepositis rerum limitationibus.

XL. Sequitur hinc etiam, creaturas habere pefectiones suas ab influxu DEI, sed imperfectiones a propria natura, essentiae sine limitibus incapaci. In eo enim a Deo distinguuntur.

XLI. Verum etiam est, in Deo non modo esse fontem existentiarum, verum etiam essentiarum, quatenus reales sunt, aut eius, quod in possibilitate reale est. Propterea intellectus Dei est regio veritatum aeternarum aut idearum, vnde dependent, et sine ipso nihil realitatis foret in possibilitatibus, et nihil non modo existeret, sed nihil etiam opus foret.

XLII. Etenim opus est, vt si quid realitatis in essentiis aut possibilitatibus, aut potius in veritatibus aeternis fuerit, haec realitas fundetur in aliqua re existente et actuali, et consequenter in existentia entis necessarii, in quo includit essentia existentiam, aut in quo sufficit esse possibile, vt sit actuale.

XLIII. Ita Deus solus, seu ens necessarium hoc priuilegio gaudet, quod necessario existat, si possibilis est. Et quemadmodum nihil possibilitatem eius impedit, quod limitum expers, nec vllam negationem, consequenter nec contradictionem inuoluit, hoc vnum sufficit, ad cognoscendam existentiam Dei a priori. Nos eam quoque probauimus per

realitatem

realitatem veritatum aeternarum. Emendauisse hac ratione Leibnizium argumentum Cartesii ab idea Dei pro eius existentia petitum supra in eius vita diximus. Saepius hanc demonstrationem DEI a priori repetiit Leibnizius r.

XLIV. Enim vero eandem iam probabimus a posteriori, quia scilicet res contingentes existunt, quae rationem vltimam, seu sufficientem habere nequeunt, nisi in ente necessario, quod rationem existentiae suae in se ipso habet.

XLV. Nihilominus tamen cum nonnullis nobis imaginari non debemus, veritates aeternas, cum a Deo dependeant, arbitrarias esse, et a voluntate ipsius pendere, quemadmodum Cartesius et postea Poiretus statuit. Id verum non est, nisi de veritatibus contingentibus, cum e contrario necessariae dependeant ab intellectu eius et sint obiectum eius internum. Diximus de hoc dogmate Cartesii suo loco. Probe autem attendendum est ad verba Cartesii, et integram eius hypothesin, affirmationem atque negationem ad voluntatem referentem, quando ita pronuntiat s: *Quantum ad veritates aeternas, dico iterum, illas tantum esse veras aut possibiles, quia Deus illas veras et possibiles cognoscit, non autem contra veras a Deo cognosci, quasi independenter ab illo sint verae.* Ast vrgebat contra haec Leibnizius, possibilia praesupponi, si electionis libertas in rebus producendis asserenda sit, cum electionis nulla ratio sit, vbi vnum tantum possibile sit t. Ex quo concludebat, male ad Dei voluntatem in quaestione de possibili et necessario recurri v.

XLVI. Deus solus est vnitas primitiua seu substantia simplex, originaria, cuius productiones sint omnes monades creatae aut deriuatiuae et nascuntur, vt ita loquar, per continuas diuinitatis fulgurationes per receptiuitatem creaturae limitatas, cui essentiale est, esse limitatum. Primarium hoc existentiae et naturae rerum contingentium atque finitarum fundamentum est, quod viro summo ponere placuit, vt et omnium rerum existentiam a Dei voluntate dependere ostenderet, et accepisse essentiam atque naturam ex ideis in intellectu diuino praesentibus doceret. Id quod a Platone eum mutuum accepisse, licet emendatum et sensu magis philosophico pronuntiatum, nec ipse negat u, nec inficias iuerit, quisquis Platonismi paulo est peritior. Ast, vt verum fateamur, vellemus, vt distinctius clariusque vir illustris in assertione hac loqui, quam incerta et ambigua loquutione veterum errores, a quibus eum alienum fuisse facillime nobis persuaderi patimur, palliare voluisse videri maluisset. Ipsa enim haec assertio idem prorsus, si verba spectes, dicit, quod systema emanati-

r) Vid. Med. de veritate et ideis A. E. 1684.
s) P. I. princ. phil. §. 33. 34. p. 9.
t) Theodiée §. 235.
u) Conferendus autem ipse POIRETVS Cogitation. L. II. c. 10. §. 5.
v) In Epist. ad Hanschium l. c.

uum Alexandrinorum, Cabbalistarum, et quicunque ex orientali et Platonica schola prodierunt, inculcat, ex Deo substantia prima per fulgurationes diuini luminis prodiisse, id est emanasse res omnes, et naturam suam limitationis carceribus circumscriptam ex ideis in intellectu diuino latentibus, et in diuina natura necessario existentibus, sed voluntate DEI, vt extra ipsum existerent, productis, accepisse. Quo pacto res omnes ratione existentiae quidem sola DEI voluntate fuisse productas non negarunt, et, quod HIEROCLES x) monuit, ex materia non praeiacente sola voluntate DEI fuisse formatas asseruerunt: ast ipsam tamen essentiam rerum, ex DEI essentia velut subiecto et fonte suo fluxisse, adeoque non nisi limitatione et emanationis ordine a Deo differre statuerunt. Quem deismi vel pantheismi errorem Leibnizio affricare eo magis iniquum putamus, quo magis is rerum essentias in possibilitate posuit, quae obiectiue tantum in Deo sunt, nempe considerato intellectu diuino, qui circa eas versatur, quae ad emanationem non sufficiunt. Sed paulo distinctius pronuntiandum, et asserta ab hac ψευδεμηνείᾳ munienda erant. Vnde prudentius et circumspectius definiuit §. VIII. Caussae Dei: *Actualia dependent a Deo, tum in existendo, tum in agendo, nec tantum ab intellectu eius, sed etiam a voluntate. Et quidem in existendo, dum omnes res a Deo libere sunt creatae, atque etiam a Deo conseruantur; neque male docetur, conseruationem diuinam esse continuatam creationem, vt radius continue a sole prodit: ETSI CREATVRAE NEQVE EX DEI ESSENTIA, NEQVE NECESSARIO PROMANENT.* Ex his itaque thesis allata intelligenda et secundum rectos sensus explicanda est.

XLVII. Datur in Deo potentia, quae est fons omnium, deinde cognitio, quae continet idearum schema, et tandem voluntas, quae mutationes efficit, seu productionem secundum principium melioris.

XLVIII. Atque hoc est istud, quod respondet ei, quod in monadibus creatis facit subiectum seu basin facultatis perceptiuae et appetitiuae. Sed in Deo haec attributa sunt absolute infinita, aut perfecta, in monadibus creatis non sunt, nisi limitationes, pro mensura perfectionis, quam habent.

XLIX. Creatura dicitur agere extra se, quatenus habet perfectionem, et pati ab alia, quatenus est imperfecta. Ita monadi actionem tribuimus, quatenus habet perceptiones distinctas, et passiones quatenus confusas habet.

L. Et vna creatura perfectior est altera in eo, quod reperiamus in ea, quod inseruit rationi reddendae in eo, quod in altera contingit, et propterea dicimus, quod in alteram agat.

LI. Sed

x) De Fato apud PHOTIVM cod. 241.

LI. Sed in substantiis simplicibus influxus vnius monadis in alteram tantum idealis est, qui effectum sortiri nequit, nisi Deo interueniente, quatenus in ideis Dei vna monas cum ratione postulat, vt Deus ordinans ceteras, in principio rerum ipsius rationem habeat. Quoniam enim monas vna physice influere nequit in interius alterius; aliud non datur medium, per quod vna ab altera dependere valeat.

LII. Atque ideo actiones et passiones creaturarum mutuae sunt. Deus enim duas substantias simplices inter se comparans, in vna qualibet rationes deprehendit, quibus obligatur vnam aptare alteri, et consequenter id, quod actiuum est, quatenus certo respectu passiuum secundum alium considerandi modum, actiuum nempe, quatenus id, quod distincte in eo cognoscitur, inseruit rationi reddendae de eo, quod in alia contingit, et passiuum, quatenus ratio de eo, quod in ipsa contingit, reperitur in eo, quod distincte cognoscitur in altera.

LIII. Quemadmodum vero infinita sunt vniuersa possibilia in ideis Dei, et eorum non nisi vnicum existere potest: ita necesse est, dari rationem sufficientem electionis diuinae, quae Deum ad vnum potius, quam ad alterum determinat.

LIV. Atque haec reperiri nequit, nisi in gradibus perfectionis, quam hi mundi continent, cum quoduis possibile habeat ius praetendendi existentiam pro ratione perfectionis, quam inuoluit.

LV. Atque id ipsum causa est existentiae melioris, quod Deus vi sapientiae cognoscit, vi bonitatis eligit, vi potentiae producit. Est haec principium et fundamentum celeberrimae illius assertionis de optimo mundo a Deo electo, quae sectatoribus Leibnizii pulcherrimus eius foetus visus est, immo nonnullis quoque, quibus tamen incerta thesis creditur, talis tamen iudicatur, quae omnium pulcherrime DEVM extollat: ast quam eius aduersarii necessitatem quandam ineuitabilem et libertati ac perfectioni diuinae inimicam inuoluere conquesti sunt: quo nomine Optimismum hunc, quem vocant Triuoltienses velut Deismo vicinum condemnauisse, supra annotauimus. De quo tamen infra commodo magis loco dicemus.

LVI. Huic adaptationi rerum omnium creatarum ad vnamquamque, et vniuscuiusque ad ceteras omnes tribuendum, quod quaelibet substantia simplex habeat respectus, quibus exprimuntur ceterae omnes, et per consequens speculum viuum perpetuum vniuersi sit. Etiam haec ex καινίαις δόξαις Leibnizii est, in recentissimi temporis controuersiis valde agitata, eo quod idealistis fauere vir summus videretur. Quod vtrum ita se habeat, hic definiendi locus haud est, qui non controuersias, sed historiam scribimus. Cuius gratia id potius obseruamus, ineunte iam seculo XVI similem hypothesin affirmauisse Carolum Bouillum, philosophum Gallum, profundae meditationis virum. Inter eius enim opera

primo

primo loco extat liber *de Intellectu angelico et humano, et vtriusque ſpeculari natura et illuſtratione a Deo, ita vt hominis intellectus, ſenſu poſterior lunam, angelicus prior, ſolem referat, et intellectus ſit vnitas memoriae, memoria vero vnitas intellectus.* Aſt quae ille habet, ex Pythagoreis hypotheſibus orta ſunt, vt ex eius libro *de Senſibilibus* patet.

LVII. Et ſicut eadem vrbs, ex diuerſis locis ſpectata alia apparet, et optice quaſi multiplicatur, ita ſimiliter accidit, vt propter multitudinem infinitam ſubſtantiarum ſimplicium dentur quaſi totidem differentia vniuerſa, quae tamen non ſunt, niſi ſcenographicae repraeſentationes vnici ſecundum differentia puncta viſus vniuscuiusque monadis.

LVIII. Atque hoc ipſum medium eſt obtinendi tantum varietatis, quantum poſſibile, ſed cum maximo ordine, qui fieri poteſt, hoc eſt, medium obtinendi tantum perfectionis, quantum poſſibile.

LIX. Neque etiam alia datur, quam haec hypotheſis, quae prout fieri debet, magnitudinem DEI eleuat.

LX. Ceterum ex eo, quod modo retuli, de rationibus a priori, videmus, cum res aliter ſe habere nequeant, quoniam Deus, totum ordinans, reſpexit ad quamlibet partem et imprimis ad vnamquamque monadem, cuius natura cum ſit repraeſentatiua, nihil eſt, quod eam limitare poſſet ad vnam tantum rerum repraeſentandam, quanquam verum ſit, quod haec repraeſentatio non ſit niſi confuſa, reſpectu partium vniuerſi, nec diſtincta eſſe poſſit, niſi quoad exiguam rerum partem, hoc eſt, earum, quae aut propiores ſunt, aut maiores reſpectu vniuscuiusque monadis, alias quaelibet monas foret aliqua diuinitas. Non in obiecto, ſed in modificatione cognitionis obiecti monades limitatae ſunt. Omnes confuſe ad infinitum tendunt, ſed limitantur et diſtinguuntur per gradus perceptionum diſtinctarum.

LXI. Atque in eo compoſitae cum ſimplicibus conueniunt. Quoniam enim omnia plena ſunt, et per conſequens omnis materia connexa, et quemadmodum in pleno omnis motus effectum quendam ſortitur in corporibus diſtantibus, pro ratione diſtantiae, ita vt vnumquodque corpus non modo afficiatur ab iis, quae ipſum tangunt, et quodammodo percipiat, quod ipſis accidit, verum etiam mediantibus ipſis adhuc percipiat ea, quae prima tangunt, a quibus ipſum immediate tangitur: ideo inde ſequitur, hanc communicationem procedere ad quamlibet diſtantiam. Et per conſequens omne corpus ab omni eo afficitur, quod in vniuerſo accidit, ita vt is, qui omnia perſpicit, in vnoque legere poſſit, quod per totum accidit, immo etiam, quod iam factum aut adhuc futurum, in praeſenti obſeruans, quidquid tam ſecundum tempus, quam ſecundum ſpatium elongatur.

LXII.

LXII. Enimuero anima in se ipsa legere nequit, nisi quod distincte in ea repraesentatur non omnes suas perceptiones vna euoluere valet, quoniam ad infinitum tendunt.

LXIII. Quamuis itaque quaelibet monas creata totum vniuersum repraesentet, multo tamen distinctius repraesentat corpus, quod ipsi peculiari ratione adaptatum est, et cuius entelechia existit. Et sicuti hoc corpus exprimit totum vniuersum per connexionem omnis materiae in pleno, ita etiam anima totum vniuersum repraesentat, dum repraesentat hoc corpus, quod ad ipsam spectat peculiari quadam ratione.

LXIV. Corpus spectans ad monadem, cuius entelechia vel anima existit, constituit cum entelechia id, quod viuens appellatur, et cum anima id, quod animal salutatur.

LXV. Est vero corpus viuentis vel animalis semper organicum. Etenim cum quaelibet monas sit speculum vniuersi suo modo, et vniuersum perfecto ordine gaudeat, ordo etiam esse debet in repraesentante, hoc est, in perceptionibus animae, et per consequens in corporibus, secundum quae vniuersum in eis repraesentatur.

LXVI. Ita quodlibet corpus organicum viuentis est species machinae diuinae, aut automati naturalis, quod omnia automata artificialia infinitis modis antecellit, etc.

LXVII. Et fieri potuit, vt auctor naturae hoc artificium diuinum et prorsus mirabile in praxin deduceret, quia portio quaelibet materiae non modo diuisibilis in infinitum, sicuti veteres agnouere, verum etiam actu subdiuisae in infinitum, qualibet parte peculiari motu gaudente alias fieri haud quaquam posset, vt quaelibet portio materiae totum exprimeret vniuersum.

LXVIII. Liquet inde, in minima portione materiae dari mundum creaturarum viuentium animalium, entelechiarum, animarum etc.

LXIX. Ita nihil incultum, nihil sterile, nihil mortuum datur in vniuerso, nullum chaos, nulla confusio, nisi ad apparentiam.

LXX. Videmus hinc, quodlibet corpus viuum habere entelechiam vnam dominantem, quae est anima in animali, sed membra huius corporis viuentis plena sunt aliis viuentibus, plantis, animalibus, quorum vnumquodque iterum suam habet entelechiam seu animam dominantem.

LXXI. Omnia corpora riuorum instar in perpetuo sunt fluxu et partes aliae continuo ingrediuntur aliae egrediuntur. Vetustissima haec physicorum fere omnium hypothesis, afferta a theogoniarum scriptoribus, Thalete, Platone, Stoicis, Heraclito, Democrito, Epicuro, Scepticis, aliisque nec recentioribus ante Leibnizium ignota, ex quibus imprimis, qui toties cum Leibnizio concordat, IORDANVS BRVNVS y), *nihil*

y) De Minimo p. 72.

nihil variabile dixit *atque compositum in duobus temporum momentis, eisdem prorsus partibus eodemque partium ordine consistere, cum efflu-xus influxusque atomorum in omnibus huiusmodi sit continuus.* Quae ita ad animam hominis, quam atomam naturam, et monada ipse quoque vocat, transfert:

Ergo atomam tantum naturam dixeris esse,
Perpetuo cuius nulla aut propria vna figura est.
Ergo natura est animi diuina reperta,
Quam non alteritas non passio conficit vlla,
Quaeque vt sub fato est obnoxia compositique
In partem veniens, momento vix manet vno.
Sorte affecta pari, numerique vno ordine perstat.
Quotquot enim fiunt, mutantur lapsa ruuntque,
Continue ad aliud atque aliud, non entia credes.
Atqui naturam in specie meditando perenni
Vnam cui conformari, seruareque temet
Consimilem debes, consortem te esse deorum
Comperies vitae, et dices: substantia nostra haec.

Referre se autem omnem substantiam ad atomum (non molis, sed natu-„rae, vt ipse quoque vocat,) in sequentibus prolixe docet, vbi non ani-„mam modo in organico corpore commemorat, sed eam quoque, quae est „in toto vitae telluris horizonte; a qua ad animos in horizonte maiori, et „animum animorum Deum ascendit. Cuilibet autem animae, siue mona-„di atomoue, quae synonyma sunt apud Brunum, suam esse, quam agno-„scat materiam, asserit, et in eo illius naturam constare ait, quod com-„positionem intrinsecam non habeat, et quod, cum non sit, id fiat non „per modum dissolutionis seu diuisionis, impropriissime autem generari „dicatur vel corrumpi, ea praesertim, quae proprie intrinsecaque natura „aeterna, immortalia, incomponibilia, indissolubilia, animae, Dii, „Deus." Haec Brunus. Cuius monadologia meretur a viro quodam docto et laboris molesti patiente ex scriptis eius colligi, et cum monadologia Leibniziana comparari. Verum haec ὡς ἐν παρόδῳ.

LXXII. Anima non mutat corpus nisi sensim sensimque et per gradus, ita vt nunquam omnibus suis organis vno quasi ictu priuetur. Et dantur saepius metamorphoses in animalibus, sed nunquam metempsychosis seu transmigratio animarum locum habet, neque enim dantur animae prorsus separatae. Etiam hoc ex veteri philosophia translatum, quae per omnes fere sectas ὄχημα et εἴδωλον animae tribuebat, vt suis locis probatum.

LXXIII. Atque ideo etiam nulla datur generatio, nec mors perfecta, rigorose loquendo. Sunt enim euolutiones et accretiones, quas generationes vocamus; quemadmodum inuolutiones et diminutiones, quod mortem

tem appellamus [z]. Etiam hoc veteribus multoties assertum, nempe quod ex fluxu materiae perpetuo aliter constare non posset, vt ex iis, quae *Tomo primo* passim dicta sunt, liquere potest.

LXXIV. Quia hodie obseruationibus compertum est, corpora organica naturae nunquam ex chao seu putrefactione prodire, sed constanter per semina, in quibus sine omni dubio datur quaedam praeformatio; hinc concluditur, corpus non modo organicum iam praeextitisse ante conceptionem, sed etiam animam in hoc corpore, h. e. animal ipsum. Et per conceptionem animal istud tantummodo disponitur ad magnam quandam transformationem, vt fiat animal alterius speciei. Nititur vtraque hypothesis praesuppositio, stamina corporum ab initio rerum efformata praeexistere, vnde sequitur, habere quoque ea animas suas seu entelechias, quibus informentur. Ast haud leuibus illa sententia a magnis viris premi solet difficultatibus [a], vnde ipsa quoque ratio adducta pro animarum existentia cuius generis ponderisque sit, dignosci potest. Quae tamen nobis aliud agentibus, hoc loco curae haud sunt; id vero monendus lector, caueat, ne hanc Leibnizianam praeexistentiam animarum, quae suo modo H. Moro [b] et Andr. Planero [c] quoque placuit, confundat cum veterum theologorum physicorumque Graecorum, immo eorum omnium, qui μετεμψύχωσιν asserebant, animorum praeexistentia. Hi enim animas certo numero creatas corpori, postea demum efformando, in matris vtero immitti statuebant. Illi euolutionem et staminum et animarum, atque translationem in alium perfectionis gradum, v. c. ex statu bruto insensitiuum, et ex hoc in rationalem asserunt. Quo iure vel verisimilitudine? dicere hoc loco, nihil attinet.

LXXV. Animalia, quorum nonnulla eleuantur ad gradum maximorum animantium, ope conceptionis, appellari possunt spermatica, sed ea, quae speciem non mutant, nascuntur, multiplicantur, et destruuntur, quemadmodum animalia magna. Paruus admodum numerus est electorum, qui ad theatrum maius progrediuntur.

LXXVI. Si animal nunquam naturaliter incipit, nec vnquam naturaliter finiri debet: et non modo nulla datur generatio, verum etiam nulla destructio totalis, seu mors rigorose sumta. Atque ratiocinia ista a posteriori desumta, cum illis a priori deductis optime concordant.

LXXVII. Ita asserere licet, non modo animam, mundi indestructibilis speculum, esse indestructibilem, verum etiam animal ipsum, quamuis machina ipsius saepius ex parte pereat, et inuolucra organica relinquat, vel capiat. Nouerat Leibnizius, vt veterem philosophiam apprime didicerat, et intelligebat, veteribus hoc systema indestructibilitatis, ita enim com-

z) Conf. Recueil T. II. p. 283. illustris Bvlfingervs Dilucid phil. S. III. c. 5. §. 317. p. 397.

a) Conf. quos laudat praestantissimus Hollmannvs Phys. P. II. c. 4. §. 517. p. 629.

b) Opp. phil. T. II. p. 365. seqq.

c) In Diss. de propagat. animae humanae pr. V. p. 41.

compendii cauſſa vocabat, non fuiſſe ignotum. Vt igitur ſententiae valde paradoxae et inuidiam toti hypotheſi conflare aptae auctoritatem conciliaret, ad veterum conſenſum prouocauit. Teſtem autem produxit Leibnizius auctorem libri *de Diaeta*, qui HIPPOCRATI tribui ſolet, verius autem a diſcipulo quodam Hippocraticis ſententiis innutrito profectus eſt. Is vbi τὰ ζῶα, ex igne et aqua conſtare dixiſſet, quorum ille omnia per omnia moueret, haec omnia per omnia nutriret, id eſt, ille „actiuum, haec paſſiuum principium ſuppeditaret, addit: „Particulatim „vtrumque ſuperare et ſuperari ad ſummum et minimum, quantum eius „fieri poſſit; nunquam autem ſimul in eodem conſiſtere, ſed ſemper alterari; nullum enim omnino corpus perire, neque fieri quod prius non „erat, verum permixta et diſcreta alterari: homines autem putare, hoc „quidem ex orco in lucem auctum generari, illud vero ex luce in orcum „imminutum perire ac corrumpi. Oculis autem magis credere oportere „quam opinionibus: ſed animal neque mori poſſibile eſſe neque generari, ſed augeri omnia et minui ad ſummum et ad minimum, quantum „eius fieri poſſit. Generari autem idem eſſe ac perire ſiue corrumpi, nempe commiſceri et ſecerni: vnumquodque ad omnia et omnia ad vnum „quodque idem eſſe, ſeorſim autem omnia et diuina et humana ſurſum „ac deorſum viciſſitudinem habere, ac tranſire; et haec fieri per diuinam „neceſſitatem; accedentibus autem illis huc, his vero illic, et inter ſe „(igni nempe et aqua) permixtis deſtinatum fatum explere et ad maius et „ad minus: corruptionem vero omnibus mutuo inter ſe eſſe, maiori a „minore, et minori a maiori: et augeſcere maius a minore: reliqua „autem omnia et hominis animam et corpus velut animam ornari ac „gubernari. etc." Diſplicuit cl. DES MAIZEAVX [d] haec comparatio, qui ſeductum a Cornarii verſione Dacierium et ab eo Leibnizium de generatione et morte animalium haec perperam intellexiſſe contendit, cum ζῶα hoc loco nihil aliud ſint niſi entia omnia, quae ſunt, creſcunt, diminuuntur, ſoluuntur etc. quae ſenſu populari ζῶα appellentur. Hinc nihil aliud velle auctorem putat, quam falſum eſſe plebis praeiudicium, res recens apparentes naſci aut incipere exiſtere, vel diſparentes eſſe ceſſare, nam cum mundus quaedam entium particularium congeries ſit, non poſſe aliquid perire ſine vniuerſi detrimento: adeoque entia haec generationem et deſtructionem proprie non pati, ſed conſtare omnia commixtione, compoſitione, incrementis, vnione, modificatione, diminutione, ſeparatione, et ſic porro, et hoc naſci, hoc perire eſſe. Haec nihil facere putat ad ſyſtema indeſtructibilitatis a Leibnizio animabus vindicatum. Nobis ſatis leuis haec Leibnizii cenſura videtur, vbi etiam concedamus, τὰ ζῶα non animantia, ſed entia in mundo omnia ſignificare, quod tamen nondum vir doctus euicit. Cum enim ex hypotheſi Leibnizii res compoſitae in mundo omnes, ex ſimpliciſſimis entibus ſiue monadibus

d) Recueil T. II. p. 371. ſeqq.

dibus conſtent, quarum aggregatio nouam ſubſtantiam non producat, ſed phaenomenon materiae; adeoque rebus omnino omnibus ſuae animae inſint, quae alterari mutarique nequeant, licet modificationes patiantur; recte ex mente illuſtris viri τὰ ζῶα in allato loco comparantur cum monadibus, quae vitae cauſſam, animam, in ſe habent, quaeque ex eadem ratione perire non poſſunt; quia cum ſemel eſſe coeperint mutationis omnis expertes perſtant, adeoque iſtam monadatorum congeries vbi apparet, non nouam entium viuentium exiſtentiam innuere poteſt, id eſt generationem, ſed modo nouum φαινόμενον exſurgens ex transformatione ſtatus etc. Verum ipſum auctoris veteris ſyſtema intuentes, quod et *Tomo primo* [e] ex hoc loco adduximus, deprehendimus, eum de natura hominis et qualitatum tum corporis tum animi differere, et imprimis haec ad Heracliti philoſophiam exigere, ſecundum quam praeter particulas ignis nihil certum fixumque manet, reliqua ἄνω καὶ κάτω, ſiue diuina ſunt, ſiue humana, adeoque etiam ipſa anima hominis, inter ſe mutuo mutantur alteranturque: diſerte enim ait, de hac naturae lege: Ὁ νόμος τῇ φύσει περὶ τούτων ἐναντίος, χωρὶς δὲ πάντα καὶ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα (adeoque non entia tantum in genere) ἄνω καὶ κάτω ἀμειβόμενος. Quae obſcuriſſima verba nemo intelliget, niſi Heracliti philoſophiam conſuluerit. Aſt ille, teſte SEXTO EMPIRICO [f] ſtatuebat: et vitam et mortem eſſe cum viuimus et morimur, nam cum viuimus mortuas eſſe noſtras animas, et in nobis ſepultas, cum autem morimur reuiuiſcere, et viuere: itemque mori et viuere perinde eſſe, quoduis enim mutari in ſuum contrarium: nempe ob naturalem ignis mundani eiusque mutationum per rarefactionem et condenſationem legem, qua res omnes modificationem accipiant, nec vitam nec mortem, ſed alterationem dari, idque ad homines aeque pertinere. Recte itaque hactenus Leibnizius hunc ſcriptorem veterem Heracliti principia ſequentem in partes vocauit, poteratque ipſum Heraclitum aduocare, quem idem ſtatuiſſe ſuo loco luculenter, niſi fallimur, demonſtrauimus. Aſt, vt ingenue quoque fateamur, ob aliam longe rationem pro Leibnizii monadibus hic locus non adeo militat. Nempe tantum abeſt, vt principia ſimpliciſſima, ſtabilia, ſubſtantialia, vitam animamque habentia ſtatuerit Heraclitus, quique ex eius ſchola progreſſi ſunt Hippocratici diſcipuli, ex parte Heracliteae phyſiologiae adhaerentes, vt potius naturis Pythagoreorum ſtabilibus ſiue monadibus, τμήματα illa ſiue particulas ignis ſubtiliſſimas opponerent [g], quae ſemper eſſent in fluxu, vnde animam quoque perpetuo fluere et κίνησιν eſſe Heraclitus ſtatuit, vt *Tomo primo* demonſtratum. Non itaque entia viuentia, animata, ſimplicia durant, et nouis tantum modificationibus prodeunt, ſuntque indeſtructibilia, ſed potius nihil prorſus habent ſtabile ſemperque mutantur, funduntur, alterantur, nec, ſi hos homines ſequeris, monades exiſtere poſſunt, cum ipſae animae ex mobilibus ignis

e) p. 1226. f) Pyrrh. hyp. L. III. S. 230. g) Demonſtratum id l. c. p. 1218.

particulis constantes eiusmodi mutationi sint obnoxiae. Quae in aprico ponunt, ingens inter illud Hippocratici scriptoris et inter Leibnizii systema discrimen intercedere. Quod si ex veteribus systemati indestructibilitatis quaerenda esset auctoritas, rectius ad Apollonium Tyaneum prouocare liceret, is enim diserte [h]: „Nulla omnino res interit, nisi in „speciem, quemadmodum nec gignitur quicquam, nisi specie. Vbi enim „aliquid ex statu essentiae in naturae statum transit, id generatio videtur, „mors contra, vbi ex statu naturae ad statum essentiae redit. Cum inte„rea vere nihil generetur, aut corrumpatur, sed tantum conspicuum sit „modo, modo conspectui subducatur rursum, illud quidem propter ma„teriae crassitiem, haec vero propter essentiae tenuitatem, quae semper „eadem est, motu tantum et quiete differt." Sed et reliqua legenda sunt, quae apertum faciunt, secundum Appollonium nec generationem nec mortem proprie dictam dari. Et potest haec Tyanensis philosophi explicatio eo magis videri affinis hypothesi Leibnizianae, quia ex Pythagoreis fuit, secundum quos ideae, siue rerum essentiae, quas cum monadibus suis conspirare fassus est Leibnizius, aeternae, simplices, immutabiles sunt, ast accedente materiae conformatione visibiles fiunt, non vero demum oriri incipiunt. Quo sensu Apollonii verba explicuit B. GOTTFRIDVS OLEARIVS [i]. Ast, vt, quo fumus candore, verum fateamur, et falsa haec est explicatio, vt *Tomo secundo* demonstratum, et Spinozisticam magis essentiae modificationem, quam Leibnizianam praeexistentiam ista Apollonii verba innuunt: qua inuidia virum optimum, ab hac impietate alienum onerare nolumus. Interim ex adductis locis certum est, veteres haud paucos mortem et generationem tantum inter *Φαινόμενα* retulisse, licet eius rationem secundum diuersa systemata diuerse explicuerint. Illud autem verum, quotquot monades, atomos, elementa simplicia etc. posuerunt, ea statuisse indestructibilia, et mutationes tantum ad particularum modificationes retulisse.

LXXVIII. Ex his principiis, explicari potest vnio, aut potius conformitas animae ac corporis organici. Anima suas sequitur leges, et corpus itidem suas: conueniunt vero inter se vi harmoniae inter omnes substantias praestabilitae, quoniam omnes sunt repraesentationes vniuersi.

LXXIX. Animae agunt secundum leges causarum finalium per appetitiones, fines et media; corpora agunt secundum leges causarum efficientium, seu motuum. Et duo regna, alterum nempe causarum efficientium, alterum causarum finalium harmonica sunt inter se.

LXXX. Cognouit Cartesius, animam non posse dare vim corporibus, quoniam eadem semper virium quantitas in materia conseruatur; credidit tamen, animam posse mutare directionem corporum. Id quidem ideo factum est, quod ipsius tempore lex naturae ignoraretur, quae vult, eandem

h) Ep. 58. pag. 409. i) Ad h. l.

dem semper directionem totalem conseruari in materia. Quod si hoc obseruasset, in systema harmoniae praestabilitae incidisset.

LXXXI. In hoc systemate corpora agunt, ac si (per impossibile) nullae darentur animae, ac animae agunt, ac si corpora nulla darentur, et ambo agunt, ac si vnum influeret in alterum. Celeberrima haec harmoniae praestabilitae hypothesis est, quae nostra aetate etiam tonsorum et fabrorum labiis decantata est. Cuius historiam integram hoc loco scribere, esset a via, quam sectandam nobis proposuimus, ad diuerticula discedere, ex quibus reditus non nisi longo itinere pateat. Pauca itaque seligenda, et ea tantum afferenda sunt, sine quibus historia famigeratissimi systematis intelligi nequit. Occasionem vero, Leibnizio suppeditatam de hac hypothesi cogitandi, passim ipse enarrauit, fassus [k]: „cum satis quidem iam „olim explicuisset intrinsecas animae operationes, diu se haesisse, quid de „commercio eius cum corpore statueret. Agnouisse quidem, animam „quodammodo πρώτην ἐντελέχειαν esse: seu primum principium actiuum „internum, quod sit in corpore; sed cum leges motus veras eruisset, vi„disseque, talem esse naturam rerum, vt neque noua vis neque etiam „noua directio corporibus aliunde accedat; iam manifeste se agnouisse, „omnia in corporibus fieri mechanice, sed ita, vt principia mechanismi „sint ab incorporeo, qui influxus animae metaphysicus dici possit, vnam „completam ex anima et corpore constituens substantiam; nec tamen „animae vllum posse in corpus esse influxum physicum, seu per quem „leges motus turbentur, sed consentire operationes animae et corporis „per harmoniam, ab initio rerum praestabilitam, cuius ope sublatae sint „difficultates de commercio animae et corporis, quae hactenus philoso„phos exercuerint.“ Alio loco vero similia tradit [l]: Leges motus post Cartesii aetatem demum detectas, ipsi falsitatem systematis influxus, assistentiae, caussarumque occasionalium detexisse, et ad hoc nouum systema manu quasi duxisse. Nempe statuerat Cartesius, eandem in vniuerso conseruari motus quantitatem, ex massa mobilis in celeritatem eius aestimatam; ex quo supposito inferebat: non posse influxum realem animae atque corporis habere locum, eo quod secundum eum, quantitas aliqua augeri, minuique possit. Hanc vero Cartesii regulam falsam esse; primus demonstrauit [m] Leibnizius, luculenter ostendens, magnum esse discrimen, inter vim motricem et quantitatem motus, idque euidentibus ratiociniis contra Catelanum et Papinum assertum iuit. Agnouit id quoque magnus Newtonvs [n], experientia probans, ex variis binorum motuum compositionibus, manifestum esse, non semper eandem esse in mundo quantitatem motus. Falso itaque Cartesii canoni alium substituit Leib-

k) Act. Erud. 1712. p. 67.
l) Theodicée § 60 seqq.
m) A. E. 1686. p. 161. 1689. p. 186. 195. 1690. p. 228. 1691. p. 6. seq. 429. 1698. p. 439. Journ. des Savans 1693. p. 651. falsum itaque est, quod contendit Clarckius, qui Leibnizium non satis intellexit, Rec. T. I. p. 180. Newtonianis eum rationibus conuictum id demum agnouisse.
n) Optic. P. III. q. vlt. p. m. 404.

Leibnizius, naturae rerum conuenientem [o], qui identitatem quantitatis virium motricium ex massa mobilis in quadratum celeritatis aestimandarum asserit, ex quo conclusit, si animae volitiones motum efficiant in corpore nostro, reliquis imprimendum, augeri sic in corporibus, siue in vniuerso corporum complexu, vires motrices, et minui, cum ex diuersorum corporum motu atque in sensoria nostra impulsu oriantur perceptiones, quod canoni repugnat. Sed et porro Cartesio placuerat, cum in actione motrice distingui posse ipsam motus quantitatem a directione obseruauisset, animam posse habere vim mutandae directionis motuum, qui fiunt in corpore, ad eum fere modum, quo eques, quamuis equo, quem insidet, vim nullam largiatur, eius tamen gressum, vires, quo libuerit dirigendo, moderatur [p]. Ast hac iterum falsa esse postea compertum fuit, cum, obseruante Leibnizio, nihil neque in anima, neque in corpore, id est, neque in cogitatione, neque in massa sit, quod ad explicandam hanc vnius per alterum immutationem seruire possit, et siue anima quantitatem virtutis, siue lineam directionis in corpore mutare dicatur, vtrumque aeque inexplicabile sit. Hinc his quoque canon a Leibnizio surrogatus alius [q], nempe: conseruari etiam eandem directionem in omnibus simul corporibus, quae inter se agere supponuntur, quomodocunque demum sibi mutuo occurrant, dum scilicet seruatur directio centri grauitatis communis. His legibus naturae suppositis, colligebat inde Leibnizius, corporum directionem aeque ac virtutem imperio animae subtrahendam esse, et non modo alterius ex his substantiis physicum influxum in alteram nulla ratione explicari, sed et absque omnimoda legum naturae perturbatione in corpus animam physice agere non posse. Qua ratione systema quoque assistentiae, quod Cartesio placuit, subruitur, quae quoque causa est, cur Mallebranchius, Cordemaeus aliique, eo relicto, systema causarum occasionalium excogitarint. Quo vero posito, cum miracula perpetua introducantur, nec caueatur eo perturbationi legum naturalium in vtraque substantia constitutarum, quae aeque violabantur, siue Dei interpositio, siue mutuus influxus interueniat, ratio autem sufficiens eius dari nulla possit [r]: via plana se detexit Leibnizio ad harmoniam praestabilitam descendendi, quae nec leges motus naturales confundat, nec Deum ex machina aduocet, sed animam pariter atque corpus suis motibus, secundum regulas naturales permittat, et conspirare tamen vtramque substantiam amicissime demonstret. Qua in hypothesi confirmatum, se ait Leibnizius [s], cum de principio harmoniae tum in genere, tum in specie praeformationis, itemque harmoniae inter omnes res praestabilitae, v. c. inter naturam et gratiam, inter decreta Dei et actiones hominum praeuisas inter omnes

o) Journal des savans 1698. p. 262. Primus hanc motus legem deprehendit in sphaericis illustris Hugenius, vid. Journ. des savans 1669. p. 534.
p) Conf. Theod. §. 60.
q) Journ. des savans 1696. p. 262.
r) Conf. Bvlfinger de Harm. praestab. §. IV. §. 74. sqq. p. 78. sqq.
s) Theod. §. 62.

omnes partes materiae, et inter ipſum praeteritum et futurum etc. ex natura ſapientiae diuinae, quae ſummam, quae concipi modo poteſt, harmoniam inuoluit, eſſet conuictus. Hinc enim ſe ſua ſponte delatum eſſe ad hoc ſyſtema ait, ſecundum quod Deus animam initio ita creauit, vt ea, quae in corpore fiunt, ſibi repraeſentare et producere in ſe ipſa; et ſimiliter corpus illud per ſe facere dicatur, quod anima imperat. Ita leges, quibus cogitationes animae vniuntur in ordine cauſſarum finalium, et ſecundum euolutionem perceptionum, imagines producere debere, quae concordent conueniantque cum impreſſionibus corporum, in organa ſenſoria; parique ratione leges motuum in corporibus, qui ſecundum ordinem cauſſarum efficientium ſe conſequuntur, conſpirare quoque atque ita conuenire debere, cum cogitationibus animi, vt corpus ad agendum promtum ſit, eo tempore, quo vult anima. Quo pacto anima perceptionum et appetituum ſuorum vnus auctor eſt, vt corpus motuum, quae tamen vt inter ſe concordent, harmoniae a ſummae ſapientiae auctore Deo, praeſtabilitae id opus eſt. Valde commendauit Leibnizius hoc ſyſtema, quod et ſapientiam diuinam, non diffitente P. BAYLIO ff), omnium maxime extollat, et libertati plane non refragetur, cum ſecundum illud anima ſuarum actionum auctor ſit liberrimus; animae autem independentiam tantam faciat, quantam liceat, cum quaecunque in anima fiunt, ab ea dependeant; eo quod ſtatus futurus ex praeſente exſurgat. Non tamen in ipſo partu foetum ingenioſe excogitatum in vulgus prodire iuſſit, ſed ab anno CIↃ IↃ CLXXXIX, quo primum de eo cogitare coepit, animo ruminatus eſt, etiam cum viris doctis in literis de eo egit t); donec maturum iam iſtum pullum ſatisque venuſte ornatum anno CIↃ IↃ CXCV, in *Ephemeridibus Pariſienſibus* u) prodire iuberet, inſerto *Syſtemate nouo naturae et communicationis ſubſtantiarum, itemque vnionis inter corpus et animam.* Non poterat non fieri, vt tam inauditae nouitatis cogitationes contradictionem haud paterentur. Prodiit itaque in arenam in eodem diario x) erudito eruditiſſimus FOVCHERIVS, et obiectiones nonnullas attulit, quibus ſatis, quod eſt facere paulo poſt conatus eſt Leibnizius y). Deinde P. BAYLE quoque, laudato eximio ingenii maximi, quod ex hac hypotheſi elucet, ſpecimine, quibus illam difficultatibus premere ſibi videretur, in *Dictionario Hiſtorico-Critico* z) expoſuit. Quas tam ſoluit quoque, et illuſtrauit difficiles meditationes Leibnizius a). Tertius ab his ex Benedictinorum, congregationis S. Mauri in Gallia, monachorum ſodalitio vir acutus FRANCISCVS LAMIVS habere ſe, quae obiiceret, in libro *de Cognitione ſui* b) faſſus eſt, et inimicum eſſe ſyſtema harmo-

ff) Dict. T. IV. art. Rorarius not. Q.
t) Vid. Contin. des Memoires de literature et hiſtoire T. VIII. P. I. p. 221. ſeqq. vbi extat epiſtola Leibnizii ad Arnaldum.
u) 1695. p. 444. ſqq.
x) 1695. p. 639. ſeqq.
y) 1696. p. 255.
z) loc. cit.
a) Hiſt. des Ouvr. des ſavans 1698. p. 329.
b) p. 593. ſeqq.

harmoniae praestabilitae in libertatem contendit. Accessit his ex Iesuitarum sodalitio eruditissimus TOVRNEMINIVS, qui pro systemate influxus contra harmoniam praestabilitam erudite et humaniter militauit [e]. Parcius eam aggressus IAQVELOTIVS [d], nonnulla reprehendit, in haud paucis ingeniosum ἕυρημα laudauit. Respondit his quoque Leibnizius, et tum de Lamii et Baylii obiectionibus in altera dictionarii editione repetitis nonnulla monuit [e], tum ad Iaquelotii obseruationes suas annotationes vulgauit. Interim cum in theatro orbis eruditi *Theodicea* comparuisset, hac imprimis hypothesi, cum reliquis, quas ad refellenda Baylii obiectiones vsus est, qua ratione ad veritates magni momenti demonstrandas vti liceat, more suo eruditissime ostendit [f]. Interim nouus contra foetum ingenii Leibniziani aduersarius prodiit, medicus celeberrimus GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS, qui ad communicatas secum ab ipso Leibnizio meditationes, *Enodationes* scripsit, quibus *Replicationem* auctor opposuit. Tandem inter Samuelem Clarckium quoque et Leibnizium [g], vt de aliis metaphysicae capitibus, ita imprimis de harmonia quoque praestabilita disputatum est, ipso illustri Newtono obiiciente perpetuum eam miraculum supponere. Et hi quidem viuo harmoniae praestabilitae parente contra eam insurrexerunt. Post fata Leibnizii autem dici non potest, quam miris fortunae vicissitudinibus ea hypothesis excepta sit, postquam cel. WOLFIVS ei subscripsisset. Qui, vt ipse narrat [h], cum nouum metaphysicae corpus conderet, initio constituerat apud se, totam quaestionem de vnione inter animam et corpus intercedente omittere; ast cum praeter spem ex fundamentis positis ad hypothesin hanc sponte adduceretur, eam non retinuit modo, sed maiori etiam luce perfudit. Ex eo autem tempore cum de placitis Wolfianis acerrime disputaretur, harmonia praestabilita meta illa fuit, ad quam omnes, qui inimica aduersus praestantissimum virum signa contulerant, tela dirigerent, pro qua omnibus viribus sectatores Wolfii decertarent. Qui tamen harmonia praestabilita se tantum vti veluti hypothesi, adeoque ei nullas veritates inaedificare aliquoties monuit [i]. Quae tamen hoc loco enarrare omnia, et scriptorum omnium recensum dare instituti ratio obstat, consulendus autem, qui diligenter in hoc stadio decurrit cl. LVDOVICVS [k]. Sed non minus impossibile nobis, limitibus satis arctis constrictis, ea enarrare omnia, quae contra hypothesin elegantem quidem et ingenio maxime se commendantem, ast paradoxam monuerint viri docti, regesserintque Leibnizius, Wolfius eorumque assecłae. Comparari

c) Memoires de Trevoux 1703. Mai. p. 864. Iuin p. 1063. Sept. p. 1661. Oct. p. 1840. seqq.
d) Conformité de la foi avec la raison. conf. A. E. 1705. Oct.
e) Hist. de la rep. des lettres T. XI. art. 4. et Recueil T. II. p. 389.
f) A. E. l. c. Dec. p. 440.
g) Recueil T. I.
h) In Praef. Metaphysicae Germ.
i) Vid Responsio ad accusationes Langianas iussu regis Borussiae scripta, p. 64. Collect. Ludouic.
k) In Hist. phil. Leibniz. P. II. c. XXIII. §. 489. seqq. p. 371. et in Hist. phil. Wolfianae §. 324. p. 237. seqq.

rari autem et attente legi expendique meretur illustris viri GEORGII BERNARDI BVLFINGERI *Commentatio hypothetica de harmonia animi et corporis humani maxime praestabilita ex mente illustris Leibnizii* [l], qui diligenter et acute ea enarrauit quae Foucherius, Baylius, Lamius, Tourneminius, Newtonus, Clarckius, Stahlius, quos viuus aduersarios Leibnizius habuit, obiecerunt, et in id ingenii praestantissimi neruos intendit, vt eorum obiectionibus satisfaceret, demonstraretque leges corporum et leges monadum, quantumuis diuersas, tamen inter se sub generalibus legibus metaphysicis conuenire, vt harmonicas dicere, iisdemque mediantibus effectus harmonicos ex caussis harmonicis deriuare liceat: adeoque possibile esse, vt corpus atque anima conspirent, etiamsi principium mutationis sit vnicuique intrinsecum saltim; eo quod experientiae testimonio conspirent mutationes corporis et animae, sed vtrumque sibi habeat res suas et suas sequatur leges, necesseque sit, vt a Deo semel sint harmonice constituta ab initio, sic vt ex priori eorum harmonia consequantur ceterae. Hunc itaque eruditissimum virum eos adire oportet, qui rem omnem acumine philosophico enarratam cupiunt. Nos, vt controuersiae specimen faciamus, ex innumeris obiectionibus quibus omnis generis eruditi harmoniam praestabilitam aggressi sunt, eam vnam adducimus, quae inimicam esse libertati et fatalismum quendam, id est fatalem necessitatem inferre, adeoque Spinozisticae impietati portam aperire confessa est. Nempe offendit viros doctos et pios, quod antecedentes perceptiones subsequentium parentes, et hae appetituum animae auctores dicantur, qua ratione dum nihil fieri, quod non in antecedente suam rationem habeat, asseratur, euerti libertatem putant. Primus, nisi fallimur, Franciscus Lamius hoc telum harmoniae praestabilitae intentauit, quod ita repressit Leibnizius, vt liberas esse actiones animae voluntarias contenderet, quarum distinctas ideas habet, et quae pendent a ratione; distingueret autem inter naturale, quod naturae rerum conuenit, et inter necessarium, siue essentiale, quod immutari non potest, legem autem ordinis, quae in perceptionibus est, vt in motibus, libertatem non iugulare, vt exemplo ipsius DEI constet, affirmaret. Postea commotis controuersiis Wolfianis praecipuus venerandus IOACHIMVS LANGIVS [m] in id incubuit, vt effícto monstro bicipiti materialismi et idealismi, mira harmonia praestabiliti, necessitatem quandam fatalem confirmari, omnemque voluntatis humanae libertatem et actionem moralem ista hypothesi euerti euinceret. Quibus WOLFIVS praeter alia *Commentationem de differentia nexus rerum sapientis et fatalis necessitatis nec non systematis harmoniae praestabilitae et hypothesium Spinozae* opposuit. Tacemus innumeros, qui hoc

l) Tub. siue Lipsi. 1723. 8.

m) Scripta huc pertinentia nominat LVDOVICVS Hist. phil. Wolfianae P. I. c. XIV. §. 252. sqq. p. 196. seqq. P. II. §. 540. sqq. longior enim series est, quam hic exponi queat.

quidem telo acerrime iſtam hypotheſin confodere aggreſſi ſunt. Quibus haud pauciores reſponderunt, inter quos praecipue conſulendus eſt ſumme reuerendus BVLFINGERVS n). Sed et tertia pars acceſſit, eorum, qui non repugnare quidem harmoniam praeſtabilitam libertati humanae voluntatis vt ſolet adſtrui, aſſeruerunt, aſt eſſe tamen in ea aliquid, quod crucem figat, et veram libertatis notionem euertat, conqueſti ſunt. Quo pacto nuper acutiſſime de harmonia praeſtabilita diſputauit celeberrimus HOLLMANNVS o), qui, licet ſectatoribus Wolfii nomen non addixiſſet ſuum, contenderat p) tamen, in iſto harmoniae praeſtabilitae ſyſtemate in ſe et praeciſe ſpectato, in quo certas animae humanae repraeſentationes, cogitationes et decreta certi in membris corporis motus, et certos in organis corporis ſenſoriis excitatos motus certae quaedam in anima humana conſequantur repraeſentationes, ſenſationes, et perceptiones, nihil ſe deprehendere, quod in animae humanae libertatem vllo modo ſit iniurium: quae aſſertio eum cum cel. LANGIO quoque commiſit. Poſtea autem conſiderato ſyſtemate in toto ſuo ambitu inueniſſe ſe, monuit, quae libertati inimica ſint. „Nempe ſtatui obſeruat, ſecundum „iſtam hypotheſin, animae vim mundi repraeſentatiuam, illi adeo intrinſecam et eſſentialem eſſe, vt non modo ſenſationes et perceptiones rerum nudae, quibus mutationes a corporibus in organa ſenſoria agentibus productae in anima repraeſentantur, ex ea fluant, ſed et ea ita ad „mundum repraeſentandum determinata ſit, vt ex ea vi reliqua omnia, „quae in eadem contingunt, exoriantur. Ita vero omnem actionis contingentiam, quae ſeparari a libertatis notione non poteſt, tolli contendit, cum omnia quae in anima contingunt, ex vi illa repraeſentatiua „per eſſentiam ſuam determinata ſolum conſequantur, vis autem illa „omnimode determinata ſit, ſiquidem anima alias aeque facile hanc, „quam aliam quamcunque mundi partem, aeque facile illam, quae corporis ipſius ſtatui reſpondet, quam quamuis aliam, repraeſentare ſibi „poſſet, quod contra ſyſtematis primarium ſuppoſitum eſt. Hinc enim „neceſſe eſſe, vt et omnia, quae ex omnimode determinata eiusmodi „vi fluunt, et ipſa omnimode determinata ſint: haecque a Deo determinatio ſimul non minus ac ipſa vis illa repraeſentatiua, ex ipſa animae „eſſentia fluat, ſicque abſoluta porro ſit et immutabilis. Et cogitationes „ergo animae reliquas et volitiones atque decreta eius omnia, per eſſentiam eius, quaeque eſſentiam eius conſtituit, vim illam mundi repraeſentatiuam ita iam futura eſſe determinata, vt conſequi aliter in anima „nequeant, vnde et contingentia illarum omnis et cum illa ipſa animae „humanae libertas collapſa ſit.“ Quibus vir doctus in ſequentibus ita inſtat, vt demonſtret, ex hac praedeterminatione repraeſentationum, ſequi neceſſario volitionum determinationes, easque eſſe non minus praeſtabili-

n) In Dilucidat. philoſ. p. 357. ſeqq.
o) In Cogit. poſter. de Harmonia praeſtabilita.
p) In Diſſ. priore de Harm. praeſt.

ſtabilitas, quam motus corporis. Tandem neque iſtud tacendum hoc loco eſt, fuiſſe nonnullos, qui ex ipſis principiis Leibnizianis oſtendere ſategerunt [q], habere animam vim mouendi corpus, non metaphyſicam modo, ſed et phyſicam, adeoque ſyſtema influxus ab ipſo Leibnizio euerti non poſſe. Rationem eam adducunt, quod, praeter voluntatem mouendi, conatum quoque inſignem, producendi nonnunquam motus voluntarios in corpore ſentiamus, qui niſus atque conatus eius virium nomine venit, et Leibnizio, id quod reale in motu eſt, dicitur. Ipſe ſane Leibnizius, vim mouendi corpora influxu phyſico non ex rationibus impoſſibilitatis deriuauit, concedit enim Deum ita mouere poſſe corpora, ſed quod in anima humana rationes eius rei ſufficientes non inueniret, ſuadeat autem ſapientia DEI in legibus motuum et appetituum ſiue finium demonſtrata, fieri id tantum metaphyſice, et per harmoniam. Vnde caute prudenterque pronuntiauit, quem nuper ereptum nobis dolemus Ven. Io. Gvst. Reinbeckivs [r] etiamſi hypotheſis harmoniae praeſtabilitae in religionem Chriſtianam iniuria non ſit, non minoribus tamen, quam reliquas de vnione animae et corporis hypotheſes difficultatibus premi, praeſtareque fateri ignorantiam noſtram ad myſteria DEI reuelata ſimplici fide recipienda ducentem, quam modum ignotum myſterii naturalis coniecturis et hypotheſibus definire. Verum de his prolixius in hiſtoria philoſophiae et controuerſiarum Wolfianarum differendum eſt. Iam ad monadologiam Leibnizianam reuertimur.

LXXXII. Quod ſpiritus, ſeu animas rationales concernit, quamuis ita ſe habeat res, vt animal et anima nec oriantur niſi cum mundo, nec intereant niſi cum mundo: id tamen peculiare eſt in animalibus rationalibus, quod ipſorum animalcula ſpermatica [s], qua talia, habeant tantum animas ordinarias ſeu ſenſitiuas, ſed quae electa ſunt, vt ita dicam, et ad naturam humanam ope conceptionis actualis perueniunt, eorum animae ſenſitiuae eleuantur ad gradum rationis et praerogatiuam ſpirituum. Valde fauebat Leibnizius praeexiſtentiae animarum, cum et maximas circa ortum animarum difficultates cerneret, et innumeris diſputationibus quaeſtionem de origine formarum ſubſtantialium expoſitam noſſet, ex qua controuerſiae quoque de anima vel per traducem vel per creationem productа exortae ſunt; crederet autem non minori iure gaudere ſubſtantias ſimplices et immateriales, quam atomos Epicuri vel Gaſſendi, quae perpetuo durantes admittuntur. Hinc animas non niſi per creationem accepiſſe initium, et non niſi annihilatione finem quoque habere, ſtatuit; cumque corporis organici formationem ſine praeformatione organica

q) Cel. Gottschedivs in Vindiciis ſyſtem. influxus phyſici ſect. II. c. 2. §. 22. p. 70.

r) In Diſq. de Harmonia praeſtabilita, Germanice edita Berolini 1737. 4.

s) Subſcribit Leibnizius ſententiae Leuwenhoekianae de Animalculis ſpermaticis, quae monadem eam conſtituere putat, ex qua exſurgit anima humana, conf. Hansch. l. c. p. 169. An vero id fiat ordinaria vel extraordinaria Dei operatione, non definit in cauſſa Dei §. 81.

ſuppoſita explicari non poſſe, pro certo haberet, concluſit inde, generationem animalium non niſi transformationem eſſe, et habuiſſe corpus antea iam organiſatum animam eandem, nec poſſe eſſe animas, ſaluo naturae ordine, a corporibus plane ſeparatas. Haec cum compararet cum harmonia, ſecundum quam ſemper agit diuina ſapientia, praeexiſtentiam animarum ab initio creationis admittendam, et addendam illis eſſe neceſſario corpus organicum, in quo extiterint, concluſit. Veriſimile autem putauit, animas ante generationem mere ſenſitiuas eſſe, et tum demum fieri in generatione rationales. Qua de re in ſe obſcuriſſima et difficili eleganter et ſatis perſpicue in *Theodicea* f differit. Ita vero praeexiſtentiam animarum, quod ſupra iam tetigimus, a metempſychoſi diſcernebat, quae ipſa quoque animarum περιὐπαξιν inuoluit, cum ſaltem eiusmodi, qualem animarum tranſmigratio innuit, legibus motus, adeoque naturae ipſi prorſus eſſe contrarium cerneret ff. Vt autem anima ex ſtatu ſenſitiuo in ſtatum rationalem euehatur, mutationem et euolutionem materiae machinae corporis, quae eſt in animali ſpermatico, requiri putabat; mutata enim corporis conditione, mutandum etiam animae ſtatum eſſe ob harmoniam inter corpus et animam praeſtabilitam; ob quam tamen harmoniam, ſtatus praeſens ſit grauidus futuri, et homo futurus in illo animali iam latuerit, vt ipſe ad Remondum ſcripſit.

LXXXIII. Inter alias differentias, quae inter animas ordinarias et ſpiritus intercedunt, etiam illa datur, quod animae in genere ſint ſpecula viuentium, ſeu imagines vniuerſi creaturarum, ſed quod ſpiritus inſuper ſint imagines ipſius diuinitatis, ſeu auctoris naturae, quae ſyſtema vniuerſi cognoſcere et aliquid eius per ſcintillulas architectonicas imitari poſſunt, cum ſpiritus vnusquisque ſit parua quaedam diuinitas in ſuo genere.

LXXXIV. Atque inde eſt, quod ſpiritus ſint capaces ſocietatis alicuius cum Deo ineundae, et quod ipſe eorum reſpectu nonſolum ſit inuentor, qualis eſt reſpectu creaturarum ceterarum, ſed inſuper princeps et parens, hoc eſt, eam habeat ad ipſos relationem, quem princeps ad ſuos ſubditos, et parens ad liberos ſuos.

LXXXV. Inde haud difficulter infertur, omnes ſpiritus ſimul ſumtos conſtituere ciuitatem DEI, hoc eſt, regnum omnium perfectiſſimum ſub perfectiſſimo monarcha.

LXXXVI. Haec ciuitas DEI, haec monarchia vere vniuerſalis eſt mundus moralis in mundo naturali, et id maxime ſublime et diuinum eſt in operibus DEI, atque in hoc reuera gloria DEI conſiſtit, quoniam nulla daretur, niſi magnitudo et bonitas a ſpiritibus cognoſceretur, ipſisque admirationi eſſet. Reſpectu huius ciuitatis diuinae datur bonitas proprie ſic dicta, cum e contrario ſapientia et potentia vbique eluceant.

LXXXVII.

f) §. 81. ſeqq ff) Vid. Recueil T. II. p. 186.

LXXXVII. Intercedit ergo harmonia quoque inter regnum phyſicum naturae, et regnum morale gratiae, hoc eſt, inter Deum, quatenus conſideratur vt architectus machinae, et inter Deum eundem, quatenus vt monarcha ciuitatis diuinae ſpirituum ſpectatur.

LXXXVIII. Ab hac harmonia pendet, quod res deducant ad gratiam per ipſas vias naturae, et quod hic globus e. g. deſtrui et reparari debeat per media naturalia iis momentis, quando regimen ſpirituum id poſtulat ad aliquos puniendos, ceteros remunerandos.

LXXXIX. Aſſerere etiam licet, Deum tanquam architectum, ſatisfacere Deo tanquam legislatori, ex aſſe, atque ſic peccata conſequi debere poenas per ordinem naturae et ſtructurae mechanicae rerum, bonas etiam actiones ſecum trahere remunerationes per media machinalia reſpectu corporum, quamuis idem nec poſſit nec debeat conſtanter extemplo accidere. Etiam in hac harmonia regni naturae et gratiae aſſerenda, viſus eſt nonnullis gratiae ſe inimicum oſtendiſſe. Aſt monuerunt amici eius [t], etiamſi leges naturae, ad exequenda gratiae et iuſtitiae decreta valere dicat, illis tamen non dicere, quod opus gratiae, abſoluatur, ſed minime ſufficientia declarauiſſe, cum et miracula fieri propter regnum gratiae aſſerat, et naturae viribus peccatorem conuerti poſſe neget.

XC. Tandem ſub perfectiſſimo hoc regimine nulla datur actio bona ſine remuneratione, nulla mala ſine poena, et omnia vergere debent in ſalutem bonorum, hoc eſt eorum, qui regimine diuino contenti ſunt in hoc magno regno, qui confidunt in prouidentia diuina, et qui amant et imitentur, vt par eſt, auctorem omnis boni, voluptatem percipientes ex conſideratione perfectionum ipſius, ſecundum naturam amoris puri et veri, vi cuius voluptatem percipimus ex eius, quem amamus, felicitate. Atque ideo perſonae ſapientes ac virtuoſae perficere conantur, quicquid voluntati diuinae praeſumtiuae et antecedenti conforme apparet, et hoc non obſtante, in iis acquieſcunt, quae per voluntatem ſecretam; conſequentem et deciſiuam acta contingunt, quoniam agnoſcunt, quod ſi ordinem naturae ſatis intelligeremus, deprehenſuri ſimus, eadem vota ſapientiſſimi longe ſuperare, nec fieri poſſe, vt meliora reddantur ſiue intuitu totius vniuerſi in genere, ſiue etiam reſpectu noſtrum in ſpecie. Siquidem, prout par eſt, auctori omnium adhaeremus, non modo tanquam architecto et cauſſae efficienti eſſentiae noſtrae, verum etiam, tanquam Magiſtro noſtro atque cauſſae finali, cuius eſt, efficere quod volumus, et qui ſolus nos felices reddere valet. Aperuit vir ſummus in his vltimis aſſertionibus veſtibulum philoſophiae moralis, quale monadum atque harmoniae vniuerſalis hypotheſibus ſine dubio inaedificaturus erat. Eam autem non perfecit: nonnulla tamen in

Theodicea

t) Vid. KORTHOLT Diſſ. de Phil. Leibnix. Chriſtianae religioni non pernicioſa §. 19. ſqq. pag. 43. ſeqq.

Theodicea attulit, quae dicta illustrare possunt. Pleraque illustrauit ex fundamentis Leibnizianis HANSCHIVS v.

Theologia naturalis Leibnitii.

§. XXXVIII. Praestantissimum metaphysicae Leibnizianae caput theologia naturalis siue doctrina de Deo, est, quod studiose excoluit Leibnizius. Qui non tantum emendare Cartesianam existentiae DEI rationem aggressus est, vt supra dictum, sed et applicatione principii rationis sufficientis recta et acuta ex rerum existentium contingentia, vnicum et verissimum quod stringat et impietatem euertat argumentum deduxisse sibi visus est. Sed attributorum quoque diuinorum harmoniam tum inter se, tum in relatione ad animam humanam insigni acumine, suis tamen hypothesibus vsus, in *Theodiceae* opere explicuit, quod totum excerpere, et quae ad philosophiam spectant, huc adducere, operae pretium esset, nisi paginarum nostrarum angustia tantam prolixitatem refugeret, liberque eruditissimus et elegantissimus in omnium manibus versaretur. Quoniam tamen eius summam in *Caussa DEI* tractationi subiuncta in neruum contraxit auctor, acuteque de Deo, eius intellectu, voluntate, decretis concursuque ad actiones hominum differuit, excerpemus, qua licet breuitate, ea quae ad theologiam naturalem pertinent: eae enim, quas de corruptione hominis et peccato, de eius propagatione et imputatione, de auxiliis gratiae et doctrinae reuelatae capitibus aliis explicationes et coniecturas attulit, ad limites nostros non pertinent, merentur autem legi expendique a Lectore curioso omnia, vt, qualis fuerit Leibnizius, appareat.

I. Omnipotentia complectitur tum Dei independentiam ab aliis, tum omnium dependentiam ab ipso.

II. Independentia DEI in existendo elucet et in agendo; et quidem in existendo, dum est necessarius et aeternus, et, vt vulgo loquuntur, ens a se: vnde etiam consequens est, immensum esse.

III. In agendo independens est naturaliter et moraliter, naturaliter quidem, dum est liberrimus, nec nisi a se ipso ad agendum determinatur: moraliter vero dum est ἀνυπεύθυνος, seu superiorem non habet.

IV. Dependentia rerum a Deo extenditur tum ad omnia possibilia, seu quae non implicant contradictionem, tum etiam ad omnia actualia.

V. Ipsa rerum possibilitas, cum actu non existunt, realitatem habet fundatam in diuina existentia: nisi enim Deus existeret, nihil possibile foret; et possibilia ab aeterno sunt in ideis diuini intellectus.

VI. Actualia dependent a Deo tum in existendo, tum in agendo, nec tantum ab intellectu eius, sed etiam a voluntate. Et quidem in existendo, dum omnes res a Deo liberae sunt creatae, atque etiam a Deo conseruantur;

v) loc. cit. Theor. 121. seqq.

seruantur; neque male docetur, conseruationem diuinam esse continuatam creationem, vt radius continue a sole prodit: etsi creaturae neque ex essentia Dei, neque necessario promanent.

VII. In agendo res dependent a Deo, dum Deus ad rerum actiones concurrit, quatenus inest actionibus aliquid perfectionis, quae vtique a Deo manare debet.

VIII. Concursus autem Dei, etiam ordinarius, seu non miraculosus simul et immediatus est, et specialis. Et quidem immediatus, quoniam effectus non ideo tantum a Deo dependet, quia caussa eius a Deo orta est, sed etiam quia Deus non minus, neque remotius in ipso effectu producendo concurrit, quam in producenda ipsius caussa.

IX. Specialis autem est concursus, qui non tantum ad existentiam rei actusque dirigitur, sed et ad existendi modum et qualitates, quatenus aliquid perfectionis illis inest, quod semper a Deo profluit, patre luminum, omnisque boni datore.

X. Sapientia DEI ob immensitatem vocatur omniscientia. Haec cum et ipsa sit perfectissima, complectitur omnem ideam, et omnem veritatem; id est omnia tam incomplexa quam complexa, quae obiectum intellectus esse possunt: et versatur itidem tam circa possibilia, quam circa actualia.

XI. Possibilium est, quae vocatur scientia simplicis intelligentiae, quae versatur tam in rebus, quam in earum connexionibus; et vtraeque sunt tam necessariae, quam contingentes.

XII. Possibilia contingentia spectari possunt tum vt seiuncta, tum vt coordinata in integros mundos possibiles infinitos, quorum quilibet Deo est perfecte cognitus, etsi ex illis non nisi vnicus ad existentiam perducatur: neque enim plures mundos actuales fingi ad rem facit, cum vnus nobis totam vniuersitatem creaturarum, cuiuscunque loci et temporis complectatur, eoque sensu hoc loco mundi vocabulum vsurpetur.

XIII. Scientia actu alium, seu mundi ad existentiam perducti, et omnium in eo praeteritorum praesentium, futurorum, vocatur scientia visionis, nec differt a scientia simplicis intelligentiae huius ipsius mundi, spectati vt possibilis, quam quod accedit cognitio reflexiua, qua Deus nouit suum decretum de ipso ad existentiam perducendo. Nec alio opus est diuinae praescientiae fundamento.

XIV. Quod si scientia simplicis intelligentiae restrictius sumatur, nempe vt agat de veritatibus possibilibus et necessariis; tunc scientia media est, quae de veritatibus possibilibus et contingentibus, et scientia visionis, quae de veritatibus contingentibus et actualibus agit.

XV. Vt ſapientia, ſeu veri cognitio eſt perfectio intellectus, ita bonitas, ſeu boni appetitio eſt perfectio voluntatis. Et omnis quidem voluntas bonum habet pro obiecto, ſaltem apparens, at diuina voluntas non niſi bonum ſimul et verum.

XVI. Ad voluntatis naturam requiritur libertas, quae conſiſtit in eo, vt actio voluntaria ſit ſpontanea, ac deliberata, atque adeo vt excludat neceſſitatem, quae deliberationem tollit.

XVII. Neceſſitas excluditur metaphyſica, cuius oppoſitum eſt, impoſſibile; ſeu implicat contradictionem; ſed non moralis, cuius oppoſitum eſt inconueniens. Etſi enim Deus non poſſit errare in eligendo, adeoque eligat ſemper quod eſt maxime conueniens, hoc tamen eius libertati adeo non obſtat, vt eam potius maxime perfectam reddat. Obſtaret ſi non niſi vnum foret voluntatis obiectum poſſibile, ſeu ſi vna tantum poſſibilis rerum facies fuiſſet, nec ſapientia bonitasque agentis laudari poſſet.

XVIII. Itaque errant, aut certe incommode admodum loquuntur, qui ea tantum poſſibilia dicunt, quae actu fiunt, ſeu quae Deus elegit *).

XIX. Voluntas diuidi poteſt, in antecedentem ſeu praeuiam, et conſequentem ſeu finalem, ſiue quod idem eſt, in inclinatoriam et decretoriam. Illa minus plena, haec plena vel abſoluta eſt.

XX. Voluntas antecedens omnino ſeria eſt, et pura, non confundenda cum velleitate, vbi quis vellet ſi poſſet, velletque poſſe, quae in Deum non cadit; nec cum voluntate conditionali. Tendit autem voluntas antecedens in Deo ad procurandum omne bonum, et ad repellendum omne malum, quatenus talia ſunt, et proportione gradus, quo bona malaue ſunt.

XXI. Voluntas conſequens oritur ex omnium voluntatum antecedentium concurſu, vt ſcilicet, quando omnium effectus ſimul ſtare non poſſunt, obtineatur inde quantus maximus effectus per ſapientiam et potentiam obtineri poteſt. Haec voluntas etiam decretum appellari poteſt.

XXII. Voluntates antecedentes non omnino irritae ſunt, ſed efficaciam ſuam habent, qui, etſi effectus earum obtinetur, non ſemper ſit plenus, ſed per concurſum aliarum voluntatum antecedentium reſtrictus. At voluntas decretoria ex omnibus inclinatoriis reſultans, ſemper plenum effectum ſortitur, quoties potentia non deeſt in volente, quemadmodum certe in Deo deeſſe nequit. Neque vero aliquid felicitati perfectionique volentis Dei decedit, dum non omnis eius voluntas effectum plenum ſortitur: quia enim bona non vult, niſi pro gradu bonitatis, quae in

*) Innuit Diodorum Stoicum, Abaelardum, Wiclefum, Hobbium.

in vnoquoque est, tum maxime eius voluntati satisfit, cum optimum resultans obtinetur.

XXIII. Porro voluntas diuiditur in productiuam circa proprios actus, et permissiuam, circa alienos. Quaedam enim interdum permittere licet, id est, non impedire quae facere non licet; et permissae voluntatis obiectum proprium non id est, quod permittitur, sed permissio ipsa.

XXIV. Bonum et malum, seu ratio volendi triplex est, metaphysicum, physicum, morale.

XXV. Metaphysicum generatim consistit in rerum etiam non intelligentium perfectione et imperfectione.

XXVI. Physicum accipitur speciatim de substantiarum intelligentium commodis et incommodis, quo pertinet malum poenae.

XXVII. Morale de earum actionibus virtuosis et vitiosis, quo pertinet malum culpae: et malum physicum hoc sensu a morali oriri solet, etsi non semper in iisdem subiectis sed haec tamen, quae videri possit, aberratio cum fructu corrigitur, vt innocentes nollent passi non esse.

XXVIII. Deus vult bona per se antecedenter ad minimum; nempe tam rerum perfectiones in vniuersum, quam speciatim substantiarum intelligentium omnium felicitatem et virtutem, et vnumquodque bonorum pro gradu suae bonitatis.

XXIX. Mala etsi non cadant in voluntatem DEI antecedentem, nisi quatenus ea ad remotionem eorum tendit, cadunt tamen interdum, sed indirecte, in consequentem: quia interdum maiora bona ipsis remotis obtineri non possunt, quo casu remotio malorum non plane perducitur ad effectum, et consistens intra voluntatem antecedentem, non prorumpit in consequentem.

XXX. Mala metaphysica et physica, velut imperfectiones in rebus, et mala poenae in personis interdum fiunt bona subsidiata, tanquam media ad maiora bona.

XXXI. At malum morale seu malum culpae nunquam rationem medii habet, sed interdum tamen conditionis, quam vocant, sine qua non, siue colligati et concomitantis, id est, sine quo bonum debitum obtineri nequit, sub bono autem debito etiam priuatio mali debita continetur. Malum autem admittitur, non ex principio necessitatis absolutae, sed ex principio conuenientiae. Rationem enim esse oportet, cur Deus malum permittat potius, quam non permittat; ratio autem diuinae voluntatis non nisi a bono desumi potest.

XXXII. Malum culpae nunquam in Deo obiectum est voluntatis productiuae, sed tantum aliquando permissiuae, quia ipse nunquam peccatum facit, sed tantum ad summum aliquando permittit.

XXXIII. Generalis autem eſt regula permittendi peccati, Deo hominique communis, vt nemo permittat peccatum alienum, niſi, impediendo ipſemet actum, prauum excitaturus eſſet.

XXXIV. Deus itaque inter obiecta voluntatis habet optimum, vt finem vltimum; ſed bonum vt qualecunque, etiam ſubalternum; res vero indifferentes itemque mala poenae ſaepe, vt media; at malum culpae non niſi vt rei alioqui debitae conditionem, ſine qua non eſſet.

XXXV. Communia magnitudinis et bonitatis hic ſunt, quae non ex ſola bonitate, ſed etiam ex magnitudine, id eſt ſapientia et potentia, proficiſcuntur, facit enim magnitudo, vt bonitas effectum conſequatur ſuum. Et bonitas refertur vel ad creaturas in vniuerſum, vel ſpeciatim ad intelligentes. Priore modo cum magnitudine conſtituit prouidentiam in vniuerſo creando et gubernando poſteriore, iuſtitiam in regendis ſpeciatim ſubſtantiis ratione praeditis.

XXXVI. Quia bonitatem DEI in creaturis ſeſe generatim exerentem dirigit ſapientia, conſequens eſt, prouidentiam diuinam ſeſe oſtendere in tota ſerie vniuerſi; dicendumque Deum ex infinitis poſſibilibus ſeriebus rerum elegiſſe optimam, eamque adeo eſſe hanc ipſam, quae actu exiſtit. Omnia enim in vniuerſo ſunt harmonica inter ſe, nec ſapientiſſimus niſi omnibus perſpectis decernet adeo non niſi de toto. In partibus ſingulatim ſumtis voluntas praeuia eſſe poteſt, in tota decretoria intelligi debet.

XXXVII. Accurate loquendo vnicum tantum fuit decertum Dei, vt haec ſcilicet ſeries rerum ad exiſtentiam veniret.

XXXVIII. Immutabile eſt decretum Dei, quia omnes rationes quae ei obiici poſſunt, iam in conſiderationem venerunt, ſed hinc non alia oritur neceſſitas, quam conſequentiae, quam hypotheticam vocant, ex ſuppoſita ſcilicet praeuiſione et praeordinatione, nulla autem ſubeſt neceſſitas abſoluta vel conſequentis, quia alius etiam rerum ordo poſſibilis erat, et in partibus, et in toto; Deusque contingentium ſeriem eligens, contingentiam eorum non mutauit.

XXXIX. Neque ob rerum certitudinem preces laboresque ſunt inutiles ad obtinenda futura quae deſideramus. Nam in huius ſeriei rerum, tanquam poſſibilis repraeſentatione apud Deum, antequam ſcilicet decerni intelligeretur, vtique et preces in ea, ſi eligeretur futurae, et aliae effectuum in ea comprehendendorum cauſſae inerant, et ad electionem ſeriei, adeoque et ad euentus in ea comprehenſos, vt par erat, valuere. Et quae nunc mouent Deum ad agendum aut permittendum, iam tum eum mouerunt ad decernendum, quid acturus eſſet aut permiſſurus.

XL. Sapientia autem infinita omnipotentis bonitati eius immenſae iuncta,

cta, fecit, vt nihil potuerit fieri melius, omnibus computatis, quam quod a Deo sit factum, atque adeo, vt omnia perfecte sint harmonica conspirentque pulcherrime inter se.

XLI. Proinde quotiescunque aliquid reprehensibile videtur in operibus Dei, iudicandum est, id nobis non satis nosci, nec optari a sapiente posse meliora.

XLII. Vnde porro sequitur, nihil esse felicius, quam tam bono Domino seruire, atque adeo Deum super omnia esse amandum, eique penitus confidendum.

XLIII. Bonitas relata speciatim ad creaturas intelligentes cum sapientia coniuncta iustitiam constituit, cuius summus gradus est sanctitas. Itaque tam lato sensu iustitia non tantum ius strictum, sed et aequitatem, atque adeo et misericordiam laudabilem comprehendit.

XLIV. Est autem vel iustitia specialius sumta, vel sanctitas. Illa versatur circa bonum malumque physicum, aliorum nempe intelligentium, sanctitas circa bonum malumque morale.

XLV. Bona malaque physica eueniunt tam in hac vita, quam in futura: In hac vita magna malorum pars fluit ex culpa hominis; aliae prosunt et compensabuntur.

XLVI. In futura vita, quamuis pauci sint electi, tota amplitudo regni coelestis non est ex nostra cognitione aestimanda, cum tanta gloria beatorum esse possit, vt mala damnatorum comparari cum hoc bono non possint. Nihilque prohibet vel soles, vel maxime regionem trans soles, vt in nostra sit tellure habitari felicibus creaturis. Itaque argumentum a multitudine damnatorum non est fundatum, nisi in ignorantia nostra. Poenae etiam damnatorum ob perseuerantem eorum malitiam perseuerant.

XLVII. Obiectiones contra sanctitatem Dei seu circa perfectionem ad bona malaque moralia aliorum relatam, desumtae ex concursu Dei ad malum morale ex supra dictis commode solui possunt.

XLVIII. Nempe permissio peccati est licita, seu moraliter possibilis, cum debita, seu moraliter necessaria inuenitur. Id de Deo intelligendum est Θεοπρεπῶς, quando aliter suis perfectionibus derogasset. Si Deus optimam vniuersi seriem, in qua peccatum intercurrit, non elegisset, admisisset aliquid peius omni creaturarum peccato, nam propriae perfectioni, et quod hinc sequitur, alienae etiam derogasset: diuina enim perfectio a perfectissimo eligendo discedere non debet cum minus bonum habeat rationem mali.

XLIX. Nihil perfectionis et realitatis pure positiuae est in creaturis earumque actibus bonis et malis, quod non Deo debeatur, sed imperfectio

actus in priuatione consistit, et oritur ab originali limitatione creaturarum, quam iam tum in statu purae possibilitatis, id est in ideis Dei, habent ex essentia sua: nam quod limitatione careret, non creatura sed Deus foret. Limitata autem dicitur creatura, quae terminos perfectionis habet. Ita fundamentum mali est necessarium, sed ortus tamen contingens; id est, necessarium est, vt mala sint possibilia, sed contingens est, vt sint actualia: non contingens autem per harmoniam rerum a potentia transit ad actum ob conuenientiam cum optima rerum serie, cuius partem facit. Sunt itaque bona a Dei vigore, mala a torpore creaturae; et defectu attentionis errat intellectus, defectu alacritatis refringitur voluntas, quoties mens cum ad summum bonum tendere debeat, per inertiam creaturae adhaeresci.

L. Propagatio contagii a lapsu protoplastarum non videtur commodius explicari posse, quam statuendo, animas posterorum in Adamo iam fuisse infectas: idque per praeexistentiam animarum.

LI. Reliquiae diuinae imaginis consistunt tum in lumine innato intellectus, tum etiam in libertate congenita voluntatis. Vtrumque ad virtuosam vitiosamque actionem necessarium est, vt scilicet sciamus velimusque, quae agimus, et possimus etiam ab hoc peccato, quod committimus abstinere, si modo satis studii adhibeamus.

LII. Lumen innatum consistit tum in ideis incomplexis, tum in nascentibus inde notitiis complexis. Ita fit, vt Deus et lex DEI aeterna inscribatur cordibus nostris, etsi negligentia hominum et affectibus sensualium saepe obscurentur.

LIII. Probatur hoc lumen etiam ex ratione, quia veritates necessariae ex solis principiis menti insitis non ex inductione sensuum demonstrari possunt. Neque enim inductio singularium vnquam necessitatem vniuersalem infert.

LIV. Libertas quoque in quantacunque humana corruptione salua manet, ita vt homo, etsi haud dubie peccaturus sit, nunquam tamen necessario committat hunc actum peccandi, quem committit.

LV. Libertas exemta est tam a necessitate, quam a coactione. Necessitatem non faciunt futuritio veritatum, nec praescientia et praeordinatio Dei, nec praedispositio rerum.

LVI. Non futuritio: licet enim futurorum contingentium sit determinata veritas, certitudo tamen obiectiua, seu infallibilis determinatio veritatis, quae illis inest, minime necessitati confundenda est.

LVII. Nec praescientia aut praeordinatio Dei necessitatem imponit, licet ipsa quoque sit infallibilis. Deus eim vidit res in serie possibilium ideali, quales futurae erant, et in iis hominem libere peccantem; neque huius

huius seriei decernendo existentiam, mutauit rei naturam, aut, quod contingens erat, necessarium fecit.

LVIII. Neque etiam praedispositio rerum aut caussarum series nocet libertati. Licet enim nunquam quicquam eueniat, quin eius ratio reddi possit, neque vlla vnquam detur indifferentia aequilibrii, (quasi in substantia libera et extra eam omnia ad oppositum vtrumque se aequaliter vnquam haberent: cum potius semper sint quaedam praeparationes in caussa agente, concurrentibusque, quas aliqui praedeterminationes vocant;) dicendum tamen est, has determinationes esse tantum inclinantes, non necessitantes, ita vt semper aliqua indifferentia siue contingentia sit salua. Nec tantus vnquam in nobis affectus appetitusue est, vt ex eo actus necessario sequatur; nam quamdiu homo mentis compos est, etiamsi vehementissime, ab ira, siti, vel simili caussa stimuletur, semper tamen aliqua ratio sistendi impetum reperiri potest, et aliquando vel sola sufficit cogitatio exercendae suae libertatis et in affectus potestatis.

LIX. Coactio non est in voluntatis actionibus: etsi enim externorum repraesentationes plurimum in mente nostra possint, actio tamen nostra voluntaria semper spontanea est, ita vt principium sit in agente. Id quod per harmoniam inter corpus et animam ab initio praestabilitam, luculentius, quam hactenus, explicatur.

Potiora haec sunt, quae ad naturalem theologiam referri possunt, reliqua quae attexuit vir acutissimi ingenii et profundarum meditationum, proprie ad reuelatam theologiam pertinent, et cum humanam corruptionem, tum eius emendationem, ordinemque DEI in eligendis fidelibus respiciunt. In illis vero, vt hypothesibus nonnullis inseruiendum sibi esse, ad soluendos hos nodos, quos struxit male curiosa hominum diligentia, vir summus probe vidit, ita factum, vt et ea quae de libertate disseruit, licet eam magnis conatibus assertum iret, haud paucis displicerent. Quamuis enim necessitatem absolutam a libertate accurate remoueat, putarunt tamen, necessitatem hypotheticam, quae ex antecedente et praedeterminante caussa oritur, re ipsa libertatem euertere. Respondérunt his viri celeberrimi sectatores, et inter eos imprimis acutissimus BVLFINGERVS y), "non eum praedeterminationis sensum apud „Leibnizium esse, qui est apud eos, qui ita praedeterminationem intro„ducunt, qua posita caussa praedeterminante, non potest non sequi effe„ctus: sed eam tantum hoc loco praedeterminationis, quae et praeordi„natio vel connexio rerum dici queat, ideam esse, qua posita, facultas, „etsi alterum prae altero eligat in ipso sui exercitio, et constanter quidem; suo tamen id faciat arbitrio possitque in hisce omnibus circum„stantiis agere aliud atque aliud. Ideoque Leibnizium supra monuisse, „has

y) In Dilucid. phil. S. I. c. 4. §. 88. p. 81.

„has determinationes esse inclinantes tantum non necessitantes, ita vt sem-„per aliqua indifferentia siue contigentia sit salua.“ Sed et alterum illud dogma, quod Baylio Leibnizius opposuit, de mundo optimo innumerarum controuersiarum semina in orbe philosophico et theologico sparsit, longumque esset, scripta ea enarrare omnia, quibus ex vtraque parte de hoc argumento decertatum est. Otium ea in re nobis fecit Cel. LVDOVICI [z] diligentia, qui literariam huius quaestionis historiam scire cupientibus adeundus est. Quo sensu autem mundum praesentem, mali mixtura temperatum ex serie infinitorum mundorum possibilium Deum velut optimum elegisse dixerit, ex §. XXXI. et sequentibus liquet. Nempe malum etiam ad optimi mundi naturam requiri, indignum videtur viris doctissimis Dei bonitate et iustitia. Ast habent hic quoque, quid regerant Leibnizii sectatores: nempe id voluisse philosophum: seriem contingentium omnium, praesentium, praeteritorum atque futurorum, quam mundus exhibet, optimam esse, quia ab ente et summo bono et sapientissimo conditus mundus est: neque optimum esse desinere, licet in eo sit malum, quum et mala ab ente sapientissimo in optimum finem dirigantur. Rationem autem diuinae voluntatis atque electionis non nisi a summo bono sumi posse. Nos in tantis animorum motibus agitata controuersia arbitrii partes non sumimus, qui historiam tantum scribimus, fatemur autem, suspicari nos, viros praestantissimos, qui de hoc argumento disceptarunt, disputationis feruore abreptos occupatosque non se semper satis perspicue accurateque inter se intellexisse. Ceterum ipsum dogma nouum haud est, sed vidit ipse Leibnizius [a], vt acutissime coniiciebat, systema Zoroastris parum abludere, quem ex Mithra non lucem tantum sed et tenebras, id est limitationem et priuationem deduxisse, hincque ex limitatis creaturis mali caussam deriuauisse suo loco ostendimus: quamuis fatendum, sobrie magis et prudenter philosophatum fuisse Leibnizium, quam Zoroastrem, qui essentiarum omnium emanationem ex DEI essentia tanquam ex subiecto statuebat, a qua alienum fuisse Leibnizium supra ipsius verbis euicimus. Ipsum vero mundum optimum Deum elegisse, at talem, cui malum ex natura sua, non DEI, insit, feciseque Deum, quicquid poterat vt malum hoc emendaret, et ad optimos fines dirigeret, ex κυρίαις δόξαις Platonis fuit, quem ideo LEIBNIZIVS [b] ipse laudauit. Ast longe melius tamen puriusque in eo dogmate asserendo versatus est Leibnizius, qui nec materiam demiurgo adiunxit, nec malum aliter nisi in limitatione et priuatione quaesiuit, cum Plato nescio quam naturam mali positiuam et essentialem materiae tribueret. Ex quo constare potest, quousque in comparatione veteris doctrinae cum Leibniziana sit progrediendum. Nullum autem malum esse in mundo, quod non respectu totius bonum euadat, adeoque mundum hunc esse optimum dixit iam BRVNVS [c].

§. XXXIX.

z) In Hist. Phil. Leibn. P. II. c. 23. §. 606. sqq. p. 414 sq.
a) Vid. praef. Theodiceae p. m. 59.
b) Ep. ad Hansch.
c) De Minimo p. 133.

§. XXXIX. Disputatum quoque est de his et nonnullis aliis metaphysicae capitibus inter Leibnizium, et qui Newtoni placita sequebatur Clarckium: quae tota quidem disputatio ex antecedentibus intelligi potest. Quoniam tamen in ea nonnulla occurrunt, in quibus Leibnizius a pristina sententia sibi discedendum putauit, ea quoque hoc loco ὡς ἐν παρόδῳ tangemus; commendamus autem lectionem ipsam epistolarum a duumuiris his acumine metaphysico insignibus scriptarum, quae in plena luce rem omnem, etiam superiora collocant. Nuper quoque pugnam renouauit ingeniosissimus VOLTAIRIVS, instituta *comparatione inter metaphysicam Leibnizianam et Newtonianam*, quae negligi prorsus potuisset, cum Newtono, de matheſi et naturali disciplina artibus mathematicis et obseruationibus inaedificata immortaliter merito nunquam in mentem venerit, systema metaphysicum condere [d]. Quoniam tamen, quod argumentis et rationibus parum valuit, ingenii elegantia efficere conatus est, laudanda est doctissimi KAHLII industria, qui Leibniziana dogmata de Deo, de spatio et duratione, de libertate Dei, de principio rationis sufficientis, de libertate hominis, de religione naturali, de anima eiusque commercio cum corpore, de origine perceptionum, de materia et elementis siue monadibus, de vi actiua in apricum posuit, et vindicare ab insultibus Voltairianis studuit [e]. Eum itaque illos consulere iuuat, qui de hac controuersia notitiam paulo ampliorem cupiunt. Nos instituti memores paucas quasdam assertiones notamus, quae ad cognoscendam metaphysicam Leibnizianam pertinent. Sunt vero istae: *Theses Leibnizianae Clarckio oppositae.*

I. Vis in operibus diuinis semper eadem subsistit, transitque ex materia in materiam, secundum leges naturae, et pulcherrimum ordinem praestabilitum. Quando itaque Deus facit miracula, fit id non naturae sed gratiae caussa. Qui aliter iudicat, abiecte de sapientia et potentia Dei sentit [f].

II. Non mathematica principia sed metaphysica opponenda sunt impietati materialistarum [g].

III. Fundamentum omnium veritatum mathematicarum est principium contradictionis siue identitatis, vt vero matheſis traducatur ad physicam, opus adhuc est principio rationis sufficientis.

IV. Quo plus est materiae in mundo, eo plus habet occasionis Deus, exercendae sapientiae et potentiae suae [h]. Vacuum itaque sine ratione sufficienti ponitur.

V. Ratio omniscientiae diuinae non est sola praesentia, sed et operatio; conseruat enim res actione illa, quae perpetuo id producit, quicquid in eis et bonitatis et perfectionis.

VI. Crea-

d) Legi merentur, quae de natura et indole philosophiae Newtonianae disserit ROGERVS COTESIVS in praef. Principiis phil. praemissa.

e) Prodiit Examen comparationis Voltairianae Gottingae 1741. 8.

f) T. I. Rec. Ep. I. p. 4.

g) Ep. II. p. 13.

h) ib. p. 16.

VI. Creaturae opus habent influxu Dei perpetuo, sed non ad emendandam et corrigendam mundi machinam; Deus enim qui praeuidit omnia, etiam in anteceſſum medicinam attulit; eſt enim in operibus eius pulchritudo praeſtabilita [i].

VII. Qui ſpatium pro ente quodam abſoluto habent, ingentibus difficultatibus premuntur, ſequitur enim, debere eſſe ens aeternum et infinitum, adeoque ipſe DEVS. Aſt Deus ſpatium habet partes, adeoque Deus eſſe nequit [k].

VIII. Spatium itaque eſt relatiuum quid, vt tempus. Nempe ſpatium eſt ordo coëxiſtentium, vt tempus ordo ſucceſſionum.

IX. Quod ſupernaturale eſt, omnes creaturarum vires ſuperat, hinc miracula [l].

X. Simplex voluntas ſine ratione mouente eſt figmentum, et contradictorium, naturaeque voluntatis aduerſum, et perfectioni diuinae contrarium.

XI. Animae non operantur in corpora, niſi quatenus conſpirant corpora cum eorum appetitu per harmoniam praeſtabilitam [m].

XII. Nemo nouas vires poteſt naturae addere praeter Deum, idque tantum facit ſupernaturaliter.

XIII. Imagines, quibus anima immediate afficitur, ſunt in ea ipſa, ſed conſpirant cum corpore; praeſentia animae autem imperfecta tantum eſt, nec poteſt aliter explicari, quam per harmoniam et concordiam.

XIV. Qui contendunt vires actiuas et viuentes minui in mundo, neque primarias naturae leges, neque pulchritudinem operum diuinorum intelligunt [n].

XV. Dantur miracula, quae minora vel inferiora dici poſſunt, quaeque efficere angelus poteſt; quae vero ſupra omnem naturae virtutem ſunt, e. g. creare et annihilare, Deo ſoli competunt.

XVI. Quod neceſſarium eſt, tale eſt per eſſentiam ſuam, quia oppoſitum contradictionem implicat; quod autem contingens eſt, debet exiſtentiam ſuam principio melioris, quae eſt ratio ſufficiens rerum [o].

XVII. Inde ſequitur rationes mouentes inclinare, non cogere, effeque certitudinem infallibilem, non vero neceſſitatem abſolutam in contingentibus.

XVIII. Voluntas noſtra non ſequitur ſemper praeciſe intellectum practicum, poteſt enim inuenire rationes ſuſpendendi iudicium, donec rem altius expenderit. [p].

XIX. Res relatiuae, non minus quantitatem habent quam abſolutae. Hinc quamuis tempus et ſpatium relationes ſunt, poſſunt tamen eſſe quantae [q].

XX. Non

i) pag. 18. k) Ep. III. p. 31. l) pag. 30. m) Ep. IV. p. 57. n) pag. 50.
o) Ep. V. p. 85. p) pag. 86. q) p. 115.

XX. Non dantur ſubſtantiae creatae, quae omni prorſus materia carent; nam angelos quoque et intelligentias, quamuis incorporeas, et craſſo corpore deſtitutas, ſubtilius corpus habere vetus eſt et vera ſententia r.

XXI. Materia et ſpatium idem non ſunt; verum non eſt ſpatium, vbi non eſt materia, nec eſt illud aliquid reale abſolutum. Differunt ſpatium et materia, ſicut tempus et motus; quamuis autem diuerſa ſint, nunquam tamen ſeparantur.

XXII. Neque tamen inde ſequitur, materiam eſſe aeternam et neceſſariam, niſi ſupponatur falſo et inepte, ſpatium eſſe aeternum et neceſſarium.

XXIII. Hypotheſis atomorum et corporum ſimilarium euertitur per principium indiſcernibilium.

XXIV. Ab extenſione ad durationem non valet conſequentia.

XXV. Si natura rerum vniuerſi eſt, vt vniformiter perfectio earum creſcat, neceſſario inde fluit, vniuerſum habuiſſe initium s.

XXVI. Initium mundi non derogat infinitae eius durationi a parte poſt, ſed limites vniuerſi derogant infinitati extenſionis eius. Conuenit itaque magis auctori rerum infinito, ponere rerum initium, quam limites eius admittere.

XXVII. Aeternitas mundi non tollit eius dependentiam a Deo.

XXVIII. Cauſſa harmoniae vniuerſalis quaerenda eſt, in natura ſubſtantiae ſimplicis, ſiue monadis verae, quae in eo conſiſtit, vt ſtatus ſequens exoriatur ex ſtatu antecedente t.

XXIX. Omne agens quod ſequitur cauſſas finales eſt liberum, licet conſpiret cum eo, quod agit modo per cauſſas efficientes ſine cognitione, ſiue per machinam, quia Deus, qui praeuidit, quid cauſſa libera ſuſcepturа ſit, ita diſpoſuit machinam, vt non poſſint non harmonice conſpirare.

XXX. Supernaturale eſt, quando corporum vniuerſitas nouam vim accipit, ſicque corpus aliquod nouas vires nanciſcitur, et tamen alia tot virium non amittunt v.

XXXI. Sine creaturis immenſitas et aeternitas Dei locum non habuiſſent, nempe ſine vlla dependentia temporis et loci; ſi enim creaturae nullae eſſent, eſſet nec tempus, nec locus, adeoque nec ſpatium actuale x.

XXXII. Immenſitas Dei eſt independens a ſpatio, vt aeternitas a tempore. Id vero tantum inuoluunt, Deum reſpectu iſtarum rerum praeſentem et coëxiſtentem rebus eſſe exiſtentibus omnibus. Si itaque Deus ſolus exiſteret, non exiſterent tempus et locus, niſi vt poſſibilia, in ideis diuinis y.

r) p. 119. s) Ep. V. p. 124. t) p. 131. v) p. 133. x) p. 138. y) p. 139.

XXXIII. Immenſitas et aeternitas Dei aliquid maius et eminentius involuunt, quam durationem et extenſionem creaturarum, cum in relatione ad magnitudinem, tum in relatione ad naturam rei. Nec opus habent re quadam extra Deum ſita, vt ſunt tempus et locus, quae actu exiſtunt.

XXXIV. Subiiciendae ſunt attractiones, et operationes aliae, quae explicari nequeunt per naturam creaturarum: illae enim aut miraculum ſupponunt, aut qualitates Scholaſticorum occultas, quae nos in regnum tenebrarum retrahunt.

XXXV. Qui principium rationis ſufficientis negat, ad abſurdum compulſus eſſe recte creditur.

Iuris naturalis praecepta Leibniziana.

§. XL. Moralis philoſophiae praecepta non tradidit Leibnizius, fundamenta tamen eius in fine monadologiae tetigit, quae inde repetenda. Quae vero ad iuris naturae diſciplinam et virtutis inter homines exercendae rationem requirantur, his aſſertionibus explicuit z).

I. Ius eſt quaedam potentia moralis, et obligatio neceſſitas moralis. Intelligitur autem moralis, quae apud virum bonum aequipollet naturali.

II. Vir bonus autem eſt, qui amat omnes, quantum ratio permittit.

III. Iuſtitia igitur, quae virtus huius affectus rectrix eſt, quem Graeci φιλανθρωπίαν vocant, eſt caritas ſapientis, hoc eſt, ſequens ſapientiae dictata.

IV. Caritas eſt beneuolentia vniuerſalis, et beneuolentia amandi ſiue diligendi habitus.

V. Amare eſt felicitate alterius delectari, vel felicitatem alterius adſciſcere in ſuam.

VI. Nempe quum res pulchra ſimul felicitatis eſt capax, tranſit affectus in verum amorem.

VII. Superat autem diuinus amor alios amores, quod Deus cum maximo ſucceſſu amari poteſt, quando Deo ſimul et felicius nihil eſt, et nihil pulchrius felicitateque dignius intelligi poteſt. Et quum idem ſit potentiae et ſapientiae ſummae, felicitas eius non tantum ingreditur noſtram, ſi ſapimus, id eſt, ipſum amamus, ſed et facit.

VIII. Sapientia nihil aliud eſt, quam ipſa ſcientia felicitatis.

IX. Ex hoc iam fonte fluit ius naturae, cuius tres ſunt gradus, ius ſtrictum in iuſtitia commutatiua, aequitas, vel, anguſtiori ſenſu, caritas in iuſtitia diſtributiua; denique pietas vel probitas in iuſtitia vniuerſali.

X. Inde peruulgata iuris praecepta naſcuntur: neminem laedere, ſuum cuique tribuere, honeſte, vel potius pie, viuere.

XI. Iuris meri ſiue ſtricti praeceptum eſt, neminem laedendum eſſe, ne

z) In Praef. ad Cod. I. G. diplomaticum.

ne detur ei in ciuitate actio, extra ciuitatem ius belli. Hinc nascitur iustitia commutatiua.

XII. Superior gradus vocari potest aequitas, vel si mauis caritas, quae vltra rigorem iuris meri, ad eas quoque obligationes porrigitur, ex quibus actio iis, quorum interest, non datur, qua nos cogant.

XIII. Quemadmodum infimi gradus est, neminem laedere, ita medii est, cunctis prodesse, sed quantum cuique conuenit, aut quantum quisque meretur, quando omnibus fauere non licet.

XIV. Itaque huius loci est iustitia distributiua, et praeceptum iuris, quod suum cuique tribui, iubet.

XV. Atque huc in republica politicae leges referuntur, quae felicitatem subditorum procurant, efficiuntque passim, vt qui aptitudinem tantum habeant, acquirant facultatem, vt petere possint, quod aliis aequum est praestare. In hoc gradu merita ponderantur, vnde priuilegia, praemia, poenae locum habent.

XVI. Ex his constat aequitatem nobis in negotiis strictum ius, id est, hominum aequalitatem, commendare, nisi cum grauis ratio boni maioris ab eo recedi iubet. Personarum autem, quae vocatur, acceptio, suam non in alienis bonis commutandis, sed in nostris vel publicis distribuendis sedem habet.

XVII. Supremus iuris gradus probitatis vel pietatis nomine venit. Ius enim strictum miseriam quidem vitat, ius superius ad felicitatem tendit, sed qualis in hanc mortalitatem cadit: et, intra mortalis vitae respectus coercentur.

XVIII. Vt vero vniuersali demonstratione conficiatur, omne honestum esse vtile, et omne turpe damnosum, assumenda est immortalitas animae, aut vniuersi auctor Deus.

XIX. Ita fit, vt omnes in ciuitate perfectissima viuere intelligamur, sub monarcha, qui nec ob sapientiam falli, nec ob potentiam vitari potest, idemque tam amabilis est, vt felicitas sit tali Domino seruire.

XX. Huius potentia prouidentiaque efficitur, vt omne ius in factum transeat, vt nemo laedatur, nisi a se ipso, vt nihil recte gestum sine praemio sit, nullum peccatum sine poena.

XXI. Nihil enim negligitur in hac republica vniuersi.

XXII. Ex hac consideratione fit, vt iustitia vniuersalis appelletur, et omnes alias virtutes comprehendat; quae enim alioqui alterius interesse non videntur, veluti, ne nostro corpore aut nostris rebus abutamur, etiam extra leges humanas, naturali iure, id est, aeternis diuinae monarchiae legibus vetantur, quum nos nostraque Deo debeamus, et vniuersi interfit, ne quis re sua male vtatur.

XXIII. Itaque hinc ſupremum illud iuris praeceptum vim accepit, quod honeſte, id eſt, pie viuere iubet.

XXIV. Praeter aeterna naturae rationalis iura ex diuino fonte fluentia ius etiam voluntarium habetur, receptum moribus, vel a ſuperiore conſtitutum.

XXV. Et in republica quidem ius ciuile ab eo vim accepit, qui ſummam poteſtatem habet, extra rempublicam vero inter eos, qui ſummae poteſtatis participes ſunt, locus eſt iuri gentium voluntario tacito populorum conſenſu recepto.

XXVI. Non vero neceſſe eſt, vt ſit omnium gentium vel omnium temporum, non enim omnia omnibus placent.

XXVII. Baſis iuris fecialis inter ipſum naturae ius eſt.

XXVIII. Perſonam iuris gentium habet, cui libertas publica competit, ita vt in alterius manu de poteſtate non ſit, ſed per ſe ius armorum foederumque habeat, quanquam forte obligationum vinculis ſuperiori ſit adſtrictus, et homagium, fidem, obedientiam profiteatur.

XXIX. Quod ſi magna ſit eius auctoritas, potentatus nomine venit, vnde ſuprematus exſurgit, qui tamen ſuperiorem in republica non excludit.

XXX. Suprematum habere creditur, qui ſatis et libertatis et potentiae habet, vt rebus gentium per arma et foedera cum auctoritate interuenire poſſit.

XXXI. In liberis rebuspublicis ciuilis perſona ad inſtar naturalis intelligitur, quoniam voluntatem habet.

XXXII. Quod ſi legibus fundamentalibus non ſatis prouiſum ſit reipublicae, vt ad certam eius voluntatem peruenîri poſſit, habet aliquid irregularitatis forma eius.

XXXIII. Actus ſunt vel diſpoſitiones iure efficaces, vel pertinent ad viam facti.

XXXIV. Qui iuris effectum habent, ſunt extraiudiciales vel iudiciales: atque illi vel ab vno latere fiunt, vt teſtamenta, vel ſunt conuentiones.

CAPVT

* *

CAPVT NONVM.

DE CHRISTIANO THOMASIO.

§. I.

Leibnizio in historiae philosophicae recentioris enarratione meri- *Chr. Thomasii historia vnde petenda.*
to iungimus CHRISTIANVM THOMASIVM, virum et sua aetate magnum, et meritis de repurgata philosophia hodie quoque illustrem. Eodem enim, quo Leibnizius, tempore reformare philosophiam est aggressus, nouumque eius systema eclecticum condere coepit. Cuius viri historia eo magis attentione digna est, quo magis eius potissimum moliminibus mutati philosophiae vultus in academiis protestantium Germanicis adscribendi sunt, isque maiori strepitu, quam reliqui ante eum omnes, magnum istud negotium aggressus est. Nec hoc solo nomine illustrem in scientiarum annalibus vir summus memoriam consecutus est, sed haud parum quoque ille conatibus suis ad id contulit, vt totius eruditionis facies immutaretur, eiicerentur innumera praeiudicia, et plurimum animorum accederet illis, qui relinquere patrum semitas et sine cortice natare contenderunt. Merito itaque miramur, inuentum esse hactenus neminem, qui tanti tamque celebris viri historiam literariam scriberet, quaque via, quo animo, quibus mediis ad scientiarum, praecipue philosophicarum et iuridicarum emendationem fuerit progressus, quid vel frustra tentauerit, vel parum ex voto assecutus fuerit, quos vultus disciplinis omnibus, praecipue quae sapientiam moralem et iurisprudentiam respiciunt, affinxerit, quibus ex caussis aliquoties systema iuris naturalis electum mutauerit, quibus artibus in tantis animorum iris atque commotionibus intrepidum pectus aduersariis obiecerit, in qua re de literis meruerit, in quibus hominem se prodiderit, quaeque alia sunt ad historiam eiusmodi, si vtilis esse debeat et iucunda necessaria, exponeret. Quod illi, qui viri celeberrimi res retigerunt [a], inter quos vnus praestat doctissimus LEPORINVS [b], tantum abest, vt praestiterint, vt non nisi scopas dissolutas in historia Thomasiana deprehendamus. Viros ideo doctos, et monumentorum subsidiis satis instructos, a partis vero studio alienos et veritatis studiosos compellamus, vt hoc saxum voluere non recusent, ita enim speramus, fore, vt dimidii seculi historia erudita resque maxime memorabiles annalibus tradantur. Nobis desideria haec explere licitum non esse instituti praesentis atque tractationis natura atque

a) GOTTSCHLING. in breui hist. vrbis Halensis c. 5. p. 9. seqq. A. E. 1729. p. 470. Bibliotheca Germanica T. I. p. 138. GENTZKIVS Hist. phil. p. 212. I. FABRICIVS Hist. bibl. suae T. III. p. 142. Bibliotheca iuris imperantium p. 47. similesque scriptores alii.

b) In Germania literata hodie viuente P. II.

que conditio satis manifeste prodit: sufficit enim Thomasium intueri tanquam philosophum et philosophiae reformatorem. Ad veros tamen et genuinos fontes respiciemus, nihilque eorum, procul ab odio et fauore remoti, omittemus, ex quibus constare poterit, quem locum vir celeberrimus in philosophiae recentioris historia occupet, quamque in theatro philosophico personam valde memorabilem effinxerit.

Ortus, educatio, studia Thomasii.

§. II. Natus est Christianus Thomasius ipsis calendis Ianuarii anni cIↃ IↃ cLV [c], Lipsiae, patre satus Iacobo Thomasio, cuius eruditionem et insignia in rem literariam merita toties depraedicauimus, vitamque et res literarias in *antecedente huius Tomi parte* enarrauimus. Is vt ingenium habebat elegantissimis foetibus ciuitati eruditae vtilissimum, ita coniugii fertilitate non minus disciplinis auspicatissimus euasit, prodiit enim ex eo par nobile fratrum Christianus et Godefredus, qui illustris doctrina medicus hodie adhuc literas praeclare apud Noricos ornat. Tanto parente cum gauderet noster, facile intelligi potest, nihil ab eo vel prudentiae artisque, vel industriae et attentionis fuisse omissum, quo ingenium, quod acerrimum et elegantissimum filius erat nactus, comere, ornare, castigareque posset. Quod quanta felicitate executus fuerit vir praestantissimus euentus postea docuit. Cum enim agrum natura fertilem accepisset, et cultura accederet prudens et indefessa, fieri non potuit, vt non iacta scientiarum semina mature iucundissimam segetem ostenderent, et amplissimam messem pollicerentur. Nec solus in hoc fundo excolendo industriam suam pater posuit, sed emendandum parandumque quoque tradidit eruditissimis viris, quibus eo tempore Lipsiensis academia, virorum doctorum semper feracissima, abundabat. Inter quos Thomasii praeceptores eminuere Fellerus, Rappoltus, Ittigius, Alberti, Menckenius, Franckensteinius, Rechenbergius aliique, quorum vnus et alter postea, cum is reformare philosophiam et iurisprudentiam coepisset, infestis cum eo signis concurrit. Vnde factum, vt obiicerent, conspuisse eum valde ingratum in faciem praeceptorum, immo, cum pater ipse scholasticam vel Peripateticam philosophiam docuerit, in patrios cineres minxisse. Quod impietatis opprobrium studiose a se declinauit Thomasius, seque gratum et addictum debere animum praeceptoribus professus est, sed addictiorem tamen veritati. Neque is parens erat, a quo castioris disciplinae semina haurire non posset, eum enim multa praeclare vidisse, licet temporis sui fato ea vulgare prohiberetur, suo loco obseruauimus [d]. Conquestus autem est filius [e] defuisse ipsi occasionem, patris institutione ita fruendi, vt omne, quod posset, emolumentum inde caperet. Debebat autem patris diligentiae quod in disputando valde exerceretur, disceret-

c) Vid. Programma ab illustri viro Iurisprudentiae diuinae praemissum, quod cum historiam studiorum iuuenilium eius enarret, omnino reliquis omnibus praeferendum est.

d) Idem monet THOMASIVS l. c. §. 11. p. 8.

e) Vid. Annot. ad testamentum Ossenii p. 392. STOLLIVS Hist. lit. P. II. c. 4. p. 684.

discereteque ex huius arenae literariae vsu atque consuetudine quadam animi praesentia ad controuersias virorum doctorum attendere. Quin et hoc parentis curae adscribendum est, quod philosophiae eiusque historiae, in qua ille excellebat, studium, iurisprudentiae praemiserit, quo pacto fundamenta iacta sunt, quibus nouum disciplinarum philosophicarum et iuridicarum aedificium feliciter superstructum est. Accidit autem, vt, quod ipse narrat *f*, ex scholis triuialibus ad academica studia traductus, patrem audiret HVGONIS GROTII libros *de Iure belli et pacis* exponentem, vbi, etsi tum temporis multa non intelligeret, cepisse tamen ipsum, ait, „doctrinae dignitatem et elegantiam, vt prae reliquis ei percipiendae et in „succum, quod aiunt, et sanguinem redigendae mox serio incumberet. „Cumque meminisset, patrem saepe in expositionibus suis auditores remi„sisse modo ad theologos, errores Grotii in religione notantes, saepe ad iu„reconsultos, vt ad quos potissimum opus Grotii pertineat, necessarium du„xisse in priuata lucubratione lectioni Grotii iungere commentatores eius „duos, vnum ICtum Casparem Zieglerum, alterum Tubingensium theolo„gum Ioannem Andream Osiandrum, quorum ille breuibus sed succinctis in „Grotium obseruationibus, in multis nebulas obscuritatis depulerit, hic ple„raque Ziegleri, etiam cum non nominat, repetens, in istis quidem me„moriam suam confirmauerit, in reliquis cautiones ipsi suppeditauerit, „ab heterodoxis Grotii opinionibus, simul vero Scholasticorum philoso„phiam moralem hinc inde panderit. Prodiisse tum SAMVELIS „PVFENDORFII libros *de Iure naturae et gentium*, eosque auide „se legisse, non solum quia praegustum ipsi dedissent eiusdem *Elementa*, „quamuis obiter inspecta, sed et quod ipsum caperet nimium quantum „stilus nitidus et perspicuus. Ac deprehendisse se quidem hic plurima, „quae Grotius neglexerat, plene expositа, non pauciora, quae ipsum „Grotium obscure loquentem illustrarent, sed non placuisse tamen aliqua, „quae communem doctrinam impugnarent. Non nouisse se enim quae„stiones philosophicas a theologicis discernere, nec fuisse, qui id ipsum „doceret, et quamuis non appareret, quo pacto obiectionibus Pufendor„fii posset satisfieri, neque responsiones eruditorum cum quibus data oc„casione ea de re consulerit, satisfecerint ex asse, praeualuisse tamen au„ctoritatem tot virorum venerandorum, vt stupiditatem potius ingenii sui „accusaret, quam sinistri aliquid de doctrina communi suspicaretur.“ Haec de primis philosophiae conaminibus suis Thomasius, qui et porro narrat, qua ratione ad iurisprudentiam delatus in hoc tramite perrexerit, id quod factum, postquam anno cIↃ IↃ CLXXI primam et secundam lauream, quam vocant, in academia patria accepisset. Audienda est ipsa viri magni narratio, quae istorum temporum rationes literarias in scholis publicis

f) §. 5. p. 3.

publicis mire illuſtrat. „Perduxit me, inquit ff), interea amor iuris na„turalis, vt conſenſu patris ex tribus facultatibus ſuperioribus iurispru„dentiam eligerem, ea magis intentione, vt defectum philoſophiae hac „parte ſupplerem, cum praeter memorata vel doctiſſimi BOECLERI „commentarius *in Grotium* oſtenderet, haerere aquam iis, qui iuris„prudentia deſtituti ex ſola philoſophia, quae in academiis docetur, ius „naturale pro dignitate eruere et explicare aggrediuntur. Iaciebam ergo „eius fundamenta quaedam vtcunque, et cum nullum ductorem haberem, „qui methodum praeſcriberet, ſequebar tritam viam, et modo hunc, „modo illum audiendo comparabam notitiam potius aliquam confuſam et „laceram, ac male cohaerentem, quam prudentiam genuinam.“ Anno cIↃ IↃ C LXXV a parente in academiam Francofurto - Viadrinam miſſus eſt, vt, quos ſentiebat, ſtudiorum defectibus mederetur. Verum nec eo in loco rem ſucceſſiſſe, narrat, „nón culpa quidem praeceptorum „ſuorum, virorum optimorum et ſingulorum ſua laude fruentium, ſed „potius, quod vulgata diſcendi methodus, ſecundum quam a plurium „doctorum, inter ſe non raro diſſidentium et diuerſis hypotheſibus ſub„nixorum ore ſimul pendere conſueuerit iuuentus, ad ſolidam doctrinam „parum eſſet apta, quodque, vt fieri ſolet, multas horas, quae ſtudiis et „auſcultationi impendendae fuiſſent, perderent ſodales et conuerſatio „cum paribus.“ Erant autem tum in iurisprudentiae diſciplina praeceptores Thomaſio Stryckius et Rhetius, qui licet doctiſſimi eſſent, ex adductis tamen intelligitur, cur diſciplina academica illi parum profuerit. Alacris enim promtusque ingenio, et acerrime iudicans maius, quo diſcendi ardor nutriretur, pabulum quaerebat, et ipſe ſibi prodeſſe conabatur. Hinc trito prouerbio, docendo nos diſcere, monitus, tentare apud ſe conſtituit, an lacunas, quas in male cohaerente rerum variarum, quibus caput repleuerat, congerie obſeruabat, ſupplere, et ſtudia hactenus ſaepius interrupta concatenata inter ſe ſerie iungere ac ſociare valeret. Nactus itaque veniam docendae iuuentutis, eam et inſtitutiones iuris docuit, et IANI KLENCKII *Quaeſtiones ad libros Grotii* illi explicuit, exploraturus quantum ex lectione et meditatione Grotii atque Pufendorfii profeciſſet. Neque tamen Scholaſticorum principia moralia tum quidem deſeruerat, nec probabat Pufendorfium, multa innouantem, in qua heterodoxiae ſuſpicione ipſum confirmauiſſe, ait, et *Indicem nouitatum* contra Pufendorfium editum, de quo ſuo loco dicendum, et ſcripta eriſtica, quibus velut communis hoſtis Pufendorfius ex omni parte oppugnabatur. Quos et amore orthodoxae veritatis et multitudine ſyllogiſmorum prolixorum et intellectu difficillimorum ſe in admirationem traxiſſe, credentem non habiturum Pufendorfium, quid reponeret, candide fatetur. Aſt alia omnia euenerunt, cum *Apologiam* Pufendorfii legeret, videretque arma aduerſariorum eius impetum ſuſtinere non poſſe. Tunc enim diſpelli

ff) §. 7. p. 9.

dispelli incipiebant nebulae, quibus hactenus animum partis studium cinxerat, et opinio firmauerat, nihil in dubium vocandum esse, quod theologi declarauissent esse theologicum. Nam tum primum agnito discrimine inter theologiam et philosophiam deprehendisse se, ait, multa a theologis vnanimi consensu defendi, quae theologica non essent, sed ad philosophiam moralem aut iurisprudentiam pertinerent, pro doctrinis autem theologicis haberentur, quod philosophi catalogo vndecim virtutum Aristotelico et ICti glossatoribus suis contenti, theologis ansam dederint nobilem sapientiae partem neglectam et domino vacuam occupandi. Et sic quidem feruidi ingenii magnorumque spirituum iuueni animus, mirum quantum, creuit, vt dubitare de doctrinis Scholasticorum moralibus inciperet; qua in re parentis exemplo confirmatus est, quem a priori sententia multoties abiisse nouerat; statuit itaque praeconceptis opinionibus non adhaerere, si veritas monstraretur. Sed eiiciendum esse et sectae praeiudicium et praeposterum malae famae ex relicta communi via metum pulchre intelligebat, sibique in senatu philosophico suffragium vindicandum esse, cum et ipse ratione vteretur, decernebat, ratus, peccaturum se in creatoris beneuolentiam, si pecudis instar capistro se, quo alii vellent, coecum duci pateretur. Itaque concultato auctoritatis imperio, ne fulgur alienae opinionis oculos excoecaret, ad ipsas, quae in controuersiam erant deductae, quaestiones attendere, enucleatoque vero earum statu, obiectiones et responsiones examinare coepit, nec desistendum esse statuit, donec ex qua parte veritas staret, cognosceret. Cuius diligentiae amplissimum mox retulit praemium: conuictus enim multa esse dedisscenda, quae prius adsciuerat, coepit intelligere confusum chaos rerum sine recta via, sine certitudine congestarum omnem, quam studio suo, comparauerat, scientiam esse; et in id diligentiam contulit suam, vt hanc congeriem iusta meditatione in ordinem redigeret. Ita vero deserere castra philosophiae Scholasticae coactus, cum et male eos pugnare et signa tandem deserere, metu caussae iniustae videret, armatusque indignatione in vehementiam nonnullorum, qui in controuersiis Pufendorfianis, cum ecclesiastici ordinis essent, acerbe in aduersarium fuerant debacchati, omne sectarium obsequium, quicunque etiam id imperaret, abiicere, libertatemque semel obtentam mordicus retinere firmissimo statuit consilio. Et hoc quidem pacto se sub duce illustri, (Stryckium vel Rhetium viros ea aetate celeberrimos intelligit) militasse ait, disputauerat enim publice *de Iure circa frumentum*, praeside Rhetio, at ita, vt ducem, non imperatorem, agnosceret, et saepius ad emendanda priora melius iam intellecta et digesta manum admoueret, quem morem ad vitae finem seruauit, vt cogitationibus prioribus posteriores haud raro substitueret. Hoc ita doctrinae suae modo constituto cum doctoris iuris insignia eo anno capessiuisset, ad iter literarium se accinxit, et peragratis Germaniae inferioris terris ad Batauos accessit. Qua in regione cum

haud pauca virorum eruditiſſimorum muſea adiret, ingenio acri, erecto et eruditione iam tum valde ornato multorum beneuolentiam meruit, maxime autem Ioannem Georgium Graeuium, virum celeberrimum fautorem nactus eſt, qui quoque egregie eum datis literis ſyſtaticis commendauit [g], cum praeſtantiſſimi ingenii elegantiam in eo deprehendiſſet. Er retinuiſſet eum apud Batauos ſi annuiſſet, ſed patriam meditabatur Thomaſius, in quam abſoluto itinere eſt reuerſus.

Studia Thomaſii patriae reſtituti.

§. III. Reſtitutus patriis laribus, excuſſoque parumper priſtino torpore, iuris ciuilis diſciplinam ſeuerius excolendam aggreſſus eſt, quam docendo metam iterum attingere, iuris naturalis praeſidio vultus ſperabat, quamuis pandectarum interpretationem nunquam integram antea percepiſſet [h]. Sed ad forum quoque transferre pedem, iusque ad facta ſingularia applicare coepit; quo in labore plus ſibi philoſophiam moralem profuiſſe, quam innumera iurisperitorum conſilia narrat. Nempe meditationi et principiis iuris naturalis atque facti conſiderationi attentae atque ſollicitae plurimum fidebat; quo pacto pulchre cauſſas nonnullas tuitus eſt, cuius induſtriae ſpecimen aliquod extare publice voluit [i]. Retraxit tamen paulo poſt pedem a ſtrepitu fori, coutentus commoda et incommoda iurisprudentiae forenſis didiciſſe; cum iam tum intellexiſſet, falli eos, qui forum aulae eſſe προπαίδευμα ſtatuunt, et turbae taedia paulo ferret impatientior. Reuerſus ergo ad induſtriam domeſticam, et tranquillitatis in otio philoſophico emicantis ſtudium, iuuentuti literarum diſciplinam ambienti ſcholas aperire, et cogitationes de ſapientia in ordinem redactas tradere conſtituit. Cumque iuris naturalis ſcientiam fundamentum eſſe omnis iurisprudentiae prudenter decerneret, eius fundamenta hactenus in academiis neglecta vel non ſatis exculta reſtaurare aggreſſus eſt. Ducem autem initio elegit Hugonem Grotium *de Iure belli et pacis* erudite quidem praecipientem, ſed paulo obſcuriorem, quique explicatione et emendatione apud iuuentutem ſtudiis dicatam opus habebat. Accurrebat magna iuuenum frequentia, quos et nouitas diſciplinae, et commendata vtilitas attraxerat. Metus autem peſtis, qui ſubito animos occupauerat ita eas paulo poſt disiecit, vt ſolus cum Grotio relinqueretur Thomaſius. Reſumſit tamen telam reſtituta patria, cum rediiſſent auditores, et finem tandem commentationibus ſuis impoſuit. Quas ita abſoluit, vt collatis iis cum Grotio, et commentatoribus omnibus et Pufendorfio, lumina praeceptis Grotianis accenderet, et vbique iudicium interponeret ſuum. Abſoluto curſu Grotiano, cum diſciplinam iuris naturalis ſibi iterum tradendam alii expetiiſſent, Pufendorfium ducem elegit, quem elegans *de Officio hominis et ciuis* tractatio valde commendauerat: praemiſit autem ſatis amplam controuerſiarum auctori motarum magnaque tum vehementia agitatarum

g) Conf. SCHVRTZFLEISCH Ep. arc. CCCLXXIX. T. I. p. 619.

h) l. c. §. 14. p. 10.

i) In Cauſſis iuridicis ſelectis P. I. n. 1. p. 1. ſeqq.

tarum historiam; momenta excussit, sententiam modeste dixit, partium studio valere iusso: ostendit fontes, origines, occasiones doctrinarum, hypothesium influxum in conclusiones, nexum principiorum cum assertionibus primumque aliquod principium iuris naturalis analytica methodo inuestigans, quid ex eo necessaria illatione sequeretur, demonstrare annisus est, id tamen agens, vt, vbi recedere a Pufendorfio eum cogeret veritas, rationes dubitandi, quae impellebant, candide exponeret. Maxime autem legem positiuam vniuersalem fulcire, eaque supposita quaestiones iuris vniuersalis enodare felicius, quam hactenus factum, satagebat. Et hoc quidem pacto priuata industria rem publicam literariam iuuare, et pulcherrimae philosophiae moralis parti noua lumina accendere strenue contendebat. Vt autem publicum quoque eruditionis testimonium extaret, et philosophiae praesidia ad iurisprudentiam ciuilem traduceret, edidit anno CIↃIↃCLXXXIII, *Annotationes theoretico-practicas in* IO. STRAVCHII *Dissertationes ad vniuersum ius Iustinianeum priuatum.* Vixit his temporibus adhuc Thomasius pater, cuius prudentia senilis ferocem filii animum nouarum veritatum amore et propagandi studio vehementer accensum, et quadam dicendi acrimonia se efferentem moderata esse indignationi autem eorum, qui in cathedra publica docebant, et quos nouitas illa valde mordebat, obstitisse videtur, quo minus in lites publicas noua iuris naturalis disciplina degeneraret. Illud certum est, quamdiu is vixit, publicis contentionibus non distractum fuisse filium. Ast vbi is anno CIↃ IↃ CLXXXIV fatis concessit, magnarum turbarum et contentionum acerbissimarum tumultus inter Thomasium, et Lipsienses doctores, qui in partes quoque traxerunt alios, exorti sunt, quos, qua licet breuitate ex fontibus genuinis porro enarrabimus [k].

§. IV. Relictis castris scholasticis, quae theologi quoque de praeceptis moralibus iureque naturali commentantes hactenus secuti erant, ad Grotium primum, cumque is pacem cum Scholasticis aleret, ad Pufendorfium nouum doctrinae moralis aedificium exstruentem Thomasium defecisse, ex antecedentibus constat, quo loco etiam paucis diximus, quam sibi viam ineundam statuerit. Non coniecerat tamen cogitationes suas in chartam, sed, quodcunque meditationes suggessissent, viua voce auditoribus tradebat. Quos cum male ex ore eius praecepta iuris natura- *Prima dissidia Thomasii Lipsiensia.*

k) Diu inter arcanas historias et ἀνέκδοτα latuere fata Thomasiana, donec tandem ipse pleraque enarraret, iis viuentium numero subductis, qui tragoediam concitauerant. Addidit enim BRENNEISENII Tr. de Iure principum Euangelicorum in controuersiis theologicis, expositionem summariam breuemque apologiam, lingua vernacula, in qua rem strictim exposuit. Integram quoque et plenam narrationem inseruit Cautis iuridicis seriis, Germanice editis P. III. n. 1. p. 1. seqq praefixo titulo Reliquiarum papatus politici in intentata inquisitione in homines innocentes. Ipsam Apologiam autem n. II. p. 44. sqq. exhibuit, quae titulum gerit: Narratio summaria electionis auctoris ex patria sua, eamque passim illustrauit. n. III. p. 201. seqq autem lites Masianas enarrauit n. IV. p. 352. quae de consilio Francofurtano acciderunt, n. V. p. 492. vltimam persecutionem propter quaestionem matrimonialem descripsit. P. III. autem ea tetigit, quae ob collegium de praeiudiciis ei molestiam concitarunt. Ex his fontibus narrationem nostram hausimus, qui plura sciendi cupido adeundi sunt. Nos rem, prout acta et delineatam sententiam ferendam Lectori relinquimus.

lis haud raro excepisse obseruauisset, succurrerent autem in dies plura; non a theologis modo, sed a iustitiae quoque sacerdotibus et interpretibus vel omissa, vel frustra promissa, quae supplenda esse in nobilissima doctrinae parte statuebat, ipse institutiones iurisprudentiae diuinae elaborare coepit, quibus Pufendorfianum iuris naturalis systema explicuit, eius hypotheses tanquam suas defendit; conclusionum nexum cum principiis exposuit, et ita introductionem in Pufendorfianum opus auditoribus tradidit, alia, intacta Pufendorfio, quae ad hanc disciplinam pertinere videbantur, suppleuit. Et ita quidem primum institutionum harum librum exire in publicum manibusque et iuuenum et virorum doctorum teri passus est. Factum id anno cIↃ IↃ C LXXXVII. In eo libro potissimum fundamenta moralitatis a Scholasticis in ipsa rerum moralium natura, sanctitatisque diuinae cum illis comparatae ratione antecedenter ad voluntatem diuinam positae, Pufendorfium secutus, reiecerat, cunctis ad socialitatem reuocatis. Quod cum praecipuus in controuersiis Pufendorfianis lapis offensionis fuisset, vt suo loco ex instituto exponemus, medendum vulneri, quod receptae doctrinae a Pufendorfio inflictum erat, ratus Valentinus Alberti theologus et philosophus Lipsiensis, ad statum integritatis et imaginis diuinae primaeuum pedem retulerat, quae res eum satis vehementer cum Pufendorfio commisit, vt suo loco trademus. Thomasius ergo, qui socialitatis principio, dudum Stoicis et Cumberlandio quoque contra Hobbesium pugnanti probato subscripserat, id sibi agendum esse statuit, vt ostenderet [1]. non posse illud moralitatis obiectiuae (ita Scholastici vocant) figmentum defendi, nisi solo niti quis velit auctoritatis praeiudicio. Sed cum Albertina quoque obstaret hypothesis, eandem simul examinauit, et constare non posse, nisi ἀσύστατα multa admittantur demonstrauit. Consensum quoque gentilium philosophorum, ad quem ille saepe prouocauerat, non sufficere ad ius naturale definiendum statuit. Non nominauit tamen hunc praeceptorem suum, ne, qui in vna academia docebant, bella ferere viderentur. Secundum et tertium librum annis sequentibus edendo, non Pufendorfianam tantummodo viam vlterius pressit, sed et Pufendorfianis multa noua addidit, ius vniuersale diuinum positiuum a naturali distinxit, capita iuris naturae auxit, polygamiam et incestum ex iure naturae euerti non posse, afferuit, aliaque adiecit plurima, a typo doctrinae hactenus retento abeuntia, et nouitatis impatientes irritare aptissima. Siluere tamen per aliquod tempus et Alberti et censores, sic vt hanc sibi libertatem publico programmate, vernacula edito anno cIↃ IↃ C XCI, gratularetur Thomasius, et apertis studiosae iuuentuti scholis iurisprudentiam hanc suam ita explicaret, vt refutaret Albertinas hypotheses, quoties suis praeceptis aduersarentur. Et haec quidem latentem sub cinere ignem accendisse; ex dicendis constabit. Forte tamen in apertam flammam non tam cito erupisset, nisi accessissent scripta Thomasii

1) loc. cit. pag. 79.

masii alia, quibus omnem euertere philosophiam pristinam a patribus acceptam, eius autem doctores falsе traducere quam plurimis erat visus. Nempe ediderat *Introductionem in philosophiam aulicam*, inque hoc libro propaedeumata quaedam philosophiae cuiusdam elenchticae ita disposuerat, vt adhibita philosophica historica, et veterem philosophiam, maxime Peripateticam, et recentiorem, quam Cartesius effinxerat, quaeque pedem figere Lipsiae coeperat, libere reprehenderet, quibusque naeuis turgerent, ostenderet. Quae conamina philosophis displicuisse nobis non monentibus quilibet intelligit. Ita factum, vt in hominum sermonibus passim de his clandestinis dissidiis, verba miscerentur, quibus animi priuatim ex vtraque parte exacerbati sunt. A publica tamen pugna vtraque pars hactenus abstinuit. Ast sufflauit latentes igniculos annus cIↃIↃCLXXXVIII. Eo enim, qui prius in conscribendis actis eruditorum Menckenio operam suam collocauerat, Thomasius proprias Ephemerides condere coepit, quibus titulum praefixit: *Cogitationes liberae, seriae et iucundae, legibus atque rationi conuenientes, siue dialogi menstrui, de variis libris, maxime nouis* [m]. In quo scripto (cuius historia apud eos quaerenda est, qui literarios annales condiderunt [n]) id imprimis auctor egit, vt et nouorum librorum naeuos reprehenderet, et praeiudicia eruditorum atro sale aspergeret, et magna παῤῥησίᾳ quid emendandum sibi videretur, quid abiiciendum satyra haud raro vsus mordaci, posthabito omni personae respectu pronuntiaret. Qui labor, vt haud vnam auctori suo inimicitiam conflauit (nam cum aliis quoque viris doctis, maxime Tenzelio, Praschio, Fabricio, Tschirnhausenio eum commisit [o]) ita imprimis fons malorum plurimorum in patria extitit. Nempe satyram commodissimum et efficacissimum remedium contra morbos inueteratos, quos omnem orbem literatum, maxime in academiis, occupare credebat, esse, firmiter sibi persuadens, in delineandis et amaro haud raro risu perstringendis vitiis eruditorum adeo ingeniosus et eloquens fuit, vt haud pauci contenderent, fieri non posse, vt vitia in genere describere et deridere in animo habuerit, sed respexisse satyricum Thomasii calamum ad nonnullos, de quibus incerti, vt solet fieri traderentur rumusculi; et certos homines istis aculeis petiisse. Erant etiam quidam [p], qui suspicarentur, molestum hac ratione actis eruditorum quem laborem deseruerat, esse voluisse. Maxime praefatio Ianuario mensi praemissa vehementer quosdam momordit, in qua ad Barbonium et Tartuffium, notissima paedagogi et hypocritae apud Plautum Gallorum, Molierium,

m) *Freymüthige, lustige und ernsthafte, jedoch Vernunft und Gesetz maessige Gedancken, oder Monat-Gespraeche über allerhand, vornemlich aber neue Bücher.*

n) IVNCKER. de Ephemerid. erud. c. 17. p. 244. seqq. Anonymus in Relatione de scriptis menstruis P. I. p. 57. Add. STRVVIVS Introd. in hist. liter. c. 6. §. 28. p. m. 279. FABRICIVS Praef. ad Morhof. BAYLE Lettres T. III. p. 446. ed. March.

o) Et quidem cum vltimo res tantum non ad aggressiones violentas peruenit. Praschius quoque scripto eum refutauit, conf. IVNCKER. l. c.

p) Vid. Caussae iurid. ser. P. III. p. 5.

lierium, nomina, ita differit, vt mores suo tempore paedagogicos et hypocriticos in academia patria regnantes, traducere voluisse plerique crederent. Tacemus argumentum reliquum ingenioſe mordax, hodie tamen obſcurius illis compariturum, quibus eius temporis arcanae ignotae ſunt circumſtantiae q). Haec cum animos, patriae philoſophiae contemtu et reprehenſione iam ſauciatos vehementer affligerent, ad arma conclamatum eſt. Et ipſe quidem *Dialogorum otioſorum* (tales enim colloquentes finxerat) auctor ſatyram in primis tantum colloquiis ad alliciendos lectores ſe adhibuiſſe, eo conſilio, vt mutaret in ſeriam tractationem, quamprimum liceret, neminem autem laedere in animo habuiſſe ſemper teſtatus eſt r). Aliter autem iudicarunt illi, qui virum iuuenem ſenibus praeclare de republica erudita meritis amare inſultare indignabantur. His dialogorum menſtruorum opus liber famoſus eſſe viſus eſt, vnde non alio medio, quam ſummi magiſtratus imperio, in ordinem redigi poſſe Thomaſium ſtatuerunt. Querelas ideo ſuas ad ſupremum, qui Dreſdae floret, ſenatum eccleſiaſticum Electoris Saxoniae, cui paret academia Lipſienſis, detulerunt, rogantes, vt in auctorem anonymum velut calumniatorem publicum inquireretur. Ipſe, qui ſumtus fecit bibliopola eam ob rem, auctorem ſcripti denuntiare, iurisiurandi fide iuſſus eſt. Thomaſius autem datis ad electorem literis ſupplicibus ſuo ſumtu dialogos editos eſſe faſſus, de vi ſibi illata et perſecutione graui intentata acerbe conqueſtus eſt, et principis auctoritatem implorauit, rogans, vt qui ipſum denunciaſſent, indicarentur. Mutauit quoque menſe Martio dialogorum menſtruorum titulum et ſerio magis ſe differere velle promiſit, ita tamen ſatyrae inhaeſit, vt dum ſe ipſum pingere ſimulabat, pſeudophiloſophiam, in cuius interitum iurauerat, falſe traduceret, quamuis in ſcholaſticam tantummodo philoſophiam, et doctrinam academicam omnem tum obtinentem ea dicta eſſe, nec perſonam vllam ſpeciatim tangere, ipſa verba ſatis probent. Quo tamen non obſtante facultas, quae dicitur, philoſophica, duce Val. Alberti, ſe peti rata, nouas querelas ad proceres eccleſiaſticos in aula Dreſdenſi detulit. Quod cum intellexiſſet Thomaſius, amicosque in ſenatu eccleſiaſtico, quos aduerſarii habebant, metueret, ipſe ad ſupremum aulae mareſchallum Haugewizium cui non diſplicere dialogos menſtruos audiebat, confugit, eumque ſibi et elegantiori eruditioni fauentem inuenit. Ipſe, vt ardebat eo tempore animi vigore in menſe Aprili vitam Ariſtotelis, potiſſimum ex PATRICII *Diſcuſſionibus Peripateticis* excerptam illis coloribus depinxit, vt plene ad riſum et contemtum Stagirita omnibus propinaretur, ea ingenii petulantia, vt falſius et acutius non poſſet. Quod vulnus, licet valde ſentirent aduerſarii Thomaſii, quoniam tamen in aula patronum is nactus erat, ferendum vindictaeque tempus expectandum erat aliud, praecipue cum ipſos dialogos, cauſſae ſuae

q) Conf. l. c. p. 39. vbi ſatis aperte id ipſe innuit Thomaſius.
r) l. c. p. 5.

ſuae bonitati fiſus electori Thomaſius inſcripſiſſet. Ita per integrum annum hunc Ephemeridum literariarum laborem continuando tela inimicorum prudenter declinauit. Neque illi tamen conquieuerunt, ſed cum dicacitas eius animos vehementer vulneraſſet, ferreque non poſſent, ſine cenſorum iudicio extra patriam eius libros vulgari, et ſine ordinis philoſophici venia publice collegia indici, et auditorium priuatum excitari, conculcarique auctoritatem academiae ab optimis principibus firmatam, ita precibus et querelis ſuis ineunte anno CIↃ IↃ CLXXXIX ſenatum eccleſiaſticum irritarunt, vt ſeuero mandato academiae patribus et praetori circuli iniungeretur, loca illa ſatyrica excerperent, et a conſtituto coram concilio academico Thomaſio eorum rationes exigerent, deque ſatisfactione poenaque irroganda ordinem ICtorum Witebergenſem actis transmiſſis decernere iuberent, auctoritate ſenatus ſanctioris autem illi centum ducatorum mulcta iniungerent, ne vel ſatyrica mordacitate, vel libris ſine cenſura vulgatis laedere porro doctores publicos auderet. Cuius cenſurae valde grauis occaſio, ex locis nonnullis enata eſt, quibus famam nonnullorum, maxime Alberti, laeſiſſe culpabatur, quae tamen apud ipſum auctorem legenda ſunt. Tempeſtatem hanc, in caput ſuum excitatam vt declinaret, libello ſupplici electorem adiit Thomaſius, cauſſas perſecutionis aperuit, denuntiantes vt rei teſtimonium dicerent iubere petiit, et ius fasque iſtiusmodi mandatis clandeſtinis artibus extortis laedi teſtatus eſt, viam iuris ſibi aperiendam rogauit, et ſupremi principis tutelam implorauit, easdem preces ad eccleſiaſticum dicaſterium ſupremum detulit. Quam eius contentionem auxerunt inſidiae Albertinae, quem Pufendorfianis litibus exacerbatum delatores paſſim dimiſiſſe, accuſaſſe apud adminiſtros ſtatus theologos contra ſe accendiſſe, collegiorum inſtituendorum facultatem ſufflaminaſſe, collegas in partes traxiſſe, calumniae culpam effinxiſſe, acerbe in eo libello ſupplice conqueſtus eſt, ad obiecta autem magno animo reſpondit. Ipſe praeſidem ſenatus eccleſiaſtici literis pro obtinenda iuſtitia adiit, viam tamen reconciliationis ſe non deſerturum indicauit. Quam cum extinguendae flammae, quae facile totam iſtam ſedem literariam accendere poſſet, eſſe aptiſſimam aulae proceres iudicarent, aduerſarium Thomaſii monuerunt, vt de componenda lite amica reconciliatione cogitaret. Mediatoris autem partes ſubiit Andreas Petermannus, profeſſor medicinae, quem pro Carteſio contra Huetium apologiam ſcripſiſſe ſupra narrauimus. Quo intercedente tandem ita diſſidia iſta compoſita ſunt, vt dimiſſa actione amicitiam et praeteritorum obliuionem litigantes promitterent.

§. V. Nondum iſta, quam ſtrictim enarrauimus, tempeſtas detonuerat, cum noua eaque grauior, et exitium minatura exoriretur. Nemine enim id expectante miniſterium ſacrum Lipſienſe in Thomaſium inſurrexit, eumque velut ordinis munerisque ſacri contemtorem, libellorumque *Secundi motus Thomaſio excitati.*

famoſorum auctorem in aula Dreſdena detulit, et velut calumniatorem impudentiſſimum accuſauit, iis coloribus vſum, qui deteriorem ſacrorum omnium hoſtem pingere vix poſſent. Quae fulmina patroni, quos Thomaſius in aula habebat, ita declinarunt, vt, cum partis ſtudium ſubeſſe crederent, audiendam quoque alteram partem eſſe monerent. Iniunctum itaque a ſenatu eccleſiaſtico ſupremo academiae patribus, vt Thomaſium ad ſe vocatum de accuſationis capitibus interrogarent, prohibito omni ſatyrici ſermonis genere, et ad aulam referrent. Monitus ab amicis Thomaſius, vt in tanta aduerſariorum auctoritate et potentia prudenter cauteque ageret, nec diffidere cauſſae ſuae, nec ferociter agere conſtituit. Citatus itaque a concilio academico comparuit, et accuſationis exemplum ſibi tradi, defenſionis autem poteſtatem fieri tempusque concedi rogauit. Erant autem, vt ipſe refert, accuſationis capita haec: leuiſſimo animo eum et ipſa religionis dogmata, et ſacrum ordinem ridere, inſultare praeceptoribus, calumniis onerare miniſterium, concionandi methodo illudere, crimina conficta illi obiicere, quemque a ſacris confeſſionibus ſibi eſſe voluiſſet, falſe ob piam muneris rationem traducere. Erat autem, qui potiſſimum ſe Thomaſio obiecerat D. Auguſtus Pfeifferus, vir doctiſſimus, et philologiae ſacrae eruditione iam tum celeberrimus, qui alterum ex ſuo ordine D. Ioannem Benedictum Carpzouium V. C. in partes pertraxerat; quique collegas deinde ſibi reliquos iunxerant. Ille vehementer iam aliquoties tum in ſuggeſtu ſacro, tum in ſermonibus priuatis ſcurrilitatem bonis moribus inimicam Thomaſio obiecerat, perſuaſeratque collegis, maxime Carpzouio, qui Thomaſio animae curam praeſtabat, hunc illo, quo ſacram ſynaxin ab eo accepiſſet tempore, infami ſatyra eum traduxiſſe; et hinc

Tantae animis coeleſtibus irae.

Non accepit accuſationis exemplum ab academiae patribus Thomaſius, quod ab aula id iniunctum ſibi hactenus eſſe negarent, ſpondebant autem ſcripturos ſe, vt voluntas ſuperiorum ea in re pateſceret. Thomaſius vero iterum ad ſenatum eccleſiaſticum Dreſdenſem precibus conuerſus rogauit, via amicabilis compoſitionis ne occluderetur, pateretque ſibi, communicatis libellis aduerſariorum, iuſtae defenſionis facultas. Interim etiam coram academica iuuentute Pfeifferus haud obſcure Thomaſium publico programmate atheiſmi accuſauerat, et profanas nonnullas opiniones traduxerat, quibus ſibi iniuriam fieri ad academiam Thomaſius conquerebatur, petebatque, vt quod promittebat ille, collegium anti-atheiſticum inſtituere ob ſeruandam in academia tranquillitatem prohiberetur. Ita vero factum, vt nouo libello ordo quoque theologicus, cuius membra erant Pfeifferus et Carpzouius impietatis contemtaeque religionis in ſenatu eccleſiaſtico ſupremo Thomaſium accuſaret, et inquiſitionem denuo vrgeret. Reſpondit iudex eccleſiaſticus ex aula: licitum quidem fore Pfeiffero colle-

collegium dictum, audiendum autem Thomasium, et eorum testimonia petenda esse, quae contra ministerium monuisset, iniungendumque vt ad obiecta responderet. Non renuit is quidem, sed moram tamen, iter caussatus, petiit, et Berolinum ad Pufendorfium, Hamburgumque profectus hoc loco Ioannem Fridericum Mayerum, tum amicum sibi conciliauit, quem postea aduersarium expertus est. Redux cum caussae suae pars vterque insisteret, timeretque Thomasius, ne quod Pfeiffero permissum erat collegium anti-atheisticum cum famae suae dispendio inter iuuenes vulgaretur, ἀντίδωτον paraturus, collegio iurisprudentiae diuinae, discursum prooemialem eumque gratuitum de differentiis iusti et decori publice instituendum promisit, vt occasionem haberet famae suae tuendae. Quod cum publica scheda vulgasset, petente ordine theologico, illa per famulum publicum sublata, prohibitus est, donec exceptionem attulisset, lectiones istas auspicari. Qui tamen cum licere sibi id crederet, praelectionis initio facto coram studiosa iuuentute apologiam pro se recitauit, paulo post tamen ab aula impeditus est. Ast is elusurus aduersariorum artes abrupto argumento tractationis, accusationibus aduersarii illico in istis scholis priuatis respondit, et cur absoluere eas non posset, non sine illius inuidia, indicauit. Quo tamen modo effecit, vt indicta ab aula mulcta, collegium istud continuare prohiberetur. Id quod ille ad lectiones prooemiales non pertinere caussatus in pristino tramite perrexit, caussas autem, cur se lectionibus Pfeifferianis maxime laesum putaret, in aula Dresdensi exposuit, curque moderamine inculpatae tutelae eo modo esset vsus, aperuit, paruisse se mandato intermisso collegio indicans, quaeque alia iuris remedia suppetebant, caute adhibens. Vt vero admodum meditationibus erat foecundus, cum praelectiones laudatas claudere iussus ab aula cogeretur, eas in gratuitam praelectionem de praeiudiciis s) commutauit, in qua more suo aduersarios depexos dare non omisit. Quam cum integram ipse ediderit, conferri illa cum his meretur. Interim tamen tranquillitatem litibus praeferens, de pace cum aduersariis ineunda cogitauit, eiusque articulos ecclesiae ephoro Lehmanno, viro graui pioque intercedente, consignauit; iniuriam sibi fieri conquestus est, veniam, obliuionem actorum, pacem promisit, multis tamen frustra actis, nihil effecit. Tandem iussis consistorii coactus ad denunciationem ministerii respondit, tentatam a se frustra reconciliationem enarrauit, beneficia iuris popposcit, arcanas caussas detexit, querelarum suarum de iniustitia accusatorum rationes enarrauit, dogmata impietatis suspecta exposuit. Ita litem contestatus, non sine omnium admiratione impetitus vltra haud est, cum nec ministerium nec facultas theologica ad exceptionem eius aliquid reponeret. Ita libertatem academicam conseruans pristino itinere incedere,

s) Vulgauit eam in Caussis mixtis P. III. n. 7. p. 627. Summam autem exposuit in Praef. Phil. ration. §. 8. p. 24. sqq. maxime momordere aduersarios ea, quae §. 50. seqq. p. 746. seqq. dixit.

dere, naeuosque eruditionis vulgatae detegendo emendare praeiudicia perrexit.

Tertii motus Thomasii cum H. G. Masio.

§. VI. Alter hic tragoediae Thomasianae actus fuit, ex quo, qualis eo tempore fuerit Thomasii animus, qualis aduersariorum eius, lector prudens et attentus, nobis non monentibus intelliget. Sequitur tertius, non minus reformatori nostro grauis, immo prioribus molestior, quoniam summa regis Daniae auctoritas controuersiis istis intercessit, nec cessauit ea tempestas, Thomasio iam ad Halenses Musas translato. Ipse totam controuersiae historiam prolixe enarrauit *f*, quem sequentes paucis, vt institutum nostrum decet, rem complectemur. Ediderat V. C. Hector Godofredus Masius professor theologiae Holmiensis et concionator aulicus librum, cui titulum praefixerat: *Interesse principum circa religionem Euangelicam*, in quo doctrinam de magistratu ita roborat, vt eius maiestatem immediate a Deo esse multis rationibus euincere conniteretur, eamque doctrinam vtilitatis caussa quoque seruandam esse diceret, et passim tum Romanas tum Reformatas partes amplexos refutaret. Enarrauit libri huius summam Thomasius in *Dialogis menstruis* anni CIↃ IↃ C LXXXIX, cumque haud pauca illi displicerent, dubia sua circa originem maiestatis exposuit, ita tamen, vt a satyrico sale, manus prorsus cohiberet, isque videri vellet, qui dialogistica methodo vsus, a partibus Masianis, quas theologi eo tempore plerique probabant, staret. Misit illico exemplum animaduersionum Thomasianarum studiosus quidam ad Masium (quod instinctu Carpzouii factum esse Thomasius suspicatur,) et displicere conatus censoris ordini ecclesiastico atque theologico academiae, testatus est. Indignari vero valde coepit Masius, a Thomasio Lutherano Lutheranum religionis suae sanctimoniam, securitatem et commoda cum falsa religione comparantem, aliisque partibus praeferentem oppugnari, immodestiamque, calumniandi libidinem, ineptias et durissima verba alia in epistola, qua iuueni illi respondit, obiecit, idem in epistola quoque ad administrum rerum publicarum Saxonicum non sine contemtu aduersarii repetiit, et famoso dicendi genere atque calumniis theologos Lutheranos, maxime autem clerum Daniae eum impetiisse, conductum a parte aduersa, (Reformatos intelligit,) conquestus est, eundem instigans, vt ad aures electoris has querelas deferret. Prodiit quoque Petri Schippingii nomine libellus σηλιτευτικὸς, et amarulentia plenus contra Thomasium, Lipsiae postea, cura, vt coniiciebat ille, aduersariorum eius recusus, in quo ad obiectiones eius respondebatur, quem tamen se inuito prodiisse, videri voluit Masius. Illum cum censura sua in dialogis repetiit Thomasius, et Masium si non ipsum scriptorem, certe auctorem esse, euincere sategit, et quam pessime rem suam egisset, demonstrare aggressus est. Ast conuersus ad regem suum Masius, caussatus-

f) Causs. mixt. P. II. n. 3. p. 301. seqq.

ſatusque iniuria cumulari ſummos principes a Thomaſio, literas ad electorem Saxoniae impetrauit, in quibus rex in ſcripta Thomaſiana ſeuere animaduertebat, et poenam cenſuramque poſtulabat. Thomaſius autem, vt ipſe quoque audiretur, precibus ſuis aulam adiit: quae vt de cauſſa tota Thomaſium interrogaret, academiae Lipſienſi iniunxit. Is apologiam ad aulam pro ſe ſcripſit, et quid iſtud dogma velit: maieſtatem non eſſe immediate a Deo, ac quo pacto iniurium in ſummos principes eſſe nequeat, demonſtrauit, conqueſtus ſimul, Maſium libello famoſo famam ipſius arroſiſſe, cum quae ipſe ſcripſerit in dialogis, in terris electoris Brandenburgici examen cenſuramque ſubierint. Aula vero, vt coram concilio academico reſponderet, iniunxit, cum qui regis Daniae res in aula Dresdenſi curabat, vehementer negotium vrgeret; cauitque, ne ſine cenſura aliquid typis Thomaſius ederet. Et haec quidem ad annum vsque cIↃ IↃ c xc acta ſunt, quo noua Thomaſio tragoedia excitata eſt, quam paucis tangemus.

Quartae turbae et exilium Thomaſii ſponta-neum.

§. VII. Inimica aduerſus Thomaſium odia fouiſſe Lipſienſes doctores, Valentinum Alberti, Ioannem Benedictum Carpzouium et Auguſtum Pfeifferum ex ſupra narratis conſtat, quae inita concordia non tam ſuſtulerat, quam ad tempus tantum ſopiuerat. Excitabat autem latentes ſub fauillis et cineribus igniculos, controuerſia, quam a pietatis ſtudio, ſingulari diſciplinae genere promouendo Pietiſticam appellare mos eſt, quam hoc loco enarrare velle, eſſet extra oleas vagari: tota enim res, quae maximos ſtrepitus concitauit, in annalibus eccleſiaſticis enarranda, et ſine partis ſtudio et praeiudicio, quod vehementer plerorumque narrationes corrupit, expendenda eſt [t]. Et ipſa quidem pietatis promouendae conſilia ad Thomaſium aliud agentem nihil pertinebant, cuius eo tempore rationes ita comparebant, vt facile intelligi poſſet, Pietiſtae perſonam, quem barbaro vocabulo nominant, Thomaſium exhibere haud velle. Aſt cum magna dicendi ſentiendique libertate vteretur, nec auctoritatis academicae praeiudicium vllum apud eum in iudicando pondus haberet, rogatus a B. Auguſto Hermanno Franckio, theologo poſt iſta tempora famigeratiſſimo, reſponſum iuris [u] in ea quaeſtione ſcripſit, cauſſaeque iſti ſua ſententia adfuit, id quod non potuit non eos, qui pro extinguenda factione, quam accuſabant, Pietiſtica, ad arma conclamauerant, vehementer irritare, et praecipue illos, qui maleuolum Thomaſio animum fouebant, nouis calcaribus contra eum exſtimulare. Acceſſit et alia res, quae Thomaſium apud Theologos magna inuidia cumulauit [x]. Nempe

t) Scripta potiora in celeberrimo hoc argumento conſulenda praeter alios nominat B. Io. Fr. Buddeus Introd. in Hiſt. theol. L. II. c. 7. p. 1420. ſeqq. quae conſulenda.

u) Integrum repetiit et multa ad hiſtoriam naſcentis controuerſiae ex actis pertinentia notauit Thomasius in Cauſſis mixt. n. 4. p. 352. ſeqq.

x) Ipſe quoque totius rei hiſtoriam et exitum enarrauit l. c. n. 5. p. 492. ſeqq. vnde noſtra hauſimus.

iunxerat sibi coniugem Mauritius Guilelmus, dux Saxoniae, princeps literatissimus, filiam electoris Brandenburgici y). Quae cum Reformatorum partibus esset addicta, coniugium eiusmodi inter disparis religionis homines principibus dissuadere conatus est, Philippus Mullerus, praepositus Parthenopolitanus. Qui cum intempestiua scriptione aulam Berolinensem valde exacerbasset, ineunte anno cIↃ IↃ c xc captiuus electoris iussu abductus est. Eius librum atque thesin in eo defensam peculiari scripto, *de Matrimonio inter principes Lutheranos et Reformatos* refutauerat Thomasius, et pro Reformatis nonnulla contra Casparem Loescherum theologum Vitebergensem monuerat. Ita crabronibus irritatis pristinae inimicitiae redibant in memoriam, praecipue cum lectiones *de Praeiudiciis*, quaeque in iis sonabat apologia pro Michaële Montano atheismi accusato, valde nonnullos morderent, eo quod characteres hypocritarum ea occasione delineasset z), quibus nonnullos ex antagonistis Pietistarum petere videbatur, adhibitis sacrarum paginarum testimoniis. Quod cum ferendum non esse pars aduersa iudicaret, accusarunt profanae mentis ausorumque verbum diuinum dedecentium Thomasium coram senatu ecclesiastico, qui Dresdae est, supremo, Vitebergensibus Theologis similes querelas in eo dicasterio effundentibus, quod in libro supra nominato, in Saxoniae principes peccauisset. Quae res ita clam acta est, vt quid sibi respondendum esset, intelligere se nunquam potuisse, denegatis accusationum libellis, conqueratur Thomasius, et is responsionem ex carcere metueret. Ex decreto enim senatus ecclesiastici, ab academico concilio Thomasio omne legendi scribendique ius adimendum, et, quod se comperisse ait, ipse carceri mancipandus erat, vt inquisitioni, quam vocant, personali locus esset. Quod qua ratione exequutioni dare voluerint aduersarii ipse pluribus narrat. Qui cum legendi scribendique facultatem sibi ademtum iri intellexisset, quibus tamen mediis familiam hactenus honeste aluerat, electorem Brandeburgicum, in cuius aula patronos sibi valde fauentes habebat, precibus adiit, vt liceret, in vicina vrbe Halensi, vbi equitibus scholae parabantur, considere, et auditoribus lectiones suas tradere. Quibus exauditis publice ex vrbe Lipsiensi voluntario exilio discedens *, cum ad aulam Saxonicam se conferre crederetur, Berolinum praeter omnem expectationem concessit, coruosque, quod aiunt, delusit hiantes. Quod ita in iram conuertit eius aduersarios, vt supellectilem eius arresto, quod vocant, detinerent, ipse Berolino significauit, pariturum se mandatis, nec scholas amplius in patria esse aperturum. Quo factum, vt cum amici intercederent, publica electoris auctoritate Halae docere stipendio conducto iuberetur, cuius noui

y) Displicuisse hoc coniugium ob causas politicas aulae Dresdensi innuit Thomasius.

z) Exhibuit haec omnia ipse Thomasius l. c. P. III. n. 7. §. 45. seqq. p. 731. sqq.

*) Relegatum esse perperam tradit auctor Bibliioth. iuris imperant. L. I. Pos. VI. §. 1. p. 48.

noui muneris in eo loco, vbi tum academia nondum florebat, auſpicia anno cIↃ IↃ c xc Dom. Quaſimodogeniti iniit. Qui rerum euentus quantus inter aduerſarios Thomaſii motus excitauerit, cum is libertate gaudens magnis animis pro cauſſa ſua more ingenii ſui pugnare et acerrime eos mordere pergeret, lectori cogitandum, et ex libellis eriſticis atque controuerſiis eius temporis, quibus etiam Ioannes Fridericus Maierus, Anti-Pietiſtarum promachus, immiſtus eſt, cognoſcendum relinquimus, cum ad noſtram tractationem ea res non pertineat. Id vnum notamus, tanto feruore rem ex vtraque parte actam eſſe, vt Vitebergenſem academiam frequentare elector Brandenburgicus ſubditis ſuis interdiceret. Qui quanti Thomaſium faceret, eum inter conſiliarios ſuos adoptando, teſtatum fecit. Thomaſius vero ad intimioris admiſſionis proceres et ſanctius conſilium in aula Dresdenſi prouocando, iuſtitiam flagitauit, ſupellectilis ſuae liberationem popoſcit, et vt apologiam liceret edere, rogauit, promittens, demonſtraturum ſe, quod contra octauae legis diuinae argumentum grauiſſime peccauerint aduerſarii ſui, ipſamque pacem publicam laeſerint. Ad quem libellum ſupplicem poſtea iteratum reſponſum quidem non accepit, actione tamen omni quieſcente ſupellectilem ſuam Lipſia Halam ſine vllo impedimento tranſportauit [a].

§. VIII. Haec dum inter Saxones aguntur, non quieuit in Dania Maſius, ſed cum nonnullis Reformatorum doctorum controuerſia miſceretur, quauis occaſione rodere Thomaſium eumque velut calumniatorem traducere perrexit. Quod ille erigendo apud Halenſes nouo auditorio intentus, diſſimulauit ad tempus, non tamen obliuioni tradidit. Dialogis enim menſtruis anni cIↃ IↃ cLXXXIX tandem dedicationem ad inimicos ſuos praefixit, nomine vero Maſio inſcripſit, et vlcus more ſuo fortiter ſatis tetigit. Quod tanta vehementia exulcerauit Maſium, vt obtento regis mandato chartas Thomaſianas per carnificem vltricibus flammis Hafniae extinguendas curaret, remque per omnes terras in nouis relationibus diuulgaret [b]. Detulit id ad principem ſuum Thomaſius, factumque enarrauit, nihil tamen vel auxilii vel poenae ab aduerſario poſtulandae petiit. Elector ſcriptis ad Daniae regem literis de Maſio, qui reformatas partes valde perſtrinxerat, vindictam audaciae et iniuriae popoſcit, rex reſpondere ad accuſationem Maſium iuſſit, qui prioribus veſtigiis inſiſtens mandato paruit. Thomaſius autem, vt ſe ab illata ignominia vindicaret, peculiari tractatione, Attilae Friderici Frommholdii perſonam mentiente *quaeſtionem* excuſſit, *quid faciendum ſit ſcriptori bono et honeſto, ſi alieni magiſtratus iuſſu ſcripta ipſius a carnifice comburantur?* In quo et ineptum eſſe, et illicitum his mediis in cauſſa maxime iuſta vti, recteque eiusmodi ignominiam intentatam rideri comtemnique,

Continuatio litium Maſianarum.

a) Haec omnia ipſe l. c. n. 2. p. 44. ſqq. multis enarrauit.

b) l. c. §. 33. ſeqq. p. 295. ſeqq.

que, ferrique sine indignatione ab homine vere Christiano posse, demonstrauit. Quo in scripto licet neminem nomine auctor compellauisset, intellexerunt tamen, qui nasum habebant, caussam Masianam peti. Is igitur adscito Aetii Dieterici Ehrenholdii nomine schediasma opposuit, in quo libellis famosis eam poenam deberi, euincere conatus est. Quas contentiones cum in vitilitigationes abire Thomasius cerneret, respondere Masio amplius noluit. Cumque non minori dicacitate pro Masio prodiret Sigefridus Benzenius, edito *Christiano minime Christiano*, maluit generoso silentio iniurias contemnere, quam vlcisci. Et his quidem fabula Masiana exitum nacta est.

Controuersiae plures Thomasii.

§. IX. Nondum turbarum ex Saxonia exortarum satis erat, quamuis in tutum sese recepisse portum Thomasius crederet. Et halcyonia quidem, certe tranquilliorem animi statum fortuna promittebat, qua nouas lectiones Halae Saxonum anno cIↃ IↃ c xc, auspicando frui coeperat. Vix enim lectiones suas cum auditoribus nonnullis, qui Halam concesserant, erat auspicatus, cum satis frequenter iuuenes confluerent, licet sedem academiae vrbs ista tunc quidem nondum praebuisset [c]. Ipse, vt in schola illustri, solus coetui discentium cum praeesset, cuncta feliciter moderatus est, fama autem nouae scholae ita mox vbique percrebuit, vt ex comitibus et nobilibus imperii multi accurrerent, ipsaque Dania et Germania inferior discipulos suppeditaret. Quorum numerus cum in dies cresceret, elector, iam tum academiam nouam animo parturiens, cum ex thermis Carolinis domum rediret, conspecta iuuenum literarum studia aemulantium frequentia, cogitata perficere, alios quoque viros doctos huc vocare, nouumque Musarum domicilium excitare constituit, ex quo tandem Fridericiana, hodie laetissime florens surrexit. Quae cum solenni inauguratione anno cIↃ IↃ c xciv, dedicaretur, Thomasius professor publicus iuris ordinarius et post Stryckii obitum ordinis iureconsultorum praeses, Ordinarium vocant, sanctioris consilii regii membrum, directorque academiae Fridericianae constitutus est. Et hoc quidem pacto tempestas, quae in caput Thomasii exardescere coeperat, et insignem fortunae eius calamitatem minabatur, in laetissimam serenitatem, discussis nubibus, transiit, ipsisque literis, maxime vero philosophiae eclecticae, quae ab eo tempore magna animorum fortitudine et oris libertate coli ea in schola coepit, salutaris prorsus atque exoptatissima accidit. Ast quamuis in eo loco quietam sedem, extra telorum iactum positus, Thomasius inueniisset, magnaque fama apud exteros et insigni plausu atque auctoritate apud discipulos frui coepisset; oppugnatus tamen porro ab aduersariis magna pertinacia est [d], vnde acerrima postea viro illustri pugna exorta est,

c) l. c. p. 118.

d) Contentionis ferram cum Thomasio reciprocarunt Io. Alb. Fabricius, adhuc iuuenis, Alb. Christ. Kothius, Io. Lud. Praschius Henr. Klausingius. Io. Frid. Mayerus Guil. Ern. Tenzelius, Augustus Bremius, Io. Gottlob Stolze, Iustinus Mayer

est, praecipue cum falso acrique dicendi genere pungere aduersarios, et indies magis receptis hactenus dogmatibus dicam scribere ac in omni doctrinae genere, maxime quod ad iurisprudentiam naturalem, ciuilem et ecclesiasticam pertinet, innouare multa et veteres sententias abiicere pergeret. Cumque idem nouarum doctrinarum studium insigni alacritate plerique, qui tum in noua sede literaria viuebant, doctores fouerent, et innumerae inde orirentur controuersiae, ipsum vero bellum pietisticum in hanc quoque academiam, velut in theatrum aliquod, esset traductum, paucae lites fuere, quarum non vel pars quaedam fuit Thomasius, vel saltem spectator minime otiosus. Et primis quidem academiae annis Masianam controuersiam magnis animorum iris agitatam fuisse supra iam narrauimus; Paulo post de iure circa adiaphora cum Carpzouio ita disputauit, vt exacerbatus aduersarius anno cIↃ IↃ c xcv, et dissertationem istam et annotationes ad Monzambanum fisco addici curaret. Longum autem esset, enarrare lites omnes, quibus ad fata vsque vitae suprema cum innumeris aduersariis conflixit [e], cum et philosophi eo tempore ferre vix possent, exagitari et satyra mordaci exsibilari philosophiam a patribus acceptam, et imprimis, qui ecclesiastico ministerio inuigilabant, indies ob inueteratos, quos cauſſabatur, morbos, ab eo morderentur; quod infinitas papatus reliquias in protestantium ecclesiis (haec enim eius vox fuit) sibi detexisse videretur, easque ad dogmata haud pauca momenti non contemnendi referret. Qua re factum est, vt qui in eadem academia docebant theologi, cum eo committerentur. Id quod imprimis in controuersia de concubinatu apparuit, in qua non modo scriptis cum Thomasio disputauit B. Breithauptius, sed res ipsa quoque ad aulam delata principis auctoritate, vix compesci potuit; quam historiam cum ad limites nostros non pertineat, prolixius enarrare nil attinet, satis autem quod est, dabunt eruditissimi *Bibliothecae germanicae* [f], Gallica lingua vulgatae auctores, qui reliquos etiam theologos nominant, qui Thomasium ob id argumentum non sine magno strepitu adorti sunt. Idem fere euentus fuit controuersiae de magia et processu veneficii, in quo argumento magno animo inueterata praeiudicia Thomasius eiecit, edita dissertatione *de Crimine magiae*, quae anno cIↃ IↃ ccI comparauit [g]. Vix enim paradoxa et inexpectata tractatio prodierat, cum ex omnibus fere Germaniae angulis ei contradiceretur, praecipue cum alia dissertatione ob metum spe-

Mayer, Io. Gust. Reinbeck, Ioach. Iust. Breithauptius, Io. Wolfg. Iaegerus, Io. Andr. Gramlichius, El. Camerarius aliique, vt taceamus Pseudonymos, S. Petrum Encratitam, Realem de Vienna, Hieron. a S. Fide, similesque.

e) Pleraque scripta Anti-Thomasiana enarrant LEPORINVS l. c. et Bibl. iuris imperant. c. 1. post. 6. §. 9. p. 61. sqq. qui ea quae breuitati litantes omittere cogimur, supplebunt. Nonnulla in seqq. tangemus.

f) T. I. p. 138. s. T. II. . p. 71. seqq.

g) Prodiit quoque Germanice cum apologia auctoris 1706. 8. et in Collectione Reichiana.

spectrorum contractum locati conducti rescindi non posse probauisset, veniretque ideo in suspicionem omnes spirituum apparitiones spectrorumque existentiam vna cum pactis cum principe infernorum, et aliis huius commatis eum inter praeiudicia referre. Tanta etiam acerbitate lis ista inter eruditos Germaniae personuit, vt nec ab atheismi macula Thomasio inurenda quidam abstinerent, quamuis et ipse et antagonistae monerent, nec de malorum geniorum, nec de spectrorum vel veneficiorum existentia, sed de pactis cum tenebrarum principe explicitis sermonem esse. Quae tamen omnia curatius hoc loco tangere, cum a tractatione nostra abhorreant, non licet: consulenda autem collectio scriptorum huc pertinentium edita a IOANNE REICHIO [b], quaeque affert Cel. STOLLIVS [i]. Et similia quidem innumera annotari possent, si historiam criticam vitae Thomasii scriberemus; qualem operam hodie eo magis exoptamus, quo magis fauor odiumque partis, quae in hoc argumento haud ita pridem scriptores multos in praeceps egerunt, deferuescere coepit, ea autem viri illustris per omnem disciplinarum circulum fuere conamina, eorumque fata tam singularia et memorabilia, vt dimidii fere seculi historiam literariam complectantur, quam accurata commentatione exposuisse hactenus neminem merito dolemus. Verum hoc aliorum curae relinquimus, Thomasiumque in philosophico tantummodo orbe tanquam philosophiae reformatorem intuemur, quidque vsque ad vitae fine morbo actae finem, qui ei anno CIↃ IↃ CCXXVIII, IX. cal. Oct. Halae ex diarrhoea obtigit, postquam in patriam lautis conditionibus reuocatus redire noluit, pro emendanda sapientia naturali lumine homini innotescente susceperit, iam porro enarrabimus.

Conatus Thomasiani in reformanda Philosophia.

§. X. Prima emendandae philosophiae conamina suscepisse Thomasium adhuc in patria versantem edita *Introductione in philosophiam aulicam, seu primis lineis libri de prudentia cogitandi atque ratiocinandi Lipsiae* CIↃ IↃ CLXXXVIII * supra diximus. Reformandae et in alios vultus refingendae philosophiae in genere, et imprimis disciplinae rationali liber eruditus totus destinatus est. Videbat auctor nihil intolerabilius esse iugo sectario, idque excutiendum tandem aliquando in scholis publicis Germaniae esse, prudenter recteque statuebat. Quod vt ingeniis erectis et seruire nescIis persuaderet, ad philosophiae historiam confugit, Graecanicaeque philosophiae sectas et opiniones strictim quidem, at eleganter et cum cura recensuit, iudiciumque interposuit. Quo in labore schedis parentis quin adiutus sit, vix dubitandum videtur. Non vero contentus placita sectarum enarrare, naeuos quoque et errores omnium,

h) Halae 1704. 4.
i) Hist. Liter. P. II, c. 3. §. 50. p. 513. seq.
*) Addita est VLRICI HVBERI oratio de pedantismo, recusa comparuit Halae 1702. 8. et Germanice, sed infeliciter versa, Berolini 1710. Conf. Bibl. noua Vol. I. p. 621.

omnium, more suo, candide detexit. Tum ad rationalem philosophiam conuersus, quid in Peripateticorum logica sibi displiceret, quid in Cartesianorum rationali philosophia reprehendendum esset, exposuit, sicque ad logicam eclecticam viam sibi parauit planiorem. Fatemur multa vidisse virum acutissimum veritati proxima, naeuos detexisse plurimos, viam, quam postea magna felicitate in arte ratiocinandi ingressus est, egregie aperuisse, vlcera quoque sectarum fortiter tetigisse; ast sunt tamen, vt plerumque illis euenire solet, qui viam hactenus non tritam sternunt, haud pauca, quae emendatione opus habent. Maxime in historica libri parte multa admisit, afferuitque, quae inter vulgatos historiae philosophicae errores referenda esse, ex tractatione nostra sole meridiano est clarius. Qualia sunt, sectae inter Cainitas et Sethianos, quaeque de philosophia Salomonis et Hebraeorum differit, itemque narrationes aliae v. c. Aegypti atque Libyae philosophiam parentem habere Abrahamum, multa accepisse Pythagoram a Persis, Chaldaeis, Indis et Iudaeis; primum atomorum auctorem fuisse Leucippum; Heraclitum Ionicae sectae esse adscribendum; Peripateticam sectam post Theophrasti mortem ob logomachias fuisse neglectam et tantum non intercidisse, Potamonis sectam vere eclecticam fuisse; idemque de Cicerone esse dicendum; tempore imperatorum exiguam fuisse famam Peripateticorum, Cynicorum et Pythagoreorum; edictum Antonini de tolerandis quatuor sectis, eclecticam simul comprehendisse, Paulum Col. II, 8. Essenos confodere, Lucianum fuisse Scepticum, Themistium inter patres ecclesiae vixisse, errores Valentini Epicurum et Aristotelem parentes habere; Iobum in Arabia antiquissimum fuisse philosophum, Auicennam et Auerroëm simul Cordubae habitauisse; Rucelinum primum scholasticorum parentem esse, desiisse Nominales cum Abaelardo, abhorruisse a Peripatetica philosophia in scholis publicis Melanchthonem etc. Qualia Thomasium partim ab Hornio seductum admisisse, partim aliorum excerptis fisum non satis examinauisse omnino est verisimile. Acutius cernebat in detegendis confodiendisque naeuis philosophorum. Maxime Peripateticos et Cartesianos ita iugulabat, vt magni inde motus, quos in antecedentibus tetigimus, exorti non parum augerentur. Sed Cartesiana quoque factio, passim culpata a Thomasio, silendum non esse ad Momi huius reprehensiones statuit. Prodiere enim contra philosophiam aulicam et censuram Cartesianae doctrinae, quae in ea comparuit antagonistae duo, Michaël Rhegenius, et Realis de Vienna. Et illius quidem supra in Cartesianismi historia mentio facta iam est. Hunc autem personatum scriptorem GABRIELEM WAGNERVM virum doctum, nullo tamen munere publico auctum fuisse docet Ven. REIMMANNVS [k], qui de eo videndus. Edidit is *Discursum et dubia in introductionem in philosophiam aulicam*, ad quae cum

k) Hist. liter. German. Vol. IV. p. 110.

respondere Thomasius [l], fassus est, esse auctorem virum multarum ad detegendam veritatem virium, ast qui concessam sibi hanc facultatem magis adhibuerit, ad pernoscendos errores nonnullos generales, quam eorum detegendam originem, in auctoritatis et praecipitantiae praeiudicio quaerendam, quique non satis sibi cauerit, ne odio fauoreque in partes abriperetur, et intellectus vires supprimeret. Nec negari potest, valde eum versatum esse in historia physica et mathesi, fortiter artem syllogisticam oppugnare, iniurium autem in ipsam ratiocinandi artem, ideo reiectam, esse, nimiumque animum naturali philosophiae et disciplinis mathematicis addixisse, in laudando quoque et reprehendendo modum non satis tenere monet. Quae sufficiunt, vt inde colligamus, eruditum aduersarium Thomasio obtigisse.

Restauratio philosophiae rationalis Thomasiana.

§. XI. Ita hac logica elenchtica, (quem antecedentis scripti characterem ipse definit [m], ne cum sequenti confundatur) viam sibi ad nouam ratiocinandi artem parans, methodo eclectica ex scriptoribus recentissimis collegit, quae ad intellectus humani naturam, operationes, facultates omnemque veritatis eruendae tradendaeque artem pertinere ipsi videbantur, suasque meditationes iungendo anno CIↃ IↃC XCI, exire in vulgus vernacula iussit *Introductionem in philosophiam rationalem, in qua omnibus hominibus via plana et facilis panditur, sine syllogistica, verum, verisimile et falsum discernendi, nouasque veritates inueniendi.* Cui introductioni paulo post accessit *Praxis philosophiae rationalis, siue breuis et perspicua atque solida ars excolendi et ad inquirendam veritatem praeparandi ingenii, vt veritatem aliis tradere, aliorumque opiniones interpretari, ac errores solide refutare possit.* Et prior quidem liber vltimus, quem in patria ediderat, auctoris foetus fuit, quem ideo concepit, vt detectis erroribus logicorum philosophiae aulicae opera, ipsam iam doctrinam rationalem exponeret, et quid sibi de intellectu humano eiusque facultatibus et vsu videretur, traderet. Hinc de eruditione in genere eiusque complexu, de eruditione logica, de operationibus intellectus humani, de terminis technicis logicae, de veritate in genere, de veritate prima et indemonstrabili, de demonstratiuis veritatibus ipsaque demonstratione, de incognito, de verisimili et vero dissimili, de gradibus probabilitatis, de inuentione veritatum nouarum, de erroribus eorumque fontibus, copiose tractat, parte autem secunda, siue in *Praxi logicae* Halae edita, doctrinam de methodo inuestigandae, communicandae, interpretandae, diiudicandaeque veritatis errorumque refutandorum amplissime differit, hocque pacto eleganti et perspicuo compendio pleraque quae hactenus philosophi bona de arte rationali complexi erant in

l) In Praef. ad Praxin logicam; Rhegenio autem in Praef. primae Partis Logicae respondit.
m) Praef. Introd. in logic. §. 16. p. 66.

in institutionibus suis, in succum quasi conuertit, noua plurima addidit, et cohaerens aliquod artis ratiocinandi systema extruxit. Et monet " quidem, se logicam suam non ex aliorum tractationibus corrasisse, ast consuluisse tamen, vt decet eclecticum, veteres pariter atque recentiores, maxime vero Ciceronem, Senecam, Laërtium, Platonem, Maximum Tyrium, Petrum Ramum, Cartesium, *Artem ratiocinandi* Sociorum, portus regii, auctorem *Tentaminis logici* o), elegantissimis obseruationibus commendabilem, et ex Peripateticis logicis, parentis scripta, Iungii logicam, et Chr. Weisii logicam, et ex Tschirnhausenii medicina mentis haud parum profecisse p). Et hos ita se inspexisse porro scribit, vt quod vel bonum vel dubium et incertum videretur, ad certum quendam veritatis canonem, tanquam ad lapidem Lydium exigeret, examinaretque, hisque manu quasi ductus meditationi iugi eas veritates detegeret, de quibus nemo hactenus aliquid praeceperit. Qua ratione factum, vt quod apud alios velut scopae dissolutae disiectum collegisset, suo ordini et concatenatae meditationum seriei apte innexum appareret, et hoc pacto se inter logicam Cartesianam et Peripateticam atque Epicuream medium caute tenuisse. Quod qua ratione executus auctor sit, ex sequenti delineatione philosophiae Thomasianae constabit. Et in hac quidem arte rationali pauca postea curis secundis mutauit, licet aliquoties illa typis edita sit.

§. XII. Emendata logica ad moralem philosophiam digressus est Thomasius, quum ethica Peripatetica maiori, quam logica, reformatione omnino opus haberet. Hinc abiecto virtutum Aristotelicarum catalogo, ex vno eoque naturali et rationali principio omnem morum doctrinam deducere satagens, anno CIↃIↃCXCII *Introductionem in philosophiam moralem, siue tractationem de arte secundum rationem et virtutem amandi, velut vnico vitae felicis et elegantis atque tranquillae medio* q), sermone iterum patrio in vulgus exire passus est. In qua tractatione praemissa doctrina de bono et malo eiusque cognitione in genere, fuse agit de summa hominis felicitate, de Deo fonte omnis humanae felicitatis, de amore hominum aliorum rationali, de amore proximi generali, de amore rationali speciali, eiusque generibus, de amore rationali sui ipsius, de amore rationali in societatibus humanis. Secuta est anno CIↃIↃCXCVI *Pars practica, siue Medicina contra amorem irrationalem et doctrina de cognitione sui ipsius;* quo libro exponit

Emendatio philosophiae moralis Thomasiana.

n) Praef. Introd. §. 16. p. 67.

o) Essais de logique Paris 1678. 8. cuius est MARIOTTIVS, qui tamen non artem rationalem, sed obseruationes ad eam pertinentes de axiomatibus principiis, et demonstratione modoque ratiocinandi exhibuit, et cuncta ad physicam et mathematicam applicuit, vid. p. 176. 181. 183. seqq. THOMASIVS Cautel. c. 10. §. 12. STOLL. l. c. p. 447.

p) Dedic. prax. log.

q) Prodiit aliquoties 1702. 1710. 1720. et Latine sed minus eleganter Halae 1706.

nit cauſſas infelicitatis vniuerſalis, propenſiones et affectus hominum varios et diuerſos, eorumque naturam, ſummaque capita, odium atque amorem, eorum moralitatem, temperamenta morum quatuor, fontem vitutum nempe amorem rationalem, et fontem triplicem vitiorum, voluptatem, ambitionem, auaritiam, horumque vitiorum capitalium temperaturam eiusque effectus; quibus adiecit characteres propenſionum et temperamentorum, ex otii, irae, inuidiaeque indole demonſtratos, mediaque ſubiugandi affectus prauos, quorum tamen ex ſolo rationis lumine deſumtorum ἱκανότητα in fine negauit. Elegantiſſime in hoc libro atque ingenioſe circa moralem doctrinam verſatus eſt auctor praeſtantiſſimus [r]; cum et ordinem et perſpicuitatem ſeruauerit, et rite inter ſe connexa dogmata exhibuerit. Fatendumque innumera noua virum ingenio pariter atque iudicio excellentiſſimum attuliſſe, cumque elenchticam quoque tractationem inſtituerit, errores et praeiudicia philoſophorum, maxime Peripateticorum, ſolide detexiſſe; maxime vero doctrinam de propenſionum animi humani natura, indole, temperatura, characteribus, effectibusque miro lumine illuſtrauiſſe, vnde ob eruditionem valde liber doctis viris placuit. Fuerunt tamen, quibus nonnulla diſplicerent, et imprimis, quod voluntatem imperare intellectui contra communem opinionem, voluntatem eſſe facultatem coecam pendereque ab intellectus praeiudicio, contenderit. Quod tamen quo ſenſu intelligi velit poſt ipſum Thomaſium ad P. POIRETI librum *de Eruditione triplici* praefantem expoſuit, qui ex Thomaſii ſchola prodiit doctiſſimus EPHRAIM GERHARDVS [s]. Deſcendit quoque contra amorem rationalem, quo fundamento ille cuncta inaedificauerat in argumento morali, in arenam peculiari diſſertatione Ven. HENRICVS KLAVSINGIVS [t], cui cum reſponderet LIMMERVS, ei ſatisfacere conatus eſt IOAN. ADAM. MAYERVS [u]. Qui vtrum mentem auctoris ſemper aſſecuti ſint, et annon quaedam de verbis pugna interceſſerit, comparanti vtriusque partis ſcripta definiendum relinquimus. Maxime autem partem ethices characteriſticam, hactenus tantum non neglectam reſuſcitare; et dogmati de mixtura temperamentorum inaedificare circa idem fere tempus ſtuduit. Produxit ergo in ſcenam habitu patrio: *Scientiam recens inuentam arcana mentis hominum etiam inuitorum ex conſuetudine quotidiana dignoſcendi* [x]; quae cum miro plauſu exciperetur, multa in ea deſiderauit TENZELIVS [y], cui more ſuo reſpondit Thomaſius in *Illuſtratione ampliore cogitationum*

r) Vid. STRVV. Bibl. phil. c. 6. §. 14. p. 231. REIMMANN. Hiſt. lit. Germ. Vol. III. p. 639. STOLLIVS Hiſt. lit. P. III. c. 4. §. 24. p. 679.

s) Schediaſmate vernaculo, de Vera notione intellectus et voluntatis hominis eiusque emendatione.

t) Diſſ. de Amore rationali, Witteb. 1709.

u) Obſeruat. ſuper diſputatione nuper habita de Amore rationis, Witteb. 1710.

x) 1691.

y) Colloqu. menſtr. 1692. p. 100. ſeqq.

num de scientia noua aliorum animos explorandi. Duriori pugna cum Thomasio ob eandem scriptionem congressus est Ioannes Fridericus Mayerus, theologus tum Hamburgicus; ex cuius calamo tum *Thomasius αὐτοκατάκριτος*, tum alia huius generis schediasmata miram acerbitatem partis vtriusque prodentia enata sunt, quibus non minus acerbe respondere Thomasius non cessauit. Ipse vero vir illustris, vt saepissime assertiones suas mutauit, ita displicere sibi nonnulla in hac ethica sua postea fassus est [z]. Cum enim amorem rationalem a propensione voluntatis triplici prius distinxisset, in moderata tantum et rationali temperatura propensionum eum postea posuit, vt ex dicendis patebit.

Emendata a Thomasio iurisprudentia naturalis.

§. XIII. Ethicae subiecit Thomasius iurisprudentiam naturalem, quem sibi potissimum campum elegisse, in quo ingenii vires periclitaretur, eamque ad mentem Pufendorfii explicuisse et auxisse, edita *Iurisprudentia diuina* supra narrauimus, ipsisque viri magni verbis exposuimus, quo consilio ad hunc laborem suscipiendum absoluendumque accesserit, et quam miris ea in re fatis fuerit vsus. Itaque otiose dicta repetere nolumus, id vero addimus, post primam editionem anno CIↃIↃCLXXXVIII editam, secundam Halae Saxonum anno CIↃIↃCXCIV. scholiis et accessionibus multis auctam prodiisse, et aliquoties, cum mire vbique legeretur liber eruditus, editionem fuisse repetitam [a]: nostro quoque idiomate legendam tradidisse ZEIDLERVM [b]. Licet autem haud paucis contradictionibus tractatio illa cumulata et obruta quasi fuerit, vt supra narratum, non defuerunt tamen viri eruditi, qui laudibus eam extollerent, et feliciter suppleuisse Pufendorfii ius naturae et gentium, immo in haud paucis superauisse et auxisse pronuntiarent, quorum verba adducendi otium nobis fecit LEPORINVS [c], qui videndus. Et quanquam, qui manibus calcibusque Pufendorfiano systemati obnitebantur, ferre quoque Thomasianum ius naturae tunc non poterant, accidit tamen, vt post ea tempora, cum totum systema iuris naturalis in *Fundamentis I. N. et G.* immutauisset Thomasius, ea ipsa iurisprudentia diuina multo magis illis ipsis probaretur, quam noua disciplinae huius emendatio [d]. Sunt tamen in eo libro multa, quae cum prorsus noua sint, et a receptis eo tempore opinionibus abeuntia valde doctores, maxime theologos offenderunt, qualia sunt: habitus theoreticos puros, etsi veritatem ostendant, ad stultitiam pertinere, legem non esse dictamen rectae rationis, sed voluntatem imperantis; vanam esse diuisionem iustitiae in commutatiuam et distributiuam, sapientiam consistere in notitia hominis,

z) Cautel. c. XIV. §. 50. seq. p. m. 230. seqq.
a) 1702. 1710. 1717.
b) Halae 1709. 4. cum Praef. EPHR. GERHARDI.
c) l. c. p. 202. seqq.
d) Vid. Relat. innoc. 1707. p. 348. seqq.

minis, materiae ſpiritus, Dei, ius naturae non a ſanctitate Dei ſed a voluntate eſſe deriuandum, in ſtatu integritatis, omnes actiones eſſe naturae ſua indifferentes, nec obligationem in I. N. ex obiecto ſe diffundere in praeceptum, ius gentium non eſſe ſpeciem iuris voluntarii humani, ſed iuris naturalis, non omnem autocheiriam eſſe I. N. prohibitam, mero I. N. ad eſſentiam coniugii non requiri, vt vxor viro continuam cohabitationem promittat, ac mariti imperio ſubiecta ſit, vel ad dies vitae ineatur ſocietas coniugalis, ſed id iuris diuini poſitiui eſſe, mero I. N. diuortia fieri poſſe ob mores intolerabiles, meris rationibus naturalibus non poſſe demonſtrari, omnem concubitum libidinoſum, etiam ad beſtialitatem, qui pertinet, aut lenocinium, eſſe prohibitum, ſed hanc turpitudinem poſitiuo iure vniuerſali prohiberi polygamiam vtriusque ſexus I. N. non eſſe interdictam, ſed iure diuino poſitiuo vniuerſali, pariterque ſtatuendum eſſe de inceſtu; patriam poteſtatem quatenus iuris naturalis eſt, non ex iure ſanguinis, nec ex pacto tacito oriri, nec ius in bona liberorum inferre, Deum non eſſe cauſſam maieſtatis immediatam, ſepulturam I. N. non eſſe praeceptam, et ſimilia. Quae magnam auctori ſuo inuidiam conflarunt, praecipue cum theologos more ſuo mordere et ſale ſatyrico perfricare non ceſſaret. Ipſe tamen poſtea cum ius vniuerſale diuinum poſitiuum, cuius diſtinctione a iure naturae pleraeque illae aſſertiones paradoxae nituntur, abiiceret, multa in his dogmatibus innouauit, aliaque iuris naturae et gentium fundamenta poſuit, quorum potiora cum infra deſcripturi ſimus, hoc loco nihil dictis amplius addimus [e].

Rationes, quas in hac emendatione ſecutus eſt Thomaſius.

§. XIV. Et haec quidem in morali argumento circa annos priores muneris Halenſis molitus eſt Thomaſius. Qui quibus eo tempore rationibus ductus fuerit, ipſe alicubi luculenter enarrat, quod omitti hoc loco eo minus poteſt, quo minus ſequentia ſine hac face lucem habent et intelligi poſſunt. Ita vero ſcribit [f]: *Videbam, vt mea ſcripta circa illud tempus, annum* CIↃ IↃ C XCVI *edita docebant, potiſſimum praxis ethicae Germanico idiomate ſcripta, intellectum humanum ſaepe transgredi ſphaeram actiuitatis ſuae, et hoc modo in plurimos errores labi. Quaerebam ergo eius limites et terminos naturae et gratiae, rationis et reuelationis, et putabam me eos inuenire tutiſſime poſſe in ſcriptis theologiae myſticae, imprimis cum obſeruarem, alios viros optimos, communium errorum iuxta me ſtrenuos oppugnatores eiusmodi libros praedicare et mihi commendare.* Cauſſa haec fuit, cur PETRI POIRETI libros tres *de Eruditione vera, falſa et ſuperficiaria* recudi

e) Conf. REIMMANN. l. c. Vol. VI. p 43. LVDOVICI Delin. hiſt. iuris diu. §. 72. ſqq. BVDDEVS Hiſt. iuris nat. §. 41. ſeqq.

f) Praef. noua ad Poiretum de Erud. tripl. §. 34. p. 31.

recudi Halae faceret, eosque ampliſſima praefatione commendaret. Qui liber cum totus myſticis et theoſophicis faueat, vt *ſuperiori huius Tomi parte* demonſtratum, factum inde eſt, vt theoſophicum ſyſtema eo tempore Thomaſius valde deperire inciperet. Quod vtrum ſolis, quas modo adduximus rationibus adſcribendum ſit, vel an arcanae nonnullae cauſſae acceſſerint, illis diſputandum relinquimus, qui hiſtoriam et ἀνέκδοτα eorum temporum perſpexerunt. Nobis ſuſpicionibus tractationem noſtram onerare nolentibus ſufficit obſeruauiſſe: luculentum ſyſtematis theoſophici electi ſpecimen edidiſſe Thomaſium in noua pneumatologia et phyſica, quam, vt vbique philoſophiae reformatorem ageret, eo tempore edidit. Et erat quidem Thomaſius, vt diuerſiſſimo ſtudiorum generi fuit innutritus, a naturali ſapientia prorſus imparatus. Cum autem hanc quoque philoſophiae partem ſibi negligendam non eſſe ſtatueret, ad Halenſes autem Muſas iam ante academiae inaugurationem traductus eſſet Fridericus Hofmannus, medicus incomparabilis, cui tradendae naturalis ſcientiae ſparta ſimul erat demandata, isque in natura rimanda et experientiae ſpeciminibus exploranda egregie verſaretur prorſusque excelleret, Thomaſius conductis in eundem finem aliquot viris doctiſſimis et iam tum munerum dignitate conſpicuis, quadrimeſtri ſpatio hunc naturae interpretem audiuit, et experimentis naturalem diſciplinam firmantem praeceptorem ſibi delegit g). Aſt tantum tamen abeſt, vt quam tradiderat Hofmannus phyſicam mechanicam et experimentalem ſequeretur, vt potius, quae ab Hofmanno didicerat eo adhiberet, vt exploſa phyſica experimentali theoſophicam, quam tum deperire coeperat, erigeret. Et prius quidem ita ſuſcepit, vt contra philoſophiam experimentalem dubia quam plurima ſereret, ex conſuetudine ſua illis non parcens, quorum induſtria experientiam phyſicam didicerat. Nam extenuata experimentorum fide, ſumtus inutiles in ea factos carpit, et eo fine videnda et diſcenda cupit, vt qui illis ampliſſime fidunt, refutari poſſint, et ad ſcepticiſmum quendam phyſicum confirmandum ea adhibet, dicam autem recentioribus phyſicis ſcribit, quod ignorantiam et imbecillitatem humani intellectus agnoſcere nolint, multaque experimenta impoſſibilia et ſenſui communi refragantia eſſe demonſtrare conatur, et id ſibi potiſſimum incumbere credit, vt oſtenderet, ſine pneumatologia phyſicam conſtare non poſſe. Hinc nouam eamque Moſaicam, Cabbaliſticam et Chriſtianam phyſicam introducere ſatagens, anno CIↃ IↃ CXCIX edidit *Tentamen de Natura et eſſentia ſpiritus, ſiue principia naturalis et moralis*

g) Cl. SCHVLZIVS in Vita Hofmanni. conf. Si placet Pinacotheca noſtram ſcriptorum illuſtrium Dec. I, in Elogio Hofmanni.

moralis doctrinae [b]. In quo libello Carteſianos et phyſicos recentiores oppugnat, totusque Moſaicorum principiis inhaeret, quae cum infra ſtrictim ſimus delineaturi, hoc loco enarrare nihil attinet. Dici autem vix poteſt, quam aduerſa hoc conamen phyſicum et metaphyſicum iudicia eruditorum paſſum ſit, qui concoquere non potuerunt, Thomaſium ridendis et exagitandis principiis incertis, vagis et nihil ſignificantibus natum, reiecta et exploſa phyſica experimentali ad Moſaicorum nugas fuiſſe delapſum, ſicque meliora iis, quae deſeruerat minime ſuppoſuiſſe. Quare in hoc quidem philoſophiae genere omnium minime plauſum meruit; ſed certatim ſurrexerunt, qui calamis ſuis eum confoderent, inter quos modeſte at ſolide Thomaſianas aſſertiones examinauit, praeſtantiſſimus Tubingenſium medicus ELIAS CAMERARIVS, acerbe autem in Thomaſium inuecti ſunt Realis de Vienna et Albertus Chriſtianus Rothius eccleſiaſtes Lipſienſis: illi autem perſonatus quidam Iucundus de Laboribus, huic ipſe Thomaſius breuiter more ſuo reſpondit [i]. Haud pauca vero in phyſicam ſuam ex Thomaſianis tranſtuliſſe Rudigerum, in ſequentibus dicemus.

Labores politici Thomaſii.

§. XV. Reſtat philoſophiae politicae, ſiue prudentiae conſultatoriae pars practica: quam ſerius quidem, et non niſi abſoluto toto philoſophiae curriculo attigit Thomaſius, non tamen totam omiſit. Cum autem conſultatoriam prudentiam iureconſultis prae aliis vindicaret, ad eorum artem quoque regulas prudentiae applicuit. Hinc enati libri duo, bonae frugis pleni, quorum priori hunc praefixit titulum: *Primae lineae de ICtorum prudentia conſultatoria, in quibus docetur, quid ſit prudentia, quid conſultatoria, qua ratione ea ad ICtos pertineat, quid obſeruet prudentia tam in dirigendis actionibus propriis, in conuerſatione quotidiana, et ſelecta, in ſocietate domeſtica et ciuili, quam quoad ipſa conſilia danda aliis et ab iis petenda*, Hal. cIↃ IↃ CCV [k]. Alteri anno ſequenti vulgato hoc rubrum praeſcripſit: *Specimen prudentiae iudicialis ex iure naturae et gentium exhibitum, in exemplis de variis gentium negotiis et controuerſiis, quibus ſparſim immiſcentur, genuina principia definiendi praetenſiones illuſtres.* In quo libro ſe ſaltuam mouere voluiſſe, ait, „iuris ſtudioſis, ſtudia humaniora et neceſſaria „communiter negligentibus, vt in hac iuris naturae et gentium prudentia in exemplis tradita ſubinde micas liberaliorum diſciplinarum guſtantibus eorum excitetur deſiderium, maiori cura ſe applicandi ad philo-„ſophiam

h) Conſpectum breuem exhibet in tabula IVNCKERVS in Lineis primis eruditionis vniuerſae p. 136.

i) Conf. qui libellos huc pertinentes enumerant LEPORIN. l. c. LVDOVICI l. c. p. 134. STOLLE l. c. §. 12, p. 478. et quae nos in Germanico Hiſt. phil. opere adduximus T. VII. p. 550.

k) Verſionem Germanicam fecit GEORGIVS BAYERVS Prof. Viteberg 1707. quam ipſe emendauit Thomaſius 1721. 8. conf. REIMMANN. Vol. V. p. 254. STOLLIVS l. c. P. III, c. 5. §. 30. p. 707.

„sophiam de moribus humanis, ad studia politica, historica, heraldica, „mathematica, sine quibus nemo eruditi nomen meretur.“ Ex quo patet, introductionem quandam vel specimen potius historiae literariae ad ius naturae et gentium applicatae hunc laborem illum esse voluisse.

§. XVI. Hactenus, quam viam in emendanda philosophia ingressus sit Thomasius, per omnes eius scientias exposuimus: nondum tamen eius philosophicam historiam absoluimus: placuit enim viro foecundissimi ingenii, haud exiguam partem cogitationum priorum abiicere, et magnam systematis sui partem innouare. Tentauit id primo conamine in Iurisprudentia naturali, quam magnis hucusque moliminibus Pufendorfium secutus construxerat. Ast cum prudentiam legislatoriam modo enarratam anno cIↃ IↃ CCII iuuentuti studiosae explicaret, “obseruata le- „gis homonymia hactenus superficiarie a doctoribus tractata vel plane „neglecta simul palpauisse se, refert [1], legem diuinam positiuam vniuer- „salem a multis ante ipsum in scenam productam, a nemine vero di- „stincte propositam, post suas tamen curas a multis tanquam Deum „ex machina vsurpatam, figmentum esse, nec ea amplius opus fore „genuinis fundamentis iuris naturae perspicue positis, destruxisse se „iterum bona fide figmentum illud primum, et eodem anno obseruatio- „nem illam de natura legis inseruisse *Tomo sexto obseruationum Halen- „sium.* Cum vero hoc pacto maxime opus esset, vt fundamenta iuris „naturae aliter ordinarentur, quam hactenus feciſſet, subsequenti „anno cIↃ IↃ CCIII, noua illa esse auspicatum, et tunc demum anno „cIↃ IↃ CCV absoluisse.“ Rationes vero cur priorem iuris naturalis tractationem ita mutauerit, has affert, inutilem esse apparatum testimoniorum et allegationum, et curatius ipsam potius intuendam fuisse naturam hominis moralem, abiiciendumque, quem et ipse hactenus secutus sit, errorem fundamentalem: imperio gaudere intellectum in voluntatem et profluentem inde opinionem falsam, homines aeque esse eiusdem naturae, vt alias species infimas corporum naturalium. Nimis etiam Pufendorfium oppositisse moralia naturalibus, quorum intima tamen sit connexio. Porro legis ambiguitatem curatius determinandam, nec, quod hactenus fecerit, putandum cum Grotio et Pufendorfio, legem diuinam in genere acceptam, et legem humanam esse species vniuocas eiusdem generis, cum lex diuina, quae iuris naturalis est, laxius accipiatur, adeoque poenae diuinae cum humanis non sint confundendae, sed vt tales, quae naturalem habeant connexionem cum actibus vitiosis. Obligationem internam autem ante omnia rectius fuisse distinguendam ab externa, et in maiori luce collocandam, iustumque ab honesto accuratius discernendum, limites vero ponendos inter ethicam et ius naturae, le-

Mutata philosophia Thomasiana.

1) In Praefatione.

ges morales diuinas autem magis in decalogo restringendas, et multa ad leges Iudaeos obligantes referenda, quae ad morum praecepta soleant plerumque referri. Sicque ius illud diuinum positiuum vniuersale abiiciendum fuisse, quo pacto ea omnia mutanda se obtulerint, quae isti fundamento superstruxerit etc. Valde quoque differre posteriores curas viri illustris a prioribus, ipsa horum fundamentorum comparatio cum iurisprudentia diuina satis docet, quibus tamen, cum de illis infra dicendum sit, longius hoc loco inhaerere non licet. Ita vero dum hypotheses de natura hominis morali mutauit Thomasius, non potuit non reliquam etiam, quam de eruditione vniuersa sibi conceperat opinionem abiicere, aliasque sibi de eruditionis generibus et differentia notiones fingere. Reliquit ergo Poiretum, Burignoniam, similesque, et alia via incedens, rationis vsum extollere iterum coepit. Cuius mutationis causas cum paucis in *praefatione ad Germanicam Grotii de I. B. et P. versionem* tetigisset, prolixiori dissertatione ad iteratam librorum POIRETI *de Eruditione triplici* [m] editionem manifestauit. „Alienasse, ait, „se a commendatione mysticae theologiae, quod ex historia ecclesiastica didicisset, eam pariter ad scholasticam theologiam tandem definere „in dominatum conscientiarum, tendereque ad abiectionem vsus omnis „rectae rationis, et vel ad captandos enthusiasmos, vel ad dependentiam coecam ab auctoritate aliorum hominum etiam maxime irrationali„um: fructus autem promissos frustra quaeri in mysticis viuentibus, „tam intuitu tantopere depraedicatae veritatis inuentae, quam intuitu „potissimum vitae et emendationis affectuum, cum vtrobique inuenisset, „aeque homines ac inter Scholasticos et Cartesianos. Sensisse, con„uenire eos in terminis generalibus, abstractis, obscuris, et parum „perceptibilibus, non infelices eos esse in detegendis et monstrandis er„roribus aliorum: in ipsis assertionibus specialibus tam saepe eos dis„sentire, ac eruditos aliarum sectarum. Vidisse se, aeque inter mysti„cos, ac alios subinde regnare, inuidiam, aemulationem, detrahendi „et haeretificandi studium, ac inter alios homines, et mysticum mysticum „odisse. Sensisse se euidenter maiores fructus in vsu vtriusque luminis „naturalis et supranaturalis, eiusque caute obseruandis differentiis, mul„tum autem se adiuuisse oculosque aperuisse LOCKII eruditissimum „tractatum *de Intellectu*, ex quo cautelas euitandi enthusiasmi didice„rit.“ etc. Facile palpabit lector, quos mysticos viuentes pungat, attendens ad indignationem, quam in adducto loco prodit in doctorem Poiretianae doctrinae, qui ipsum in scripto publico tanquam virum maxime periculosum traduxerit, eaque curioso oculo lustrans, quae in *Fundamentis I. N. et G.* in Buddeum effudit, vel controuersiae de concubinatu supra iam tactae memoriam recolens. Ex quo, nisi nos omnia fallunt,

m) loc. cit.

fallunt, conficitur, praeter rationes adductas cauſſas nonnullas arcanas quoque in huius mutationis originem influxum habuiſſe. Quas tamen Lectori partis ſtudio non addicto, et ad hiſtoriam literariam illorum annorum curatius reſpicienti coniiciendas magis relinquimus, quam ſuſpicionibus noſtris, licet veriſimilitudine non deſtitutis, eruimus. Addimus autem, quod ſeries hiſtoriae Thomaſianae poſtulat, anno cIcIↃccx prodire iuſſiſſe virum celeberrimum in publicum *Cautelas circa praecognita iurisprudentiae* [n], qua tractatione propaedeumatica iuuentutem ex hiſtoria et indole diſciplinarum munire contra praeiudicia plebis eruditae voluit, viamque pandere, qua ſyrtes euitari poſſint, in quas plerosque incidiſſe dolet. Multa in hoc libro egregia cumulauit, quaeque attentionem paulo maturiorem produnt, et ad hiſtoriam quoque ſcientiarum literariam praeclare faciunt. Nec inficiandum in haud paucis non priſtinam modo mentem, ſed et errores priores eum, vt candido in hac re erat animo, emendauiſſe. Cuius exemplum eſſe poteſt, quae de cautelis in ſtudio hiſtoriae philoſophicae obſeruandis monuit, vbi praeclare obſeruauit, patriarchas ſimplices quidem homines, nec philoſophos fuiſſe, at viros ſapientes, adeoque nec libros illis tribuendos eſſe nec ſcholas, et ſapientiam tantummodo apud Hebraeos quaerendam eſſe, inutilemque eſſe Cabbalae operam ſtudiumque, diſtinctionem philoſophiae in barbaricam et Graecanicam faſtum Graecorum redolere, etc. Aſt fatendum tamen etiam, in his ipſis cautelis nonnulla eum aſſeruiſſe, quae, ſi paulo altius rem expendiſſet, abieciſſet. Qualia ſunt: Cainitas origines dediſſe philoſophiae ſectariae, Salomonem de rebus phyſicis diſputauiſſe, Democritum omnia riſiſſe, verasque eſſe epiſtolas Hippocratis, libros Numae repertos et combuſtos fuiſſe philoſophicos, Iudaeos ex captiuitate Babylonica philoſophiam domum reportaſſe, Phariſaeos Stoicis, Sadducaeos, Epicureis, Eſſenos Cynicis valde affines eſſe; Bathkol fuiſſe certam vocem Hillelis, ad captandam auctoritatem adhibitam, Paulum Rabbinicas traditiones de decem Sephiroth exagitauiſſe, et philoſophiam Iudaeorum repurgauiſſe, Romanos ante Auguſtum eclectice fuiſſe philoſophatos, Plutarchum Peripateticae ſectae fauiſſe, Arabes Hiſpanos Ariſtotelem praecipue primosque extuliſſe, Lutherum conſubſtantiationem a Biele recepiſſe, Melanchthonem Scholaſticorum ſubtilitates reuocaſſe, Ieſuitas Scholaſticos nullam ſectarum inter Scholaſticos exortarum recipere, etc. Haec in vno de hiſtoria philoſophica capite occurrunt, quae falſa eſſe et erronea, nemo ignorat, qui tractationem hanc noſtram legerit et examinauerit. In aliis aeque ſe hominem, licet multoties magnum et acutum, ſed falli tamen non neſcium demonſtrauit. Qualis imprimis in iis deprehendi

n) Prodiere etiam Germanice 1713 8. Conf. Bibl. nouu Part. V. pag. 433 Act. Erudit. German. Part. VIII. p. 336. FABRICII Hiſt. Bibl. ſuae Part. IV. p. 143. STOLL. l. c. pag. 60. Bibl. choiſie T. XXI. pag. 209. ſeq.

hendi visus est, quae de disciplinis mathematicis et physicis differuit, in quibus cum omnium minime esset exercitatus, mirum non est, paralogismos multos et errores varios viros doctos obseruauisse, qualis est, quod matheſis demonstrationem exhibere nequeat, nec scientiae nomen mereatur, id quod ex definitione puncti mathematici illustrat, quo nomine reprehensionem mathematicorum passus est [o]. Id nos vnum miramur, virum acutissimum, qui biennio prius, quam has cautelas ediderat, mysticos ad enthusiasmum ducere, et rationis lumen supprimere, caussatus, eos non sine mordaci satyra exagitauerat, in cautelis circa studium physicum pristina somnia de natura rerum, ex mysticis, et Mosaicis hausta repetiisse, et talia physicis obiecisse, quae satis produnt, cum cura eum illorum tractationes non legisse, nec satis intellexisse, adeoque nonnulla perperam eis tribuisse. Falsum enim, vt exemplo id illustremus, est, asseruisse Cartesianos, vt res possibilis concipi possit, ita quoque esse, cui thesi tamen Cartesius contradixit; falsum, physicos recentiores omnes errorem veterem; essentiam corporis consistere in extensione, non emendauisse; falsum, negasse omnes attractionem, falsum eos, qui corporibus vim actiuam mouentem tribuunt, corpora esse mere passiuas substantias, dixisse. Tacemus alia inter errores recentiorum physicorum relata, quae magnam in hac disciplina aut ignorantiam aut veri status quaestionis confusionem prodere viris doctis visa sunt. Et quis quaeso, rerum gnarus et Mosaicae philosophiae historiam edoctus ferat, Thomasium in reiiciendis omnis aetatis systematibus tanta cum libertate versatum, et in perspiciendis principiis vanis et incertis lynceum, ad discendam philosophiam naturalem non modo Mosaicam historiam velut systema physicum commendare, quam tamen in adiecta nota non ad finem philosophicum, sed theologicum descriptam esse recte monet, sed et eos laudare velut certos duces, qui Mosaicam physicam scripserunt, et tamen dehortari ab eorum nugis mysticis, hosque praeferre physicae Cartesianae, Gassendianaeque, quas innumeras contradictiones fouere contendit? Qualia viro summo et eruditissimo, ast in hoc stadio minus exercitato, et fortassis contra nonnullos recentiores irritato nollemus excidisse. Ita vero heroës quoque suos patiuntur manes, nec ea omnia obstant, vt non magnum ingenium aluisse Thomasium, dicendum sit.

Scripta Thomasii miscellanea Philosophiam illustrantia.

§. XVII. Occupauit ab eo tempore illustrem virum potissimum iurisprudentia reformanda, quam refingere multis magnisque conatibus annisus est. Cum autem philosophemata sua passim inspergeret, vsum philosophiae hoc pacto reformatae in aliis quoque scriptis ostendere satagit.

o) Vid. Cel. WEIDLERVS Miscell. Lipſ. T. I. obſ. 17. p. 186. ſeqq.

egit. De quo tamen explicatius differere remque omnem fuse exponere non huius loci est, sed ad iurisprudentiae historiam pertinet. Namque non omisit scriptiunculis minoribus philosophiae eiusque historiae lucem accendere, ex quibus quae vernaculo sermone prodierunt, itemque *Programmata academica*, et *Orationes academicae*, tum *Dodecas quaestionum historico-philosophico-iuridicarum-paradoxarum*, iunctim prodiere. Sed historia quoque *Sapientiae et stultitiae*, tum quae Latino sermone vulgata est, tum quae vernacula prodiit, huc referenda est, quarum collectionum illa potissimum ex schedis parentis collecta praestantissimas obseruationes ad philosophiae historiam pertinentes continet, quas cum toties in partes hactenus vocauerimus, plura de iis non dicemus. Idem de *Obseruationibus ad rem literariam spectantibus*, quae cura virorum quorundam celeberrimorum in academia Halensi in vulgus exierunt, tenendum, quarum partem haud contemnendam eruditioni et industriae Thomasiorum, patris et filii Christiani, debemus. Possent his nonnulla alia addi, si indicem librorum Thomasianorum contexere institutum nostrum postularet; quod cum ad alia nos vocet, catalogum eorum typis impressum et a Leporino magnam partem repetitum Lectorem consulere iubemus. Id nos tractationis nostrae memores adiicimus, incomparabilem industriam et doctrinae copiam, quam in repurganda et ad veros fontes reuocanda philosophiae historia demonstrauit Iacobus Thomasius, in filio haud parum effeciisse, vt iis gressibus ad emendationem philosophiae properaret, quibus immortale sibi nomen peperit. Patetque tum ex *Philosophia aulica*, tum ex *Cautelis*, quam egregie necessitatem et vtilitatem philosophicae historiae inspexerit, commendaueritque. Cuius vt in scriptis laudatis, itemque in *Ethica practica* specimina pulchra et memorabilia edidit, ita merito laudandus est, quod parentis obseruationes, et ipse vulgauerit [p], et aliis vulgandas liberaliter obtulerit. Maxime in *paulo pleniori Historia iuris naturae*, quam in vsum auditorii sui anno cIↃ IↃ cc xix Halae vulgauit, luculenter demonstrauit, quam acri iudicio, animoque ab omni praeiudicii seruitio libero ad historiam philosophiae scribendam se accingere potuisset, si eam totam exponere ex instituto voluisset. Multa enim ignota, prius detegit, arcanasque rationes cauſſasque latentes eruit, et imprimis in narrandis Pufendorfianis litibus Bvddei, Lvdovici aliorumque, qui in explicanda I. N. historia desudarunt, diligentiam superauit, quamuis in hoc quoque labore nonnulla admisceat, quae sine examine probari admittique non possunt.

§. XVIII.

p) Il. cc. Debemus ei quoque eruditum schediasma de Definitione sapientiae a patre conscriptum, cui indicem aliorum ab eo delineatorum adiecit, vt haberent, qui historia philosophica delectantur, quibus se iuuari posse intelligerent. Inde specimen petiit cl. Hevmannvs in Actis philosophorum.

Laudes Thomasii.

§. XVIII. Fatebitur Lector, nobis non monentibus meruisse illustrem virum, qui haud postremo loco inter reformatores philosophiae collocaretur, cuiusque gratissima existeret apud posteritatem memoria. Inde factum, vt et viuus innumeros sectatores haberet, et admiratores haud pauciores, imitatores quoque nonnullos, qui cum Thomasiano iudicio et doctrina instructi satis haud essent, parum honoris Thomasianae disciplinae acquisiuerunt. Fatis autem functus in ipsa illa academia ex merito laudatus est, in qua tot sibi persecutiones obtigisse supra eum conquerentem narrantemque audiuimus. Extollunt enim viri doctissimi, qui *Acta eruditorum* [q] colligunt, fidem eius in docendi munere demonstratam, illustratam iurisprudentiam naturalem veterem et recentiorem, repurgatam philosophiam, vitam integram scelerisque puram, et auaritia pariter atque superbia non contaminatam, coniugii diuturni felicitatem, liberorum educationem rectam, amicorum fidelitatem, discipulorum gratum animum, mentem aequam sinceramque, mores elegantes et conuersationem iucundam atque acumine commendatam. Tum ingentem doctrinae copiam, industriae peruicaciam, et alacritatem, prudentiam atque amorem virtutis et veritatis. Fuisse quoque aiunt detegendis illico erroribus aptissimum, ast nec ad veterum nec recentiorum admirationem valde pronum, disertum quoque in scribendo et acutum ingenioque emicantem, licet accuratio et elegantia, maxime in scriptis Latinis, abesset. Sic vt famae celebritatem immortalem fore recte viri doctissimi coniiciant. Subscribent haud inuiti huic elogio, quotquot sine partis studio vel viuum intuiti sunt, vel defuncti scripta cum cura legerunt. Mirum itaque non est, laudes certatim in eum cumulasse viros doctos, quorum loca collegerunt Io. Fabricius [r] et Christianus Polycarpus Leporinus [s]. Defunctum vero magnifica oratione in societate Lipsiensium oratoria ludauit Ioannes Abrahamus Birnbaum.

Reprehensa in Thomasio.

§. XIX. Tacenda tamen ea quoque, vt historici partes rite expleamus, non sunt, quae viri docti passim in illustri viro reprehenderunt [t]. Inter quae eminent ingenium ad satyram quasi natum, et mordaci dicacitate in quoscunque, non sine amaro risu insurgens, qui paradoxis et nouis assertis subscribere, renuerunt. Quem insultandi aduersariis habitum licet interdum suppresserit, totum tamen euitare non potuisse, conqueruntur. Addunt his: valde fauere scepticis, non quod omnem euidentiam neget, sed quod dubia vbique ex dubiis nectat, et coacta

q) 1729. p. 470. Cum his conferendus Reimmannvs Catal. crit. P. II. p. 699.
r) Hist. Bibl. suae T. IV. p. 142.
s) l. c. p. 192.
t) Ita rem summatim complectuntur viri eruditi qui Relationes innocuas consarcinarunt 1702. p. 173. seqq. quibus iungenda, quae collegit Leporinvs l. c. p. 174. seqq.

coacta induſtria augeat verbisque exaggeret. Veritatem porro aiunt, non ex internis primisque fundamentis eum deriuare, adeoque nec ad ſacrarum literarum fontes, nec ad accurata rationis principia, nec ad genuina antiquitatis monumenta recurrere, ſed ratiociniis topicis vtentem coecos in iudicando haud raro catulos parere. Fauere autem Naturaliſmo quem vocant, et religioni reuelatae interdum officere, ſcatere libros eius excerptis atheorum, Scepticorum, Naturaliſtarum, Socinianorum, quos vnquam Gallia vel Belgium tulerit, nec ea cum verbo diuino comparare: abiici propter abuſum omnem rerum et conſuetudinum veterum vſum, non vero eas emendari: plura diruere eum, quam aedificare, et omnem religionis Chriſtianae vim ad ratiocinia quaedam moralia, gratiam ad naturam, reuocare: ferre quoque non poſſunt, multoties ſententiam eum mutauiſſe, vel incertum quid ſtatuentem, vel praecipitanter prioribus ſubſcribentem, et ſine moleſta et diuturna meditatione ſua effundentem, quorum errores poſtea compareant; immo honoris et vtilitatis arcanarumque cauſſarum gratia opiniones priores nonnunquam deſeruiſſe. Fuerunt quoque nonnulli, qui animum leuem, aliisque inſultantem, et mendaci fama confiſum alios arrodentem, hominibus autem ἀπαιδεύτοις, quique ſine religione viuunt, frigidam ſuffundentem ei viuo adhuc obiecerunt, et conſcientiam eius peculiaribus ſcriptis excitare ſategerunt, quod poſt Io. Ioachimvm Weidnervm [u], theologum Roſtochienſem, graui increpatione fecit anonymus quidam [x], qui atheis ex incredulis occaſionem eum dare ridendi miracula Moſaica et Chriſtiana, omnemque veritatem in ſacris paginis explicatam, obiecit. Cui tamen anonymus philalethes ſatis aculeate reſpondit, telumque in theologos myſticos retudit.

§. XX. Relinquemus Lectori in tam diuerſis doctorum virorum ſententiis de Thomaſio arbitrium, quod non niſi abiecto omni partis ſtudio, et comparatis ſcriptis Thomaſii cum aduerſariorum libellis et examinatis hypotheſibus Thomaſianis, diſpulſisque nubibus, quas contentiones de verbis obiicere oculis et offundere intellectui ſolent, ſuſcipi poteſt. Id autem hiſtoria poſtulante annotandum eſt, mordacem ſcribendi pruritum et ſatyricum amaroren ad cumulandos inuidia riſuque aduerſarios comparatum, ipſum virum illuſtrem, monitum ea de re a B. Spenero agnouiſſe, et peculiari ſcriptiuncula, vernacula edi-

Satyrica ſcribendi ratio a Thomaſio tandem improbata.

u) 1726. Roſt.

x) Excitatio conſcientiae ad Chr. Thomaſium Prof. Iur. Halenſem propter iniquitatem nuper in programmate de Lectionibus ſuis hybernis proditam, cuius auctorem, qui ſe V. D. Miniſtrum Brandeburgicum vocat, eſſe Ven. D. Ioach Langivm docet nos Reimmannvs in Cat. crit. bibl. ſuae T. I. p. 783.

edita [z], cui titulum fecit: *Meditationes paſchales de ira et amara ſcribendi ratione*, deteſtatum fuiſſe. De cuius tamen confeſſionis ſinceritate nonnulli dubitauerunt, cum viderent, poſt hanc editam antiquum eum obtinuiſſe, vnde lepide dixit nonnemo [a], appellauiſſe eum hanc confeſſionem ſuam Meditationes paſchales, quod nunquam ei mente, niſi in feſto Paſchatos, ſuccurrant. Haud parum taedii et moleſtiarum autem ipſe ſibi hoc dicendi genere amarulento et mordente conflauit. Nam haud pauci magnis iris et ſcurrilibus quoque libellis in eius famam graſſati ſunt, eumque falſe traduxerunt, et narrante auctore *Bibliothecae iuris imperantium* [b], cum in ipſam caeſaream maieſtatem paulo liberius calamum ſtringeret, a fiſcali camerae imperialis accuſatus mulctaeque ſatis magnae poſtulatus eſt. Quam tamen tempeſtatem a capite ſuo principis potiſſimum ſui tutela tectus auertit. Quicquid autem vel errorum vel animi infirmitatum Thomaſium occupauerit, quem hominem fuiſſe, imbecillitati humanae obnoxium, nemo temere negauerit; illud tamen neminem hodie inficias iturum eſſe confidimus, illuſtrem locum eum inter illos mereri, qui iugum ſeruitutis philoſophicae et literariae a collo noſtro excuſſerunt, et plurimum ad diſciplinarum emendationem inter Germanos contulerunt. Et ſane gratias ei deberi maximas putamus, quod tot aduerſitatibus, periculis, metu et fortunae viciſſitudinibus non deterritus, vnus potiſſimum Herculeo auſu ſe torrenti obiecerit, et libertatem eclecticam, ante vix in muſeis virorum ſummorum triumphantem, in academicam lucem produxerit [c]. Quo beneficio hodie nos et poſteros noſtros gaudere merito laetamur.

Thomaſii confeſſio doctrinae ſuae.

§. XXI. Philoſophiae a Thomaſio emendatae nouoque vultu reſtitutae ſynopſin dare difficilis labor eſt. Supra enim monuimus, aliquoties mutauiſſe ſententiam virum illuſtrem, maxime vero vbi nouum et diuerſum a priori ſyſtema iurisprudentiae naturalis effingere coeperat. Vnde, qui Thomaſianam philoſophiam noſſe cupiunt, cum prioris, tum poſterioris ſyſtematis indolem ſummamque explorare neceſſe habent [d], eo quod non tantum in ipſis iuris naturalis principiis et poſitionibus mentem mutauit, ſed et naturae humanae ſibi aliam notionem finxit, aliasque operationes deſcripſit. Vnde comparanda eſt *Iurisprudentia diuina* cum *Fundamentis iuris naturae et gentium*, et in auxilium vocandae *Cautelae circa praecognita iuris* ab illuſtri ICto edita, in quibus potiora loca

z) Extat in Collectione ſcriptiuncularum Germanic. p. 679. conf. Cauſſas iuridicas mixtas P. II. p. 130. vbi cauſſas affert, cur hoc dicendi genus ſit ſecutus.

a) Apud LEPORIN. l. c. p. 274.

b) p. 48.

c) Conf. HEVMANN. Act. phil. Vol. I. p. 458. 609. ſeq. STOLL. hiſt. lit. P. II. c. I. §. 10. p. 417.

d) Inde enata Cl. Imm. Webero diſtinctio inter Thomaſium prioriſticum et poſterioriſticum, quam tamen ferre ſe non poſſe prodidit THOMASIVS in Diſſ. prooem. ad Fundam. I. N. et G.

loca et dogmata immutata et alterata indicauit. Ab hac autem prolixitate instituti ratio et tractationis prolixitas nos auocat, facilisque erit labor, cognoscendae doctrinae Thomasianae cupido, cum libri eius in omnium manibus versentur, ipseque quid in *Iurisprudentia naturali*, mutandum sit, in *Fundamentis I. N. et G.* copiose annotauerit. Iurisprudentiae quoque diuinae principia a Pufendorfianis non abeunt, quae infra suo loco describemus. Et prodiit quidem anno CIↃIↃCXCV CHRISTIANI THOMASII ICti *Confessio doctrinae suae*, positionibus CCLXX, quae omnes metaphysicae et physicae sunt, et agunt de ente eiusque triplici affectione, perceptibilitate, alicubietate, et amplitudine, extensione, seu expansione, de diuisione entis in Deum et creaturam, de differentia Dei et creaturae, de diuisione creaturae in spiritum et materiam, de corpore, de perceptibilitate materiae et spiritus, de homine et eius relationibus ad entia reliqua, de spiritu corporis humani, de vbietate spiritus, materiae, corporis de speciebus spirituum, materiae et corporum, de essentia Dei, de anima et corpore hominis integri, de imagine Dei, lapsu, statu hominis lapsi, regeneratione, symbolis fidei, lumine naturae et gratiae, ratione, fide, poenitentia spe, charitate deque officio Christiani erga alios homines. Ex qua breui συνόψει constat, voluisse virum summum earum doctrinarum suarum rationem reddere, quae ad theologiam naturalem et reuelatam pertinent, quibus tamen metaphysica et physica immiscuit cum arctissime cum illis cohaereant. Ipse vero monuit [e], esse has meditationes cogitata in Geneseos tria capita priora, quae non eo fine conscripserit, vt ederentur. Vnde earum diuulgationem sibi displicere fassus, nonnulla illustrationis caussa addidit, praecipue cum haec confessio ad probandam eius ἑτεροδοξίαν libello *Trinitatis orthodoxae, id est, Collectaneis quae inter Christianum Thomasium et M. Alb. Christianum Rothium de Trinitate SS. hactenus publice et priuatim Thomasio sic vrgente tractata sunt* [f], accesserit. Ipsa tamen, quae in hac confessione exhibentur dogmata, sua esse non negauit. Quoniam igitur philosophiae Thomasianae multam lucem accendit, scheda autem, paucis paginis comprehensa tantum non disparuit, potiora ex ea huc traducemus, vt habeat lector, quibus velut claue quadam vti ad sequentia melius intelligenda possit.

I. Omne ens est aliquid.

II. Anima hominis duas facultates habet, intellectum et voluntatem.

III. Vtraque consistit partim in actionibus, partim in passionibus.

e) In pec. monito, scriptis vernaculis minoribus inserto.

f) Lipsi. 1698. Eodem auctore prodiere quoque Atheistica Thomasiana et Sched. an dentur sagae.

Paſſio intellectus vocatur ſenſio, voluntatis inclinatio; actio intellectus vocatur meditatio, voluntatis impulſus.

IV. Paſſiones intellectus et voluntatis ſemper praecedunt actiones, et hae ſine illis quaſi mortuae ſunt.

V. Paſſiones intellectus et voluntatis ſunt perceptiones animae.

VI. Entia realia vel per ſenſionem intellectus, vel per inclinationem voluntatis percipiuntur.

VII. Perceptio voluntatis ſubtilior eſt perceptione intellectus, quia per eam etiam inuiſibilia et abſentia percipiuntur.

VIII. Perceptibilitas eſt affectio cuiusque entis, ſine qua non datur cognitio vera de eius realitate et eſſentia.

IX. Eſſentia eſt ſine qua res ab anima non percipitur.

X. Quaedam res percipiuntur ſenſione, quaedam inclinatione, quaedam vtraque.

XI. Alicubi eſſe vocatur, eſſe in aliqua re vel extra eam.

XII. Alicubi eſſe differt ab eſſe in certo loco, a continente et contento.

XIII. Amplitudo eſt conceptus de re vt longa vel lata, abſtrahendo a profunditate.

XIV. Amplitudo eſt vel ſpatium in quo eſt res mota, vel extenſa vel extenſum in ſpatio, vel extenſio actiua, vel extenſum paſſiue, vel motio actiua, vel mota res paſſiue.

XV. Quaedam extenſio finita eſt, et paſſiua, quaedam infinita et actiua.

XVI. Differunt ſpatium et res extenſa, extenſio et extenſum.

XVII. Diuerſo reſpectu eadem res vt ſpatium, et vt res extenſa poteſt conſiderari.

XVIII. Spatium infinitum eſt tantum extenſio actiua, in quo mouentur omnia, ipſum autem in nulla re mouetur.

XIX. Neceſſarium eſt, vt exiſtat aliquod extenſum finitum, in quo tanquam in ſpatio non moueatur aliud extenſum.

XX. Deus et creatura ſunt realiter diſtincta, h. e. quorum ad minimum vnum poteſt exiſtere ſine altero.

XXI.

XXI. Conceptus primus de Deo est aseitas, et quod reliqua omnia sint ab ipso.

XXII. Quia vero quod ab alio est, eo posterius est, ergo creaturae Deo non sunt coaeternae.

XXIII. Percipiuntur creaturae per sensionem, tum oritur inclinatio, quae tamen non semper sequitur sensionem.

XXIV. Non potest homo meditari de creaturis, quas sensu non percepit.

XXV. Meditatio de creaturis moritur, nisi reuiuiscat per nouas sensiones.

XXVI. Deus non percipitur sensione.

XXVII. Ergo intellectus non percipit viuere Deum, et omnis meditatio eius de Deo est mortua, quia sistit saltem Deum esse aliud quid quam creaturam, non autem quid Deus sit.

XXVIII. Deus itaque percipitur inclinatione cordis quae cum passio sit, Deum ipsum cor hominis inclinare necesse est.

XXIX. Passio intellectus in cerebro, voluntatis in corde fit.

XXX. Creaturae mouent cerebrum, Deus cor.

XXXI. Passio voluntatis nobilior est et melior passione intellectus, adeoque ad essentiam hominis pertinet, eamque a bestiis separat.

XXXII. Homo est creatura amans et cogitans, omnis autem inclinatio hominis amor est.

XXXIII. Intellectus amorem Dei excitare nequit, sed amor Dei intellectum.

XXXIV. Quo plus Deum amamus, plus Deum cognoscimus.

XXXV. Deus in se ipso est, et omnes creaturae in ipso; extra Deum autem nihil est.

XXXVI. Omnia ideo ex Deo ortum ducunt, et simul in Deo sunt.

XXXVII. Potest aliquid ex se ipso operari et tamen non extra se, sed in se est.

XXXVIII. Craeaturae omnes ex nihilo extra Deum factae sunt.

XXXIX. Deus habet amplitudinem infinitam, creaturae finitam.

XL. Intellectus hominis non omnes creaturas exacte comprehendere potest, estque finitus.

XLI. Sed voluntas, quatenus ab ente infinito inclinatur, infinita est.

XLII. Deum nihil extendit, ipse vero extendit ac expandit creaturas.

XLIII. Omnes creaturae sunt extensae, et nulla extendit aliam virtute, quam a se ipsa habet.

XLIV. Extensum esse, et partes habere differunt.

XLV. Omnis extensio motus est.

XLVI. Omnis creatura mouetur, Deus autem mouet omnia, et tamen est immobilis.

XLVII. Motus duplex est: de non esse ad esse, vel motus spatiosus: hicque vel in certo spatio, vel de spatio in spatium.

XLVIII. Antequam Deus creaturas extenderet erat Dei essentia amplitudo inuoluta *.

XLIX. Igitur tum creaturae in Deo occultatae erant.

L. Creatio igitur est actus, quo Deus creaturas hactenus in ipso occultatas in se ex nihilo extendit. Nihil autem esse, et in Deo occultatum esse, hic sunt synonyma.

LI. Creatio ergo est manifestatio Dei in creaturis.

LII. Deus nihil operatur extra se.

LIII. Nulla creatura est extra Deum, et tamen essentia creaturae ab essentia Dei differt.

LIV. Essentia creaturarum consistit in agendo et patiendo, nempe in mouere et moueri, et sic etiam sensio hominis excitatur.

LV. Perceptio per inclinationem est omnium subtilissima, et subtilior sensionibus omnibus, etiam tactu subtilissimo.

LVI.

*) Habuit has assertiones Thomasius a Cabbalisticis et Mosaicis, maxime Moro, cuius ipsa interdum verba retinuit.

LVI. Omnis motus fit per attactum, aut appropinquationem rei mouentis ad rem motam.

LVII. Fit itaque sensio per appropinquationem ad sensus, inclinatio ad cor.

LVIII. Sensio saepe tangitur modo inuisibili, et inclinatio cordis fit modo inuisibili.

LIX. Omnis attactus sensionis fit per pulsionem, inclinationis vel per pulsionem vel per attractionem.

LX. Creatura patiens, vel ens mere passiuum vocatur materia, oppositum spiritus. Opposita autem oppositos habent effectus.

LXI. Spiritus est ens mouens et agens.

LXII. Quicquid passionem denotat est affectio materiae, quicquid actionem, est affectio spiritus.

LXIII. Passionem vero innuunt, extensum, diuisibile, mobile esse, ideo materiae competit.

LXIV. Materia est penetrabilis, sed non penetrans, vnibilis, generabilis, corruptibilis, illuminabilis et calefieri potest.

LXV. Ergo essentia eius est tenebrosa et frigida, haec enim omnia passiua sunt.

LXVI. Deus materiae dedit motum de non esse ad esse, sed spiritus creatus materiam extendit, diuidit, mouet, penetrat, vnit, generat, corrumpit, illuminat, calefacit, et frigefacit; haec enim omnia actiones inuoluunt.

LXVII. Spiritus essentia sua lucidus, calidus et spirans est, siue creatura lucida, calida, extendens, diuidens, mouens, penetrans, vniens, generans, corrumpens, illuminans, calefaciens, et frigifaciens.

LXVIII. Nihil autem tale potest spiritus pati a materia, sed lucem tamen suam motionem et calorem non habet a se ipso, quia creatura est, sed a Deo.

LXIX. Igitur Deus etiam spiritum annihilare potest.

LXX. Spiritus essentia in se consistit in virtute seu potentia actiua, intuitu materiae vita eius est, essentiam eius formans, postquam existentiam a Deo acceperat.

LXXI. Ma-

LXXI. Materia est ens mortuum sine virtute, quam habet cum vita et essentia a spiritu.

LXXII. Induit ideo materia informem faciem, si spiritus eam relinquat.

LXXIII. Spiritus potest esse sine materia, materia sine spiritu esse nequit.

LXXIV. Spiritus ad materiam destinatus desiderat vnionem cum materia et exercitium virtutis suae in ea.

LXXV. Omnia corpora consistunt ex materia et spiritu, adeoque vita quadam et anima pollent, qua partes eius vniuntur.

LXXVI. Spiritus in omnibus corporibus quasi in centro est, vnde radios suos emittit, ac ita materiam extendit.

LXXVII. Si vero radios ex circumferentia materiae attrahat ad centrum, resoluitur corpus et corrumpitur.

LXXVIII. Spiritus spiritum attrahere et propellere potest.

LXXIX. Vires hae operantur sensibiliter in materia spiritui vnita.

LXXX. Attractus et impulsus in homine vocatur amor et odium, in aliis corporibus sympathia et antipathia.

LXXXI. Spiritus organis sensuum non percipitur, quia nihil patitur a materia.

LXXXII. Materia in se est tenebrosa, et nec videri nec tangi potest, sed spiritus facit, vt videri possit, dum illuminat, audiri, dum mouet, etc.

LXXXIII. Differentia colorum, soni, odorum, saporum et tactus proueniunt a diuersa efformatione et figuratione materiae.

LXXXIV. Calor et frigus prouenit a diuersitate motionis spiritus in materia, vtrum ea sit rectilinea vel circularis. Fluiditas vero et soliditas prouenit ab attractione spiritus. Prior ab attractione spiritus solaris, haec ab attractione spiritus terrestris.

LXXXV. Grauitas et leuitas prouenit a paucitate aut copia materiae, et quod spiritus corporis a toto suo separati, a spiritu totius trahatur et ad eum inclinet. Hinc etiam rarefactio et vis elastica intelligitur.

LXXXVI.

LXXXVI. Spiritus in se non aduersatur spiritui, sed sympathia et antipathia, amor et odium oriuntur a diuersis operationibus, quas spiritus pro diuersitate efformatae materiae in ea efficit.

LXXXVII. Corpus humanum aeque materia et spiritu gaudet, ac alia corpora.

LXXXVIII. Vnde in homine spiritus corporeus non debet confundi cum eius anima.

LXXXIX. In omnibus quibus corporibus materia e spiritu mota materiam alterius corporis immediate tangit. Sed materia tacta attactum non percipit, verum spiritus huic materiae assistens.

XC. Percipere hic significat virtutem alterius rei comprehendere, et probare, seu experiri atque se vel cum illa vnire, et propriam virtutem amplificare, vel illi cedere loco, aut propriam virtutem contrahere. Hae perceptiones in corporibus pro diuersitate figurarum et specierum corporum differunt: intuitu spiritus autem gradu tantum.

XCI. Propter varietatem materiae et diuersae eius structurae corpora diuiduntur in diuersas species.

XCII. Quaedam corpora sunt lucentia, quaedam pellucida, quaedam opaca, pro copia aut paucitate materiae et diuersis motionibus spiritus.

XCIII. Operatio vel perceptio spiritus animalis in eo consistit, quod in cerebro animalis imago contactus externi comprehendatur, et in corde probetur. Vnde postea spiritus in membris animalis oneratur, vt vel ad rem tangentem moueatur, vel eam fugiat.

XCIV. Si vero motus iste impediatur, excitat spiritus mouens in animalibus quasi desiderium rerum amoenarum, et quasi sollicitudinem ob res aduersas.

XCV. Ob structuram materiae corporis spiritus hominis ita operatur, vt imagines semel comprehensas custodiat, diuidat, componat, etiam absentibus rebus has compositas et diuisas imagines probet, et per hanc probationem (gustum) desiderium vel sollicitudinem tanquam de rebus praesentibus suscitare possit.

XCVI. Spiritus iste aeque ac spiritus reliquorum corporum immaterialis est, participat autem de attactu materiae, et gaudium aut dolorem sentit. Dependet intuitu operationum a mutationibus materiae in corpore humano. Adhaeret quasi aliis corporibus terrenis, nec sine illis vnionem suam cum corpore humano continuare potest.

XCVII. Homo secundum hunc spiritum consideratus vocatur homo animalis.

XCVIII. Virtus eius comprehendendi imagines rerum praesentium et absentium componendi et diuidendi appellatur intellectus actiuus, acumen ingenii.

XCIX. Et virtus desiderandi alias creaturas, etiam absentes, dicitur vis naturalis voluntatis, voluntas propria.

C. Materia est quidem extra spiritum, sed ab eo tamen vbique penetratur, immo spiritum ne quidem circumdat, sed primus spiritus extendens materiam desiderat alium spiritum, atque efficit, vt materia in quibusdam corporibus alium spiritum circumdet, et quasi comprehendat. Vel etiam spiritus, quando per artem conguſtatur, saepe se ipsum in materia capit, dum se valde contrahit.

CI. Si corpus aliud corpus non circumdat, nec cum eo vnitur, dicitur, quod per se subsistat: si vero cum alio corpore vnitur, vtrumque partes sunt vnius totius.

CII. Spiritus etiam existit extra corpora, eaque circumdat, immo corpora mouentur in spiritu.

CIII. Sed neque corpora neque spiritus per se subsistens possunt extra Deum esse.

CIV. Extensio spiritus concipi potest vt centrum circum circa radians, sed sine crassitie, sine qua vero materia comprehendi nequit.

CV. Spatium in quo mouentur omnia corpora est spiritus, et spatium in quo mouentur omnes spiritus, Deus est.

CVI. Lux est spiritus materiam illuminans inuisibilis.

CVII. Aër purus, siue aether, est spiritus materiam mouens, per quem corpora videntur.

CVIII. Terra est materia a spiritu contracta.

CIX. Aqua est materia a spiritu interno pulsa et mota.

CX. Corpora sunt vel terrena vel spiritualia, prout vel multum vel parum materiae habent.

CXI. Terrena corpora sunt, quae plurimum materiae habent, spiritualia, quae multum lucis habent, vt sol.

CXII. Aquea corpora sunt, quae multum spiritus et materiae habent. Illud quia sunt pellucida, hoc quia ob crassitiem videri possunt.

CXIII.

CXIII. Lucida corpora sunt nobilissima corporum, post haec aërea, tum aquea, denique terrea.

CXIV. Lux et ignis non sunt confundenda. Lux omnia sustentat, ignis omnia corrumpit est lux concentrata.

CXV. De Dei essentia tanquam incomprehensibili homines non nisi per similitudines loqui, possunt. Eae vero de nobilissimis creaturis desumi debent.

CXVI. Deus est ens mere actiuum, actus purus, spiritus, virtus efficacissima, lux, aura subtilissima.

CXVII. In Deo viuimus, mouemur et sumus.

CXVIII. Anima humana est ens distinctum a spiritu corporeo.

CXIX. Protoplasti corpus sine dubio fuit spirituale, et accedebat ad naturam corporum lucentium et pellucidorum, nec erat absque spiritu, sed in eo non consistebat vita hominis.

CXX. Igitur Deus inspirabat in nares eius spiraculum viuens.

CXXI. Anima ista est radius diuinae virtutis.

CXXII. Debebat anima haec regere corpus hominis et ad Deum ducere.

CXXIII. Et hoc intuitu anima hominis est perpetuum desiderium vnionis cum Deo, quem isto modo semper percipiebat. Vnde nihil aliud est, quam amor DEI.

CXXIV. Deus amor est.

CXXV. Illuminabat etiam amor hic intellectum hominis, vt scientiam haberet creaturarum, debebatque corpus hominis, et eius spiritum quasi transformare, et a creaturis ad Deum trahere.

CXXVI. Homo sequutus magis inclinationem corporis per spiritum animalem ad creaturas se trahi passus est, amisitque amorem DEI et cognitionem creaturarum perfectam.

CXXVII. Via ordinaria ex miseria hac euadendi est, vt homo ex statu bestialitatis transeat in statum humanitatis, et incipiat se ipsum nosse, miseriam vitae suae dolere, et amorem Dei desiderare.

CXXVIII. Has motiones homo bestialis excitare nequit, nec vltra per se tendere.

Subiungit his theologica, mire a receptis ecclesiae dogmatibus deuiantia, quae huc transferre non iuuat. Repetiit has assertiones in *Tentamine de essentia spiritus*, et ad alias quoque physicorum quaestiones et problemata soluenda adhibuit, fundamenta quoque moralia inde deriuauit. Non vero suo haec omnia ingenio debuisse Thomasium, sed pleraque accepisse a Theosophicis et Mosaicis, facili negotio palpabit lector ex comparatione systematis theosophico-cabbalistici, in superiori parte enarrati, cum hoc systemate physico et metaphysico Thomasii, et vel ex vnius FLVDDI *Physica Mosaica* constabit, quos praeceptores habuerit. Id quod non negat, in studio physico ad Comenium, Fluddum et similes prae Cartesio vel Gassendo iurisprudentiae studiosos ablegans. Ast quam siculnea sit tota physiologia Fluddana, theosophicorumque aliorum, vel ex vnius GASSENDI *Examine philosophiae Fluddanae* constat, quod si sine partis studio legere et expendere, quam vilipendere et ridere maluisset vir doctissimus, dubium non est, quin systematis huius vanitatem perspexisset, et, quo erat ingenii acumine, palpauisset, ludere se vocibus et definitionibus, et imprimis in primariis axiomatibus paralogismos adducere. Melius autem res succesit in philosophia rationali, de qua, quoad praecipua ita praecipit.

Logica Thomasiana.

§. XXII. I. Duo sunt lumina, quibus tenebrae intellectus pelli possunt, naturale rationis et supernaturale reuelationis.

II. Ad recte adhibendum lumen naturae linguis peregrinis opus quidem haud est, sed vtiliter tamen adhiberi possunt.

III. Logica et historia sunt instrumenta duo philosophiae.

IV. Primarius artis rationalis finis est agnitio veritatis.

V. Cogitatio est sermo internus de imaginibus, quae per motum corporum externorum mediantibus membris reliquis cerebro imprimuntur.

VI. Sensiones hominum vel externae sunt vel internae, et cum sensibus confundi non debent. Habent enim sensus quoque animalia bruta, sensiones non item.

VII. Impossibile est omnem cogitandi actionem fieri in sola glandula pineali, verisimile autem fieri eam in toto cerebro.

VIII. Habent quidem bruta actiones hominum actionibus similes, sed carent cogitatione, ex principio autem oriuntur interno nobis ignoto.

IX. Homo est, substantia corporea, quae mouere se et cogitare potest.

X. Habet non voluntas modo, sed et intellectus actionem et passionem,

nem, ex quo intelligitur, meditari pertinere non ad voluntatem, sed ad intellectum.

XI. Obscura et inutilis est quaestio, quot sint operationes intellectus.

XII. Quando intellectus circa imagines rerum externarum cerebro impressas versatur, vocantur abstractiones, et si praesentes se intellectui sistant, dicuntur memoria.

XIII. Quod si pro lubitu vel coniungantur vel disiungantur separenturue, oritur inde facultas imaginatiua.

XIV. Quando autem ex abstractionibus notis ignotae deducuntur, dicimur, computare, concludere, ratiocinari.

XV. Veritas est conuenientia interna cogitationum humanarum cum rei indole et natura extra hominum cogitationes.

XVI. Dantur veritates indemonstrabiles, quas qui negat, relinquendus est, eo quod conuinci vltra nequeat nolitque.

XVII. Hominem non semper cogitare veritas est manifesta.

XVIII. Cogitationes, quae cum obiecto externo non conueniunt, sunt falsae, et si serio admittuntur, erroneae fiunt, si autem velut sola intellectus operatio considerantur, dicuntur fictae.

XIX. Verum est ratione intellectus vel certum vel probabile.

XX. Potest aliquid certo verum esse, et tamen intellectu videri vel verisimile vel falsum.

XXI. Omnia, quae harmonia vel dissensu inter se gaudent, habent quoque proportionem et relationem inter se.

XXII. Verba nuda sine applicatione ad res significatas, nec vera nec falsa sunt.

XXIII. Principiorum ea conditio est, vt sint veritates indemonstrabiles.

XXIV. Non datur principium omnium primum nisi vnum, in quo omnes veritates latent.

XXV. Hoc principium primo-primum est; Quaecunque cum ratione hominis, id est cum sensibus et ideis conueniunt, vera sunt, quae discrepant falsa.

XXVI. Sensus hominem mente et corpore integrum non fallunt.

XXVII. Sensus internus falli nequit.

XXVIII. Apparens sensuum externorum fallacia oritur a praecipitantia intellectus iudicantis.

XXIX. Sensoria hominis non omnia omnibus hominibus omni tempore aequaliter sentienda offerunt. Inde de conceptibus variabilibus non datur propositio absoluta et vniuersalis.

XXX. Sine sensione nihil percipere sibique repraesentare potest intellectus.

XXXI. Ex sensionibus oriuntur cogitationes actiuae vel ideae earumque relationes, et ex his ratiocinia, quae numerorum rationibus aequipollent. Non tamen algebra scientiarum omnium fons et clauis est. Facile intelliget lector, in recentiorum logicorum scriptis versatus, petere Thomasium nonnullos eorum, a quibus sibi discedendum esse statuebat. Maxime assertiones posteriores *Medicinae mentis* illustris TSCHIRNHAVSENII oppositae sunt, qui algebraicis computationibus vsus rationalem artem illustrauerat. Quod cum displiceret Thomasio, isque in *Dialogis suis anno* CIↃIↃCLXXXIX nonnulla more suo libere notauisset, litem inde molestam ab illo sibi excitatam et magnis animorum motibus gestam sensit. Perstitit tamen in sua libertate Thomasius, ast laude debita Tschirnhausenianas meditationes non priuauit *). Multa quoque opposuit Cartesianis, quos assertiones VIII. X. XIV. XXV. iugulant, et sequentia quoque passim confodiunt. Quae cum ex auctoris *Philosophia aulica* et *Cautelis* nullo negotio queant disci, et a logicae recentioris perito facile intelligantur, ab hac prolixitate in tanta rerum dicendarum multitudine merito calamum arcemus.

XXXII. Demonstratio est euictio connexionis veritatum cum principio primo.

XXXIII. Duplicis generis est demonstratio. Vel enim ex sensionibus ea fit, vel ex ideis et definitionibus earumque connexione cum principio primo.

XXXIV. Ineptum est, ea demonstrare, quae vel inutilia sunt, vel indemonstrabilia et in se nota.

XXXV. Aliud est, esse verum vel falsum, aliud verum falsumque cognoscere.

XXXVI. Incognitum vel relatiue vel absolute tale est.

XXXVII. Verisimilitudinis dantur criteria, fundamentum et gradus.

XXXVIII.

*) Vid. Dedic. Pract. logic.

XXXVIII. Pro conditione obiecti circa quod versatur intellectus, datur cognitio vel vera vel verisimilis.

XXXIX. Arte syllogistica impossibile est veritatem inuenire.

XL. Regula methodi vna tantum eaque haec est: ita esse disponendam veritatem vel inueniendam vel demonstrandam, ne peruerse et ridicule agas, fiatque initium a facillimis et maxime notis.

XLI. Ad inueniendas nouas veritates opus est experientia, definitione et diuisione.

XLII. Veritatibus certis maxime inseruiunt propositiones categoricae, verisimilibus hypotheticae.

XLIII. Deterior est conditio hominum, quam bestiarum.

XLIV. Non dantur principia connata materialia.

XLV. Fons primarius omnium errorum intellectus est educatio.

XLVI. Inde oriuntur praecipitantia, impatientia, praeiudicia.

XLVII. Fons proprius et primus praeiudiciorum est credulitas, quae ex miseria hominis eiusque intellectus conditione, quoad iuuentutem oritur.

XLVIII. Duo sunt praeiudicia generalia: auctoritatis humanae et praecipitantiae.

XLIX. Fontes praeiudiciorum specialium sunt ambitio; vnde antiquitatis praeiudicium oritur*.

L. Ad veritatem inquirendam requiritur, tum vt praeiudicia debellentur, id quod per dubitationem dogmaticam et abiectam auctoritatem humanam, attentionemque sufficientem effici potest: tum vt scientia deligatur, quae ad veram sapientiam ducit, quae in cognitione sui ipsius quaeri debet **.

LI. Obligamur ad inseruiendum nostra scientia et cognitione hominibus aliis, vt autem id recte fiat, requiritur, vt quis ipse scientiam cognitionemque solidam possideat, sitque perspicuus, fidelis, humanus, familiaris, nihil memoria ediscendum tradat, pauca dictet, ingeniorum selectum instituat, ad discipulorum auditorumque vires et intellectus capacitatem attendat, suorum scriptorum auctor sit, et verba inania nihilque significantia euitet.

LII.

*) Ex his vitia confusionis, obscuritatisque praeiudicia religionis et similia reiicit, quos autem reprehendet in Cautelis cap. 10. not. C. exposuit.

**) Prax. logic. c. 1. seqq.

LII. Qui aliorum opiniones interpretari et examinare cupit, non debet iudicare de aliis, antequam de suis sententiam veram interponere didicit, et non nisi recte prius intellecta et considerato argumento, minime autem, interpretationis leges ignorans, vel de libro quem plane non legit, vel praeiudicio affectuque aliquo in transuersum actus inspexit.

Metaphysica pneumatica, physica Thomasii.

§. XXIII. Metaphysicam a pneumatica distinxit Thomasius, valde grauis metaphysicae Scholasticorum, quam in academiis Protestantium regnare vehementer indignabatur, hostis. Inde satyrica illa loca in *Dialogis menstruis*, in quibus metaphysicos false ridet. Nempe didicerat a patre [g], cui elegantem historiam metaphysicae debemus, inter veterum et recentiorum metaphysicam multum discriminis intercedere, cum illorum notitia metaphysica circa principia vniuersalia et cognitionem entis eiusque attributorum versata sit, et denique ad cognitionem Dei transcenderit [h]: recentiorum vero lexicon sit philosophicum terminorum philosophicorum communissimorum in iustae scientiae formam elaboratum. Quod quidem factum esse ex errore circa doctrinam analogorum commisso, pater asserit, sed qui tamen ita feliciter ceciderit, vt se nescire dicat, an illius lexici quo quidem carere nemo possit, qui ad eruditionem minime superficiariam in quouis doctrinae genere adspiret, forma sit nobis optanda melior. Filius autem Christianus exiguum huic lexico pretium statuit, quamquam enim ob introductos in scientias, artis terminos vtilitatem illi denegare omnem non audet, ideoque ontologiam CLAVBERGII vel CLERICI commendat, parum tamen ad eruditionem philosophicam conferre iudicat, et ad intelligendos modo scriptores, qui istis artis vocabulis vsi sunt, adhibendam esse pronuntiat [i]. Quae caussa est, cur hanc partem philosophiae, quae principia scientiarum communia considerat, et philosophia prima quoque dici solet, non attigerit. Secutus autem methodum Scholasticorum, qui theologiam naturalem et pneumatologiam a metaphysica distinguere solebant, de spiritu nonnulla commentatus est. Quae cum a philosophis gentilibus disci non posse statueret [k], saltu quodam, nescio an satis felici, rationis principia praetergressus, quod crederet ignorare eam, quid sit spiritus, ad diuina oracula confugit, exque illis spiritus definitione capta, quod sit substantia agendi vi praedita, et attributis actiuis constans, nouam inde pneumatologiam excogitauit, vel potius ab aliis excogitatam recoxit, cumque materiae, veluti principio contrario contrariam essentiam, naturam attributa tribueret,

g) Summam hermeneuticae heic tradit, quam etiam in Iurisprud. div. L. 1. c. 3. p. 95. seqq. explicuerat: conf. append. p. m. 312. sed hoc loco emendat, conf. Cautel. c. 1. §. 38. seqq. controuersiam eo nomine habuit cum Vincentio Placcio.

h) Sched. de defin. sapient. s. orig. Hist. Phil. §. 17. p. 20.

i) Cautel. c. 12. §. 3. seqq.

k) Ibid.

bueret, enata inde phyſicae quaedam ſpecies, Moſaicae et theoſophicae ſimillima, quamque, ſi verum fatendum, ex Fluddo, Comenio, Bayero, Moro, ſimilibusque corraſit, ſuisque hypotheſibus adaptatam in tentamine de *Eſſentia ſpiritus* explicuit. Cuius cardo, in quo omnia vertuntur eſt, quod, dum mechaniſmo ſe opponit, eumque ratiunculis anxie conquiſitis euertere ſtudet, aliam prorſus ſpiritus definitionem ſibi formet, nempe ſpiritum vocando, quicquid actionem ſibi inuoluere videbatur, vnde principia motus omnia, cuiuscunque ea generis eſſe poſſunt, ad ſpiritus naturam retulit, et hoc quoque pacto lucem eſſe ſpiritum affirmauit. Quae cum extenſione non careat, ſpiritum quoque extenſum eſſe neceſſario dicendum erat, ita tamen, vt extenſionem illi in ſuperficie tantum ineſſe, ſine craſſitie, valde παραδόξως diceret. Quomodo neceſſe erat, phyſicos illos ridere, qui corpus habere concreatam vim motricem, neſcio quam et cuius entitatis dicunt. Quibus verbis quos philoſophos petierit, nemini ignotum eſſe poteſt, qui antecedens caput noſtrae tractationis perlegerit. Plerisque autem miſere paralogiſmis ineptis deceptus fuiſſe, et principia ignota, incerta et nihil ſignificantia adduxiſſe viſus eſt. Vnde nuper vir quidam doctus [l], mitiſſimo pro rei merito vocabulo nugas iſta eſſe, quibus philoſophia naturalis ſui et ignorantiam et contemtum vindicauerit, quasque recenſuiſſe ſatis ſit, appellauit. Realem de Vienna quoque in examine tentaminis de eſſentia ſpiritus hanc pneumatologiam Thomaſianam excuſſiſſe ex ſupra dictis repetendum eſt. Non operoſe autem ſummam illius tentaminis huc adducemus, cum, quae ipſa fundamenta attingunt, in confeſſione ſua ſupra in compendio enarrata, fuſe ipſe explicuerit, timeamusque, quae in vernacula ille attulit, a receptis philoſophorum vocibus mira καινοφωνίαι abeuntia, ne perperam et praeter mentem viri illuſtris explicemus. Vnde eos, qui ſpecialia nonnulla dogmata eius de ſpiritu et corpore ſcire cupiunt, ad ipſius libelli lectionem dimittimus, ex quo ὡς ἐν συνόψει potiora alibi [m] excerpſimus. Rem omnem autem, niſi fallimur, luculenter complexus eſt IVNCKERVS [n], his propoſitionibus totam pneumatologiam Thomaſianam deſcribens: I. Eſſentiam ſpiritus in genere conſiderati conſiſtere non in cogitatione ſola, ſed in actione: quoniam materia ens ſit mere paſſiuum; ſpiritus autem oppoſitus ſit materiae, ex quo vtroque conſtet omne corpus, oppoſita vero habeant praedicata oppoſita [o]. II. Dari etiam ſpiritus non cogitantes, ſed tamen

l) Cel. HOLLMANNVS theol. nat. c. 1. §. 19. p. 79. not. A.
m) In Germanico Hiſt. phil. opere T. VII, p. 576. ſeqq.
n) In Lineis primis erud. vniuerſae p. 136.
o) Ex his concludit, poſſe ſpiritum expandi, concentrari, purificari, dari ſpiritus tenebroſos, calefacientes et frigefacientes, ſummos et imos, calidos et frigidos, maſculinos et foemininos, nempe lumen et aetherem, ſpiritum creatum ſenſibus

men agentes, aetherem scilicet et lumen. III. Omnem potentiam actiuam esse ens per se subsistens, et subsistentiam potentiae passiuae perficiens. IV. Potentiam vero passiuam non posse per se subsistere, sed opus habere lumine sufficienti, vt videri queat. V. Omnes denique potentias actiuas, seu actrices, esse inuisibiles, etsi materia inuisibilis, sit instrumentum aut signum potentiae actiuae. Hac vero ratione VI. Etiam lumen et aetherem esse inuisibilia, et VII. quicquid non possit concipi sine actione, illud esse spirituale. Quae dogmata ex *Confessione Thomasiana* satis lucis capiunt, maxime autem ex physiologia et pneumatologia Mosaicorum, quibus pleraque debet Thomasius, queunt explicari. His igitur, quae mallemus omisisse, Thomasium, satis infeliciter reformare pneumatologiam et Physicam aggressum, prolixius non immoramur, sed ad moralem philosophiae partem conuertimur, in qua acutius vidit, licet, vt est hominum conditio, ab hypotheseos et praecipitantiae praeiudicio totus liber hac quoque in parte haud sit. Ita vero statuit:

Ethica Thomasiana.

§. XXIV. I. Bonum consistit in harmonia rerum aliarum cum homine eiusque viribus omnibus, non vero cum solo intellectu, quo respectu bonum est veritas.

II. Quicquid vires hominis ad breue tantum tempus auget, eiusque durationem impedit, malum est.

III. Omnis sensuum commotio et exorta inde sensio nimis fortis mala est.

IV. Nobilissimum bonorum fortunae non sunt diuitiae, nec honor, nec amicorum multitudo, nec libertas, sed sanitas.

V. Non consistit felicitas hominis in sapientia, neque in virtute; illa enim ad solum intellectum, haec ad solam voluntatem pertinet.

VI. Sed quaerenda est summa felicitas, in desiderio tranquillo, et cogitationibus moderate, mutationem subeuntibus, id est, in tranquillitate animi siue εὐθυμίᾳ.

VII. Delectatio haec siue acquiescentia animi dolore quidem caret, at gaudio quoque; et tranquilla est p.

VIII. Fons hic est amoris rationalis.

IX. Homo

fibus posse comprehendi, Dari Archaeum siue spiritum mundi vniuersalem, esse in homine tres partes, corpus, spiritum malum et bonum, et similia, quae serio statuisse Thomasium non crederemus, nisi has ineptias systematis I. N. et G. fundamentum esse iussisset: adeo frigent omnia, et naenias sapiunt.

p) Opponit cum Epicuro voluptatem stantem vel quiescentem, fluenti vel quae est in motu.

IX. Homo ad Societatem tranquillam et pacis amantem, adque amorem animorum tranquillitati ſtudentium natus eſt.

X. Amat autem homo rationalis prudensque alios homines magis, quam ſemet ipſum.

XI. Quando ſumma felicitas pro complexu maximo et perfectiſſimo omnium bonorum quae homini contingere poſſunt ſumitur, tunc neque in diuitiis, neque in honore, neque in pudore, neque in libertate, neque in amicitia quaerenda eſt, immo proprie in hac vita non datur.

XII. Sanitas neceſſarium quidem requiſitum et pars eſt tranquillitatis animi, non vero ipſa εὐθυμία.

XIII. Sapientia et virtus ſunt partes eſſentiales tranquillitatis animi, quibus qui caret, vere miſerrimus eſt.

XIV. Voluptas corporis eſt contraria voluptati animi, eſt enim motus inquietus.

XV. Deus eſt cauſſa prima omnium rerum mutabilium, a quibus eſſentia diſtinguitur, eſtque a ſe ipſo q.

XVI. Materia prima neceſſario ex nihilo a Deo facta eſt, non poteſt enim illi coaeterna eſſe.

XVII. Res mutationi obnoxiae ſe ipſas conſeruare nequeunt, id vero creatoris opus eſt.

XVIII. Ergo datur diuina prouidentia.

XIX. Etſi Deus ſingulis momentis rebus vitam, eſſentiam et exiſtentiam nouam largitur, ſemper tamen cum priori priſtinoque vnum et idem eſt.

XX. Haec cognitio eſſentiae diuinae regula eſt, ad quam vitam et actiones ſuas componit vir ſapiens.

XXI. Ideo eum ſincere amabit, vere illi confidet, humiliterque eum reuerebitur.

XXII. Ex naturali hominis cognitione praeter hunc cultum Dei internum, nihil conſtat de cultu Dei externo r, licet intelligat praeſtare Deum externe quoque colere, quam non colere.

q) Multus eſt in eo, vt demonſtret, falſum eſſe axioma ex nihilo nihil fit cap. 3. §. 8. pag. 122. ſeqq.

r) Etiam de hac theſi diſputauit cum Placcio, vid. append. ad Lib. II. Iurisprud. div. pag. 372. et

XXIII. Duo errores capitales in agnitione Dei sunt atheismus et superstitio idololatrica.

XXIV. Superstitiosus deterior est atheo.

XXV. Amor est desiderium voluntatis humanae vniendi se cum eo, inque ea vnione manendi, cuius bonitatem intellectus agnouit.

XXVI. Amor irrationalis varius est, si desiderium nimis inquietum est, si amantur res malae et noxiae, si varia vnionis genera inter se confunduntur, si coniunctio corporum primario intenditur.

XXVII. Non autem est confundendum desiderium generandae sobolis cum cupiditate delectationis ex ea re.

XXVIII. Prouidentia itaque in vnione corporum opus est, ne sub amoris rationalis larua irrationalis lateat.

XXIX. Amor rationalis aliorum hominum, vnum ad felicitatem medium est.

XXX. Amor vnica virtus, et vera virtutum omnium mensura est.

XXXI. Amor Dei, qui ad eum solum respicit, est supernaturalis, tenditque ad futuram felicitatem, et in sublimiori schola discendus est.

XXXII. Duplex est amor aliorum, communis et specialis.

XXXIII. Verum amorem gignit vnice similitudo propensionis ad virtutem.

XXXIV. Neminem odisse oportet, licet inimici amicorum communes esse debeant.

XXXV. Amor vniuersalis atque communis quinque virtutes complectitur: I. humanitatem, quo et beneficentia et grati animi significatio pertinet. II. Veracitatem fidemque promissionibus etiam inimicis et haereticis factis praestandam; III. Modestiam cum humilitate non confundendam; IV. Sedatum et pacificum animum, V. Patientiam a bello abstinentem, quo neque amor, neque pax comparari potest

XXXVI. Amor specialis est vnio duorum animorum, sine qua non consistit amicitia.

XXXVII.

et differt. de Naeuis Iurisprud. Rom. ex Historia Iuris ab eiectis regibus ad publicatas leges XII. tabb. deductis, LEIPZIG pag. 290. Abrupit controuersiae filum Placcius, cuius caussam exposuit in Access. art. rhetor. in epistola adiecta.

XXXVII. Amorem licitum non facit solum coniugium.

XXXVIII. Quo plures se amant, eo magis rationalis amor est.

XXXIX. Contra rationem est, eum odisse, qui idem quod nos amamus, ipse quoque amat.

XL. Amor rationalis postulat quidem similitudinem inclinationum, non vero graduum earum.

XLI. Fundamentum amoris rationalis est, si quem vere magni facimus atque aestimamus.

XLII. Oritur ex hoc aestimio recto sollicitum placendi studium, beneficentia ex confidentia orta, communio plena bonorum et actionum omnium.

XLIII. Pro conditione hominum, circa quos versatur amor, variant etiam eius circumstantiae, praecipue vbi is obtinet inter aequales.

XLIV. Amor rationalis erga se ipsum est studium omne id faciendi, quo vitae terminus a Deo fixus secundum regulas rationis communis et sanae, ad emolumentum eorum, quos amamus, non praeuertitur, sed conseruatur s).

XLV. Amor proximi est fundamentum amoris erga nos ipsos.

XLVI. Respicit autem ille ante omnia ad emendationem animae, conseruationem corporis et vitae autem amori aliorum postponit.

XLVII. Ad curam corporis quatuor virtutes requiruntur: temperantia, puritas, laboris industria et fortitudo.

XLVIII. Causa cur plerique homines euadant infelicissimi est, quia carent amore tranquillo et rationali.

XLIX. Causa omnis infelicitatis non tam in intellectu, quam in voluntate hominis eiusque propensionibus latentibus quaerenda est.

L. Praeiudicia intellectus originem habent ex voluntate.

LI. Infelicitatis origo ipsaque natura consistit in amore irrationali, et animi statu irrequieto.

LII. Duobus praeiudiciis seducitur voluntas; nempe praeiudicio impatientiae et imitationis, quae difficulter eradicari possunt.

s) c. 7. p. 313. seqq. huic potissimum fundamento innititur nouum systema I. N. et G. vt ex infra dicendis patebit.

LIII. Affectus in voluntate sunt non in intellectu [t].

LIV. Voluntas est facultas animae, qua homo ad aliquid inclinatur, seque ipsum instigat ad faciendum vel omittendum aliquid.

LV. Differt itaque intellectus a cogitationibus, quae ad intellectum pertinent.

LVI. Semper mouetur voluntas hominis ab ingrato ad gratum, ab iniucundo ad iucundum.

LVII. Tendunt omnes animi propensiones ad futurum et absens obiectum.

LVIII. Oriuntur affectus ex sensionibus, quo referenda quoque est sensio inclinationis nostrae.

LIX. Commotio rerum externarum vehementior sentitur in corde.

LX. Ex fortiori impressione sequitur commotio sanguinis extraordinaria, quacum tamen non semper coniuncta est commotio neruorum.

LXI. Vnus tantum affectus primarius est, nempe desiderium siue cupiditas, qui potest in amorem et odium distribui.

LXII. Admiratio inter affectus locum haud habet.

LXIII. Omnes ad odium et amorem reduci affectus possunt.

LXIV. Affectus in se neque mali neque boni sunt, sed indifferentes, species vero eorum aut bonae aut malae sunt.

LXV. Affectus, qui hominem sibi eripiunt, mali sunt, qui restituunt sibi, boni.

LXVI. Commotio nimia mala est, temperata vero bona.

LXVII. Quatuor sunt propensiones primariae, amor rationalis, amor honoris, amor habendi, amor voluptatis; eaeque in natura hominis se exerunt, sunt enim sanguinei voluptati dediti, cholerici ambitiosi, melancholici auari [u].

LXVIII.

t) Prax. eth. c. 2. p. 58. seqq. quo loco pathologiam Stoicam, Platonicam, Peripateticam, Carteſianam erudite prosequitur, dignus, qui attente legatur.

u) Mutauit has assertiones quae c. VII. p. 157. seqq. explicantur, cum amorem rationalem ab amore honoris, pecuniae, voluptatis minus recte specie distinctum esse ex sensu communi se deprehendisse crederet. Nempe statuit postea amoris irrationalis naturam quaerendam esse in inepto et irrationali amore boni, honesti, vtilis et iucundi, vid. Fund. I. N. et G. L. I. c. 3. §. 77. sqq. Cautel.

LXVIII. Tranquillitas animi poſtulat harmoniam inter vires cogitationum, ſiue intellectus.

LXIX. Ingenium, iudicium et memoria in amore rationali perfecte conſpirant.

LXX. Eſt amor rationalis taciturnus, ſincerus, liberalis, humanus, cordatus, temperans continensque, parſimoniae deditus, induſtrius, alacris, patiens, magnanimus, inſeruiendi cupidus promtusque.

LXXI. Quaelibet propenſio mala gignit vitia virtuti contraria, ex illa enaſcentia.

LXXII. Ex varia mixtura vitiorum oriuntur laruae pſeudo-virtutum.

LXXIII. Apud quemuis hominem regnat vnum ex vitiis cardinalibus, quod cum reliquis magis vel minus miſcetur.

LXXIV. Ex prudenti conſideratione huius mixturae oritur ars aliorum animos dignoſcendi x).

LXXV. Reſpiciendum autem primario ad tria vitia capitalia, otium, iram, inuidiam.

LXXVI. Extinguendi ſunt affectus praui et excitandus amor rationalis y).

LXXVII. In extinguendis vero prauis affectibus a propenſione praedominante faciendum eſt initium.

LXXVIII. Requiritur autem intentio bona et ſincera, et attentio accurata.

LXXIX. Neceſſarium porro eſt in praeiudicia voluntatis inquirere, eaque abiicere.

LXXX. Subtrahenda quoque cupiditati praedominanti alimenta ſunt, et vitanda occaſio, conuerſatio autem bonorum et exercitatio rerum bonarum quaerenda.

LXXXI.

tel. c. 14. §. 51. hinc in Hiſtoria ſap. et ſtult. Germanice edita menſ. XI. in Praxi ethic. c. VI. §. 30. in Tent. de Eſſ. ſpiritus c. VII. § 189. mutare iubet. Putat autem diſtinctionem amoris rationalis ab amore irrationali ſpecificam myſticos quoque in errorem ſeduxiſſe, eo quod viam purgatiuam illi inaedificauerint, quae ad enthuſiaſmum ducat. Interim tres iſtas propenſiones malas et irrationales his non obſtantibus ſeparatim conſiderare iubet, vt ex infra dicendis conſtabit.

x) Exempla eius rei luculenta expoſuit in Hiſt. ſap. et ſtult. Germ. m. XI. p. 251. conf. tamen Cautel. c. XIV. not. u. et quae ibi ſupplere iubet.

y) Etiam haec mutanda erant cum amorem rationalem ſpecie non differre ab irrationali ſtatueret, hinc in paſſionum ſiue propenſionum primariarum aequilibrio rationalem amorem quaerendum eſſe poſtea docuit. conf. Cautel. c. 14. §. 56.

LXXXI. Ad hanc autem vitam virtute dignam conſequendam naturales vires non ſufficiunt [z].

Ius N. et G. Thomaſii.

§. XXV. Reſtat ex diſciplina Thomaſiana iurisprudentia diuina, cuius faciem dupliciter virum illuſtrem delineauiſſe ſupra memorauimus. Et primo quidem in plerisque Pufendorfium ſecutum ſe eſſe, ipſe non negat, emendauit autem eius ſyſtema, introducta lege diuina poſitiua vniuerſali, et ad hanc normam multa exigendo, capita nonnulla iurisprudentiae naturali vindicauit. Qua de re conſilioque ſuo cum ipſe in diſcurſu prooemiali diſſeruerit, et quae nouae diſciplinae obiiciebantur, atheiſmi, heterodoxiae et nouaturientis laſciuiae ſuſpicionem a ſe remouerit, Lectorem ipſum librum adire iubemus, longiora enim ſunt, quam vt hoc loco in compendio queant afferri. Mutauiſſe autem conſultiſſimum virum conceptum atque definitionem legis, et ob homonymiam latentem nouam et reſtrictiorem eius ſignificationem induxiſſe, ſupra quoque iam narrauimus, patetque ex tractatione eius de legis vera notione, quam *Obſeruationibus literariis Halae vulgatis* [a] inſeruit, itemque ex *Capite quarto et quinto Fundamentorum iuris naturae et gentium*, virum celeberrimum facto diſcrimine inter conſulentis et imperantis perſonam, conſilio obligationem internam, legi externam et vim coactiuam vindicaſſe, illudque ſapientis cauſſa, hanc ſtulti eſſe darique contendiſſe. Sicque legem naturalem ad conſilia obligatione interna obligantia, poſitiuam ad imperia humana retuliſſe, Deumque ideo non vt deſpotam et legislatorem, ſed vt patrem conſideraſſe, poenam quoque proprie ab hominibus tantum viſibili modo inferri poſſe, aſſeruiſſe. Quibus poſitis non potuit non magnam pati mutationem iurisprudentia naturalis Thomaſii. Valde diſplicuit haec nouitas non theologis modo, ex quorum ordine praeter *Innocuarum relationum* auctores [b] B. Io. FRANC. BVDDEVS [c] diſſenſum ſuum teſtatus eſt, praecipue cum nouas aſſertiones non carere periculo crederent: ſed ex ICtis quoque [d] non defuerunt, qui leges diuinas poſitiuas vniuerſales maiori probabilitate et ſecuritate, quam hypotheſin de conſiliis diuinis, admitti poſſe contenderent. Et profeſſus quidem eſt Thomaſius [e], libertatem ſe relinquere cuilibet, cui haec ſua non placuerint, manendi in via trita et communi, modo eadem ſibi libertas concedatur, cetera promtiſſimo mutare doctrinam ſuam, meliora ſi edoctus fuerit: aſt, ſi verum fatendum, in his

2) Etiam hoc in Fund I. N. et G. c. 1. §. 99. 118. ſeq. c. 2. § 104 Cautel. l. c. § 59. p. 235. mutauit, eo quod philoſophicas virtutes veras eſſe virtutes ſtatueret.

a) T. VI. obſ. 27.

b) 1703. p. 852. ſeqq.

c) Inſt. theol. mor. P. II. c. II. §. II. p. 504. conf. Iſagog. in Hiſt. theol. p. 315. Hiſt. philoſ. p. 525.

d) IMM. WEBERVS pec. Diſſ. de Legibus diu. poſitiuis vniuerſalibus. conf. PALTHENIVS Diſſ. an leges naturae ſint ſtricte et proprie dictae leges.

e) Fund. I. N. et G. c. 1. p. 89.

his ipsis fundamentis I. N. et G. aperte prodidit contradictionis se non valde patientem esse, et irritatum a suspicionibus vel cauſſis priuatis nonnullis abstinere a contumeliae nota dissentienti inurenda non posse. Nam non Weberum solum valde contemtim refutat, quos mores a philosopho non expectaueris, sed imprimis Buddeum quoque ita sugillat, vt vix a conuitiis abstineat, eo quod is pronuntiasset, dogma, quod ius naturae ad consilia magis, quam leges strictas pertineat, tale esse, vt praecipua fidei fundamenta destruat. Quae ita irritarunt Thomasii animum [f], vt studium ei ineptum omnibus placendi, dissimulationem astutam, iniquam vindicationem alienorum pro suis, meticulositatem, inclinationem ad laudes potentiorum, contradictiones apertas etc. obiiciat, quae in reformatore ethices amorem rationalem vbique crepante nemo sanus quaesiuerit. Quod annon cauſſis quibusdam arcanis adscribendum sit, iis coniiciendum relinquimus, qui circumstantias eorum temporum et ἀνέκδοτα didicerunt. Certe tantis iris opus haud erat, praecipue cum haud parum esset suspectus Thomasius, noua legis definitione introducta, nouisque libertatis, voluntatis aliisque notionibus moralibus effictis et suppositis, verbis eum magis [g], quam re ipsa nouam scientiam iuris naturalis introduxisse, vt haberet, quo alios morderet, et sibi aliquid singulare esset, atque ab aliis, qui hactenus satellites sui fuerint (ita enim eos vocat, qui ius illud vniuersale diuinum receperant,) diuersum ostenderet. Et fatendum quoque, multum acuminis et ingenii in hac tractatione virum magnum demonstrauisse, licet scriptioni isti lumina et elegantia desint, vnde non repugnamus, si quis cum cel. STOLLIO [h] hunc foetum Thomasii omnibus aliis praeferendum esse ob acumen contendat. Nos id vnum dictis prooemii loco addimus, auctorem ea quae de hominis natura morali, de natura spiritus, de forma essentiali hominis, de spiritibus oppositis in homine in *Ethica* et *Tentamine de Essentia spiritus* dixerat, hoc quoque loco suppoſuisse, inflexisse autem ea dogmata, et abiecisse praetextu relictorum terminorum logicorum et metaphysicorum nonnulla, quae offendere reuera posse intelligebat. Ita v. c. dogmati formam essentialem hominis consistere in voluntate, surrogauit illud: principium dirigens actiones humanas non esse intellectum, sed voluntatem, itemque illi: hominem ab homine specie differre, hoc substituit: hominum singula indiuidua a natura voluntatibus diuersis et oppositis esse praedita, vel huic: hominem regi spiritibus oppositis hoc aequiparandum censuit: hominem modo ad hoc concupiscendum, modo ad aliud,

f) p. 67. et passim, item in Cauſſis iur. mixtis P. II.
g) Conf. STOLLIVS Hist. lit. P. III. c. 1. §. 61. p. 624.
h) l. c. conf. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. VI. p. 72.

aliud, quod priori voluntati erat oppositum, impelli. Quae idem quidem significare velleque contendit, ast prodit simul, aut prius notionum ambiguitate lectores eum delusisse, aut nunc mitiora et tolerabiliora supponere, et mutationem tamen fateri nolle. Verum de his lectori a partis studio alieno iudicium relinquimus, nec de systemate Thomasiano arbitrium interponimus, sed ipsum potius, quoad fundamenta et capita potiora enarramus. Cuncta enim adducere velle, esset, librum ipsum, qui in omnium manibus est, describere. Sufficiet autem ea notasse, ex quibus constare potest, quo charactere, fundamento, et nexu constet ius naturae et gentium nouo labore a Thomasio reformatum. Ita vero praecipit:

I. Mundus constat ex inuisibilibus potentiis et corporibus visibilibus [i]. Per potentias inuisibiles auctorem intelligere spiritum, ipse notat, abstinere autem iam se ab eo vocabulo ait, propter ambiguitatem. Quo pacto veterem cantilenam repetit, et inuisibilia omnia spiritus esse, adeoque lucem et aetherem huc pertinere contendit. Quin spiritus, potentias, facultates et virtutes sibi synonyma esse, et aërem corpus non esse transparens, quia videri nequeat, asserit. Ex his, quae primi fundamenti loco ponit, de reliquorum siue certitudine et perspicuitate siue incertitudine, ambiguitate et obscuritate facile iudicabit lector beneuolus, philosophandi, et notionum clararum et distinctarum peritus.

II. Nullum datur corpus visibile, quod non praeditum sit potentia inuisibili.

III. Quod in corporibus visibile est, aut tangi potest, materiam vocamus, inuisibilia autem et, quae tangi non possumus, vocamus naturam. Naturam autem semper denotare potentias et virtutes, hancque clauem esse quaestionis inter Schelhamerum, Sturmium, Boyleum agitatae de natura, contendit. Qua verisimilitudine? lector iudicet.

IV. Homo pertinet ad classem rerum visibilium, habet autem praeter facultates cum aliis corporibus communes potentias, per quas ab iis differt, nempe animam, quae se exerit facultatibus intelligendi et volendi.

V. Quia potentiae corpora singulorum generum producunt, et particulas materiae ita vniunt, vt peculiarem figuram accipiant, id quod etiam in formando ab anima corpore fit, ideo externa figura corporis humani ac partium eius internam et externam diuersam indolem et naturam animae humanae designat.

VI. Prae-

i) Capite I.

VI. Praeditus est homo intrinseca facultate inquirendi in sedes potentiarum propriarum ensque sentiendi.

VII. Huius ope scit, facultatem intelligendi esse in cerebro, volendi in corde; illud cogitatio est, hoc concupiscentia siue amor.

VIII. Igitur intellectus est facultas animae humanae cogitandi in cerebro, et voluntas facultas eiusdem animae concupiscendi in corde.

IX. Actus vero intellectus sunt cogitationes, quae vel de corporibus cogitant, vel de potentiis, illae sensiones dicuntur, hae intellectus stricte dictus aut purus. Caue hic intellectum purum sensu Cartesiano intelligas, statuit enim auctor, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, sed intellectus purus hoc loco notat abstractiones factas ex sensionibus.

X. Sensiones corporum praesentium dicuntur sensus communis, nec confundendae sunt cum sensibus externis: hi enim ad corpus pertinent, illae ad potentias homini proprias: hi sola perceptione, illae affirmatione intellectus constant.

XI. Nulla est cupido seu voluntas ignoti, sed omnis cupiditas requirit minimum perceptionem seu cognitionem sensus externi.

XII. Cogitatio, quae circa rerum praeteritarum imagines per sensiones impressas versatur, vocatur imaginatio, vel angustiori sensu memoria, si eas componit vel subtrahit imaginatio stricte sic dicta, vel phantasia.

XIII. Cogitationes omnes de corporibus consideratis vt totis sunt singularium et sensionum.

XIV. Non potest esse consideratio materiae in abstracto, sed solum potentiarum. Potentia communis corporum autem, quae materia dicitur, accuratius vocatur natura corporis.

XV. Quando potentiam ab vnione corporis seorsim cogitamus, oritur inde cogitatio vniuersalium, quae fit per abstractionem.

XVI. Modi cogitandi omnes fiunt aut per inuestigationem, aut per formationem propositionum: illa est quaestio et suspensio iudicii, haec affirmatio et negatio. Hae igitur actiones sunt intellectus non voluntatis: et, simpliciter falsum est, dari cogitationem termini simplicis. Petit Cartesianos et Scholasticos, ast nisi fallimur, verbis magis, quam re ipsa ab illis abit.

XVII. Series plurium cogitationum ratiocinatio seu meditatio dicitur, plures ratiocinationes ordine suo constant, seu methodo.

XVIII. Memoria pollet, qui plures sensiones recordatur ingenio, qui apte eas iungere, iudicio qui differentias potentiarum inuestigare nouit.

XIX. Omnis voluntas est concupiscentia in corde amorque vel desiderium vniendi se cum re amata, omne autem desiderium est conatus agendi.

XX. Conatus voluntatis in homine impellit intellectum ipsum, vt rem amatam valde consideret, et de mediis eam adipiscendi cogitet.

XXI. Igitur voluntas est concupiscentia cordis semper coniuncta cum cogitatione intellectus. Hinc, si consideretur absque respectu ad potentiam agendi, dicitur appetitus sensitiuus.

XXII. Non tamen voluntas est cogitatio, differunt enim conatus et sensio. Peripateticos et Cartesianos pungit, omnem animae operationem cogitationis nomine comprehendentes. Aſt meras definitiones nominales esse, adeoque arbitrarium, quid cogitationis nomine significare velimus, quilibet videt.

XXIII. Actiones intellectus saepe quidem mouentur sine voluntate, sed voluntas semper mouet intellectum.

XXIV. Potentiae rerum extra hominem non solum mouent facultates corporis, sed et cogitationes, et ipsam voluntatem seu appetitum.

XXV. Falsum itaque est, voluntatem non posse cogi, potest enim irritari vel impediri per virtutes inuisibiles potentiarum externarum. Valde improprie vox cogi hic sumitur, quando rationibus flectuntur inclinationes voluntatis. Quod vt fieri posse nemo negat, ita vox cogere, ista ambiguitate multos in systemate Thomasiano praeter necessitatem valde exacerbauit.

XXVI. Locomotiua facultas non pendet a cogitatione, sed subest conatui cordis, etsi non semper proueniat a voluntate humana, i. e. coniuncta sit cum cogitatione, quod mouere membra velim: non vero tota ab ea pendet, sed est singularis potentia a Deo indita.

XXVII. Habet intellectus suas vires proprias, in quas nihil

potest

poteſt voluntas, quae motum quidem cogitationum incitare, non vero ſiſtere ſemper poteſt.

XXVIII. At in affirmatione boni vel mali, quod nos ipſos afficit, in attenta conſideratione huius boni et mediorum aptorum ſemper intellectus impulſui voluntatis ſubeſt, nec dirigitur voluntas ab intellectu. Non enim quia aliquid bonum videtur intellectui, voluntas id appetit, ſed ideo, quia voluntas id appetit, id bonum videtur intellectui. Valde diſplicuit theſis iſta multis, qui experientiae et naturae humanae eam repugnare contenderunt. Alii inter intellectum, voluntatem antecedentem et conſequentem diſtinguentes conceſſerunt, antecedere debere ſenſionem grati, ſine qua moueri nequeat voluntas, aſt hanc irritatam tunc ita intellectum determinare, vt obiectum ſecundum inclinationem voluntatis conſideret. Aſt ſi καινοφωνίαν hic excipias, nihil dixit Thomaſius, quod non dictum ſit ab aliis: Ipſe enim ſupra conceſſit, omnem cupiditatem ad operandum requirere perceptionem ſeu cognitionem ſenſus externi, ſenſionem autem ex ſenſu ſequi. Adeoque quae operoſe hic et in ſeqq. de voluntate ab intellectu libero et non dependente dictitat, aut intelligenda ſunt de conſideratione accurata obiecti, quod appetit poſt ſenſionem voluntas, aut de inclinatione voluntatis in ſe, quae tamen per ſenſionem determinanda eſt ad obiectum certum. Ex quo patet plerisque, quae tantis animorum motibus diſputata ſunt, ſubeſſe contentionem de vocibus. Quae ſemel monuiſſe ſufficiat.

XXIX. Habent intellectus et voluntas ſuas actiones et paſſiones.

XXX. Intellectus agere dicitur, quando impellitur a voluntate ad meditandum, pati, quando mouetur ab aliis rebus praeter voluntatem ad ſentiendum.

XXXI. Voluntas patitur ab aliis rebus ipſam excitantibus, non tamen ab intellectu primario; eo tamen vtitur tanquam inſtrumento ad excitandos affectus per cogitationes attentas.

XXXII. Intellectus agit in cerebro; loqui enim eſt actio corporis, non intellectus.

XXXIII. Voluntas agit extra cor, quia conatus eſt, non dantur itaque actiones eius immanentes.

XXXIV. Voluntas eſt primum agens animae humanae, quia mouet intellectum.

XXXV. Actiones a voluntate imperatae dicuntur voluntariae, morales, ſpontaneae, reliquae neceſſariae, coactae, phyſicae.

XXXVI. Natura hominis moralis eſt complexus potentiae volendi cum potentiis voluntati ſubiectis. Adeoque ad phyſicam quoque ſuo modo pertinet.

XXXVII. Ratio humana eſt praedicatum ſolius intellectus, non voluntatis.

XXXVIII. Libere iudicat intellectus de rerum natura etiam de bono et malo, quoties a voluntate non impellitur. Seruit voluntati, quatenus ab ea impellitur.

XXXIX. Habet intellectus et voluntas ſuam libertatem et ſeruitutem, vtramque non intrinſecam ſed extrinſecam ratione intellectus et voluntatis.

XL. Nulla ideo datur voluntatis electio, ſiue libertas indifferentiae.

XLI. Dum non ſemper intelligitur, quod voluntas agat irritata a potentiis externis, hoc intuitu libera dicitur.

XLII. Spontaneum et liberum intrinſece toto coelo differunt. Spontanea enim eſt actio, quae a voluntate eſt imperata, dicitur vero libera eo reſpectu quo ipſa voluntas.

XLIII. Spontanea actio homini imputatur, quia eius auctor eſt, non vero quia libera eſt.

XLIV. Potentiae omnes inter ſe aut vniuntur, aut pugnant, in hoc caſu potentior facultas vincit minus potentem.

XLV. Bonum dicitur, quod potentias alicuius corporis conſeruat, malum quod eas, et ſic ipſum quoque corpus deſtruit.

XLVI. Vnio potentiarum cum corpore vita dicitur, ſolutio mors: vita durante corporis partes, quae ſunt ſedes potentiarum, manent vnitae, morte diſſoluuntur particulae corporis, potentiae auolant ad potentias ſeparatas, in nihilum enim redigi haud poſſunt.

XLVII. Corpus itaque mortale eſt, potentiae immortales.

XLVIII. Peculiare eſt in homine, quod habeat potentiam primaria cuius bona ſaepe repugnant bono totius, quod tamen vere bonum eſt, bonum partis totius bonum deſtruens bonum apparens, id eſt malum.

XLIX. Co-

XLIX. Conatus ad rem sibi conuenientem dicitur desiderium, amor, spes, conatus ad rem sibi aduersam odium, fuga, horror, metus. Dicuntur passiones, quia a rebus extrinsecis animo gratis vel non gratis regulariter ad motum excitantur.

L. Ratio quando libera est, id est a voluntate non mouetur, et ita cognoscit differentiam inter bonum verum et apparens, recta dicitur. At impulsa a voluntate ad bonum apparens dicitur corrupta.

LI. Singuli homines habent voluntates in paucis conuenientes, in multis diuersissimas et saepe pugnantes et oppositas: quin singuli homines non volunt perpetuo, quod semel volunt, sed saepe diuersa et opposita. Patet id ex diuersa figura facierum, quae passiones diuersas significant.

LII. Non itaque homo est species infima, nec humano generi vna eademque natura est.

LIII. Dantur in homine tres praecipuae voluntates siue cupiditates, voluptas, auaritia, et ambitio, quae omnibus hominibus dominantur, sed diuersa mixtura.

LIV. Istae tres cupiditates non sunt diuersi motus sibi inuicem naturaliter succedentes, directi a communi principio volendi aut ab intellectus varia modificatione orti. Actiones enim pugnantes voluntariae non possunt oriri ex communi et vna voluntate, sibi enim repugnant in affectionibus externis.

LV. Ex his sequitur, ea quae communiter electioni adeoque libertati voluntatis tribuuntur, magis referenda esse ad passiones voluntatis aut coactionem et necessitatem. Orta enim pugna semper vincit potentia maior.

LVI. Voluntas omnis potentia actiua sua natura est, etsi multae eius affectiones ab aliis potentiis oriantur, immo omnes eius actiones ab aliis potentiis excitari et sic passiones dici possint [k].

LVII. Tres primarii affectus, voluptas, ambitio, auaritia, sunt tres facultates actiuae impellentes et intellectum et locomotiuam ad vnionem cum re grata etiam absente. Et eadem trium odiorum ratio est ad fugiendam rem ingratam.

LVIII. Sed spes, metus, gaudium, tristitia sunt passiones animae, ortae ex sensu potentiae alterius adiuuantis vel repugnantis illis affectibus.

LIX.

k) cap. 2.

LIX. Passiones animi sunt duplices, vel quibus voluntates primariae excitantur, vel quibus supprimuntur.

LX. Itaque accurate loquendo, non nisi duae affectiones affectuum primorum sunt, spes et metus, illa connata est, hic aliunde aduenit.

LXI. Spes est affectio orta ab ipsa aliqua prima voluntate, metus a potentiis aliis, estque eminenter sic dicta passio voluntatis.

LXII. Possunt affectus dici passiones, quatenus augeri possunt et deprimi a potentiis aliis.

LXIII. Spes et metus rationalis diuinus dicuntur religiositas, pietas, metus filialis: spes et metus irrationalis, superstitio, metus seruilis: carentia omnis metus diuini, et metus tantum humanus, atheismus.

LXIV. Qui connexionem potentiarum non solum intuitu praesentis, sed et sequentium influxuum recte aestimat, sapiens et prudens dicitur.

LXV. Quorum potentia intellectualis immediate a Deo agitata creditur, prophetae dicuntur, quorum voluntas heroës, at quorum intellectus et voluntas censetur agitata a potentiis inuisibilibus dependentibus appellantur magi. Hos omnes a spuriis secernere, sapientis et prudentis est, quique naturas potentiarum primae et secundarum accurate nouerit.

LXVI. Voluntas humana omnis est potentia finita, nec ad impossibilia extenditur: limites tamen eius difficulter definiuntur.

LXVII. Exactius cognosci possunt potentiae aliorum corporum ad potentias eiusdem speciei relatae, quam potentiae hominum inter se.

LXVIII. Omnis potentia, maxime homo, habet vires nocendi et vtilis quoque esse potest homini.

LXIX. Magis metuendi sunt homines, quam vt spes sit in illis collocanda, quia saepius possunt nocere, et saepius volunt.

LXX. Sapiens plures adiuuat, et plures tamen metuit, pauciſſimis vero resistit, in paucis spem aliquam, in nemine nisi in potentia aeterna fiduciam ponit.

LXXI. Potentiam propriam non metitur sapiens ex potentia aliorum hominum, nec horum ex propria.

LXXII.

LXXII. Multae sunt potentiae quae voluntates primas excitant, multae quae deprimunt, e. c. cibus et potus voluptatem, laus et vituperium ambitionem, bonorum inaequalitas auaritiam.

LXXIII. Voluntas hominis dominans, etiamsi non sit excitata a potentiis extrinsecis, semper vincit voluntatem inferioris potentiae, si haec sola sit, nec adiuuetur aliunde. Aft si duae inferiores voluntates vires iungant, vincent dominantem: idque fiet multo magis, si adiuuentur a potentiis externis.

LXXIV. Passio infirma a potentiis externis valde excitata saepe operabitur magis sensibiliter quam in aliis hominibus, vbi est passio dominans. Aft ad id magna potentia externa opus est.

LXXV. Sunt naturaliter certae excitationes et depressiones aut pugnae potentiarum humanae voluntatis diuersorum hominum, sed plerisque occultae.

LXXVI. Dantur exhalationes morales siue effluuia et emanationes rerum, quae sensus feriunt, et afficiunt hominem eiusque voluntatem.

LXXVII. Voluntas hominis semper est coniuncta cum spe aut metu, adeoque sine iis nulla datur actio voluntaria.

LXXVIII. Actio voluntaria omnis intuitu dependentiae a voluntate non est libera, intuitu principii dirigentis voluntatis est vel coacta, vel libera.

LXXIX. Potentia voluntatis libera est, quando homo spe connata agit absque externa vi, vel desiderium aut spem incutiente, vel metum excitante, adeoque iterum extrinsece non electiue. Vis autem est vel visibilis, quae in corpus fit, vel inuisibilis, quae in animum.

LXXX. Omnis actio non voluntaria seu non spontanea, est inuita: non autem omne coactum est inuitum.

LXXXI. Ad aestimationem actionum voluntariarum non semper requiritur, vt voluntas praecedat, sed sufficit, si subsequatur actionem.

LXXXII. Spontaneum est vel liberum vel coactum: illud, si voluntas impulit locomotiuam absque extrinseca excitatione vel voluntatis primae et absque metu, hoc, si voluntas excitatione spei vel metus extrinseca fuit coacta.

LXXXIII. Mores sunt actiones plures voluntatis conformes [l].

LXXXIV. Insipientium alii mores sunt, quam sapientium. Illi enim se maxime amant, se habent pro creaturis praestantissimis, praestantiam quaerunt in intellectu, et in eo ponunt essentiam hominis, quam eandem omnibus hominibus faciunt, et intellectum volunt dirigere voluntatem, eamque dicunt liberam nec posse cogi, effeque vnam, et differre ab appetitu sensitiuo, etc. [m]

LXXXV. Mores stultorum differentes sunt intuitu trium voluntatum primariarum.

LXXXVI. Ex passionum mixtura fluit, quod stulti alii sint eruditi alii stupidi vel idiotae. Illi ob pertinaciam et opinionem sapientiae maiores stulti sunt hisce. Non tamen eruditio stultos facit, sed potest esse sapiens eruditus.

LXXXVII. Passiones dominantes non ita simpliciter et extreme malae sunt, vt non possint dirigi ad vere bonum finem, nempe tranquillitatem.

LXXXVIII. Itaque nullus homo tam miser et stultus est, qui non possit adhiberi a prudentibus ad vtilitatem communem hominum.

LXXXIX. Alterantur passiones dominantes aetatibus hominum et climatum coeli diuerso, et educatione. Hinc varietas morum inter populos diuersos.

XC. Varii hominum mores opus habent norma, id quod eorum demonstrat non praestantiam sed miseriam, illa autem sapientem postulat [n].

XCI. Experientia et meditatio sunt affectiones sapientis.

XCII. Inter stultos minimus habetur loco sapientis.

XCIII. Mixtura ambitionis et voluptatis est character primarius aptorum prae reliquis ad sapientiam, coniuncta cum aetate prouecta.

XCIV. Regula de conscientia erronea et recta nullum praebet vsum vitae, adeoque haec norma esse nequit.

XCV.

l) cap. 3.

m) Hae omnes assertiones Thomasii singulares et propriae sunt. Quos ideo facile vna thesi sic expresseris, insipientem esse, quisquis notiones et opiniones Thomasianas non sequitur.

n) c. 4. Examinat haec, et quid sibi placeat, quid displiceat more suo eleganter et acute exponit LEIBNIZIVS Ep. XI. Vol. IV. p. 73. seqq.

XCV. Norma duplex est, qua vtitur sapiens erga stultos, consilium et imperium, excitant enim spem et metum insipientum.

XCVI. Sapientum bonum triplex est, honestum, iucundum, vtile. Ast simul coniunguntur.

XCVII. In danda stultis norma attendendum est sapienti ad id, vt ad eorum capacitatem respiciat, normam illis vtilem faciat, idque stultis ostendat.

XCVIII. Consilium supponit paritatem, imperium, superioritatem.

XCIX. Consilium ostendit bona et mala necessaria, imperium arbitraria; illud non habet vim cogendi, hoc habet, illud non obligat externe sed interne, hoc externe: illa sapiens regitur, hoc stultus.

C. Virtus sui ipsius praemium est.

CI. Proprie praemium et poena sunt externa.

CII. Stultus metuit saepe dolores et imaginarias potentias: qua imaginatione sapientes vtuntur ad emendandos stultos.

CIII. Norma intenditur, vt stulti ducantur ad quietem internam et pacem externam.

CIV. Tres stultorum gradus sunt, maximi, qui turbant pacem externam, aduersus hos opus imperio medii, qui pacem externam non augent, aduersus quos consilio et imperio opus, minimi, qui non sentiunt pacem internam, his saltem consilio opus est.

CV. Consulentis et imperantis personae difficulter cadunt in vnum hominem: hinc alii doctores sunt, alii principes;

CVI. Actiones extreme bonae sunt, quae tendunt ad acquirendam pacem internam, mediae, quae non turbant pacem externam nec tamen promouent, extreme malae, quae eam turbant, mediae autem pluribus gradibus gaudent, prout ad bonum vel malum referuntur.

CVII. Iustum opponitur malo extremo, honestum est bonum eminens, quod non succumbit cupiditati, decorum est bonum medii generis. Honestum dirigit actiones insipientium internas, decorum externas, vt beneuolentiam aliorum acquirant, iustum, ne pacem turbent, turbatam restituant.

CVIII. Differt pactum a consilio et imperio, ast non nisi his suppositis obligat.

CIX. Stricte lex sumitur pro iussis imperantium adeoque hoc sensu differt a consilio et pacto o).

CX. Legis stricte dictae virtus immediata est praecipere et vetare, mediata, per magistratus punire, iudicialiter cogere, er annulare actiones contra legem.

CXI. Legis effectus et intentio est obligatio, in sensu stricto externa, in lato interna.

CXII. Ius oritur ex laxatione voluntatis eiusque libertatis externae, obligatio vinculum iniicit voluntati eiusque libertati externae. Vtrumque refertur ad normam, sed diuerso modo.

CXIII. Ius duplex est, vel quod abstrahendo a voluntate omni habeo, vel quod ex lege humana et pacto oritur.

CXIV. Oppositum obligationis et iuris est iniuria.

CXV. Ius omne externum est non internum, i. e. relationem habet ad alios, obligatio etiam interna ad se ipsum esse potest, oriturque haec ex regulis honesti illud ex regulis iusti.

CXVI. Obligatio interna facit hominem virtuosum, externa iustum.

CXVII. Ius pro lege acceptum est vel naturale vel positiuum: illud cognoscitur ex ratiocinatione animi tranquilli, hoc requirit reuelationem et publicationem.

CXVIII. Ius naturale sumitur vel tale pro omnibus praeceptis moralibus ex ratiocinatione fluentibus vel stricte pro solis praeceptis iusti. Hinc diuersa vtriusque sunt cognoscendi principia.

CXIX. Omne ius positiuum intuitu publicationis, quae essentialis est, est humanum, id est, mediantibus hominibus reuelatum.

CXX. Ius naturale cordibus inscriptum est a Deo, indeque diuinum est, nec reuelatione opus habet.

CXXI. Lex naturalis magis ad consilia pertinet, quam ad imperia. Lex enim pro iussu sumitur non doctoris, sed imperantis; ratio relicta sibi nescit, quod Deum concipere debeat, vt regem aut dominum, qui poenas externas arbitrarias infligit legem naturae violantibus: videt enim omnes poenas, quae non sunt sub imperio, esse naturales, et improprie dictas: propriae enim ab imperante dictantur, et visibiliter inferuntur; leges quoque publicantur, philosophus ignorat publicationem iuris

o) capite 5.

iuris naturalis. Etiam sapiens concipit Deum magis vt patrem, quam vt dominum, illud enim metum rationalem producit, hoc seruilem. Κυρία δόξα iuris naturalis Thomasiana, qua potissimum a priore iurisprudentiae naturalis systemate abit, totumque immutauit. Quae cum plane singularis sit innumeras contradictiones passa est, fueruntque inter ipsos Thomasii collegas, qui hanc distinctionem inter legem et consilium ad ius naturae applicatam tanquam figmentum reiicerent. Inter quos etiam fuit acutissimus GVNDLINGIVS p), „qui existimat, ob rationes „adductas vadimonium non deserendum esse: esse enim exploratum „Deum non solum ab homine exigere, vt veritatem vtriusque legis, ab„solutae puta et hypotheticae, intelligat, sed etiam effectui det, atque „sollicite exequatur. Priori respectu legem esse consilium paternum„que monitum, quod iam Pufendorfius obseruauerit, posteriori legis „proprie dictae nomen habitumque induere. Quicquid enim Deus „serio velit, illud etiam serio praecipere, et quidem cum imperio, qui „potentissimus simulatque iustissimus mali cuiusque vindex sit. Hoc„que imperium propterea necessarium esse, vt timori miseriae naturalis „iungatur timor diuinus, et homini noua necessitas hoc est, non obli„gatio tantum interna sed etiam externa imponatur exsequendi, quod „Deus per rationem homini reuelat, secus si faxint mortales, poenam „non solum eos naturalem manere, verum etiam arbitrariam, insequi, „quamuis non tam facile percipiatur quam humana. Πρῶτον ψεῦδος au„tem in eo potissimum latere, quod sapiens in abstracto sine vlla immu„tatione, non autem vti nunc inueniatur, et in concreto spectetur." Non addimus alia, inculcata a viris doctis e. c. inutilem logomachiam introduci, supponi manifeste falsa, ratione dictante, Deum non vt patrem solum, sed vt imperantem considerandum esse etc. Haec enim sola sufficiunt, vt hanc Venerem non omnibus placuisse, ostendatur.

CXXII. Si Deus concipitur, vt pater, consiliarius, doctor, et honestas ac turpitudo denotat magis bonitatem aut malitiam, seu vitium in genere, quam in specie iustitiam et iniustitiam, verum est, actus, de quibus ius naturae tam late quam stricte dictum agit, esse per se et natura sua morali, intuitu totius humani generis malos ac bonos. Viderint, quorum interest, annon hac thesi prodiderit Thomasius, totam illam disputationem, quam contra Scholasticos suscepit Pufendorfius, continuauit et magnis triumphis egit Thomasius, profligauerunt iterum Leibnizius et Wolfius, ad verborum contentiones pertineat q?

p) Via ad veritat. P. III. c. 1. §. 26. seqq. p. 8. seqq. conf. LEIBNIZ. l. c. q) cap. 6.

CXXIII. Ius quatenus significat potentiam moralem ad normam relatam, naturale dicitur, quod idem esse solet apud plerosque homines nobis notos, positiuum quod variat.

CXXIV. Ius naturae obligat homines etiam erronee de Deo sentientes r).

CXXV. Principium cognoscendi I. N. et G. non est voluntas diuina, nec sanctitas et conuenientia cum ea, nec conuenientia cum statu integro nec seruanda pacta, nec quaerendam pacem, vbi haberi potest, vbi non potest, quaerenda pacis auxilia: nec custodia socialitatis.

CXXVI. Sed propositio prima I. N. late dicti est: facienda esse, quae vitam hominum reddunt maxime diuturnam et felicissimam.

CXXVII. Primum principium honesti est: fac tibi, quae ab aliis tibi vis fieri; decori: fac aliis, quae tibi vis fieri; iusti: non fac aliis, quae tibi non vis fieri.

CXXVIII. Conclusiones inde deriuantur in doctrina honesti: poenitendum esse, spem cupiditatis erigendam esse sapientibus remediis, excessum cupiditatum reprimendum metu dolorum ignominiae, paupertatis; fugiendas esse occasiones irritantes, euitandam esse securitatem et desperationem, vtendum esse conseruatione hominum, qui mores habent nostris oppositos, oppugnandas passiones omnes, non differendam esse emendationem, non desinendam, non quaerendam solitudinem.

CXXIX. Conclusiones principii decori sunt: remittendum sponte de iure proprio; grata aliis facienda promte et sincere, parum grata non nisi necessario et quasi coacte; non danda scandala tam grata quam non grata; patienter ferendam esse aliorum stultitiam.

CXXX. Conclusiones principii iusti sunt: non turbandos alios in vsu iuris sui; etc. Simplicitatem et euidentiam sectandam, euitandas cauillationes et inutilem scrupulositatem.

CXXXI. Regulae iusti coërcent malum summum, decori, medium, honesti infimum; primae promouent bonum infimum, secundae medium, tertiae summum. etc.

CXXXII.

r) Conf. quae acute et solide monet LEIBNIZIVS l. c. p. 76. et respondit Bierlingius p. 79.

CXXXII. Regulae iusti et honesti pauciores limitationes admittunt, quam regulae decori.

CXXXIII. Auctoritas paratur actionibus sapientibus s.

CXXXIV. Auxilium sapientis triplex est, exemplum, praemium, poenae, haec necessario coniungenda.

CXXXV. Praemia et poenae applicanda merentibus.

CXXXVI. Is vero meretur praemium, qui fecit secundum regulas sapientum; et poenam, qui fecit contra.

CXXXVII. Ergo meritum est relatio actionis humanae voluntariae, ad praemia et poenas, seu ad res gratas et non gratas.

CXXXVIII. Imputare, est, aliquem declarare caussam moralem, ad quam debeat applicari effectus moralis.

CXXXIX. In imputatione promissorum non solum respicitur ad voluntatem promittentis, sed etiam ad aptitudinem acceptantis.

CXL. Optima I. N. methodus est, quam adhibuit Hobbesius; vt primo agatur de libertate tum de imperio, et tandem de religione.

Habes, Lector, principia, regulasque potiores, secundum quas instruendam disciplinam Iuris naturalis, emendandamque iurisprudentiam diuinam censuit Thomasius. Intelliget ex his attentus quilibet, in praescribendis officiis erga Deum, se ipsum, alios longe alio, quam olim, cothurno Thomasium incedere. Id quod in sequentibus ostendit, et qua ratione emendanda, reconcinnanda et refingenda sint, quae prius de officiis disputauerat, explicat. Quae cum nostrum scopum minus feriant, prolixiora etiam sint, quam vt hoc loco adduci queant, apud ipsum virum summum quaerenda, et cum institutionibus iurisprudentiae diuinae comparanda sunt. In iis multa sunt, quibus arcana papatus et potentiae clericorum inter Protestantes, si illum audis, adhuc superantia confodere gestit. Hoc enim, dici non potest, quam mire illi argumentum arriserit, quod ἔχον ἄκον, nonnunquam ad scopum suum traxit. Cuius rationes quidem in *Cautelis circa praecognita iurisprudentiae ecclesiasticae*, exposuit, quae vero, an sufficere possint lectori prudenti, et an duce veritate, studio partis sepposito neglectoque, conscriptae fuerint, aliis expendendum relinquimus.

s) cap. 7.

mus. Id modo velut κεντήριον aliquod monemus: commendare t) Thomasium GODOFREDI ARNOLDI *Historiam ecclesiasticam et haeresiologicam*, velut omnium optimum et praestantissimum opus, cuius auctor fere solus inter nostrates vel certe omnium primum sensibiliter desipere desierit, quem tamen fabulas, libros supposititios, ineptasque mysticae theologiae regulas subinde pro legitimis habuisse, negare ipse non potest. Ex hoc enim fonte cum pleraeque assertiones et cautelae profluxerint, quibus postea in I. N. et G. officia circa religionem instruxit, facile palpabit lector, riuulos fonte puriores esse haud posse. Cuius tamen causas arcanas rimari, cum ad institutum nostrum non pertineat, hoc loco supersedemus. Multa vero contra mysticos dum cordate monet, prodit, philosophiam suam a priori typo in haud paucis recessisse.

t) cap. 3. §. 41. p. 32. cap. 16. §. 6. p. 173.

CAPVT

****

CAPVT DECIMVM.

DE ALIIS ECLECTICIS QVI RECENTISSIMA AETATE IN GERMANIA PRODIERVNT.

§. I.

Recenſuimus hactenus viros illos magnos, qui in Italia, Britannia, Gallia, Germania reformare philoſophiam aggreſſi ſunt, et ex parte arduum opus mira felicitate perfecerunt. Id non ita intelligi volumus, ac ſi hi ſoli fuiſſent, qui emaculando philoſophiae vultui manus admouerint emendatrices; praeter hos enim haud pauci fuerunt, qui in hoc ſtadio, licet imparibus greſſibus cucurrerunt, quos enarrare omnes ab inſtituto noſtro alienum eſſe cenſuimus. Sed adducendi nobis erant heroës illi, qui non exemplo modo praeire, ſed viam quoque pandere et frangere glaciem auſi aliis veſtigia tutiora monſtrarunt, quibus in hac ſemita certioribus pedibus progrederentur. Id quod praecipue poſt Verulamium et Carteſium factum eſt in Britannia, Belgio et Gallia, in Germania autem noſtra poſt Leibnizii et Thomaſii conamina omnium frequentiſſime accidit. Maxime vero ad abiiciendum iugum ſectarium et arripiendam philoſophiam eclecticam, tum docentes tum diſcentes in academiis Proteſtantium excitauit magna Thomaſii fortitudo et conſtantia. Is enim cum conculcatis omnibus inuidiae et perſecutionis impedimentis tandem in noua, quae Halae excitata erat, Muſarum ſede libertatem philoſophandi eclecticam confirmauiſſet, collegas nactus viros longe doctiſſimos et principis optimi atque adminiſtrorum eius illuſtriſſimorum gratia et auctoritate tutos, vehementer eos inflammauit, vt et ipſi de nouis ſyſtamatibus philoſophiae eclecticae cogitarent. Inter quos eminuere eruditionis praeſtantiſſimae laude Nicolaus Hieronymus Gundlingius, et Ioannes Franciſcus Buddeus, quibus tertius addi poteſt, qui ex diſciplina Thomaſiana Lipſiam progreſſus magnum viuus ſtrepitum noua philoſophia excitauit Andreas Rudigerus. Quorum virorum cum celeberrima fama ſit, deeſſe aliquid noſtrae tractationi cenſeretur, niſi locum quoque illis in his paginis fecerimus. Aſt faciendum id ſtrictim et paucis, ne in tam ingenti dicendorum cumulo, vel nos ſcribendi vires, vel lectorem legendi et meditandi patientia deficiat.

Ordo et ſumma dicendorum.

Nicolaus Hieron. Gundlingius.

§. II. Magnum literarum suae aetatis ornamentum fuit NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS, qui cum non vni tantum philosophiae et iurisprudentiae amplissima lumina accenderit, sed per omnem fere disciplinarum circulum merita consecutus sit haud contemnenda, dignus esset, cuius historiam vir quidam doctus Gassendianas biographias imitaturus describeret. Quamuis enim hoc sibi saxum voluendum esse credidit, qui lectiones Gundlingianas in vulgus edere coepit, C. F. HEMPELIVS [a], tantum tamen abest, vt omne punctum tulerit, vt potius multa iure desiderari in ea biographia posse demonstrauerit laruatus IACOBVS SINCERVS [b], consentientibus viris doctis [c]. Nos vitae historiam viri celeberrimi et πολυϊστορίας laude incluti aliis [d] ex instituto enarrandam relinquimus, paucis quis qualisue fuerit declaraturi. Natus est Nicolaus Hieronymus Gundlingius, cum fratre Iacobo Paulo non confundendus, in agro Norico anno CIↃIↃCLXXI, V. cal. Mart. patre ministro tum ecclesiae Kirchensittenbacensis, postea Laurentianae in vrbe Norimbergensi, viro docto et historiarum imprimis perito, familia haud ignobili orto. Vix annorum tenerrimorum limites excesserat, cum ingenii excellentissimi vestigia puer proderet, et sciendi cupiditatem insatiabilem praeferret. Quod cum pater probe intelligeret, omnem in id curam suam conuertit, vt agrum in se fertilem, iactis literarum seminibus, quantum posset, optime coleret. Hinc et ipse domi filio artis rhetoricae, historiarum, geographiae, chronologiae, ethicae et politicae fundamenta tradidit, et annis paulo maturiorem Aegidiano, quod Norimberge floret, athenaeo erudiendum tradidit. Quem cum praematuro fato extinctum amisisset, formatus in patria a viris doctis ad Altorfinas Musas se conuertit, theologiae studiis se deuoturus. Ibi praeter alios Ioannem Fabricium virum eruditissimum, et cum literariae notitiae tum moderationis laude insignem praeceptorem sacrarum literarum nactus est, ab Omeisio dicendi fingendique praecepta hausit. Augendis autem studiorum incrementis intentus Ienam abiit, Schubartum, Danzium, Bayerum, VV. Cl. auditurus: redux in patriam academiam ab insignis eruditionis viri Io. Christophori Wagenseilii ore pependit, et hoc praecipue praeceptore vsus πολυϊστορίας fundamenta iecit. Tum Ienam Lipsiamque iterum excurrens, vbi reuersus esset, parentis librum *de Gangrensi concilio aduersus Eustathianorum errores seculo IV conuocato*, publica disputatione defendit, et sic absoluto curriculo studiorum academico sacro ministerio se deuouit, inque patria adolescentes quosdam erudi-

a) Prodiit eius cura Vita, scripta, historiaque diffusa Nic. Hier. Gundlingii, sermone vernaculo, adiectaque est ad calcem historiae literariae Gundlingii ex collegio msc. editae.

b) In epistola ad amicum, German. edita 1737. 8.

c) Vid. Nov. liter. Lipsi. Vol. XXIII. p. 229.

d) Vid. Nov. lit. Vol. XVI. p. 365. Bibl. Germ. Tom. XXIII. art. 8. p. 144. GOETTEN. Europ. lit. hodie viu. P. I. aliique.

erudiendos accepit. Quorum nonnullos ad nouam, quae Halae Saxonum condita erat, academiam anno cIↃIↃcxcviii ducens et disciplinae moderator illis praefectus innotuit Christiano Thomasio, qui sciendi desiderio flagrantem et egregie humanitatis atque literariae notitiae studiis excultum beneuole excepit, et vt iurisprudentiam emendari tum coeptam cum elegantioribus literis iungeret, auctor illi extitit, ducemque se praebuit. Tanto itaque viro praeeunte cum pertinaci contentioni attentionem maximam iunxisset, et conculcatis praeiudiciis libera mente in iuris et historiae campos excurreret, in biennio, quo in disciplina Thomasiana perstitit, ita scientiam legum absoluit, vt habita sine praeside dissertatione inaugurali *de Transactione non inspectis testamenti tabulis* iuris honores et priuilegia rite obtinere posset. Ita ex omni parte rite instructus, cum se vitae academicae docendaeque iuuentuti tradidisset, scholas aperuit, philosophiam, historiam, iurisprudentiam, eloquentiam docturus. Quod vbi lectionibus pariter ore habitis et scriptis vulgatis magna cum laude fecisset, et singularis prorsus eruditionis testimonia vndique obtinuisset, intercedente magno Musarum patrono, perillustri Danckelmanno, ita regi Borussiae traditus est, vt anno cIↃIↃccIII professoris philosophiae extraordinarii prouinciam sibi demandatam acciperet, quamuis iura philosophiae docendae ex more academico non obtinuisset. Secutum paulo post eloqentiae tradendae munus defuncto Christophoro Cellario. Ideo vocationem in Altdorfinam cathedram circa illud tempus oblatam, vt ius publicum et canonicum doceret, recusauit, auctus iuris naturae et gentium docendi prouincia. Senatui quoque ecclesiastico ducatus Magdeburgici, qui tum Halae congregari solebat, ob eximiam rerum theologicarum peritiam adscriptus est. Quam spartam et consiliis et scriptis egregie quoque magnaque cum laude ornauit, neque in reliquis munerum partibus minus praestantem se demonstrauit. Cuius illustre testimonium rex optimus, et remunerandis virorum doctorum meritis clementissime intentus extare voluit, lecto Gundlingio in secretioris consilii collegium. Correptus in aestate anni cIↃIↃccxxix αἱμοπτύσεως morbo, et post eum sublatum tussi sicca cum febri lenta, morti instanti magna in Deum fiducia et praeparatione philosopho Christiano digna occurrit, patienterque morbi incommodis superatis animam XVI. cal. Ian. eiusdem anni efflauit. Ingenio pollebat vir illustris prorsus egregio, et iis artibus exculto, quibus ad honoris culmina magni viri in ciuitate erudita solent grassari. Cumque miro acumine gauderet, maxime autem memoriae horrea infinitae lectionis copiis, quas ex amplissima, quam sibi comparauerat, bibliotheca collegit, essent instructissima, et tum eloquentia mascula et iucunda accederet, inter summos nostrae aetatis viros doctos merito eminuit. Accedebat animus magnus, audax, praeiudiciorum,

praecipue auctoritatis, contemtor, et in iurisprudentiae, hiſtoriae et philoſophiae artisque criticae ſtudio inſigni diligentia verſatus, vnde et frequentiſſimos auditores habuit, et ſcriptorum ſuorum admiratores haud paucos, adeo, vt poſt mortem lectiones eius a diſcipulis corraſae, neſcio quo orbis literati emolumento aut famae Gundlingianae, matura et exaſciata eruditione ſatis iam illuſtris augmento [e] in vulgus ederentur, et emtores reperirent haud paucos. Valde autem et auditores et lectores attraxit occupauitque acumen et viua quaedam atque ingenioſa dicendi ſcribendique nouitas, vt attentionem inde nutriri conſeruarique fine taedioſa moleſtia, facile lector ſentiat. Quae quoque cauſſa fuit, cur iuuentutis ſtudia literarum ſequentis plauſu miro, et ſcriptorum editorum laudibus frui potuerit, de quibus videndi IOAN. FABRICIVS [f] atque STOLLIVS [g]. Quibus lubenter ſubſcribent, qui elegantiſſimam Gundlingii doctrinam intelligunt, eamque non ex lectionibus ſubito effuſis et ad regenda tantum diſcipulorum ſtudia traditis, nec accurata meditatione in chartam coniectis, ſed ex ſcriptis, magna diligentia confectis didicerunt. Aſt dolendum virum ſummum, et inter principes eruditionis ſuo tempore facile referendum, ingenio, quod a natura nactus erat, quodque exemplum Thomaſii mire confirmauerat, ſatyrico nimium tribuiſſe, et contradictionis impatientem, eos, qui ab illo diſcedendum eiusque partes refutandas ſibi ſumſerunt, ita caſtigaſſe, vt philoſophiae praecepta et decori quoque regulas oblitus fuiſſe, recte non nemini [b] viſus ſit, et paedagogicum quid in eo quidam deprehenderint, cum viris quoque moderatis et eruditionis laude florentibus cynica dicacitate non pepercerit. Ita nempe magni quoque viri ſuos patiuntur manes.

Merita Gundlingii de philoſophia.

§. III. Duobus vero nominibus nobis in hac narratione hiſtoriae philoſophicae memorandus eſt celeberrimus Gundlingius. Nam et philoſophicam hiſtoriam praeclare adiuuit, et philoſophiam eclecticam proprio ſyſtemate edito amplificare ſtuduit. Et de philoſophiae quidem hiſtoria aliquot ſcriptionibus eleganter meruit. Nam *Obſeruationibus literariis ſelectis*, nonnullas inſeruit, quae huc pertinent, et in *Otiis* pariter atque *Miſcellaneis*, quae *Gundlingianorum* nomen prae ſe ferunt, aliquot eius capita mira eruditione illuſtrauit: et imprimis *Moralis philoſophiae hiſtoriam* eleganti tractatione auxit. Quae eo magis commendanda philoſophicae hiſtoriae cultori eſt, quo magis is vulgata praeiudicia de philoſophia barbarica fortiter docteque conculcauit: quamuis inchoaſſe

e) Recte improbata haec diligentia praepoſtera viris doctis, vid. Ven. REIMMANNVS Cat. bibl. P. II. p. 455. 486.

f) Hiſt. bibl. ſuae P. V. p. 194.

g) In Acceſſion. nouis ad Hiſt. Lit. p. 255. ſqq. Conf. illuſtris EVERARD. OTTO, in praef. Iurisprudentiae ſymbolicae.

h) Bibl. Germ. l. c.

inchoasse magis illud argumentum, quam perfeciſſe ſit cenſendus [i]. Sed et ſtatum naturalem Hobbeſii ipſum ſibi defendendum ſuſcepiſſe, ſuo loco ſupra annotauimus [k]. Valde autem vir acutus ſed hypotheſeos ſemel delectae cum pertinacia quadam amantior ad inurendam atheiſmi notam philoſophis veteribus propendebat, illis praecipue, quos caſtius in eo argumento philoſophatos fuiſſe communis eruditorum opinio tenet. Inde enata controuerſia de Platonis atheiſmo inter Gundlingium et Ven. Zimmermannum diſceptata, in qua prodidit vir illuſtris, quid ſententiae ſemel delectae amor poſſit, adeo indignis modis altercando a contumelia abſtinendum ſibi non eſſe cenſuit. Et quamuis erudite in eo argumento verſaretur, verum tamen eſt, Platonis ſyſtema eum cum doctrina Platonicorum Alexandrinorum mire confudiſſe. Qua de re cum ſuo loco [l] dictum ſit, otioſe id hoc loco non repetemus. Ipſam autem philoſophiam tradere, vulgata *Via ad veritatem logicam, ethicam et iuris naturae* [m], (phyſicam enim prudentior in ea re Thomaſio non attigit) conniſus eſt. In qua via multa ſibi noua placuiſſe non diffitetur, libertate autem eclectica vſus, quaecunque apud alios legerat examinata vel reiecit, vel recepit, vel emendauit, et vno meditationis filo cuncta digeſſit. Non negat vir magnus, ſe veritates, quae ſparſim apud alios occurrunt, collegiſſe; monet autem, ſe *in plurimis ab aliis diſſentire, multa improbare, varia in meliorem ordinem redigere, noua addere, non demonſtrata demonſtrare: aliud plane σύστημα conficere, et tamen, quod ſinceri hominis ſit, non diſſimulare, quibus luminibus profecerit, in quo aliis conſentiat, in quibus diſſentiat.* Et fatendum quoque haud pauca his ſcriptionibus ineſſe noua, et vere pariter atque eleganter dicta; at ſunt quoque nonnulla παραδοξόφιλα, quo charactere, omnino Gundlingius dignoſci poteſt. Qualia ſunt: problematice diſputari, vtrum mentis natura ſpiritualis ſit, omnisque materiae expers [n], naturam mentis prorſus eſſe ignotam, experientiam eſſe omnis cognitionis fundamentum: Neſcire nos, quid ſit corpus, nihil ſolide de ſpiritibus nos ſcire poſſe, omnem cognitionem experientia particulari conſtare. Dari veritates multas indemonſtrabiles, veritatem autem primam vnam, eamque eſſe: quicquid ideis noſtris ſenſu et definitione formatis conuenit, eſſe verum, principium primum non eſſe innatum, defectum attentionis vnum praeiudiciorum fontem eſſe: nominum definitiones ſaepe principiorum locum tueri, hisque controuerſiam moueri non

i) Conf. Cat. bibl. Reimmann. P. II. p. 287.

k) Tum in Otiis, tum pec. diſſ. de Statu naturali Hobbeſii.

l) T. I. p. 680.

m) Politicam quoque parturiebat, ſed typis non exiit. STOLL. Hiſt. literar. P. I. c. 1. p. 419.

n) Logic. p. 4. 6. 27. 32. 33. 48. 51. 53. 80.

posse etc. Qualia cum in *Via ad veritatem logicam* anonymus quidam *Salebrarum* nomine notauisset, acerba illi satyra respondit Gundlingius, quae cum contumelioſe et amarissime scripta esset, censuram ab aula Gundlingius passus esse dicitur. Sunt etiam in *Via ad veritatem moralem et iuris naturae* multa, quibus ab aliis discedendum sibi esse statuit, e. c. actiones decori singulares non dari, sed pertinere vel ad actiones honestas, vel ad prudentes: bonum in sola indolentia esse quaerendum, quicquid a statu medio nos abducit, malum esse. Populorum consensum de Deo ineptum esse argumentum probandae existentiae Dei; etc. Maxime vero in argumento morali annotatione dignum est, hypotheses Leibnizianas Gundlingio saepe arrisisse, et ab eo ad argumentum ethicum fuisse eleganter traductas, quales sunt, origo mali moralis ex limitatione creaturarum deriuata, mundus optimus a Deo electus, esse inter omnia harmoniam suauissimam, praeceptiones Dei non pro arbitrio et voluntate fieri, sed quia optimum semper intelligit, ac aliter, quam intellexit praecipere, aut velle non potuit, rationem rectam diuini intellectus repraesentationem esse; Deum homini naturae suae conuenienter praecepisse, et immutabilem legem dixisse; intellectum et voluntatem Dei, in quaestione de actionibus antecedenter ad voluntatem Dei bonis non esse separanda. In Iure naturae quoque multa sunt, in quibus a Pufendorfio et Thomasio sibi abeundum esse censuit [o]. Legem enim naturae absolutam ad felicitatis absolutae studium refert, hypotheticam tantum ad externam felicitatem et quietem conseruandam; legem naturae non consilium tantum, sed et legem proprie dictam esse ait, adeoque et poenam arbitrariam post se trahere. Legis naturae absolute summam pertinere ad philosophiam moralem: In naturae iure obligationem internam cum externa concurrere, ac esse vtramque iungendam; legem positiuam vniuersalem in lege naturali absoluta contineri. Primum iuris naturae principium esse: pacem externam ante omnia sectandam, vbi haberi potest, vbi non haberi potest, bello opus esse, quo potissimum asserto Hobbesianam cauſſam tuendam sibi sumsit etc. Ex quibus parcissima manu datis lector intelliget, quam sibi libertatem philosophandi Gundlingius vindicauerit. Cuius systema, quod sibi efformauit, cum describi hoc loco, sine magna prolixitate non possit, facili labore Lector ipsos fontes puros satis atque luculentos et perspicuitate imprimis atque ordine commendandos consulet. Quid autem dissentientibus et oppugnantibus responderit, ex eius *Allocutione ad inimicos* discendum est.

§. IV.

o) p. 6. 11. 18. 25.

§. IV. IOANNEM FRANCISCVM BVDDEVM Anclamia Pomeraniae vrbs anno cIↃ IↃ cLXVII, VII Cal. Quinct. edidit in lucem, genuit Franciſcus Buddeus paſtor et praepoſitus in ea vrbe, educauit ſchola patria, in qua optimis praeceptoribus, quos domeſticos ei quoque pater delegerat, formatus et ſtudiorum, quae ab humanitate nomen ſortiuntur, et literaturae orientalis curriculum ita abſoluit, vt nondum ſtadium academicum ingreſſus aliquoties codicis ſacri lectionem Hebraicam perficeret p. Miſſus anno cIↃ IↃ cLXXV in academiam Vitebergenſem, praeſtantiſſimos viros Schurzfleiſchium in hiſtoricis, Daſſouium in philologia ſacra, Waltherum et Neumannum in theologia praeceptores habuit. Qui cum in his, quas profitebantur diſciplinis excellerent, iis autem in Buddeo diſcipulus contigiſſet, cuius inexplebilem diſcendi ardorem ſuſtentabat magna ingenii praeclariſſimi alacritas, mirum non eſt, biennii mora ita ſtadium academicum eum abſoluiſſe, vt impetratis magna cum laude ſummis in philoſophia honoribus ad docendam iuuentutem conuertere ſe poſſet. Apertis ergo, poſt habitam *de Symbolis euchariſticis* diſſertationem, ſcholis, diſciplinas humaniores et philoſophiam iuuentuti academicae tradidit, et aliquoties tentata arena literaria tandem facultati philoſophicae adiunctus eſt, quo loco ſe dignum eleganti diſſertatione, *de Allegoriis Origenis* demonſtrauerat. Translata autem ſede in academiam Ienenſem cum eandem docendi rationem teneret, indiesque magis elegantiſſima, quam ſcriptis potiſſimum ſpargebat, eruditio eniteſceret, a Carolo Alberto Saxoniae duce ad obeundam in gymnaſio Coburgenſi ſpartam profeſſoris linguae Graecae et Latinae, cIↃ IↃ cXCII vocatus, indeque triennio poſt ad capeſſendum munus profeſſoris philoſophiae moralis et ciuilis, Halam Magdeburgicam traductus ſummorumque in theologia honorum licentiam, edita diſſertatione *de Religione naturali aduerſus Petrum Chauuinum* nactus eſt. Quos plenos poſtea accepit cum anno cIↃ IↃ ccV in Ienenſem academiam a ducibus Saxoniae ad explenda profeſſoris theologiae munia eſſet inuitatus. Quo loco inſigni iuuentutis orbisque eruditi plauſu docuit, commendatus ſereniſſimae genti ducum Saxoniae, qui et ex parte a conſiliis eccleſiaſticis eum ſibi eſſe iuſſerunt, et ciues ſuos in academia verſantes eius ephoriae tradiderunt. Suſtulit autem tuſſis, quam febris catarrhalis ſequebatur, virum incomparabilem in itinere Gothano verſatum anno cIↃ IↃ ccXXIX, XIII Cal. Decembr. Nec locus vero, nec inſtituti ratio patitur, vt quam egregium eccleſia ciuitasque erudita virum in eo nacta ſit, multis deprae-

Io. Franciſcus Buddeus.

p) Vita eius diſci poteſt, ex Memoria Buddeana, poſt mortem vernacula Ienae 1732. fol. edita, ex qua ſua deſumſerunt Collectores materiae ad aedific. regnum Dei P. I. art. 7. Act. erud. 1750. Bibl. theol. ſelect. P. XLIII. art. 8. conf. RICHARD. de Vita et ſcriptis profeſſ. Ienenſ. p. 6. STOLLIVS Hiſt. lit. P. III. c. 5. §. 64. p. 728. 729. 764. Relatione de Bibl. ſua paſſim. REIMMANN. Hiſt. lit. Germ. Vol. IV. p. 841.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

depraedicemus, etsi aliquot annos ab ore eius pependimus, et quanta doctrinae copia, quanta fidei dexteritate, quanta morum probitate muneribus functus sit, testis αὐτόπτης nouimus. Inerat enim ei eruditio copiosa atque amplissima, et ad omnes fere disciplinas se extendens, ea autem docendi perspicuitas, ordo, et tradendi felicitas, vt exoptari melior praeceptor non potuerit. Cumque et dictionis nitore, et verborum copia, et methodi elegantia scripta sua atque lectiones vehementer commendaret, mirum non est, rapuisse eum in admirationem non iuuenes modo cateruatim ad eius scholas affluentes, sed et viros doctos, qui certatim elegantissimam viri optimi doctrinam depraedicarunt [q]. Quae vel ideo iucundissima euasit, quod scripta eius prolixa et magno iudicandi acumine ad rectos vsus translata, rerum literariarum notitia ornaret. Cuius cum praestantissimum prorsus et quantiuis pretii specimen in *Isagoge historico-theologica in theologiam eiusque partes* dederit, lectorem ad librum eruditissimum et prorsus aureum [r] merito dimittimus. Augebat virtutes literarias pietas sincera magnisque exemplis iuuentuti vtilissima, studium concordiae pacisque, quo a litibus in ecclesia valde abhorrebat, patienterque et humaniter dissentientes ferebat, diligentia autem tanta, quanta ab homine expectari potest. Qui cum inflantem scientiam multis rationibus contemneret et reiiceret, et philosophos gnaua opera mire odio haberet, ipse demonstrare facto connisus est, philosophiam et theologiam animi emendationem in eo praeclarissime adiuuisse. Singulare autem prorsus est innumeros eum, ex quo in Salana academia theologiam docere coepit, discipulos educauisse, vixque doctor erit academicus, qui tot ex scholis suis per omnes Germaniae prouincias iuuenes doctos sacroque muneri adaptatos dimiserit. Quantos autem ex eius eruditione et diligentia fructus orbis eruditus reportauerit, magna scriptorum, peculiari catalogo enarratorum copia, laudesque quibus ea cumulauit natio doctorum virorum [s] satis probant, quibus tamen hoc loco inhaerere, dicendorum ratio non permittit.

Merita Buddei in philosophiam.

§. V. Multum debet philosophia viro summo, qui cum morali doctrinae in academia Halensi tradendae esset destinatus, et eclecticam rationem abiecto iugo sectario sequi, excitatus aliorum exemplis constituisset, omnem in eo operam collocauit, vt vtilissimum se philosophiae studia sequentibus praestaret. Maxime autem recte intellexit vir praestan-

q) Conf. FABRIC. Hist. bibl. suae T. III. p. 318. 319. et quos laudat STOLLIVS in Obseruat. ad HEVMANNI Conspectum hist. liter. p. 400. seqq.

r) Vid. Cat. Reimmann. P. I. p. 117. seqq.

s) Adiecta loca Catalogo scriptorum Buddeanorum aliquoties edito.

praestantissimus nihil magis iuuare philosophiam, quam eius historiam. Illi itaque haud parum temporis et diligentiae tribuit, nec errabimus a vero contendentes, omnium, si recentiorum aetatem spectas, plurimum ad excolendam hanc disciplinam Buddeum in Germania contulisse. Testes volumus scripta elegantissima, quibus historiam philosophicam illustrauit. Cuius σύνοψιν mira arte omnem philosophiae ambitum enarrantem *Institutionibus philosophiae eclecticae* praefixit, eamque paucis ante obitum annis [t] obseruationibus eruditis auxit. Iungenda his sunt: *Introductio in historiam philosophiae Ebraeorum*, quam iterata vice edidit, et annotationes adiecit, in quibus nonnulla rectius explicuit; *Historia iuris naturae*, *selectis iuris naturae* praefixa, dissertationes *de Sapientia veterum*, quibus septem sapientum Graeciae historiam luce collustrauit, *Analecta historiae philosophicae*, dissertationes doctissimae bonaeque frugis plenae, quibus philosophiae historia panditur, complectentia: *Theses de Atheismo*, quae capite primo atheismi historiam fuse enarrant, et obseruationes denique haud paucae, *Obseruationibus literariis Halensibus*, quibus praefationem praemisit insertae. Tandem *Introductio in philosophiam Stoicam M. Antonino praefixa.* In quibus scriptis omnibus licet, vt erat homo, et inter primos historiae philosophicae conscribendae laborem erat aggressus, sint, quae emendatione opus habent, fatemur tamen, solida pleraque recteque dictasse, et disciplinae huic lucem accendere aptissima. Quae cum hactenus toties in partes vocauerimus, plura dicere, et specimina afferre supersedemus. Grati autem agnoscimus, beato nos viro prima in hoc historiae genere lumina debere, mireque eius exemplum, praecepta, auctoritatem, epistola fratrisque in ea eruditionis parte pulchre versati, amicitiam atque studia ad ingrediendum hoc et alacri cursu prosequendum stadium nos accendisse. Ita praeparato itinere ad ipsam philosophiam tradendam se accinxit, cumque doctrinae moralis et ciuilis pandendae prouincia ipsi esset demandata, eius institutiones methodo eclectica scribere aggressus est. Ad quod saxum voluendum et muneris ratio eum cogebat, et trahebat [u] quaedam institutionum huiusmodi eclecticarum inopia, cum post Hugonem Grotium plerique moralis disciplinae studium in solo iure naturae et gentium enucleando consumsissent. „Eclecticam itaque viam sequi apud se constituens, solam rationem „ducem elegit, in id conniturus, vt ex euidentissimis principiis ceu „fontibus limpidissimis omnia deducerentur et apte colligarentur.

„Quod

t) Hal. 1732. 8.

u) Vid. Praefatio prior.

„Quod qua ratione se effecturum sperauerit, ita explicat: inuestiga„re primum vera principia decet, ex quibus cetera deinceps ordine „deriuentur, quo ipso saepius contingit, vt mox ad illum, mox ad „alium propius accedere videamur, vel plane cum illo consentire, li„cet ideo saltem aliquid aut probemus, aut reiiciamus, quod cum „ratione conueniat, aut eidem refragetur. Quo ipso non potest „non in corpus concinnum et aptissime constructum efflorescere phi„losophia, vt tamen libertas, qua quisque gaudet, illibata maneat. „Hanc se viam ita secutum esse, ait, vt nihil asseruerit, quod „non promte profluat ex his fontibus, et simul tamen in plerisque „maximos praestantissimosque auctores secum consentientes habeat.“ Id quod postea latius roborat, quosque seligendos putauerit, aut quibuscum in haud paucis conspiret, generaliter indicat. In altera autem editione, quae cIↃ Ↄ cc III prodiit, monet, se in quibusdam sententiam correxisse suam, eo quod veritate ipsi nihil sit antiquius, ordinem quoque alium tractationi induxisse, vt cuncta inter se cohaererent consentirentque melius. Nempe eo tempore *Instrumentalis* quoque *philosophiae elementa* scripserat, inque iis et inueniendae, et interpretandae, et tradendae aliis atque communicandae veritatis regulas explicuerat, subiunctis praeceptis ontologicis, quae metaphysica moris est dicere. Et istam quidem ita exponere constituit, vt praecipue medicorum filios imitatus, qui naturam hominis, morborumque, sanitatis, signorum, et medendi rationes considerant, intellectus humani naturam, vitae perfectionem, mediaque veritatis eruendae traderet. Id quod eo magis par erat ad humanam voluntatem referri, quo magis eam grauibus morbis detineri, et non nisi validissimis remediis restitui posse putabat. Quae methodi ratio noua quidem non est, sed a veteribus iam agnita, vt alibi dictum, recentiori autem aetate a Vincentio Placcio vsurpata, at quam tamen nemo elegantius, quam Buddeus adhibuit, vnde ea quoque ad enucleanda theologiae moralis mysteria ita vsus est, vt omnem philosophiae moralis lucem ad argumenti theologici illustrationem conferret. Accessit postea pars tertia atque quarta *Physicam* et *pneumatologiam* theologiae naturali iunctam complectens: in quibus pristinum iter ita sibi tenendum esse censuit, vt, cum aliam ordinis rationem argumentum poscret, viam eclecticam tamen seruaret, et a notioribus ad remotiora et ignotiora progrediendo, resolutionis methodo tandem in latentes rerum causas penetraret. Hinc *) in physica parte „exposi„tis accurate rerum naturalium phoenomenis, indicauit subinde, quid „verosimilius ipsi circa causas atque principia videretur, certi quid raro definiuit,

*) Praefat.

„definiuit, eo quod in ea versaretur sententia, naturam rerum nemini „mortalium esse perspectam, forte nec perspici posse, adeoque ad „maximum, quem ex hac philosophiae parte sperare possimus vsum „satis esse, si vires et effectus corporum accuratius habeamus explora„tos, et proxima, quantum licet, ex quibus hi procedunt princi„pia. Vsum se vero ait, multumque profeciisse, ex scriptis Iaco„bi Rohaltii, Ioannis Christophori Sturmii, Ioannis Clerici, Ioan„nis Gothofredi Bergeri, quem in ἀνθρωπολογίᾳ potissimum secutus „est y." Tractationem de spiritibus autem ita instituit, vt eam quoque elenchticam faceret, et cum Balthasaris Beckeri somnia, tum Benedicti Spinozae impietatem arietibus philosophicis euerteret. Et hoc quidem pacto totius philosophiae orbem, dictione vsus perspicua atque eleganti ita absoluit, vt, mirum quantum viris doctis placeret [z], et imprimis in plerisque Germaniae scholis hae institutiones indicis instar in praelectionibus philosophicis adhiberentur. Quae caussa fuit, vt *Elementa philosophiae practicae* decies, quae autem *Instrumentalem* eius *partem* explicant, septies et quae *Naturalem Doctrinam* tradunt, quinquies recuderentur. Fuerunt quoque nonnulli, qui in hanc Buddeanam sapientiae synopsin commentationes scriberent. Inter quos MARTINVS MVSIGIVS [a] pleraque vernaculo sermone expressit, IOANNES IACOBVS LEHMANNVS, moralis philosophiae in academia Ienensi doctor, *Obseruationes* in eam edere coepit; tacemus alios, qui vnam alteramque partem illustrare aggressi sunt, quod in rationali disciplina fecere Ven. IACOBVS GVILELMVS FEVERLINVS, qui *Logicam Buddeanam in theses breues* redegit, IOANNES REICHIVS autem practicam partem disputationibus publicis subiecit, ANDREAS RVDIGERVS *Prudentiam viuendi et imperandi Buddeanam vernacula* exposuit. Aliorum studia enumerat Ven. WALCHIVS [b]; qui videndus. Ipse vero vir optimus et indefessae diligentiae, cum videret luce nonnulla opus habere, quaedam a viris magnis praeter rem inimico dente arrodi, extremis vitae annis nouo labore elementa recognoscere iisque obseruationes adiicere statuit. Aggressusque opus hoc pacto philosophiae historiam, et artis rationalis institutiones, cum primo physices capite illustrauerat [c], cum

y) Valde deamauerat Buddeus, cum adhuc Halae versaretur, Mosaicos et Hebraicam philosophiam crepantes, vt ex Introd. in phil. Ebraeorum constat. Ast postea rectissime has nugas deseruit, et ad philosophiam experimentalem se conuertit.

z) Vid. Bibl. choisie Tom. VI. Part. II. art. 8. pag. 368. seqq. Nouv. de la rep. des lettres 1703. Iuil. pag. 224. 1704. Fevr. pag. 198. Mars pag. 332. seqq.

a) In Luce sapientiae cum praef. Buddei.

b) In praef. ad hist. phil. Buddei.

c) Hal. 1732.

fata suprema, quae eum inopinato suppresserunt, calamum eius manibus excuterent, et telam vix coeptam, quod valde dolemus, abrumperent, quae vt continuata fuisset, multorum vota flagitarunt. Valde enim placuit innumeris viris doctis methodus Buddeana, iudicandi modestia sobria, et inter καινοφιλίαν atque antiquitatis praeiudicium media, sententiae moderatae, quaeque emendare potius pristina quam reiicere omnia iisque noua surrogare, sed incerta et audaciora, quam par est, cupiebant. Qua de re virorum doctorum iudicia exscribere paginae angustia impedit. Neque tamen defuere, qui hanc philosophandi rationem Buddeanam improbarent, et in his elementis complura desideranda esse monerent. Vt enim taceamus, quae de philosophia Hebraeorum et imprimis Cabbalistica, itemque Mosaica dixerat, displicuisse nonnullis, et litem ei contraxisse, cuius *Tomo secundo* [d] mentionem aliquam fecimus, ipse potissimum, qui tamen surgente academia Halensi socias manus Buddeo in reformandis literis et philosophia iunxerat Christianus Thomasius acerbo, vt supra dictum, dicendi genere, Buddeanam philosophiam infectatus est, eo quod periculosa esse dogmata Thomasiana ille innuisset. Hinc reprehendit in eo [e], quod describere doctrinas varias, non cohaerentes et saepe sibi contradicentes et parum felici combinatione vel conciliatione eas iungere, quam operam ipse dare inueniendi veritatem et inquirendi in naturam voluntatis voluerit. Vnde factum esse censet, vt quam plurimis eius libelli repleti fuerint contradictionibus: immo plagii suspicione eum onerare nullus dubitat. Quae ita excepit [f] placidissimus Buddei animus, vt quae ipsi obiecerat, moralem doctrinam tangentia solueret, vrgeret multa contra nouas Thomasii hypotheses, maxima autem patientia et animo tranquillo sarcasmos Thomasianos concoqueret, contentus ostendisse, et falso ipsi contradictiones imputari, et recte cohaerere, quae reprehenduntur. Vix autem his se extricauerat, cum nouis, quae paulo ante vitae eius finem exsurgere coeperant litibus de philosophia Wolfiana immiscereturur. Eam enim cum improbauisset, et esse dogmata nonnulla periculum alere visa asseruisset, grauem illi dicam illustris Wolfius scripsit, ad quam cum alii pro Buddeo respondissent, illos nouo libello Wolfius excipere perrexit. Quae cum ad Wolfianarum controuersiarum historiam pertineant, heic ob instituti limites, quibus ab illa tangenda retrahimur, enarrare non licet: consulendi autem sunt, qui annales literarios famigeratissimae controuersiae passim condiderunt [g].

§. VI. Prod-

d) pag. 934.

e) Fund. iur. nat. et gent. pag. 66. seq.

f) Supplem. ad Isagog. in theolog. pag. 49. seqq.

g) Maxime cel. LVDOVICI in Histor. phil. Wolfianae cap. 14. §. 265. seqq. pag. 205. seqq. Conf. Notit. Script. Buddean. pag. 69. Relationes menstruae Ienenses 1726. pag. 598. aliique.

§. VI. Prodiit ex scholae Halensis disciplina ANDREAS RVDIGERVS, inter philosophos Germanos haud ita pridem celeberrimum nomen adeptus [b]. Qui Rochlitii, quod Misniae oppidum est, cal. Nov. anno cIↃIↃCLXXIII, parentibus pauperibus natus, non alium nisi se ipsum studiorum ducem et auctorem habuit, quibus se annos iam quatuordecim natus, demum addixit. Quam aetatem cum ad ea nimis tardam esse, consilium roganti auunculus, qui scholae praeerat, diceret, ita adolescentis ardor discendi inflammatus est, vt coërceri nimiam contentionem opus esset, ne sanitatis adiret periculum. Triennio in rudimentis exacto, ad gymnasium Geranum, et anno cIↃIↃCXCIII condiscipuli cuiusdam beneficentia adiutus ad Musas Halenses profectus est, quas tamen deserere iterum eum coëgisset rerum omnium, qua premebatur, penuria, nisi illustris Thomasius, cui eius ingenii elegantia commendata erat, filiis eum suis praeceptorem delegisset. Ita vero et de conuictu illi prospectum erat, et aditus patebat ad disciplinam viri celeberrimi, qui rebus eius prudenter prospexit, et vt Musis quoque suis vacare commode posset, libenter permisit. Turbauit tamen haec eius otia literaria morbus, qui eum coëgit anno cIↃIↃCXCV patrios lares repetere. Recuperatis viribus Ienam concessit, deque necessariis sibi erudiendo iuuenes in historica et geographica notitia prospexit, studiisque theologicis, quibus se tum deuouerat, inuigilauit. Discedentibus autem auditoribus, discedere ex academia ista ipse quoque coactus est. Geram ergo repetiit, et biennio ibi exacto, desiderio vitae academicae accensus Lipsiam concessit, anno cIↃIↃCXCVII, vbi non deerant, qui philosophiae linguarumque praecepta ab eo discerent. Sed cum ex Halensium professorum disciplina prodiisset, quorum tunc inter Saxones horror aliquis animos occupauerat, ita de obtinendo munere sacro desperare coepit, vt omisso studio theologico ad iurisprudentiam conuerteretur, cuius fictiones cum ingenium eius philosophicum ferre non posset, tandem arti salutari se tradidit, totusque in eam incubuit, anno cIↃIↃCC autem summos in philosophia honores obtinuit, *deque vsu et abusu terminorum*, et paulo post *de virtutibus intellectualibus integritati suae restitutis* disputauit. Tum anno cIↃIↃCCIII, ad docendum reuersus, logicae artis peritiam disputationibus publicis duabus, de *eo, quod omnes ideae oriantur a sensione*, et *de nouis ratiocinandi adminiculis* probauit, summos autem in medicina titulos atque

Andreas Rudigerus.

h) Sequimur in enarranda vita Rudigeri relationem celeb. STOLLII Hist. Liter. Part. III. Supplem. ad pag. 754. pag. 768. seqq. quam ab ipso Rudigero profectam esse suspicamur.

doctoris iura eodem anno Halae nactus est, postquam *de regressu sanguinis per Venas mechanico* cum eruditis velitationem literariam instituisset. Accidit vero, cum furto omnia amisisset, vt aegritudine confectus et industria laboris necessaria recuperandi exhaustus mali hypochondriaci insultibus in cachexiam desinentibus, itemque podagrae doloribus mire excruciaretur: omissa itaque praxi clinica, inter ingentes dolores docendae tamen iuuentutis prouinciam patientia vere philosophica sustinuit, qua diligentia, cum docentis virtutes accessissent, discipulorum numerus valde auctus est. Vix autem collapsas res suas hoc pacto, redeunte sanitate restituerat, cum exercitus Suecici irruptione in Saxoniam anno cIↃIↃCCVII cogeretur ad Halensem literarum mercatum secedere, nouasque scholas aperire, quo loco, vt ducem iuuenes haberent studii philosophici, *Philosophiam syntheticam* eodem anno vulgauit, disputationibus quoque publicis scopum, quem sibi praefixerat, attingere conatus est, fautores nactus Thomasium, Ludewigium, Gundlingium triumviros praestantissimos, et in aula Berolinensi commendatione potentes. Qui cum aliquando abessent, sensit hoc quoque loco, sibi aduersarios non deesse, pergere enim in istis exercitationibus prohibitus est. Qua tamen aduersitate a promouendis dilatandisque philosophiae pomoeriis se impediri passus haud est, ideoque anno cIↃIↃCCIX, librum *de sensu veri et falsi* vulgauit, logicamque noua methodo nouisque obseruationibus illustrare aggressus est: praxi autem medica aegrotis succurre perrexit, sed aduersariorum tela euitare prorsus non potuit. Anno cIↃIↃCCXII, mutato rerum in Saxonia vultu, et auditorium Halense et aegrotos, quos multos sanandos in curam suam receperat, reliquit, Lipsiamque reuersus antiquum docendo medendoque obtinuit. Cumque principia physica plerorumque maxime mechanicorum ei displicuissent, *Physicam diuinam* secundum propria principia constructam typis commisit, vixque biennii tempore ex censorum manibus liberatam [i], Francofurti ad Moenum anno cIↃIↃCCXVI, edere potuit. Anno sequente philosophiae corpus iterum edidit, praefixo *Institutionum eruditionis* titulo, totumque scribendo docendoque se tradidit, abiecta cura clinica. Ita vero docendi ars et concinna quaedam elegantia iuuenum animos cepit, vt et insigni eorum applausu frueretur, et essent duo, qui haud contemnendam auri summam [k] praeceptori grati animi significandi causa donarent: adscriptus quoque est numero consiliariorum et archiatrorum ducis Saxoniae; et ab anno cIↃIↃCCXXI, magis scribendo quam

i) Conf. STOLLIVS loc. cit.

k) Duo thalerorum millia, quilibet ei gratus obtulit, rarissimo inter docentes discentesque exemplo.

quam docendo, ob tussim humidam fere perpetuam, orbi litterato prodesse studuit, in id maxime intentus, vt moralem et ciuilem philosophiae partem more suo, exponeret; quos labores mox enarrabimus. Denatus VIII. Non. Iun. anno CIↃIↃCCXXXI.

§. VII. Aderat viro doctissimo magna ingenii vis, et haud contemnenda eruditio, animus autem ingens tritam viam deserendi nouisque, quae se detexisse credebat principiis philosophiam inaedificandi. Quibus calcaribus instigatus, et imprimis Thomasii exemplo excitatus, ad reformandam philosophiam omnem se accinxit, nouamque eius faciem per omnes fere eius partes, effingere conatus est. Cuius exemplum summamque in *Institutionibus eruditionis* delineauit, quae ter prodierunt: difficile autem est, de vera auctoris mente statuere, cum in singulis scriptorum suorum editionibus multa mutauerit, aliamque haud raro sentiendi et ratiocinandi viam iniit. Vnde illis, qui de eius placitis accurate erudiri cupiunt, ad vltimas editiones recurrendum est. Fecit autem emendandae iuuandaeque philosophiae initium a logica, in quam refingendam et quantum posset, perficiendam laudabilem atque diligentem curam contulisse virum doctissimum omnino fatendum est. Testem volumus librum eius de *Sensu veri et falsi*, in quo non facile aliquid, quod ad artem ratiocinandi spectet, esse praetermissum, titulus significat. Nempe communis logicae, quam metaphysicam tantum esse censebat [1], itemque Cartesianae regulas vsu satis attingi posse iudicans, multos canones, quos intellectus sibi relictus non assequitur, se detexisse obseruans, eorum sufficientem explicationem dare constituit, Aristotelis exemplum imitaturus, *cuius analyticos libros si intellexissent interpretes, nunquam futurum fuisse autumat, vt depressa iaceret logica Stagiritae, volitarent autem per manus studiosorum tot inanes recentiorum libelli logici, qui omni suo strepitu ne vnicum quidem caput analyticorum Aristotelis ἀκριβείᾳ aequent.* Indignatur autem Stagiritam turpi inuidia rationem disciplinalem, et syntheticam, tum et veram probabilitatem reticuisse, ideoque se hanc logicam scripsisse fatetur. In qua omnia se a priori ex apodicticis principiis deduxisse gloriatur, idque praecipue docuisse, quomodo ratiocinatio mathematica a philosophica, et metaphysica a disciplinali discedat, ex quibus confusis largissimam errorum messem vitiorumque farraginem prodiisse contendit. Primum autem se aut tetigisse plane, aut recte, et non tantum metaphysice, vt hucusque factum pertractauisse dogmata de definitione et diui-

Rudigerianum emendandae Philosophiae studium

in Logica.

1) Vnde syllogismum quoque proprie ad metaphysicam pertinere statuit.

diuiſione, quodque inde dependeat fundamentum affirmationis, negationis, vniuerſalitatis, et particularitatis: deinde, doctrinam de tribus diuerſis demonſtrationis ſpeciebus, ſenſuali, ideali et verbali, tum de modis inueniendi exiſtentias rerum, et tandem, quod palmarium logicae dogma ſit, de inueniendis rerum eſſentiis, quo pertineant doctrinae, de probabilitate, de ratiocinatione cauſſali, de ratiocinatione practica. Ipſe tamen non negat, duplicem ſe lectori logicam propinare, iuuenilem, quam in textu attulit, ſenilem, quam in ampliſſimis ſcholiis [m] adiecit, et ſe talia inueniſſe, ſine iactantia profiteri ſe poſſe pronuntiat. Et fatendum quoque eſt, multa copioſe et prolixe attuliſſe celeberrimum auctorem, quae in aliorum ſcriptis logicis non deprehenduntur. Multa quoque immiſcuit, ad alias diſciplinas pertinentia, quibus ſibi a communi eruditorum ſententia diſcedendum eſſe ſtatuit. Qualia ſunt, quae de principio vitali ſiue anima differit, dum et intellectum et voluntatem ſubſtantias eſſe diuerſas affirmat, item ea, quae contra motum muſculorum mechanicum diſputat, et quibus omnibus animalibus facultatem diuinatricem ineſſe contendit, et quae magno numero ſimilia affert. Quae hoc loco adducere nec libet nec licet, cum ſpecialis artis ratiocinandi hiſtoria hanc ſibi prolixitatem vindicet. Variam fortunam habuere hae inſtitutiones logicae, vt plerumque in re noua calcataque via a trita ſemita abeunte fieri ſolet, praeſertim cum reprehendere plerosque, qui ante ſe de arte ratiocinandi ſcripſerant, auctor apud ſe conſtituerit. Et fuere quidem haud pauci, qui magnis elogiis inſigne opus extollerent, inter quos nomen quoque profeſſus eſt Ven. IOANNES GEORGIVS WALCHIVS [n], qui dicam illis ſcribit, qui creditae exiſtimationi magnum imminere periculum putant, quando Rudigerum laudare, commendare inſtituerent. Maiori prouidentia et moderatione, vt ſolet, pronuntiauit eruditiſſimus STOLLIVS [o], operae pretium ſibi videri, vt hae logicae inſtitutiones attente legantur, et cum cura ſententiae auctoris examinentur, verum ad id lectore nec iudicio nec diligentia deſtituto opus eſſe, magisque docentibus quam diſcentibus eſſe ſcriptas. Alii autem nec *καινοφονίαν* auctoris, nec inutilem prolixitatem, nec regularum incertitudinem, nec diſtinctiones logicas ab obiectis argumentorum ſine ratione petitas ferre ſe poſſe conqueſti ſunt, fueruntque multi qui Rudigero magnis animis contradicerent. Quod cum feciſſent quoque auctores *Hiſtoriae literariae noſtrae aetatis* [p], quae vernaculo ſermone menſtruo labore

m) Acceſſerunt illae demum editioni ſecundae.

n) In Hiſt. log. Parerg. acad. pag. 693.

o) Hiſt. Liter. Part. II. cap. 2. pag. 457.

p) Part. VI. art. 2. Conf. Nov. Liter. Lipſ. 1723. pag. 5.

bore prodiit, enata inde disceptatio Rudigeri cum illis, qua paginae aliquot *Nouorum literariorum* [q], quae Lipsiae hebdomatim prodeunt, fuere repletae: quas consulere lectorem plura de his scire cupientem iubemus, ne in huiuscemodi liticulis narrandis iusto simus prolixiores. Ex illis autem, quae de intellectus et voluntatis natura vir eruditissimus disputauerat, enata quoque controuersia inter illum atque illustrem Wolfium de essentia animae, et natura spiritus in genere. Cum enim quae in *Metaphysicae* [r] *capite V.* de hoc argumento dixerat Wolfius, praeceptis definitionis et ratiocinationis a se positis mire aduersari, et in haud paucis peccare statueret, totum illud caput examinare, et paralogismos eius ostendere constituit, id quod peculiari schediasmate vernacula scripto [s] probatum iuit. Prodiit quoque pro Rudigero ὑπερασπίσης ADOLPHVS FRIDERICVS HOFMANNVS, vulgatis *Meditationibus in philosophiam rationalem Christiani Wolfii, in quibus prouocatur, vt respondeat ad obiectiones Rudigerianas eiusque doctrinam de natura et essentia spiritus atque animae.* Non commisit se huic arenae Wolfius, grauioribus tunc curis distractus, respondit autem ex συμπατριώταις eius non nemo, adscito HIERONYMI ALETHOPHILI [t] nomine, quidque desiderandum sit in obiectionibus Rudigerianis, quibusue paralogismis eius reprehensio nitatur, ostendere conatus est. Nuperrime autem Io. BENEDICTVS CARPZOVIVS [u], vir clarissimus et maiorum gloriam laudabili industria aequare tentans logicam Rudigerianam et Wolfianam data opera inter se comparauit, quidque vtrique ex vero debeatur, in quo verbis, vel re dissentiant, in quo conspirent, erudite ostendit [x]. Qualem comparationem esse vtilissimam iuuandaeque philosophiae et conculcando sectario iugo aptissimam, intelligunt, qui philosophandi sobrietatem didicerunt.

§. VIII. Emendata et perfecta rationali scientia ad naturalem progressus est Rudigerus, cuius satis amplum systema orbi literato legendum examinandumque exhibuit, quod hunc in fronte titulum gerit [y]: *Physica diuina recta via eademque inter superstitionem* *in physica,*

q) l. c. p. 91. seqq.

r) Cogitationes de Deo, mundo et anima humana intelligimus.

s) Sententia Wolfii de natura animae et spiritus in genere, et opposita sententia Rudigeri 1727. 8. Germ.

t) Lipsi. 1728. 8.

u) Monita ad hypothesin Rudigerianam Wolfianae oppositam, de natura animae et spiritus, quam propugnare constituit A. F. Hofmannus Lipsi. 1728. 8.

x) Specim. I. et II. Meditationum logicarum Lipsi. 1742. 8. edito.

y) Conf. A. E. 1716. p. 345.

nem et atheiſmum media, ad vtramque homines felicitatem naturalem atque moralem tendens. Dicit autem diuinam, vt intelligat lector, opponi eam mechanicae, hodie fere per totam Europam florenti, iamque paulatim marceſcenti. Noua autem illis principia opponi tantum eſt vt neget, vt hanc ſibi potius gloriam vindicet, ſe et noua illa detexiſſe, et nouis nominibus inſigniuiſſe, et nouo ſyſtemati adaptauiſſe. Nempe, vt ipſe narrat [z], in iuuentute a praeceptoribus conuictus didicit, et Ariſtotelis idola cerebrina formam, materiam, priuationem fucum facere, et nec Carteſianorum nec Neo-Democriteorum philoſophandi de naturalibus methodum probandam eſſe, eamque aeque ac metaphyſicam recentiorum nonnullorum a vero diſcedere. Quod de nouis, ſi placet, inſtitutionibus metaphyſicis et phyſicis Chriſtiani Thomaſii intelligendum eſt, ex illis diſci poteſt, quae capite antecedente de illuſtris viri ſcriptionibus aduerſus mechanicos et philoſophiam experimentalem deque tentamine de natura ſpiritus attulimus. Neque enim in his quae a Thomaſio audiuerat, acquieſcere ſe potuiſſe ſatis innuit, teſtatus: *Inconcinnum ſe putauiſſe commentum, dicere, principia naturae eſſe materiam atque ſpiritum, hunc vero eſſe ſubſtantiam actiuam, illam vero paſſiuam, nam talem ſpiritum a forma Ariſtotelica non differre, niſi nomine, materiam ne in hoc quidem.* Inde vero enatus ei animus principia mechanica cum vitalibus ſeu animantibus coniungendi, et ſic demum naturae cognitionem tentandi. Cum autem emendata notione ſpiritus et materiae, aliquid principiis deeſſe illi videretur, lucemque ex fixis ſeu aetherem, aërem ex planetis ebullire videret, haecque principia ad corporum phaenomena applicaret, et iis terram adderet, inueniſſe ſe vera principia naturae mundi ratus eſt. Quam terram tamen iterum expungendam eſſe deprehendit, vnde duobus principiis aetheri atque aëri ſe ſpiritum adiunxiſſe ait. Materiam luminis autem, de qua angebatur, eſſe particulas radiantes, experimento quodam diſcens, aetherem concepit non fluidum, ſed exiguis atque minutulis particulis radiantibus conſtantem eſſe, et ad peripheriam a centro extendi, aëris autem corpuſcula eſſe bullulas motu a peripheria ad centrum praeditas ex motu fluidorum bullulas oſtendente colligebat, haecque omnia ad naturae phaenomena adplicata veriſimiles rationes naturae recludendae exhibere videbat. His itaque principiis totum naturalis diſciplinae aedificium inaedificandum ſibi eſſe ſtatuit. In quo labore ſe ita verſatum eſſe ait, vt ratiocinatione mathematica nunquam abuteretur, et poſſibilitatem nunquam pro probabilitate, multo minus pro demonſtratione haberet;

z) In Praefatione, quae tota legenda.

beret; a fictionibus autem abstineret, earumque loco hypotheses subsidiarias et aliis phaenomenis stabilitas adhiberet. Quae tamen omnia nouis nominibus insignienda fuisse monet, ideoque definitionem vocis prius perquirere lectorem iubet. Neque vero theticas dare naturalis philosophiae institutiones contentus, et Aristotelis, Cartesii, atque Gassendi opiniones recensuit, et iudicium vbique, adhibitis etiam obseruationibus logicis, interposuit. Consuluit autem experimenta quoque non pretiosa tantum atque artificialia, sed et viliora et naturalia. Contemsit physicos, mathematicos, qui omnia fieri mathematice in natura statuunt cum Cartesio, vnde stomachosiores quaedam expressiones (sic enim ipse appellat) variis in locis contra mathematicos illi exciderunt, eo quod vbique numeros crepent, et in solorum numerorum et magnitudinum modulum latifundium naturae amplissimum constringant, quamuis vsum principiorum mathematicorum esse in physica negare Newtono id demonstranti non audeat. Ita vero eiectis ex philosophia naturali principiis mathematicis, respuendus etiam erat mechanismus mathematicus, non tamen totus, sed velut parce adhibendus: illi autem mechanismum quendam physicum, qui materiae et corporis affectionibus absoluatur, substituit. Et haec quidem omnia mira ingenii foecunditate per opus sat spissum persequitur philosophus ingeniosissimus. Quae cum mire a recepta eruditorum de rebus naturalibus philosophandi via discederent, mirum non est, plurimas inde contradictiones auctori esse enatas. Et adhuc in incunabulis versantem nondumque typis impressum librum eiusque hypotheses primarias cel. Lehmannus confodit [a], et iniurias in mathematicorum nationem sparsas anonymus quidam peculiari scriptiuncula vindicauit [b]. Vir clarissimus autem IACOBVS BERNARDVS obscuritatem, superstitionem, cauillationes philosophorum, credulitatem, principia vaga, incertaque, et iudicii quandam paupertatem ei exprobrauit [c]. Prodiit quoque in lucem contra physicam diuinam Cel. POLYCARPVS LYSERVS [d], qui paralogismorum, et ambiguitatis in definitionibus principiorum suorum Rudigerum conuincere fategit. Nemo tamen acutioribus telis physicam Rudigerianam oppugnauit, quam eruditissimus vir GEORGIVS FRIDERICVS RICHTERVS, qui aliquoties controuersiae ferram cum Rudigero reciprocauit. Neque tamen sibi defuit ille,

a) Pec. Programmate quod cum responsione sua praefationi Operis inseruit Rudigerus.

b) Scriptum apologeticum aduersus iniurias Thomasianas et Rudigerianas eruditis confodiendas traditas Fr. 1717. Vindicauit quoque inathemata pec. Programmate Cel. WEIDLERVS.

c) Nouvelles de la rep. des lettres 1717. Mars. art. 1.

d) Apparat. liter. Witt. P. I. art 3. p. 39.

sed his aduersariis vna scriptione satisfaciendum ratus obiectiones Richterianas calci nouae editionis physicae suae cum ἐπικρίσει sua adiecit, et ad obiecta a Lysero et Bernardo quoque respondit. Bernardi criminationes quoque repulit IOSEPHVS MARIA BARBIERIVS Iesuita Louanienſis, edita *Veritate philosophiae Cartesianae euicta inuentis philosophi Germani, quem a censura calumniosa professoris mathematici vindicat.* Neque tamen Richterus obmutuit, cum facile inueniret, quae responsionibus Rudigerianis oggereret, qui ingeniosam fabulam esse systema Rudigeri physicum non minus, quam Cartesii, pronunciauit [e]. Quod tamen ipsum aliis occinuit Rudigerus, in eo laudandus, quod inter atheismum et superstitionem mediam viam tenere tentauerit, et hypotheses physicas ad argumentum morale traduxerit, ipse autem fateatur, a demonstratiua certitudine hanc suam physicam abesse.

in ethica. §. IX. Tandem morale quoque argumentum peculiari tractatione illustrandum sibi sumsit Rudigerus, vnde orbi philosophico vernacula legendam tradidit *Manuductionem ad tranquillitatem animi humani, siue* εὐθυμίαν, *tanquam summum bonum vitae huius* [f]. In quo libro satis eleganter scripto, bonum et malum semper inter se misceri, adeoque iucunditatis et molestiae sensum indiuulso plerumque nexu cohaerere ostendit, ex connata autem rationis luce demonstrat immortalitatem animae, et futuram felicitatem spemque vmbram esse humanae felicitatis statuit, et quae rerum humanarum vanitas obtineat, quae tranquillitas in hac vita acquiri queat exponit, mediaque eius consequendae commendat prudentiam, iustitiam, rectum vsum timoris et spei, comparationem bonorum et malorum, et beatitatem sibi sufficientem. Nec prudentiae regulas vir diligentissimus neglexit, sed duce, vt supra dictum, Buddeo vsus, *Prudentiam viuendi et imperandi* [g], *fuse exposuit*, valde conquestus, quod, quae vtilissimam se in vita praebeat disciplinam methodus academica plerumque negligat. Cuius causas esse putat contemtum philosophiae Aristotelicae, in qua tamen politica primo loco sit ponenda; et curiositatem eruditorum aliis scientiis inuigilantium. Multos autem praecepta iuris naturae a philosophia ciuili non satis distinxisse, et separanda miscuisse indignatur. Ita vero toto philosophiae ambitu, si metaphysicam exceperis, singularibus scriptis illustrato, ad refingendum vniuersae philosophiae vultum, qualem prius in *Institutionibus* depinxerat, se accinxit. Multa enim post tres, quas eius systema

e) In Vindiciis obiectionum et responsione ad notas Rudigerianas Lipſ. 1718. 4.

f) Lipſ. 1721. 8.

g) Lipſ. 1722. 8.

ſtema paſſum erat, mutationes, emendare, meditationes alias ſupponere, methodo alia vti, et ad apodicticam certitudinem, quoad liceret, cuncta reducere ſategit. Enata inde eius *Philoſophia pragmatica methodo apodictica et, quoad eius licuit mathematica conſcripta* [b], cui auctoris imago praefixa eſt. Cuius praefatio, hoc loco ob breuitatem non enarranda, ab illis inſpicienda eſt, qui vltimas Rudigeri opiniones et placita noſſe cupiunt. Non caruit ſectatoribus Rudigerus, praecipue inter illos, qui eum viua voce docentem audiuerunt, fuit etiam vnus et alter, qui eius philoſophandi ſummam propagare anniſus eſt, id quod Germanicis librorum eius verſionibus efficere conatus eſt Io. ANDREAS FABRICIVS [i]. Et cum nouum philoſophiae corpus ſermone vernaculo protruderet GODOFREDVS POLYCARPVS MVLLERVS, cui titulum fecerat: *Sapientia et prudentia mundi ratiocinalis ordine inſeparabili expoſita, et obſeruationibus ex hiſtoria noſtri aeui petitis illuſtrata* [k]; eſſe illud Rudigerianum ſibique pleraque, certe potiora clanculum erepta Rudigerus conqueſtus eſt, maleque eum habuit, in transuerſos multa ſenſus ab eo rapta eſſe. A qua tamen plagii inculpatione peculiari apologia ſe liberare Mullerus ſtuduit.

§. X. Poſſent his addi plures, qui, minori licet ſtrepitu in philoſophiae eclecticae ſtadio cucurrerunt, ſi id ageremus, vt hiſtoriam literariam eclecticorum philoſophorum ſcriberemus. Quam vero ſpartam cum ornare non promiſerimus, lectorem ad hiſtoriae literariae recentiſſimos ſcriptores, maxime ad elegantiſſimam *Hiſtoriam literariam* celeberrimi STOLLII eo magis dimittimus, quo magis librum optimum atque vtiliſſimum diligenter illis verſandum eſſe putamus, qui hiſtoriam philoſophiae eclecticae recentioris noſſe cupiunt. Non tacendi tamen nobis prorſus ſunt IO. IAC. SYRBIVS et Ioannes Clericus, eo quod haud parum eorum opera ſtudioſae iuuentutis diſciplina philoſophica adiuta eſt. Et ille quidem, cuius vitam dabunt RICHARDVS [l], GOETTENIVS [m], alii, vt profunda meditatione cum libertate eclectica gaudebat, et in hiſtoria philoſophiae dogmaticae ita erat verſatus, vt cum paucis aequiparari poſſet, non modo recentiorum nonnullorum φιλοσοφούμενα, maxime Chriſtiani Thomaſii, Nicolai Hieronymi Gundlingii, Andreae Rudigeri et Chriſtiani Wolfii, modeſte examinauit, et quid moneri de eorum placitis queat, candide ſignificauit: ſed et ipſe praeter *Inſtitutiones philoſo-*

Alii eclectici.

Ioannes Iacobus Syrbius.

h) Ibid.

i) Vid. Nou. lit. Lipſ. 1732. p. 136.

k) Conf. STOLL. Suppl. nou. ad hiſt. lit. p. 50.

l) In Vitis profeſſ. Ienenſium.

m) In Europa literata hodie viuente P. II.

losophiae rationalis eclecticae cui praemissa est historia logicae, philosophiae primae, veteri significatione (quam peculiari dissertatione [n] expossuit) sumtae institutiones vulgauit. Quae quales sint, ex hoc titulo patet: *Institutiones philosophiae primae nouae et eclecticae, quarum pars prima, seu architectonica praeter theologiam philosophicam omnis eruditionis fundamenta, principia et methodum ex ipsius hominis consideratione deriuata, altera vero seu metaphysica philosophiam occultam, tertia denique seu ontologia, notionum philosophicarum vulgo vsitatiorum explicationem continet* [o]. Qualem laborem etiam editis vernacula *Breuibus institutionibus sapientiae* eiusque *Partium omnium* [p] perfecit. Et fatendum quidem, meditationi et attentioni adsuetum lectorem viri acutissimi scripta poscere, immo etiam historiae philosophicae apprime gnarum, vnde his destitutis paulo obscurior scriptorum eius euadit lectio: ast concedet is, etiamsi omnibus illius subscribat, magnam iudicandi vim et insolitam perspicaciam cum arte mire dogmata inter se nectendi virum eruditissimum possedisse. Quocum multoties de difficillimis veteris philosophiae capitibus colloquium nos instituisse, et in eo studiorum nostrorum genere plurimum lucis ab eo accepisse, grati profitemur. IO. CLERICVS autem, quis fuerit, quemue in ciuitate erudita locum tenuerit, quibus doctrinae meritis nominis immortalitatem consecutus sit, hoc loco exponere velle, esset historiam literariam nostrae aetatis scribere, et lucem accendere in meridie, adeo nota sunt elegantia viri summi in omnem doctrinam, maxime literariam, merita. Is cum Io. Lockio amicissimo vteretur, et huius librum *de Intellectu humano* inter praestantissimos, quos vnquam sol vidit, libros referret, eius, vt videtur, exemplo excitatus, primum ad scribendam logicam animum appulit, in quam praecipua congessit, quae a Lockio de idearum natura dicta sunt, alia ex *Arte ratiocinandi*, quae portus regii sociis debetur, et ex MALLEBRANCHII libro *de Inquirenda veritate* adiecit: sicque licet haud ita multa de suo addidisset, ordine tamen et perspicuitate, quo nomine Christiano Thomasio et N. Hier. Gundlingio laudatur, valde se commendauit. Accessit ontologia, maximam partem secundum praecepta Cartesianorum, tradita, itemque pneumatologia, quibus tandem iunxit physicas institutiones, methodo analytica ex recentiorum obseruationibus constructas. Ethicam autem partem non attigit, quae enim iungi solet PHILARETHI ethica, non Clerici est, sed Io. Rudolphi Rudolphi. Probatam autem fuisse diligentiam viri celeberrimi ex repetitis editionibus constare potest, quamuis multis displicue-

Ioannes Clericus.

n) De Philosophia prima ordini et honori suo restituenda.

o) Ienae 1720. 8.

p) Ibid. 1723. 8.

displicuerint ea, in quibus ab aliorum sententia sibi discedendum esse putauit. Quae hoc loco excutere non licet. Addi his summo iure deberent, qui recentissima aetate magna cum laude noua philosophiae systemata ediderunt, inter quos post illustrem CHRISTIANVM WOLFIVM cuius immortalis, eo nomine, est famae gloria, bonorum quorumlibet calculum meruit celeberrimi SAMVELIS CHRISTIANI HOLLMANNI, philosophi Goettingensis industria acumenque prorsus singulare et libertas eclectica demonstrata. Ast his immorari limites, quos posuimus nobis, obstant, cum viuis et praesentibus iis, quod diu sit, optamus! orbi philosophico frui liceat: viuos autem tangere nos nolle, vt meta laboris sit, constituerimus. Nihil itaque restat, quam vt iam porro ostendamus, quo pacto per singulas philosophiae disciplinas emendationem aggressi sint philosophi. Qua in tractatione tamen rem summatim, ne prolixiores simus iusto, complectemur. Singularum enim scientiarum philosophicarum historiam specialem scribere, ad hanc tractationem non pertinet.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DE EMENDATIONE PHILOSOPHIAE IN SINGVLIS EIVS PARTIBVS.

CAPVT PRIMVM,

DE REFORMATIONE PHILOSOPHIAE RATIONALIS RECENTIORI AETATE TENTATA.

§. I.

Ordo tractationis.

Peragrato longissimo itinere philosophiae vniuersae a mundi incunabilis ad nostram aetatem campo, nondum tamen metam attigimus, omnemque philosophiae historiam absoluimus. Cum enim in enarrandis philosophiae veteris mediique aeui fatis omnes eius mutationes per singulas partes complecti licuisset, recentioris aetatis, tertiaeque periodi historiam simili modo vniuersam comprehendere non potuimus. Quanquam enim memorabilium haud facile quicquam desiderari posse speramus in iis, quae de recentiorum studio circa philosophiam sectariam eiusque partes singulas copiose attulimus, aliter tamen in enarratione philosophiae eclecticae et reformatione sapientiae humanae euenit, vbi eorum modo conamina atque diligentiam expoſuimus, qui pro reformatoribus vniuersae philosophiae aut habiti sunt, aut haberi se cupiuerunt. Fuerunt autem praeter istos innumeri viri docti, qui non omnem quidem disciplinam philosophicam refingere, et ornatiores vultus exprimere tentarunt, ast in specialibus tamen philosophiae scientiis insignes valdeque memorabiles mutationes susceperunt. Quas reticere, esset eclecticae philosophiae partem nobilissimam supprimere.

ſupprimere. His itaque enarrandis, declarandoque, quid per ſingulas philoſophiae partes emendare, nouumque dare ſuſceperint viri docti, in hoc libro noſtra verſabitur induſtria. Ex quo vero conſtare lectori poſſe confidimus, non expectandam iam eſſe a nobis ſingularum diſciplinarum philoſophicarum hiſtoriam, quam condere non minoris, quam quem hactenus vrſimus, laboris et prolixitatis opus eſſe intelligent, qui conſiderauerint, ad veram rectaque methodo inſtitutam alicuius ſcientiae philoſophicae hiſtoriam, non id tantum requiri, quod ab haud paucis non perfunctorie factum eſt, vt literaria eius hiſtoria exponatur, ſed ipſa quoque ſyſtemata varia, eorumque diſcrimina mutationes cauſſasque eſſe adducendas. Qua quidem ratione neminem hactenus opus hoc abſoluiſſe, merito dolemus, virosque eruditos cohortamur, vt hoc ſaxum voluere, et philoſophiae magis, quam philoſophorum hiſtoriam ſpecialem condere incipiant, ex qua magnam philoſophiae redundaturam eſſe vtilitatem nemo non rerum gnarus intelligit. Non tamen contemnenda eorum laudabilis induſtria eſt, qui hiſtoriam diſciplinarum philoſophicarum ſpecialem enarrare contenderunt. Quamuis enim plerique literariam magis quam philoſophicam notitiam dederint, haud raro tamen, licet non ſatis plene, ea quoque tetigerunt, quae ad ipſa dogmata pertinent. Adeundi itaque atque conſulendi de rationali philoſophia PETRVS RAMVS [a], BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS [b], G. I. VOSSIVS [c], PETRVS GASSENDVS [d], REN. RAPINVS [e], CHRISTIANVS THOMASIVS [f], I. G. PASCHIVS [g], IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS [h], IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS [i], IOANNES IACOBVS SYRBIVS [k], SAMVEL CHRIST. HOLLMANNVS [l], et qui facile omnes accuratione et dogmatum explicatione vicit Ven. IOANNES GEORGIVS WALCHIVS [m], theologus hodie Ienenſis multis de eccleſia orbeque literario meritis inclytus. Metaphyſicae hiſtoriam nemo profundius denudauit, et enucleatius, quod ad veteres attinet, ſuo tempore tradidit quam IACOBVS THOMASIVS [n], dignus qui conſulatur; quem ſuo modulo atque pede ſecuti ſunt BVDDEVS [o], REIMMANNVS [p], IVN-

a) In Scholis dialecticis.
b) In Praecognitis Logicae.
c) De Nat. et conſt. Logicae.
d) De Origine et varietate Logicae Tom. I. opp.
e) Reflexions ſur la logique.
f) In Philoſophia aulica.
g) De Inuentis nou- antiquis.
h) In Calendario critico-hiſtorico logicae, et quod ad Germanos attinet, in Hiſt. Lit. Germ.
i) In Praefat. ad verſion. Latinam Artis cogitat.
k) In Hiſtor. Logicae Inſtit. philoſ. rat. eclect. praemiſſa.
l) In prooem. Logices T. I. Inſtitution. phil.
m) In Hiſtoria Logicae, quae exstat Parerg. Acad. pag. 454. ſeqq.
n) Adiecit eam Erotematibus metaphyſicis.
o) Annot. ad Part. IV. Philoſoph. inſtrumt. pag. 451.
p) Hiſt. Lit. German. Vol. II. p. 159. III. p. 117. IV. p. 2. 115. ſeqq.

IVNCKERVS [q], et qui reliquos facile vicit HOLLMANNVS [r]. Physicae historiam diu neglectam fuisse, fere intolerabile et vehementer dolendum videtur, quamuis perperam CHRISTIANO IVNCKERO [s] prima eius conamina tribuere Cel. STOLLIVM [t] putemus. Nam non modo ante Iunckerum incomparabilis Buddeus breues historiae naturalis disciplinae lineas *Institutionibus doctrinae naturalis* praefixit, quibus elucidandis vltimam paulo ante mortem manum admouit, sed imprimis diligentissimus GASSENDVS amplissimis, quos de physica [u] scripsit commentariis historiam plerorumque dogmatum curate attigit, acutissimus HAMELIVS [x] autem veterum et recentiorum hypotheses physicas inter se comparauit, vt de vtriusque partis mente sententiam suam aperiret. Tentauit quoque nonnulla, doctrinam magis, quam libros respicientia diligentissimorum virorum MORHOFII [y], et PASCHII [z] eruditio. Quibus merito addi possunt Ephemeridum praestantissimarum, quas Parisienses atque Lipsienses eruditi condunt, itemque memoriarum ad societates eruditas spectantium auctores, qui non quidem rerum naturalium historiam, ast eius tamen, quod ad recentiores obseruationes spectat, hylen quandam iucundissimam suppeditant. Qui vero de rebus naturalibus scriptores consulendi sint, ad haec arua nostra non pertinet exponere, et ex indicibus STRVVII [a], SCHEVCHZERI [b], REIMMANNI [c], STOLLII [d] aliorumque discendum est. Maxime autem huius argumenti noscendi cupido praestantissimi HOLLMANNI commendamus industriam, qui cum *Institutiones philosophiae naturalis* panderet, non modo laudabili consilio, fata eius disciplinae breui quidem at luculento et eleganti compendio enarrata praemisit, sed cum recte prudenterque statueret, esse effectuum naturalium plurimos, quos philosophice cognoscere, causarum vero et quantitatum cognitionem non nisi historicam habere possimus, ad obseruationes magnorum virorum semper recurrit, scriptorum praestantissimorum non libros tantum, sed et obseruationes indicauit, et quid de quouis argumento physico naturae interpretes statuerint, addita ἐπιχρίσει ita exposuit, vt merito naturalis scientiae studiosis hunc eruditissimi viri laborem gratulemur, et historiae physicae dogmaticae vices subire posse credamus. Quam viam quoque cum in pneumatologia et theologia naturali

q) In Lineis primis eruditionis pag. 76.
r) In prolegom. Philos. primae, qui ante omnes adeundus est, cum singula perspicue solideque sit complexus.
s) loc. cit. Part. I. p. 141. seqq.
t) Histor. liter. c. 4. §. 3. p. 519.
u) Tom. I. opp.
x) In Phil. vet. et noua.
y) Polyhist. T. II.
z) loc. cit.
a) In Bibliotheca philosophica, ACKERI LOTTERI, KAHLII aliorumque cura aucta.
b) In Bibliotheca scriptorum historiae naturalis.
c) Histor. literar. German. Vol. II. pag. 160. 305. Vol. III. pag. 461. IV. pag. 462. V. pag 763. seqq.
d) l. c. Lib. II. cap. 3.

turali inierit, ad eum recurrendum est, huius enim scientiae historia valde hactenus neglecta est, et pauciſſima sunt, quae IVNCKERVS [e] et BVDDEVS [f] tetigerunt, literariam vero eius scientiae historiam tantum suppeditarunt STOLLIVS et REIMMANNVS [g]. Addenda his est atheismi historia, quae haud contemnendam eius partem constituit, cuius fontes cum nos quoque vbique in hac tractatione indicauerimus, illa loca post industriam Ven. REIMMANNI [h] consuli, si tanti videbuntur, possunt, nouos autem Cl. ZIMMERMANNI [i] labores de eo argumento dudum promissos adhuc expectamus. Nec lautiorem apparatum ethicae historia suppeditat, GVNDLINGIVS [k] enim veteres tantum et quidem solos barbaros, STOLLIVS [l] et REIMMANNVS [m] scriptores, PASCHIVS [n], methodum tradidit, fata ethices nemo hactenus ex instituto enarrauit. Qua in re feliciora sidera vidit iuris naturalis historia, forte, quod recentiori tantum aetate sub peculiaris scientiae habitu exculta, tantum laboris, studium atque molestam operam, quam reliquae partes non postularet. Plurimum enim hac in re nos debere, BVDDEI [o], LVDOVICI [p] et imprimis CHR. THOMASII [q] diligentiae, nemo ignorat rerum literariarum nostri aeui non plane ignarus. De politica autem et viuendi imperandiue scientia praeter eos, qui scriptores enarrarunt [r], nemo fere nobis occurrit, qui operam rectam et sufficientem in eo argumenti genere posuerit. Ab horum autem omnium industria manum quidem non cohibebimus, si inseruire tractationi nostrae poterunt: ast aliam tamen viam sequemur. Cum enim veteris mediique aeui historiam in antecedentibus iam, quantum instituto nostro sufficere putauimus, complexi simus, in sequentibus ea tantum tangemus, quae singulis disciplinis philosophicis, a resuscitatione literarum noua, singularia, momentoque non carentia, et ad nullam sectae speciem referenda contigerunt, et quibus eclectica philosophia adiuta est. Verum hic quoque modo et limitibus opus est, ne in infinitum liber excrescat: dabimus ergo potiora tantum et memoria dignissima, qua licet breuitate, et qui plura nosse cupiunt, ad abundantissimos fontes dimittemus.

e) loc. cit.

f) loc. cit.

g) locis citatis.

h) In Historia atheismi, quae tamen literaria magis est, quam philosophica.

i) Dudum is meditatus est Historiam atheismi et apologiam virorum doctorum atheismi accusatorum, cuius specimen in dissertat. de Atheismo Platonis, itemque de impietate Enemeri et Diagorae Melii etc. extare in Amoenit. literariis Cel. SCHELHORNII T. VIII. et in Museo Bremensi Vol. I. voluit.

k) In Historia philosophiae moralis.

l) loc. cit. P. III. tot.

m) loc. cit.

n) In tr. de variis modis tradendi moralia, cui annexa est Introductio in rem literariam moralem veterum.

o) Praemisit is Selectis I. N. et G. historiam iuris naturalis.

p) Etiam huic viro docto historiam I. N. debemus.

q) Eius Historiam paulo pleniorem I. N. supra iam in eius vita tetigimus.

r) Scriptores hue pertinentes nominat STOLLIVS loc. cit. cap. 5. §. 4. pag. 693. Inter quos facile eminent NAVDAEI, CONRINGII, BOSII, ARNDII scripta.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Emendatio logicae tentata.

§. II. Mature post renatas literas vidisse viros eruditos naeuos logicae Peripateticae, eisque medelam afferre tentauisse, ex praecedentis libri tractatione constat. Eo enim loco planum fecimus, quid Laurentius Valla et Rud. Agricola Sec. XV. hoc nomine susceperint, et quo pacto philosophiam rationalem emendare sint aggressi: ea itaque heic repetere nihil attinet. Exorta vero clariori luce seculo XVI, multa reprehendisse viros doctos, multa noua fuisse molitos in hoc philosophandi genere, parum autem vel plane nihil profecisse, vel solius Nizolii atque Ludouici Viuis exemplis suo loco adductis potest demonstrari. Et profecto, quae hoc seculo magni quoque viri in logica philosophiae parte susceperunt, vltra repurgationem logicae scholasticae, quam ad puriores Aristotelis fontes reuocarunt, plane nihil, quod momentum nouitatis et emendationis habeat, attulerunt. Vnus Petrus Ramus, quod tum multi mussitarunt, aperte eloqui, et quod alii in votis tantum habuerunt, in rem perducere, nouamque dialecticam introducere ausus est. Quae cum magnorum motuum caussa per integrum fere seculum fuerit, historia Ramea iam paulo curatius nobis enarranda est, quam strictim, vt institutum postulat, dabimus.

Vitae Petri Rami scriptores.

§. III. Ignotum esse nequit nomen PETRI RAMI illis, qui historiam eruditionis vel a limine salutarunt. Fuerunt enim plurimi, quires eius et tum vitae tum philosophiae historiam tetigerunt. Et ex instituto quidem vitam Rami omnium optime enarrauit, qui ex disciplina eius prodiit THOMAS FREIGIVS [s], tum PETRVS NANCELIVS [t] et THEOPHILVS BANOSIVS [u]. Multa, quae ad res Petri Rami illustrandas faciunt, attulere SAMMARTHANI [x] fratres, quos exscripsit PAVLVS FREHERVS [y] tum BOISSARDVS [z] similesque scriptores historiae literariae alii, in vulgus noti. Recentissima aetate in iis explicandis illustrandisque laudabilis versata est industria TEISSIERII [a] PETRI BAYLII [b], CHR. BREITHAVPTII [c] et C. F. LENZII [d]. Tacemus GASSENDVM [e], REIMMANNVM [f], WALCHIVM [g] aliosque scriptores historiae logicae. Nos consultis, quos nominauimus, fontibus ita ad obseruationes laudatorum virorum attendemus, vt quod lucem historiae celeberrimi philosophi accendere queat, neglexisse nos mimine videamur.

§. IV. Edi-

s) Addita est AVDOMARI TALAEI Orationibus Marpurgi 1599. 1608. editis.
t) Paris 1603. 8. II. Volum.
u) Francof. 1579.
x) Elog. Gallor. Lib. II. elog. 21.
y) In Theatro p. 1467.
z) Vit. illustr. script. T. II. p. 36.
a) Elog. des hommes sauans T. II. p. 397. sqq.
b) Dict. T. IV. art. Ramus p. 25. seqq.
c) Diss. de Tribus Logicae restauratoribus Ramo, Verulamio atque Cartesio Ien. 1712.
d) Diss. de Historia Rami Viteb. 1713.
e) De Orig. Log. c. IX. T. I. Opp. p. 59.
f) Hist. lit. Germ. Vol. III. p. 192.
g) l. c. L. II. c. 1. §. 3. p. 609. sqq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. IV. Editus est in lucem PETRVS RAMVS (de la Ramée) in Veromanduorum agro Cuthi, parentibus antiqua quidem et nobili prosapia ortis, sed belli calamitatibus ad infimam sortem redactis. Teste enim BANOSIO [h], qui id ipsi Ramo debet, auus eius in Eburonum gente familia imprimis illustri fuit, sed patria a Carolo Bugurdionum duce capta et incensa in Veromanduorum agrum profugus ob paupertatem cauponariam artem exercuit. Ipse quoque se relictis vix cunis peste correptum aegre mortem euasisse narrat. De adolescentia eius atque educatione discrepant scriptores: SCALIGER [i] enim ad annum vsque decimum nonum, ne quidem primas notas eum didicisse, ac inseruiuisse domino de la Brosse, et Lutetiam deductum famulum ingenio tardo, rudi et stupido atque disciplinae repugnanti fuisse tradit, hanc autem stupiditatem discendi vicisse desiderium. Aliter autem BANOSIVS [k], qui narrat: „Anno aetatis suae circiter „octauo sponte Lutetiam venisse, et inde bis abductum violentia tem„poris, bis eodem tamen, quamlibet reflantibus ventis reuersum et „ardenti discendi studio incensum ab Honorato Carpentario auunculo „victum per aliquot menses perexiguum accepisse, vt artes addisceret; „deinde necessitate coactum multos annos duram seruitutem in colle„gio Nauarrae seruiuisse; sed cum interdiu dominis suis fidelem ope„ram praestitisset, nocte oleo et lucerna in studia incubuisse." Quam narrationem ipsa Rami verba a FREIGIO [l] adducta confirmant, quibus de fortunae pertinacia, quam Lutetiae se expertum esse ait, cum ad capessendas artes ingenuas illuc venisset, conqueritur: id quod tamen sibi non puero, sed iuueni accidisse tradit. Traductus autem ad hunc bonarum literarum mercatum, cum ineffabili discendi desiderio flagraret, et ipse indesinenter literis operam dare coepit, et lectiones publicas attente audiuit. Et fuerunt quidem, qui Ramum sine praeceptore propria diligentiae felicitate ad id doctrinae culmen euasisse contendunt, quo postea eminuit. Certe ad MORHOFIVM [m], NAVDAEVM [n] et EDMVNDVM RICHERIVM [o] prouocat, qui αὐτοδίδακτον Ramum ipse quoque dixerat TEISSIERIVS [p], ideo notatus a P. BAYLE [q]. Ast si accurato vocis rigore id sumas, falsum est. Ipse enim RAMVS [r], tres annos sexque menses in philosophia Aristotelis ex academiae legibus se posuisse operam ait, et alio loco [s], id repetit, fassus illud tempus sese logici Organi libris cognoscendis, disputandis, meditandis traduxisse. Quod

Vita Rami.

h) l. c. ex Oratione Rami professionis regiae initio habita.
i) Scaligerana secunda p. m. 127.
k) loc. cit.
l) l. c. conf. BAYLE not. B.
m) Polyhist. T. I. L. I. c. 1. p. 6.
n) De Studio liberal. c. 5. p. m. 89.
o) In Obstetrice animorum c. II. p. 20.
p) l. c. p. 399.
q) l. c. not. N.
r) Schol. dial. L. V. fin.
s) Animadu. Arist. L. IV. p. m. 136.

si vero id velint viri docti, quod eos voluisse suspicamur, nouam eum dialecticam non a praeceptoribus hausisse, sed suo ingenio debuisse, nihil dicunt, quod non ipsius Rami assertis consonet, licet fuerint, qui in eo quoque argumento alieno illum vitulo arauisse contendant. Non vero solam philosophiam Aristotelico-Scholasticam didicit, sed et artes mathematicas; in quibus Ioannem Penam, quem in philosophia discipulum nactus est, praeceptorem habuisse, etsi is iuuenis adhuc esset, contra censuram Baylii demonstrauit TEISSIERIVS [t]. Licet enim tunc admodum iuuenis vigeret, erat tamen testibus SAMMARTHANIS [u] supra aetatem eruditus, hisque potissimum artibus egregie versatus, adeo, vt, narrante ipso Ramo [x], quamuis valde iuuenis esset, cathedram mathematicam post seueriſſimum examen, commendante Ramo tandem obtinuerit. Nec alio testimonio opus est, quam ipsius Rami [a], a TEISSIERIO [b] producto, qui e doctis Latine et Graece eruditis Ioannem Penam sibi imprimis mathematici studii adiutorem fuisse affirmat. Obiit autem Pena XXVI tantum annos natus, vnde iuuenem eum Ramo in his artibus praeceptorem obtigisse manifestum est [c]. His vero studiis cum pertinax accederet contentio et diligentia inexpugnabilis, iura magistri philosophiae obtinere Ramus potuit. Id hoc pacto factum esse narrat FREIGIVS [d]: *Lutetiae magisterii titulum susceپturum pro more et consuetudine scholarum liberam disputandi copiam examinatoribus facere coactum fuisse. Problema igitur sumsisse: quaecunque ab Aristotele dicta essent, commentitia esse: Attonitos nouitate et insolentia magistros nostros cum auctoritatem Aristotelis sibi ereptam viderent, irrito conatu per diem integrum magistrandum* (vti barbare vocant) *oppugnauisse.* Qui recte quoque obseruat, Ramum ex hoc fortuito successu ansam deinceps serio ac libere in Aristotelem animaduertendi et inquirendi arripuisse. Ex qua obseruatione patet, ingentes, quos iuuenilis ardor Ramo subdidit spiritus ad parandam sibi gloriae viam prima Aristotelis oppugnandi conamina in eo accendisse. Accinxit se autem potissimum ad examinandum euertendumque Organum Aristotelicum, cuius occasionem ipsi suppeditasse lectionem veterum scriptorum Graecorum atque Latinorum infra probabimus. Valde enim perhorrescebat vir amoeni atque elegantissimi ingenii barbariem sui temporis; cumque nocturna diurnaque manu exemplaria veterum versaret, et haud paruam sibi dicendi scribendique copiam comparauisset, adeo vt annos triginta natus melius Latine scriberet,

t) l. c. Vol. I. p. 305. qui consulendus.
u) In Elog.
x) Praef. Oper. mathem.
a) Act. prima pro regia profess. mathem. p. 552.
b) l. c. p. 306.
c) Conf. VOSSIVS de Scient. math. p. 355.
d) p. 9. 10.

beret, quam senio proximus [e], ratus addiſci eloquentiam dicendique artem ſine dialectica non poſſe, parum autem huic vſui aptam eſſe logicam Ariſtotelicam, ad emendandam differendi et cogitandi artem, quam more veterum dialecticam appellabat, vim animi omnem conuertit, vt haberent, qui bonis literis operam nauant inſtrumentum, quo ad interpretationem et imitationem veterum auctorum ex quouis genere optimorum poſſent peruenire [f], vt ex dicendis conſtabit. Ita vero hunc ſcopum ſe attingere poſſe ſperabat, ſi oſtenderet primo, ineptam eſſe ad veritatem inquirendam ediſſerendamque logicam Peripateticam, et inutilia plurima, haud pauca falſa, quaedam vera quidem at manca, et ad vſus minime traducta continere, adeoque reformatione opus eſſe: ſicque remotis obſtaculis nouam deinde dialecticam introduceret, quae dicendi cogitandique atque differendi artem omnem ſecundum veterum mentem luculentis regulis explicaret. Vtrique ſcopo obtinendo cum ſe parauiſſet, prodiere eius cura [g], licet nondum trigeſimum aetatis annum attigiſſet, *Inſtitutiones dialecticae*, et *Animaduerſiones Ariſtotelicae*, quorum librorum hic logicam elenchticam, ille theticam comprehendit, multoties recuſus vterque [h]. Et in hoc quidem acerrimam cenſuram in logicam Ariſtotelicam exercuit, quidque in ea deſiderandum ſit, magna libertate expoſuit, in illo nouam dialecticae artem inſtruxit. Non enim contentus oſtendiſſe, qua ratione virtutem differendi, ad quam omnem dialecticae artem reuocabat, natura, doctrina, exercitatione aſſequi liceat, et de veritate quoque, de qua diſceptandum, praecepiſſe, de contrariis quoque dialecticorum opinionibus ſibi dicendum eſſe ſtatuit, demonſtrareque aggreſſus eſt, *Dialecticam ab Ariſtotele et Ariſtoteleis non legitime inſtitui, cum quod multa dialecticae artis non neceſſaria praecepta libris Ariſtotelis logicis conturbentur, tum quod multa neceſſaria praetermittantur*, vt infra paulo plenius exponemus. Fecit id Ramus et animo magno, et dicendi copia ſupra modum eleganti atque valente, et libertate, quam aetas illa ferre poſſet, maiori. Et inſtitutiones quidem dialecticae, quamuis θετικῶς ſcriptae eſſent, ſatis Peripateticos iam commouerant, cum in omnia alia Ramus abiret, et viam a Stagirita patefactam non ſine contemtu quodam deſereret. Aſt longe vehementius eorum animos vulnerabant *Animaduerſiones Ariſtotelicae*, quas calamo non modo

e) Scaligerana prima p. 127.

f) Conf. Praef. Inſtitut. dialect.

g) Paris 1543. 8.

h) Paris 1548. qua editione perquam nitida nos vtimur, conf. REIMMANN. Hiſt. lit. Germ. Vol. III. p. 193. MORHOF. Polyhiſt. T. II. p. 66. STRVVIVS Bibl. phil. c. II. §. 14. STOLLIVS Hiſt. liter. P. II. c. 2. §. 20. ſeq. p. 436. ſeqq.

modo liberrimo, sed interdum quoque ex indignatione paulo intemperantiore scripserat, et in quibus iuuenilis ardor se subinde prodiderat. Nihil enim in omni fere Aristotelis Organo est, quod non reprehendat, et in quo Aristotelicos cum magistro non pueriliter lapsos esse censeat. Cuius vt exemplum lector habeat, en in *Peroratione vniuersae animaduersionis, totam Aristotelis orationem difficilem rebus, obscuram verbis, toto genere compositionis insulsam atque odiosam* vocat, *Commenta Aristotelis labyrintho comparat et Minotauro* ait *similima, ob anfractus et Maeandros, quibus inuoluitur, maxime autem commentorum, nugarum, somniorum, ineptiarum, mendaciorum, sophismatum, deliramentorum infinitis labyrinthis coagmentatum chaos se commonstrare ac patefacere* gloriatur, *et se non dialecticae artis confusionem in Aristotele duntaxat reprehendere, non tantum salebras arguere, non solum noctes atras accusare, quae in chao fuerant*, ait, *sed, quod Aristotelicum logicae confusionis chaos maius est; cum chao quidem naturali principia rerum licet nondum distincta, inessent integra, in Aristotelico chao vero et permulta e necessariis principiis desint, et multo plura e nugatoriis et sophisticis redundent, multa quae tribus versiculis commodissime poterant concludi, centenis vanarum argutiarum spinis et mendaciis vsquequaque dissipentur.* Ex quibus facile hariolabitur lector, non potuisse non Peripateticorum animos, professorumque philosophiae, qui in Organo Aristotelis consenuerant, et quorum phrontisteria hisce mysteriis per totum annum personabant, altissime sauciari instigarique, vt ferocem professorem iuuenem, venerandis Stagiritae canis male dicentem, et leges academiae magno contemtu et fastu conculcantem reprimerent, et honorem professionis suae assertum irent, cogerentque aduersarium impune in famam Peripateticae sapientiae grassantem, pedem referre. Et hinc illae lachrymae, quas iam porro delineabimus, cum vehementer crabrones Ramus irritauisset, minori suae tranquillitatis periculo, et maiori veritatis emolumento in detegendis Aristotelicae logicae naeuis vitiisque versaturus, si nimiam animi vim cohibere, si parcius ista viris obiicere, si sine pompa sine inuidia sapere, maluisset. Ast cum alia omnia Ramo placuissent, et is tempori inseruire prudenter negligeret, maxima inde tempestas ei coorta est, quae tantum non omnem eius fortunam euertit, et inuidiam, maleuolentiam, contumelias, terrores, minas [i], et tela acutissima Aristotelicorum ei concitauit, vt ex sequenti narratione patescet.

§. V.

i) Praef. Animad. Aristot. edit. 1548.

§. V. Vix comparuerant libri dialectici Rami, cum ex his fatuillis magnum sibi incendium metuentes professores Peripatetici, ad id extinguendum omnem academiam conuocarent. Prodiit autem delectus ad ineundam cum Ramo pugnam Antonius Goueanus [k], quem et artis dialecticae peritia et eloquentiae laude cum Ramo paribus viribus pugnam inire posse censebant. Et primo quidem libellis aliquot contra Ramum pugnatum est, plerisque academiae magistris Goueani partes sequentibus, a quibus multis altercationibus priuatis studiis potius, quam publico bono incensis res acta est. Quod cum euentum, quem exoptabant, non haberet, ad vim confugerunt Rami aduersarii, et quod AVDOMARVS TALAEVS [l] narrat, „Ramum repente non ad humanam aliquam et li„teris vsitatam disputationem ab Academia vocari curarunt, sed ad prae„torii tribunalis capitalem contentionem per certos homines academiae „nomine rapuerunt, nouique et ante hunc diem inauditi criminis accusa„runt, quod Aristoteli repugnando theologiam et artes eneruaret. Hinc „Aristoteleorum clamoribus agitatus ad summum Parisiensis curiae consi„lium traductus est: deinde cum legitimo iudicii more res agi, atque „apertius iniquissimae fraudis inuidia percipi videretur, nouis artibus a se„natu Parisiensi ad regiam cognitionem disiectus est: qua constitutis quin„que iudicibus, binis ex vtraque parte, quinto regia denominatione de„signato caussam de singulis animaduersionum capitibus dicere iussus est. Haec Talaeus, cuius narrationi eo magis fidem dandam esse recte monet P. BAYLE, quia haec scripsit Talaeus in dedicatione ad Cardinalem Lotharingiae, cuius patrocinio furori et persecutioni Aristoteleorum Ramus postea ereptus est. Prolixius rem explicat, et circumstantias quasdam addit, vitae Petri Castellani scriptor PETRVS GALLANDIVS [m] his verbis: „Cum in hac schola ante annos octo sophista famosus Musis iratis „natus, gloriae popularis siti inexplebili praeceps, Aristotele, Cicerone, „et Quintiliano petulanter et ignoranter vexatis nullum finem in quemuis „auctorem classicum debacchandi facturus videretur, priusquam praesen„tem literarum statum labefactasset, atque ad suam libidinem peruertisset, „permulti doctrina ac virtute conspicui homines audaciam tam prodigio„sam

Motus Parisienses ob oppugnatam a Ramo logicam Aristotelicam.

k) Erat Goueanus natione Lusitanus, puer autem ad patruelem Andream Goueanum in Galliam traductus est, vbi in humaniori literatura institutus ita profecit, vt dicendi Latine fingendique facultatem supra modum assequeretur. Sed et logicam Aristotelicam ita perdiscerat, vt iuuenis quidem, cum Ramo congredi, eique Responsionem ad P. Rami calumnias pro Aristotele opponere, mox disputationem coram inire auderet. Ab Aemilio Perrero ad iurisprudentiam amplectendam ductus ita hanc scientiam tenuit, vt eam magno plausu apud Tolosanos, Cadurcos, Valentianos et Gratianopolitanos docere posset, habereturque a Iacobo Cuiacio interpres iuris, inter optimos numerandus. Bellis ciuilibus ex Gallia abire coactus ad Philibertum Sabaudiae ducem concessit, eique a consiliis secretioribus fuit, obiitque Taurini ex nimio pepomelonum vsu, vid. THVAN. ad A. 1565. TEISSIER. ad h. l. T. II. p. 420. GRAVINA Histor. iuris ciu. c. 172. p. 254. seqq. Extollunt peritiam eius dialecticam Scaligerana p. 174. impietatis eum Caluinum accusasse ait TEISSIER. p. 224. conf. BOECLER. Scr. hist. sec. XVI. p. 622. aliique.

l) In Dedic. academiae ad Carolum Guisiae ducem Cardin. Lotharingum, ad quam narrationem prouocat RAMVS in Dedic. edit. recent. Animaduers. Eam repetit LAVNOIVS de Fort. Arist. c. XIV. p. 253. seqq.

m) In Vita P. Castellani n. 45. p. 75. seq.

„ſam indigniſſime tulerunt. Cumque de eo apud regem ita conqueſti eſ„ſent, vt ille pro ſua perpetua in literas et literarum profeſſores beneuo„lentia hunc indignabundus ad remum damnatum triremibus addicere ſta„tueret, regis animum faceti leporis ſuauitate emollitum ad ſententiam „mitiorem Caſtellanus traduxit. Sophiſtam nugantem et inepte philoſo„phantem ab humaniſſimo rege nullo capitali ſupplicio puniendum eſſe; „verum cum doctis hominibus coram grauibus diſceptatoribus in diſputa„tionis certamen commiſſum, argumentis conuincendum, et ratione ali„qua leuiore ad ſanitatem reducendum. Quorum ſententia cum illum rex „inſcitiae, impudentiae et temeritatis damnatum ſilentiique poena multa„tum vidiſſet, facile acquieuit, neque acerbius quicquam in eum ſtatuit. Quam narrationem mendacii coarguit P. Bayle, cum et Talaei verbis repugnet, et ab inimico Rami grauiſſimo profecta ſit. Nobis autem non ex toto conficta videtur, quamuis facile concedamus, regem optimum et literatiſſimum, et quod ex hac ipſa vita Caſtellani conſtat, ob ariſtocratiam commendatam Ariſtoteli non valde fauentem ſententiam hanc improbam et duram ob diſputationes logicas non tuliſſe. Nam ipſe Talaeus addit: *Haec omnia regis, licet omnium regum et humaniſſimi et literarum amantiſſimi tamen per falſas et improbiſſime confictas calumnias inducti auctoritate confirmantur.* Vnde quae Gallandius refert, de conſiliis inimicorum Rami intelligenda eſſe putamus, qui percupiuiſſent eum ad remos magis quam in cathedra ſedentem videre. Quae cum regi eſſent patefacta, obſtitiſſe Caſtellanum inhumanis cogitationibus, et velitationem literariam inſtituendam regi ſuaſiſſe. Id quod ipſe regiae literae, „MDXLIII, VI. id. Mart. ſcriptae confirmant, quibus innuitur, regem „delatis ad aures ſuas turbis, quibus commoueretur Academia Pariſienſis, „ob libros P. Rami, inſtitutam eapropter litem in curia regni ad ſe reuo„caſſe, ideoque decreuiſſe, vt qui oppugnaturum ſe libros Rami obtuliſſet, „Antonius Goueanus, et qui accuſaretur, Petrus Ramus, duos ſinguli vi„ros doctos et inſignes eligerent, qui et Graecae atque Latinae linguae, et „philoſophiae ſatis eſſent periti, quibus ipſe rex quintum adderet. Ele„giſſe autem Goueanum Petrum Daneſium, et Franciſcum Vicomerca„tum, Ramum autem Iacobum Quintinum, et Ioannem Bellemontanum, „ipſum regem addidiſſe arbitrum Ioannem Salignacum.“ Ex his enim regiarum literarum verbis conſtat, regem audire magis vtramque partem, quam inauditum condemnare Ramum maluiſſe. Recepit mandatum regis debito Ramus obſequio et diſputationis pelago ſe commiſit, quamuis de quinque iudicibus tres infenſiſſimos ipſe haberet. Addit Talaeus: „Scri„bam vnum adfuiſſe, qui rationes Rami, et iudicum ſententias exciperet, „defenſionis ſuae teſtem Ramum impetrare neminem potuiſſe. Biduo „magna contentione de dialecticae artis definitione et partitione, quae in „logici organi libris nullae eſſent, concertatum eſt. Tres Ariſtoteleos „iudices primo die contra omnes bene deſcriptas artis leges iudicaſſe, ad „dia-

„dialecticae artis perfectionem definitione nil opus esse. Ioannem Quin-
„tinum Heduum, Ioannem Bomontium Parisiensem, qui duo iudices
„fuerint a Ramo delecti, pro singulari sua eruditione et doctrina censuisse,
„omnem disputationem, qua via et ratione procederet, definitione pro-
„ficisci debere, idque per scriptum obsignauisse. Postridie tres iudices
„Aristoteleos vehementer conturbatos de partitione fuisse assensos, diale-
„cticae legitimas esse partes inuentionem et iudicium, atque hac de re
„sententias suas perscripsisse. Verum cum Ramus vrgeret Aristoteleos,
„igitur a se merito reprehendi, quod propria partitione praetermissa totam
„dialecticam mille tenebris obruerent, tribus iudicibus ampliari caussam
„placuisse, et in alium diem reiici, quia ista via Aristotelei superiores esse
„non possent. Et hunc audiendi Rami finem fuisse, deinceps enim Ari-
„stoteleos iudices aestuare, rixari inter se et iurgare quod se per impruden-
„tiam demersissent, vnde incolumes emergere non possent. Itaque ne
„non damnaretur Ramus, nouum consilium iniisse, vt ab initio tota dispu-
„tatio retexatur, et adhuc iniudicata induceretur, proque nihilo habere-
„tur. Id vero Ramum se facturum pernegauisse, coepisseque liberius con-
„queri, his se iudicibus esse traditum, quibus satis non esset eius senten-
„tiam tam coeca cupiditate oppugnare, nisi ipsi quoque suam, dictam
„praesertim et obsignatam, nullo inconstantiae pudore rescinderent.
„Quare tum Ramum a tribus illis accusatoriis iudicibus, cum eos neque
„sua conquestione, neque reliquorum iudicum admonitione de tanta vio-
„lentia deduceret, appellauisse. Postremum igitur illud fuisse, vt tribus
„Aristoteleis iudicibus infinita potestate, sine auxilio, sine prouocatione
„iudicium de Aristoteleis animaduersionibus permitteretur. Huic tantae
„potestati, maiori etiam cupiditati Quintinum et Bomontium concessisse,
„perscripta tamen ante de vniuersa disputatione sententia, testatos, sibi
„placere, vti in philosophia, sicut antea semper fuisset, liberum esset, in
„omnem partem disputare, ex eo autem confessu se discedere, quia se
„non socios consiliis, sed iniuriae, quae Ramo fieret testes intelligerent.
„Idemque Ramum ipsum non sine stomacho, cum a tribus illis contume-
„liose illuderetur, fecisse, et se tempora sperare, dixisse, quibus tales
„iudices de suo facto nequaquam parem voluptatem essent percepturi: Ita
„vi victam, vel certe hominum quorumcunque opinione ad tempus op-
„pressam caussam esse condemnatis triumuirali sententia animaduersioni-
„bus et institutionibus dialecticis.“

Nihil est in hac tota narratione, quod non verisimilitudinis legibus faciat satis; nam et testis conditio talis est, vt rem omnem scire potuerit, et mentiri voluisse, in re in vulgus nota, et in dedicatione ad Carolum Lotharingum Cardinalem, remotis iam inuidiae obstaculis, minime est probabile, vnde fidem quoque ei dederunt Launoivs et Baylivs n). Aliter tamen rem enarrat edictum regium, cuius fides debebat esse publica.

n) Locis citatis.

blica. In illo traditur: „In congreſſu diſputantium ad infringendam „cauſſam Ramum a cenſoribus appellauiſſe, quod cum ad regem eſſet de„latum, praetori vrbis Pariſienſis eum in mandatis dediſſe, vt Ramum at„que Goueanum ad perficiendam diſputationis telam cogeret. Reſumta illa „apparuiſſe, quod librorum ſuorum defenſionem abſoluere Ramus nequi„ret, adeoque abrupta diſputatione ſubmiſiſſe ſe cenſorum iudicio, qui „cum abſoluere cauſſam conſtituiſſent, Bellemontanum et Quintinum „negotio toti ſe ſubtraxiſſe. Data autem Ramo poteſtate alios ex ſua par„te eligendi, ſententiam tamen trium reliquorum ſe ſuſcepturum fuiſſe „profeſſum; hosque conſideratis omnibus, decreuiſſe, eſſe Ramum te„merarium, arrogantem, et impudentem, quod artem logicam conde„mnauerit, quae recepta ab omnibus gentibus ab illo ignoraretur, id „quod in animaduerſionibus Ariſtotelicis ſatis prodiderit, ſcopum animi „malum ſimul declarando, culpatis iis, quae bona et vera ſunt, imputa„tis quibusdam Ariſtoteli, de quibus nunquam cogitaſſet, cumulatisque „mendaciis et calumniis.“ Quae ſi vera ſunt, et peſſima cauſſa fuit Rami, et inepte atque imprudenter eam egit. Aſt fuiſſe relationes hoſtium Rami, quas ad aulam detulerunt, et ex quibus regis mandatum eſt conflatum, falſas et commentitias, ex circumſtantiis narratis abunde liquet. Quis enim credet, Ramum poteſtate facta arbitros non ſuſpectos, cum a prioribus deſereretur, eligendi maluiſſe aduerſariis, quos in interitum ſuum coniurauiſſe nouerat, ſe ſubmittere, et ſententiam eligere, quam internecinam ſibi fore praeuidebat? Tacemus alia, veriſimilitudinis leges migrantia, quibus luculento exemplo conſtat, fidem hiſtoricam et iuridicam magno ſaepe interuallo inter ſe diſtare. Interim veriſſimum eſt, oppreſſum aduerſariorum potentia Ramum cedere fuiſſe coactum, et grauem fuiſſe expertum iudicem, quem ante actionem contra eum ſuſceptam iam in illum indignatione armatum fuiſſe, fatentem ſupra Gallandium audiuimus. Mirum itaque non eſt, non conſultis iuſtitiae conſiliis duriſſimam contra Ramum ſententiam mandatum regis pronunciaſſe, et vtrumque librum penitus ſuppreſſiſſe atque proſcripſiſſe, poena non confiſcationis modo, ſed corporis quoque irrogata, ſi quis vulgare prohibitos libros auderet. Ipſi vero Ramo ſeuere interdictum, ne vel in lectionibus ſuis laudatos libros praelegeret, vel dialecticas atque philoſophicas ſcholas habere vllo modo, rege non permittente, auderet. Intelligi autem nullo negotio poteſt, quanto gaudio Rami aduerſarios haec victoria affecerit; id quod graphice delineat Talaevs, porro narrans: „Auctori animaduerſionum et in„ſtitutionum toto philoſophiae regno (non vero Galliae, vt inepte ver„ba Talaei interpretatus eſt Morerivs o) velut aqua et igni, graui et„iam poena addita, interdicitur, ne vnquam vel ſcribendo, vel docendo, „in vllam philoſophiae partem ingrederetur. Hoc vero non eſt dialecti„cum refellere, ſed dialecticum de ſuggeſtu deturbare: atque haec omnia „regis,

o) In Dict. hiſt. v. Ramus, quem ideo caſtigauit Bayle l. c. not. N.

„regis, licet omnium regum et humaniſſimi et literarum amantiſſimi ta„men per falſas et improbiſſime confictas calumnias inducti, auctoritate „confirmantur. Conſtricta itaque lingua, vinctis manibus cum ſic af„flictus Ramus teneretur, vt Ariſtoteleia vel impune diſcerpere liceret, „Ramo contra ne mutire quidem liceret, triumphus de tam nobili victo„ria mirificus agitur, triſtis illa et horrenda triumuirum ſententia impreſ„ſis et Latina et Gallica oratione libellis, non modo per huius vrbis com„pita, ſed per orbis terrarum loca omnia, quo expectari potuit, promul„gatur. Ludi magno apparatu celebrantur, vbi ſpectantibus et plauden„tibus Ariſtoteleis, omni ludibrii et conuitii genere Ramus afficitur. „Quid reliqua his indigniora commemorem, quae tametſi veriſſima „ſunt, et memoria recenti tenentur, tamen ita ſunt ab honeſtis ſtudiis „aliena, vt verear, ne iis etiam, qui interfuerint et viderint, res tamen „incredibilis non facta ſed ficta eſſe videatur. Haec Ariſtotelici iudicii „breuis et ſummaria hiſtoria eſt. Plurima enim praetereo, quae ſine cer„torum hominum infamia commemorari non poſſunt.“ Et hinc magni animi aduerſarii Rami ſuccreuere, inter quos tum eminebant Ioachim. Perionius [p], Iacobus Carpentarius [q] et Petrus Gallandius [r]. Quorum acerbitate factum, vt non contenti haereſeos philoſophicae eum inſimulauiſſe, eum quoque perditiſſimi ſcepticiſmi accuſarent, „eo quod litera„rum humanarum diuinarumque hoſtis atque inimicus de humanis diui„nisque legibus addubitaret, deque iis dubitare diſcipulos ſuos doceret, „qui lubricos D. Auguſtini locos ſuis auditoribus ad effrenatam et im„piam libertatem proponeret, qui quo facilius incautis animis abuteretur, „omnes logicas diſputationes tolleret [s].

p) Ioachimi Perionii (cum Franciſco non confundendi) vitam et ſcripta enarrant TEISSIER. Elog. T. I. p. 382. SAMMARTHAN. Elog. L. I. p. 39. IOVIVS, GADDIVS, LA CROIX, DV MAINE aliique ſcriptores hiſtoriae literariae libris notiſſimis Eſſais de literature Nou. 1702. art. 8. Erat adſcriptus S. Benedicti familiae denatus 1559. Ciceronis imitatorem haud infelicem, Ariſtotelis autem admirarorem ſuperſtitioſum facile in eo agnoſcas. Et huius quoque ſcripta nonnulla, caſtiore, quam Argyropulus fecerat, dictione exprimere conatus eſt, aſt cum Latina melius quam Graeca intelligeret et, dictionis elegantiam magis, quam proprietatem ſectaretur, officio interpretis non feciſſe ſatis recte eſt iudicatus. conf. Scalig. Sec. I. 306. Ramum orationibus infectatus eſt, et vehementer in eum inſurrexit. Conf. REIMMANN. Calendar. hiſt. crit. logicae p. 54.

q) Iacobus Carpentarius Claromontanus, philoſophiam Pariſiis docuit; doctrinae Peripateticae et Platonicae haud ignarus, vtramque autem foede corrupit, ſuppoſita Ariſtoteli theologia Aegyptiorum myſtica. Eam enim cum barbare verſam eſſe a Petro Nicolao Caſtellano videret, meliorem daturus ex Arabico ſe vertiſſe mentitus eſt, qui ne literulam quidem Arabicam noſſet et linguarum ſatis eſſet imperitus, indignante Caſaubono, Caſaubonian. p. 18. Prodiit illa verſio cum ſcholiis Carpentarii Paris 1571. 4. et acceſſit quoque editioni operum Ariſtotelis Lugdunenſi. conf. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 163. Sed et Alcinoi introductionem in Platonem emendatam ei deberi Tom. II. p. 165. obſeruauimus. Infenſiſſimum vero Carpentarium expertus eſt Ramus, cuius inſidiis, quod inuidia duceretur, tandem extinctum fuiſſe Ramum infra dicemus, conf. TEISSIER. l. c. p. 408. Cenſuram eius reprehendit, et Dialecticam Rami defendit ARNALDVS OSSATVS in expoſitione in diſputationem Iac. Carpentarii, vid. AMELOT DE LA HOVSSAYE in vita Oſſati TEISSIER. L. I. T. IV. p. 476.

r) Edidit Petrum Gallandium Aria Arteſiae, praefectum habuit Pariſiis Collegium Boniurienſe, et canonicum eccleſia cathedralis. Obiit 1559. clarus peritia diſciplinarum quae ab humanitate nomen ſortiuntur. Comparuit is quoque in controuerſiis Ramaeis, edita oratione pro Ariſtotele et ſchola Pariſienſi contra Ramum. Multo ſale Satyrico perfricuit RABELAESIVS in Prol. L. IV. Gargantuae p. m. 210. contentionem vtriusque Petri ob has contentiones.

s) FREIGIVS p. 29.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mutata fortuna Rami.

§. VI. Tulit patienter Ramus quae mutare non poterat, et tempus expectauit, quod emollire inuidiam plerumque solere, et rebus catastrophen imponere sciebat. Neque fefellit spes philosophum; serenius enim coelum reduxit annus sequens MDXLIV, quo atrox pestis Lutetiorum vrbem vastabat, et iuuenes literarum studiis dicatos dissipabat, id quod academiae Parisiensi non potuit non funestum accidere. Qui vt deferuescente mali furore ad pristinas scholas reuocarentur, inuitarenturque ad sequenda, quae deseruerant studia, Ramum non obstante regio interdicto pristino, eloquentiae tradendae muneri restituere placuit. Rediit ergo, frementibus aduersariis Ramus, et pristinam collegii Praelei cathedram occupauit. Quod cum Sorbonae doctores ferre non posse clamarent, ad nouas concertationes deuentum est. Ast sensit inimica gens, mutato tempore totam quoque scenam esse immutatam: re enim ad curiam regni delata, Ramus in eo munere confirmatus est [t]. Quae tamen venia ad solam eloquentiam docendam videtur pertinuisse, anno enim MDXLVII demum, Francisco I. rebus mortalium subducto, cum successisset Henricus II, apud quem Carolum Lotharingum Cardinalem Guisianum fuisse potentissimum, nemo rerum Gallicarum peritus ignorat, rescissa sunt, quae Franciscus I. contra Ramum statuerat. „Id quod ma„gnis laudibus extollit Ramus", et se atque libros suos ipsasque discipli„nas illi debere vitam, libertatem, dignitatem, et omnem futuri tempo„ris expectationem gratus fatetur, maximeque praedicat, quod honestae „professionis, in qua multos annos versatus esset, ereptam libertatem et „praeteriti temporis fructum et solatium sibi restituerit, et intercluſam „simul viam aperuerit, qua persequendis institutae vitae rationibus talen„tum exercere tractando, communicare docendo, amplificare quaeren„do, Deo denique ipso ac proximo meditata vitae studia atque officia libere „praestare valeat." Vt vero afflantis fortunae aura frueretur, *Institutiones* primo *dialecticas*, tum *animaduersiones Aristotelicas* recudi fecit, easque ita perfecit, vt integro habitu comparerent [x]. Vtrumque librum cardinali inscripsit, et velut nauta tempestati ereptus tabulam suspendit. Moderate autem ista rerum suarum conuersione Ramus vsus est; nam non solum quo posset modo, nouitatis inuidiam deprecatus est, „sed declara„uit quoque, iniuriarum obliuionem iurare omnesque aemulos ad ingenii „atque industriae contentionem ea lege prouocare se velle, vt si se, quod „facillimum sit, honestis studiis et vigiliis vicerint, Deo O. M. gratias „habeat, quod vel aduersarios sibi deesse noluerit, quos honeste imitari „possit." Ita vero hac moderatione se commendauit Ramus, vt cum cardinalis patrocinio extolleretur, anno MDLI professoris regii eloquentiae atque philosophiae axiomate augeretur, senatu regni hanc docendae eum eloquentiae philosophiae prouinciam auctoritate sua corroborante:

t) Banosivs l. c. p. 7. 8. u) In Dedic. Animadu. cui iungenda dedicatio Inſtit. Dialect.
x) Prodiere eleganti charactere, Paris 1548.

rante: quo pacto omnia vno ictu tela aduersariorum elisa et persecutiones contra Ramum finem nactae sunt. Ita vero ab insidiis inimicorum tutus emendare philosophiam, propagare nouam dialecticam, reformare scientias, quas sibi demandatas acceperat, perrexit. Cumque mathematicae quoque docendae spartam accepisset, noua nonnulla in ea molitus est, et Euclidem reprehendere non pertimuit [y]. Maxime autem barbaram, quae ex vernaculae vitio irrepserat, linguae Latinae pronuntiationem cum reliquis professoribus eiicere ex academia tentauit, hactenus enim (qu, vt K voce expresserant). Id quod adeo Sorbonae displicuit, vt manibus pedibusque obniterentur, de cuius rei ridiculis circumstantiis digna est, quae legatur FREIGII [z] narratio, vt constet, quanta barbaries eo tempore, quo plenus iam dies humaniorjbus literis illuxerat, in schola Parisiensi regnauerit, et quae bella, quae odia Ramo honestiorem Musarum faciem cupienti obiecta sint. Produnt etiam sequentia Rami fata inuidiam, quam ad tempus superum fauore vicerat, quiescere a persecutione non potuisse, et iam tum periculum illud sub cinere delituisse, quod, cum tandem in flammam erupisset, mortem Ramo miserabilem adduxit. „Teste enim FREIGIO, [a] paucis mensibus per geometriae mysteria „peruasisset, nisi cursus industriae per fatalem quandam calamitatem fuisset „abruptus. Acceptis igitur a rege literis ad regiam Fontisbellaquei biblio„thecam profectus mathematicas superiorum temporum praelectiones ab „initio plenius et vberius retractauit, et considerauit. Et paulo post: In „Germaniam nostram ipsis illis mathematum amoribus charissimam saepe „respexit, sed viis omnibus terror mortis intentus ac pauor: rumor etiam „Praelei sui indignis modis direpti tum bibliothecae, carissimis quibusque „rebus spoliatae ac depopulatae ad regiam Vincennarum propius vrbem „reuocarunt. Quin alia vis etiam grauior accidit, vt e Vincennis per „inuia itinera profugiendum esset, et subinde variis in locis delitescendum. „In fuga tamen et latebris otium lucemque reperit." Non addit Freigius causas huius persecutionis, eleganter autem et verisimiliter coniicit Baylius, Ramum, qui se reformatorum, quos Hugenotos dicere barbaro vocabulo moris apud Gallos est, partibus fauentissimum ostendebat [b] in ciuili, quod anno MDCLXII exardere coepit bello, ob eam causam ista passum fuisse, coactum cedere furori eorum, qui ob edictum, quod a Ianuario mense nomen accepit, contra Reformatos crudelia consilia fouebant,

y) Vid. VOSSIVS de Scient. Math. p. 69. qui culpat, quod alii laudant. conf. TEISSIER. l. c. p. 404. contra hos Rami reprehensiones Euclideas edidit IOANNES PROSCHIVS Apologiam pro Aristotele et Euclide, conf. STRVVIVS Bibl. Philos. c. II. §. 17.

z) FREIGIVS l. c. p. 24. BAYLE l. c. not. G.

a) p. 26.

b) Huius rei testimonium habet BANOSIVS l. c. p. 19. 20. his verbis: „Huius zelo inflamma„tus, publica concione Parisiensis scholae monachos grauiter admonuit, vt puriorem theolo„giam ex Euangelio, relictis sophistarum lacunis, „addiscerent. Idola gymnasii Praelei amoueri et „recondi iussit, ne conspicerentur. Missae au„tem raro intererat." Sed et reliqua legenda sunt, quae satis probant, multa eum fuisse detestatum, quae sacrosancta illa aetas habebat. Conf. quae habet TEISSIERIVS l. c. p. 403.

bant, et bella inteſtina ciebant. Accidiſſe enim iſtam Rami fugam illo anno, notauit BANOSIVS,[c] LANGVETVS * autem retulit, cum rector Vniuerſitatis, iſti edicto, quod regis tutelam reformatis promittebat, ſe opponeret, et libellum ideo ſupplicem reginae Catharinae academiae nomine offerret, Ramum interceſſiſſe, et edictum vulgandum petiiſſe. Rediere tamen halcyonia, pace inter Carolum IX. et partes Reformatorum inita anno MDLXIII, tunc enim ſpartam recuperans Ramus, priſtino munere fungi quiete potuit, accepto regio ſtipendio et libertate Reformatae religionis exercitiis libere fruendi. Et tunc quidem ad augendas perficiendasque artes mathematicas ſe totum conuertit, hisque ſtudiis ſe ad annum MDLXVII deuouit, quo bellum ciuile ſecundum exortum eſt. Tunc enim cum inſidiis eorum, qui Reformatos premebant, aliter ſe eripere non poſſet, Condaeum ducem ſecutus relictis Pariſiis Hugenotarum, quos vocant partibus publice nomen dedit. Otia tamen, quae paulo poſt ſubnaſcebantur, reditum ei ad cathedram conceſſerunt, libertatemque conſcientiae paulo ampliorem; ea vero cum breui tempore durarent, et tertium bellum ciuile oriretur, veniam a rege nactus peregrinationem literariam inſtituit. Vidit enim intutam ipſi et Reformatis omnibus ſedem eſſe Lutetiam, et maxima ex ciuili bello, quod magnis animorum motibus ſubinde recrudeſcebat, pericula ciuitati, et praecipue illis, qui a Romana eccleſia diffidebant imminere. Et hinc factum, vt de alia ſibi ſede diſpicere et alium locum atque munus cogitare inciperet. Et in Italiam quidem Bononiam eum honorifice inuitaſſe ſcribit „FREIGIVS [d], BANOSIVS [e] autem, nullam, ait, eſſe Chriſtia„ni orbis nationem, quae Rami ſapientiam non amauerit, et praemio lau„dando redimere ſtuduerit. Amiſſo enim Romulo Amuſaeo (is Romam ad docendum pontificis maximi nepotem Bononia erat traductus [f],) „qui „mille ducatorum ſtipendiis in celeberrima Bononienſi academia docuerat, „Angelum Papium totius academiae conſenſu illum in eius locum euoca„uiſſe: ab Andrea Dudithio imperatoris legato Cracouiam eſſe inuitatum; „Ioannem regem Pannoniae Albae Iuliae adminiſtrandae magna propoſita „mercede praeficere voluiſſe, et chirographo regis obſignauiſſe.“ Nihil tamen horum accepit Ramus, cuius cauſſa eſſe videtur, quod inter Proteſtantes tantum ſedem munusque quaereret. Tale enim apud Geneuenſes ambiiſſe, et parario Beza vti voluiſſe, repulſam autem tuliſſe, *eo quod conſtitutum eſſet Geneuenſibus, et in ipſis tradendis logicis et in caeteris explicandis diſciplinis ab Ariſtotelis ſententia ne tantillum quidem deflectere*, ex BEZAE *Epiſtolis* [g] conſtat. Veriſimile itaque eſt, eum hoc potiſſimum ſcopo Germanicarum ſcholarum inuiſendarum conſilium cepiſſe,

c) l. c. p. 28.
*) L. II. ep. 68. p. 201.
d) l. c. p. 36. 41.
e) l. c. p. 9.
f) Recte id contra Banoſium, obitum Amuſaei hoc loco allegantem obſeruauit P. BAYLE l. c. not. N.
g) Ep. 36. p. 202. conf. Ep. 34. p. 197. Conf. BAYLE l. c. not. N.

se, vt de certa et secura sibi inter Protestantes sede dispiceret. Iniit iter hoc anno MDLXVIII, dum omnia in Gallia bello intestino feruebant, delatusque ad potiores Germaniae scholas, ob eruditionis praestantiam atque famam multis vbique locorum honoribus cumulatus est, domi autem testamento de facultatibus suis ita disposuerat, vt D. librarum summam professioni mathematicae erigendae, quam Friderico Reusnero destinauerat, adscriberet [h]. Tiguri [i] et Basileae magnis honoris testimoniis exceptus est, quam vrbem et scholam oratione panegyrica laudauit [k]. Heidelbergam delatus multos ad se vidit confluentes viros doctissimos et iudicio praestantes, qui videre eum gestiebant, *quem velut Herculem diuinitus suae aetati donatum, totumque orbem artium a monstris inutilium et peregrinarum praeceptionum liberantem, et suas cuique arti regiones ac fines certos attribuentem, et rectissimam singulas docendi et discendi viam demonstrantem admirabantur.* Id quod ad eum tum scripsit CHYTRAEVS [l], cum Heidelbergae agenti Nicolaum Goniaeum, eius videndi conueniendique caussa illuc aduolantem, commendaret. Ipse elector Palatinus imagine sua eum donans testatum fecit, quanti eius doctrinam faceret. Ast quem extollebant viri docti studiosorum impotens animus tantum non ex vrbe et schola eiecit, cum ferre non possent Aristotelem contemni, quem a praeceptoribus maximopere commendatum accepissent. Narratque ALTINGIVS [m] nonnullos iuuenum studiosorum male illum tractasse, amotis scalis ex cathedra arcere conantes disputantium: ei vero discrimini feliciter Galli cuiusdam ereptum fuisse opera, qui humi procumbens dorsum ei substrauerit, per quod, ceu gradum aliquem eniteretur [n]. Et FREIGIVS, tum, ait, principali auctoritate ad profitendum adductum aemulorum clamores inuicto animo pertulisse, tanta quidem constantia, vt aduersarios suae petulantiae pudere merito debuerit. Id quod inuidiae professorum nonnullorum adscribendum esse videtur, qua studiosi iuuenes in Ramum concitati sunt. Valde enim innouationes eius Peripateticae doctrinae professores vrebant, vnde non viua modo voce, sed et scripto eristico Ramum in Germaniae academiis paregrinantem tum aggressus est Iacobus Schegkius philosophus Tubingensis, vt in eius vita dictum. Ita vero perlustratis Germaniae academiis, in quibus innumeros sibi fautores amicosque comparauerat, tandem factis in patria inducis ad lares suos anno MDLXXI reuersus est, maximo suo malo. Cum enim feralis illa laniena S. Bartholomaei festo anno MDLXXII inaudita saeuitia iugulis Reformatorum immineret, religionis professio προφασιν, inuidia Carpentarii caussam veram mortis miserabilis suppeditauit, exitiumque

h) Exhibet testamentum BANOSIVS p. 15. illud iam scriptum erat Cal. Aug. 1558.

i) Splendido ibi conuiuio exceptus fuit a Bullingero, cui aderant quoque Lauaterus, Gualterus, Simlerus. TRISSIER. p. 401.

k) Titulum ei fecit, Basilea.

l) Epist. p. 547. seqq.

m) In Hist. eccles. Palat. p. 247.

n) Similem intemperantiam passus est a studiosorum caterua in Schola Cameracensi oratione habita, anno 1552. FREIGIVS p. 34.

que illi adduxit. Nam quod, professor quidam Mathematum, in academia Parisiensi, Carpentario cathedra munereque cessisset, Ramus autem, qui ignorantiam eius in his artibus probe norat, se illi consilio opposuisset, conuersa inimicitia in furorem, egregiam occasionem nacta est, sanguine Rami vindictam explendi [o]. Et tumultu quidem in vrbe eo die excitato, quem nulla non posteritas stupebit, cum peti capita Reformatorum Ramus intelligeret, et quos aduersarios haberet probe nosset, in cellam quandam se abdidit. Ast a sicariis, quos religionis obtentu immiserat Carpentarius, quaesitus atque deprehensus, postquam pecuniam ei multam extorserant, vulneribus quibusdam acceptis, ex fenestra praeceps datus est, effusaque lapsus grauitate intestina a discipulis Carpentarii furentibus per vicos tracta corpusque miserandi philosophi per plateas ab illis raptum et ignominiose habitum tandemque in Sequanam abiectum [p] est. Bibliothecam quoque eius direptam fuisse tradit NANCELIVS [q].

Virtutes ingenii et animi Rami.

§. VII. Et hanc quidem catastrophen tragoedia Rami nacta est, quem meliorem sortem meruisse omnino est fatendum. Fruebatur enim ingenio eleganti et studiis apto, quod nascendi quidem educandique infelicitas retardauerat, cum autem accessisset discendi ardor, et studiorum contentio mira postea fertilitate, per optimos scriptorum veterum et recentiorum libros vagatum, effloruit. Et quamuis fingendi magis, quam iudicandi acumine polleret, lectione tamen exemplisque veterum ita formatus roboratusque est, vt vitia naeuosque eruditionis vulgaris probe perspiceret. Maxime vero artium mathematicarum et historiae philosophicae accuratior, quam possidebat, cognitio multum eius eruditioni profuit, et doctrinam eius mirifice auxit. Illis enim iudicium perfecit, ordinis et perspicuitatis studium auxit et ornauit, methodi leges roborauit; hac fontes errorum in vulgari philosophia detexit, multaque vidit, in quibus plerique eius aetatis coecutiebant. Studuit autem dictionis nitori et sermonem ad veterum exempla reuocando, castigatam orationem praeceptis exemploque commendauit [r]. Accessit his diligentia indefessa, et inexpugnabile pro amplificandis disciplinis studium, cui, cum caelebs vixisset, facultatum suarum partem haud contemnendam destinauit. His ingenii artibus accessere virtutes animi eximiae, quas vitae eius scriptores mirifice extollunt, multisque exemplis demonstrant [s]. Et religionis quidem cultum puriorem ita studiose venabatur, vt ad primitiuae ecclesiae imaginem intuendo, cum in ea, in qua educatus erat ecclesia, plurima dissimilia videret, puriorem rationem non sine vitae fortunaeque periculo eligeret. Tantaeque illi curae fuit ecclesiae ad nascentis eius fata restituenda similitudo,

o) PASQVIER. Recherches L. IX. c. 20. apud TEISSIER. l. c. p. 405.

p) THVANVS ad ann. 1572. citati.

q) Pag. 20.

r) Et hinc efficacissima illi eloquentia enata est, cuius memorabile exemplum ex BRANTOMII Memoriis Viror. illustr. T. II. p. 55. afferunt BAYLE et TEISSIER. ll. cc.

s) Multa vitae Rami singularia atrigerunt Freigius et Nancelius, qui ab illis, qui ampliora cupiunt, quam locus hic capit, adeundi sunt.

tudo, vt eo ipso anno, quo inhumana eum aduersarii barbaries viuis eripuit, de emendanda inter Reformatos disciplina ecclesiastica cogitaret, quae tamen eius consilia in synodo ecclesiastica reiecta sunt [t]. Ipse cum Heidelbergae esset, sacris magna deuotione publicis interfuit. Tantopere autem ab omni habendi cupiditate abfuit, vt, cum opibus haud contemnendis affluerct, eo quod caelebs atque frugaliter viueret, reditus non modo ad promouenda literarum incrementa, et docendas mathematicas artes destinaret, vt supra dictum, sed et iuuenes literis se tradentes, quos paupertatem impedire in disciplinarum cursu intelligebat, aere suo iuuaret, et stipendiis ditaret. Nec minor castitatis et sobrietatis in eo laus fuit, nam nec Veneris nec intemperantiae macula vel leuissima vnquam se inquinauit [u], et ita frugaliter vixit, vt ad senectutem vsque parcissime vino vteretur, et quietem in stramine modo strato caperet. Maxime autem laudandus in eo est animus in aduersis magnus et erectus, et persecutionis atque iniuriae adeo patiens, vt obseruante FREIGIO [x] „non „modo aduersariorum nulli aliquid reponeret, sed etiam cum diuulgatis „per orbem terrarum Gallica et Latina lingua probris esset notatus, pu„blicis ludis ignominiosissime traductus, constricta lingua vinctis manibus „prohibitus, quicquam de philosophia, vel priuatim dicere, scribere, „cogitare etiam (si menti tantum potuisset imperari) prohibitus esset: „aduersus tantas tot acerbitatum plagas vnicum patientiae remedium ad„hiberet, inque animo semper illud haberet: grata superueniet, quae „non sperabitur, hora." Nec aliter incedendum esse statuit, cum iniquitates fortunae patientia tandem vicisset. *Et sibi quidem misero regem Henricum, Herculem videlicet Gallicum, adfuisse, seque quarto abhinc anno ad postulationem Caroli Lotharingi cardinalis, et manibus et lingua soluisse, solutoque eloquentiae et philosophiae docendae, exercendae potestatem fecisse*, ipse gratus agnoscit [y]. Ast ita aduersariorum inuidia superior hoc tantum illos orauit [z], „vt remouerent publicas pote„states, desinerent minas iactare, pericula intentare, formidines obiecta„re, caeteraque eiusmodi, quibus prope ipsum obruerint, philosophiae „indignissima sophismata cogitare: exemplo vero patientiae suae tandem „aliquando moueantur: qui tanta aequitate animi tot indignitates pertule„rit, quanta ipsi iniquitate machinati sint, quique hoc vnum vltionis ge„nus perpetuo iurauerit, vt non modo nullas tot fraudum atque calumnia„rum poenas optet, sed ne earum quidem auctores scriptorum suorum „litera dignos existimet, eo quod patientia et constantia ad honeste vi„uendum, non stultorum et ignorantium poena et infamia sibi opus esse „duxerit." Quod pulcherrimum, quod a philosophia et religione Ramus

t) Vid. BEZA Ep. 67. BAYLE loc. cit. not. M. conf. AYMON Synod. nation. des eglises reformées de France p. 122. seqq.

u) BANOSIVS p. 43. x) p. 34.

y) In oratione habita anno 1551. apud BAYLE l. c. not. L. ex quo loco patet, vsque ad annum 1547. tantum eum eloquentiam docuisse.

z) In Dedic. Animadu. Arist.

petierat, praesidium omnino laude dignum et commendandum est omnibus, qui ignaua opera philosophari non erubescunt. Talis cum esset, et viuus magna inter eruditos auctoritate vixit, vt supra dictum, et post indignissima fata vehementer laudatus a viris doctis est; quorum testimonia cum collegerint TEISSIERIVS [a], BAYLIVS [b], POPE-BLOVNTIVS [c], STOLLIVS [d] et scriptores historiae literariae alii in vulgus noti, ea hoc loco cumulare, breuitatis studio omittimus. Legendi autem sunt libri viri doctissimi, et egregie in veterum voluminibus versati, vt intelligatur, inter ornamenta ciuitatis eruditae sui temporis eum esse merito referendum [e].

Culpata in Ramo.

§. VIII. Non tacendum tamen fuisse nonnulla, quae passim in Ramo reprehenderunt viri docti. Et Peripateticorum quidem culpationes non moramur, infenso enim in Ramum animo eos fuisse constat, eo quod auctoritatem idoli sui labefactare esset ausus. Ad quorum numerum BEZA [f] quoque referendus est, qui pseudo-dialecticum, hominemque ad turbanda optima quaeque comparatum appellat, et cognominatum fuisse iam pridem a doctis multis ἕξον ἄχρηστος scribit. Sed fuerunt quoque alii, etiam Aristoteli superstitiose non addicti, quibus καινοφιλία et innouandi studium, cui pares tanto conatui vires non attulerit, vehementer displicuit. Inter quos primo loco ponendus est magnus VERVLAMIVS [g], qui cum philosophiam maxime realem et ad recludenda naturae adyta comparatam cuperet, ferre non potuit, ad differendi artem, more sophistarum, Ramum totam philosophiam reuocauisse. Inde acris illa, quam de Ramo tulit, censura enata est: *Ne vero cum hanc contra Aristotelem sententiam fero, me cum rebelle eius quodam neoterico, Petro Ramo conspirasse augurere. Nullum mihi commercium cum hoc ignorantiae latibulo, perniciosissima literarum tinea, compendiorum patre, qui cum methodi suae et compendii vinclis res torqueat et premat, res quidem, si qua fuit, elabitur protinus et exilit, ipse vero aridas et desertissimas nugas stringit. Atque Aquinas quidem cum Scoto et sociis etiam in non rebus rerum varietatem effinxit, hic vero etiam in rebus non rerum solitudinem aequauit. Atque hoc hominis cum sit, humanos tamen vsus in ore habet impudens, vt mihi etiam pro sophistis praeuaricari videatur.* Nec multo clementius illud quod velut κύριον δόγμα iuuentuti tradendum inculcauit LIPSIVS [h], *nunquam illum magnum fore, cui Ramus est magnus.* Tacemus aliorum, his duumuiris inferiorum reprehensiones, collectas a POPE-BLOVNTIO [i]. Maxime vero displicuit viris doctis, quod sola differendi arte, eaque intra certos methodi nouae cancellos redacta et carcere conclusa contentus a reliquis philo-

a) Loc. cit.
b) l. c. Audir ei l'homme universel.
c) Cens. celebr. auct. p. 722.
d) Hist. Lit. P. II. c. 2. p. 437.
e) Eorum indicem suppeditat TEISSIER. l. c. p. 417. seqq.
f) Ep. 67.
g) Imper. philos. Vol. III. Opp. p. 462.
h) Epist. miscell. Cent. I. ep. 89.
i) Cens. cel. auct. p. 721. seqq.

philosophiae partibus, imprimis disciplina naturali abstinuerit, quo pacto philosophiam realem plane omiserit. Qua de re quid visum fuerit Riolano apud MORHOFIVM [k] legendum est. Nec defuerunt, qui plagii suspicione eum onerarent, crederentque, inuectiuas atque reprehensiones Aristotelis eum non suomet ingenio debuisse, sed lectioni Vallae, Agricolae et Viuis [l]; nec esse hanc suspicionem ex toto vanam, omnino fatendum est, quamuis ipsius dialecticae nouae formam et maiorem animaduersionum Aristotelicarum partem eius doctrinae deberi inficiari nemo a partis studio alienus possit. Et esse in Ramo multa quae culpari queant, non diffitemur, maximeque philosophiae verbalis magis quam realis studium notari posse recte iudicantibus putamus, cum loquaces magis quam sapientes efficere apta sit dialectica Ramea: ast laudandum tamen esse viri insigniter docti ingenium elegans et doctrinam, tum imperterritum in euellendis antiquitatis praeiudiciis animum, cogitandam quoque istorum temporum conditionem putamus, quibus ita disciplina omnis recta atque castigata euiluerat, vt mirum non sit, in ea negligentia reprehendenda nonnullos, et cum illis Ramum, modum excessisse, studioque partis ductos ad λογομαχίας, quas Ramo et sequacibus obiicit SAM. WERENFELSIVS [m] declinauisse, errores nonnullos admisisse pro veritatibus, eaque quae bona sunt in Aristotele videre noluisse. Placet venerandi WALCHII [n] sententia, cui plane subscribimus: „Petrus Ramus, ita scri„bit, non omnia effecit perfecta, quin etiam existimamus, ipsum multa „maxime necessaria atque vtilia logicae momenta reliquisse intacta, item „ea, quae tradiderit adhuc posse emendari; etiam nonnulla momenta at„tulisse, quae sua carent vtilitate. Attamen vel ideo singulari dignum „habemus laude, quod primum seruituti philosophicae sese obiecerit for„titer, suoque demonstrauerit exemplo, veram philosophiam non pendere „ab auctoritate aliorum. Deinde Ramus in eo meliora praestitit, quod „disciplinam logicae ex elegantioribus literis illustrauerit, adeoque ipsius „vsum declarauerit verius quam scholastici, quorum dialectica semper in „tenebris cogitationum erat defixa, nec quicquam ad alias scientias aut „vitam afferebat. - - - Quamuis hac feliciori philosophiae tempestate „haud necesse sit Ramum defendere atque commendare, aut censuram „quandam in ipsum facere, quum vera philosophiae doctrina ita culta et „in aperto posita est, vt sectam Rameam iterum stabilire, aut impugna„re nefas fere haberetur: aequitas tamen postulat, cuique meritam laudem „attribuere, nec pro quauis affectuum libidine quendam perstringere. Suf„ficit Ramum idem ius ac eandem libertatem cogitandi habuisse atque „vsurpauisse, quam adhibuit Aristoteles, quum multa a praeceptoribus „tradita emendaret, ac propria iudicii facultate inquireret in veritates.

k) T. II. Polyhist. p. 65.

l) RAPIN. Reflexions sur la logique p. 624. KECKERMANN. Praec. log. tr. II. c. 4. TRISIER. l. c. p. 402. 411. 414. HORN. Hist. philos. L. VI. p. 320.

m) De Logomach. erud. c. 5. Dicetur ea de re infra.

n) Parerg. acad. p. 624.

Quam ſententiam et veritate et aequitate ſe commendare, vt lector vſus iudicio et a partis ſtudio alienus per ſe videt, ita ex illis, quae de philoſophia Ramea diſtincte magis porro dicturi ſumus, diſpaleſcet [o].

Obſeruationes de dialecticae reformatione a Ramo ſuſceptа.

I. Occaſio conatus huius.

§. IX. Cuncta vero, quae de diſciplina Rami obſeruatu digna et totam Rameae philoſophiae contentionem illuſtrare apta ſunt, obſeruationibus aliquot complectemur.

I. Ante omnia qua occaſione Ramus ad conſilium emendandae artis diſſerendi, id eſt, dialecticae peruenerit explorandum eſt, ſine hoc duce enim in hiſtoria Rameae philoſophiae palpabimus magis quam cernemus. Ipſe autem rem totam in *libro quarto Animaduerſionum Ariſtotelicarum* [p] enarrauit, omnino audiendus, cum dicendis ampliſſimam lucem accendat. Ita vero dicto loco ſcribit: „Candide et ſimpliciter explicabo, quo„modo Ariſtotelis tenebris liberatus ſim. Cum tres annos ſexque menſes „in philoſophia Ariſtotelis, ex academiae noſtrae legibus poſuiſſem, logi„cis Ariſtotelis libris cognoſcendis, diſputandis, meditandis (ex omnibus „enim Ariſtotelis libris logici praecipue toto triennii tempore clamantur „et reclamantur) cum inquam tempus illud ita traduxiſſem, et iam vt ab„ſolutus artium, ſcilicet magiſter philoſophica laurea donatus eſſem, ſub„ducta aetatis meae ratione in Ariſtoteleis artibus conſumtae, conſideraui „quibus in rebus logicas Ariſtotelis artes, (quas antea tot clamoribus „et ſudoribus didiceram,) impoſterum exercerem; non in hiſtoria et anti„quitate rerum prudentiorem, non in dicendo diſertiorem, non in poëſi „promtiorem, non denique vlla in re me ſapientiorem factum deprehendi. „Hei miſero mihi, vt obſtupui, vt alte ingemui, vt me naturamque me„am deploraui, vt infelici quodam miſeroque fato et ingenio a Muſis pror„ſus abhorrenti me natum eſſe iudicaui, qui nullum fructum eius ſapientiae „quae tanta in Ariſtotelis logicis praedicaretur percipere, aut cernere tan„tis laboribus potuiſſem. Ne igitur omnino nihil agerem, redii ad inter„miſſa quadriennio iam ante ſtudia eloquentiae, atque in his erudienda „iuuentute me ipſum exercui, ita tamen, vt ad incluſam illam de Ari„ſtotelis logicis opinionem et perſuaſionem perpetuo reſpicerem. In omni „enim poëtarum et oratorum lectione vigilaui, laboraui, modis omnibus „contendi, an fieri poſſet, vt logicos Ariſtotelis libros ad aliquem erudi„tionis vſum reuocarem. Principem dialecticae diſtributionem in Cicero„ne et Quintiliano de inuentione et iudicio legi, ſed legi magis ex more „temporum noſtrorum, quae de his praeceptis tantum diſputarent, vſum „in his nullum quaererent, quam penitus cognoui: nec ex illis auctoribus „id admodum percipere potui, cum vterque inuentionis magis varias artes „quam diſtinctum vſum, neuter autem iudicii doctrinam, quae potior eſ„ſet, explicaret: ſed diſpoſitionis nomine multa confunderet: vt mihi vi„deren-

o) Adiiciendum memoriis Rameis, eum, quod ſingulis lectionibus vnam tantum auctoris veteris paginam explicaret, dictum paginarium, adeo vero male literas pinxiſſe, vt vix legi poſſent. Teissier. l. c.

p) p. m. 136.

„derentur eam partitionem potius auditam recitare, quam perceptam et „cognitam declarare. Aliquot post annis, cum insitus ille iuuenilis per„suasionis amor huc me perpetuo reuocaret, Aristoteli totum denuo me „dedidi: diligenter obseruaui, publice, vt maioris diligentiae necessitatem „mihi ipsi imponerem, explicaui: falsis etiam laudibus, quas tunc veras „arbitrabar, exornaui: et quamuis nihil adhuc solidae vtilitatis in tota com„positione logicorum Aristoteleorum cernerem, aliquid tamen in partibus „quibusdam deprehendi. Quare non desperaui, immo vero omnes omni„um hominum libros, qui de hac arte editi essent, morose peruestigaui: „multos et Latine et Graece conscriptos reperi, vnum etiam Hebraice: in „quibus omnibus nihil nisi Aristotelicae huius logicae contractas quasdam „sententias reperiebam: pauci quidam nonnihil in partibus quibusdam re„prehendebant, summam tamen vniuersae confusionis sequebantur, nul„lum vsum, quod caput tamen rei fuerat, aperiebant. Vnus Agricola vo„luit hic aliquid melius quam potuit. Incidi tandem in Galeni librum de „decretis Hippocratis et Platonis: qui mihi locus primus ad bene sperandum fuit. Nam cum illuc multa Hippocratis et Platonis dialectica decre„ta sum admiratus, tum illud per mihi mirum fuit, quod in illa dialecticae „laudis contentione Galenus Hippocrati, (quem vt Deum quendam cole„ret) non Aristotelem, quem artis huius inuentorem et perfectorem cre„dideram, sed Platonem, tanquam in hac arte philosophorum omnium „principem compararet. Sed tamen hac Hippocratis et Platonis compa„ratione non tam sum satiatus quam excitatus, ad omnes Platonis dialo„gos, qui de dialectica aliquid praeciperent, perlegendum. Hic vt verum „fatear, optatissimus mihi et gratissimus salutis portus fuit. Ex Socratis „enim sermonibus, cum varia variis locis de argumentorum generibus se„ria et vtilia praecepta cognoui, tum vero clarissimam illam methodi lu„cem clarissime vidi, vt ars via et ordine traderetur, primo loco defini„endam summam, tum partes omnes definitionibus et exemplis declaran„das esse, id etiam valde probaui et amaui, quod Socrates in falsis opinio„nibus refellendis id vnum maxime sibi proponeret, vt eos, quos contra „disputaret, a sensibus opinionum et testimoniis hominum auocaret, tra„duceretque ad aequitatem animi, et iudicii libertatem, quia philosophis „stultum esse censeret hominum sententiis (quae plerumque mendaces es„sent et fallaces,) potius temere commoueri, quam rei cognitae, et ex „omnibus cautis perceptae constanter assentiri. Quid plura? Coepi ego„met mecum, (cum alio enim id mihi religiosum fuisset) sic cogitare: „Hem? quid vetat paulisper σωκρατίζειν et omissa Aristotelis auctoritate „quaerere verane et propria dialecticae sit Aristotelis doctrina? fortasse „enim philosophus iste sua nos auctoritate decepit? vt mirum esse mihi „diutius non debeat, si fructum, qui nullus inesset, in his libris non inue„nerim. Quid si commentitia ista sit doctrina? nonne frustra me torqueo „et crucio, vt e sterili, et arido solo fruges capiam? Sic itaque animatus,

„et

„et sacris Aristoteleae superstitionis tantisper exemtus, ad Aristotelis le„ctionem redii, vt intelligerem, qualis esset Aristotelea logica: quaesiui „primo ex methodi doctrina, quam docet Plato, logicae in logico Ari„stotelis organo definitionem: repetito opere nullam reperi: commemini „tum dialecticae partitionis, quam in Cicerone et Quintiliano legeram, „et tantam lucem tamque mentis humanae in inueniendo et disponendo „propriam, cum studiosus essem contemplatus et admiratus, ad Aristote„lis logicam conuersus obstupui: chaos quoddam mihi videre visus sum: „sic inuentionis dispositionisque partes inter se sine definitionibus, sine „partitionibus, sine popularibus et perspicuis exemplis confusas animad„uerti. Ac cum me ab Aristotele falsa scholasticae opinionis persuasione „deceptum cognoui, ignoscite mihi Aristotelei, si vere et simpliciter vo„biscum loquor, quo me tum gaudio exultasse, qua laetitia affectum esse, „qua animi voluptate perculsum creditis? - - Itaque pro tanto tam gratae „liberationis munere Deo O. M. gratias immortales nomine Platonis ha„bui, quod eum mihi nauclerum praebuisset, per quem ex tam longin„qua iactatione tot fluctibus, tot tempestatibus ereptus, tandem incolu„mis aut portum attingerem, aut certe propinquam terram aspicerem. „Nam tametsi princeps illa dialecticae distributio viam mihi monstrare po„tuit, tamen sine Platonica methodi luce, sine Platonica philosophandi „et quaerendi libertate progredi recta, ac sine errore non potui.“ Habes, lector, longum quidem, at illustrem plane locum, qui initia philosophiae Rameae tibi pandit luculenter, et ad quem eos, qui historiam Rameam attigerunt, non respexisse merito miramur. Si enim ad eum attendissent, minime disputauissent, vtrum Ramus plagiarius sit nec ne? vtrum αὐτοδίδακτος ad philosophiam accesserit? vtrum ex logica Platonica vel Stoica profecerit? vtrum Agricolae meditationibus vsus sit, et quae similia quaeri in historia Rami solent. Ea enim omnia ex hoc vno loco definiri possunt clarissime, demonstrarique, Ramum, nec a sui temporis philosophia fuisse imparatum, nec veteribus nihil debuisse, nec Agricolae sua denegasse, suo autem quaerendi studio, et Platonicae dialecticae beneficio ad eam artis differendi perfectionem peruenisse, quam postea totis viribus excoluit. Maxime autem memorabile ex hoc loco est, assertam primo dubitationem philosophicam, et euersa eius ope auctoritatis et antiquitatis scholaeque praeiudicia viam ipsi parauisse, vt ex veterum obseruationibus ea sibi eligeret, quae inueniendi, iudicandique facultatem iuuare posse crederet, quibus vsus nouam ipse viam ingredi posset. Iure itaque suo ecclectici philosophi nomen sibi vindicat Ramus, qua libertatis cupiditate inductus iam quid porro in reformatione Dialecticae susceperit, enarrandum est.

II. Consilia Rami emendandae dia-

II. Duplici nempe via ad eam, quam sibi praefixerat metam currendum esse statuit, vna, quae obstacula remoueret, quibus omnis ars dialectica corrumperetur, et vera eius ratio impediretur, quaeque ex Aristotelico

ſtotelico organo oriri ſibi perſuadebat: altera quae nouam differendi ſecundum veritatem artem melius et diſtinctius explicaret. Illum laborem elenchticum, hunc theticum eſſe probe intelligebat. Et illud quidem ſaxum vt felici ſucceſſu volueret, poſita dialecticae definitione, quam Ariſtotelem neglexiſſe conquerebatur, de toto eius habitu iudicabat. Cumque ex vocis διαλέγεσθαι ſignificatione et exemplis dialogorum Platonicorum ſtatuiſſet, eſſe eam artem bene recteque differendi, ſecundum hanc notionem non modo totum dialecticae ambitum eſt complexus, ſed et Ariſtotelis logicam exegit. Quaecunque igitur aut ad differendum apud Ariſtotelem nihil facere intellexerat, aut quae impedire credebat, aut quae deſiderari iudicabat, ea omnia Ariſtotelicis obiicienda eſſe conſtituit. Ex veterum enim teſtimoniis ſibi compertum eſſe contendebat [q], „Platonem veterum inuenta dialectica mirifice amplexatum diligenter exercuiſſe, docuiſſe etiam ſapienter et copioſe auxiſſe, nec vllum fere genus eſſe argumenti, de quo non aliquid praeceperit, tantique hanc vnam artem fecerit, vt omnium artium reginam deamque faceret, perpetuoque nouis eam laudibus afficeret. Et hactenus veritatem dialecticam, quaecunque inuenta eſſet, veritatisque vtilitatem ſimplicem et nudam fuiſſe, deinceps vero turbari et corrumpi coepiſſe. Platonem enim ſecutum Ariſtotelem, quanquam viuus antiquum inueſtigandae veritatis morem retinuerit, et ſyllogiſmorum ſimplicium artem repererit, et vtilitatem propoſita in vtramque partem perpetuae diſputationis exercitatione vberiorem reddiderit, tamen ambitione et vano ſuperiores vincendi ſtudio ſuis ſcriptis et artem totam, et artis vtilitatem et exercitationem magna ex parte conturbauiſſe, eamque mille tenebris inuoluiſſe, et in eorum quibusdam dialecticae artis vſum ad ſcholaſticas altercationes tranſtuliſſe, idque malum repertis et notatis coniunctorum ſyllogiſmorum modis vehementer Peripateticos et Stoicos auxiſſe.“ Hac opinione occupatus, Ariſtoteleam dialecticam mira pertinacia oppugnare coepit, id demonſtraturus [r]: „Dialecticam ab Ariſtotele et Ariſtoteleis non recte inſtitui, cum quod multa dialecticae artis non neceſſaria praecepta libris illis conturbentur, tum quod multa neceſſaria praetermittantur, multo etiam plura redundent. Vſum vero dialecticae artis totum ad ſcholaſticas et ſophiſticas altercationes eſſe traductum; adeoque humanitati, cui detracta eſſet, reddendam eam et reſtituendam eſſe.“ Longum eſſet, et lectori forte moleſtum, exponere, qua ratione per omnia logicae Peripateticae capita, initio facto a definitione dialecticae, hoc quod ſibi propoſuerat, opus fuerit proſecutus, quidque circa definitionem, partitionem, et partes, nempe inuentionem et diſpoſitionem monuerit, qua ratione doctrinam Peripateticam de terminis, praedicabilibus, praedicamentis, interpretatione, ſyllogiſmo, analyſi, topicis et ſophiſticis ſingulis

lecticae elenchtica.

q) Animadu. Ariſt. P. I. p. 2.

r) l. c. p. 6.

singulis libris euersum iuerit: haec enim prolixiora sunt, quam vt heic locum capiant, quique ea nosse cupiunt, non sine delectatione ipsas Rami animaduersiones adire poterunt, in quibus more suo iucunde et eleganter differit. Sufficit monuisse, confusionem, tenebras contradictiones, ineptias, altercationes, defectus et pueriles nugas Ramum vbique deprehendisse. In quibus cumulandis eum nimium fuisse, in quibusdam aut ignoratione elenchi, aut affectu praeter mentem Aristotelis de nonnullis disputauisse, et imprimis supposita definitione arbitraria et nominali dialecticae, ad hanc modo normam organum Aristotelis totum examinanauisse, sicque haud semel in verborum contentionem incidisse, facile viris doctis, qui in Ramum calamum strinxerunt, concedimus, nec omnia in Ramo aut laudamus aut excusamus, quem potuisse temperanter magis et moderate ea vrgere, fatemur. Ast nec hoc negauerit rerum peritus, multa acute vidisse Ramum, plurima praeclare monuisse, vulnera logicae Aristotelicae mascule tetigisse, et ita viam haud contemnendam aperuisse sectariae Aristotelis seruituti se eripiendi, et ad liberiores auras elabendi. Optandumque omnino, virum quendam doctum, instituta comparatione inter reprehensiones Vallae, Agricolae, Nizolii, Rami, Patricii et Gassendi cum Aristotelicis, ostendere, in quibus conspirauerint, in quibus diuersam viam iniuerint, quibus armis sectariam philosophiam adorti sint, quae contentionis ratio inter philosophiam eclecticam et sectariam fuerit, quid illa inde fuerit lucrata etc. Ex quibus prudentiam philosophandi mire instrui posse nemo rerum peritus est, qui negauerit.

III. Negata librorum Aristotelis γνησιότης.

III. Non contentus autem Ramus, Aristotelicis organum eripuisse, quo ad referanda philosophiae mysteria vti possent, quo pacto alias quoque Lycei scientias, maxime metaphysicam [s], perdi necesse erat; ipsa quoque Aristotelis scripta genuina pauciſſima supereſſe Peripateticis obiiciebat, et vel plane supposita, vel interpolata tamen esse contendebat. Dialecticos autem Aristotelis libros plures quam centum fuisse asserebat [t], quorum sexdecim tamen hodie legantur, si tamen sint Aristotelis. Quod quibus fundamentis nixus dixerit, ex eo intelligi potest, quod de fortuna librorum Aristotelis tomo primo diximus. Ita vero lethali vulnere caussam Peripateticorum affligebat, quos ne Peripateticos quidem γνησίους esse, ita demonstrare satagebat. Quam reprehensionem ita exasperabat, vt diceret, dialecticae vim totam ab Aristotele, primum tum multo magis deinceps ab Alexandro Themistio ceterisque recentioribus Graecis praesertim, deinde Latinis Aristotelis sectatoribus fuisse deprauatam, vt non ad vllum humanae prudentiae fructum, sed ad clamorem altercationis sophisticae ineptissimum referretur.

IV. Scopus Rami eclecticus.

IV. Recte feciſſe Ramum, quod abiecto Peripateticae seruitutis iugo libere de rebus ad veritatis disquisitionem et enuntiationem pertinentibus philo-

s) Conf. Sorel. de Perfect. hom. P. III. p. 493. Reimmann. Hist. lit. Germ. Vol. III. p. 593. Vol. IV. p. 92. t) Animadu. Lib. I. p. 3. 4.

philosophari coeperit, nemo in hodierna philosophiae eclecticae luce erit, cui sanum est synciput, qui non vltro concesserit. Et in eo quidem multo magis laudandus est, quod cum vidisset, omnem dialecticae virtutem ad scholarum altercationes et inutiles lites referri, maiorem ex ea vtilitatem quaesiuerit. Nam non scholae, sed vitae philosophandum esse, ipsa nos philosophiae indoles, et ratio congenita homini docet. Ast id ipsis Peripateticis inculcabat Ramus [u], „et se contendere modis omnibus asserebat, vt ad augendos iuuenilis industriae fructus, et ad minuendas longi „temporis molestias docendae et exercendae in philosophia iuuentutis compendiaria quaedam via ex veterum et philosophorum et oratorum institutis, ex regum et pontificum legibus reuocetur, vt denique dialectica ex „vsu naturalis et humanae rationis tota describatur, descriptaque explicandis poëtis, oratoribus exponendis, examinandis philosophorum omniumque hominum sententiis, scribendo de rebus omnibus et dicendo, omni „denique fructu humanitatis exquirendo tractetur et exerceatur." Vnde in ipsius dialecticae praefatione, *se*, ait, *artis exercitationem tam late adhibere, quam longe pateat vis naturae et artis, vt iuuentus huic disciplinae dedita, propositi vel poëtae, vel oratoris, vel cuiusuis exempli consilium ex argumenti genere, iudicium ex conclusionis specie, methodum ex perpetuo dispositionis ordine perspiciat, aliquid deinde simile conetur et efficiat, atque omnes artis partes ad confirmandam ingenii solertiam et animi mentisque prudentiam exprimat: in eoque rhetoricae cum dialectica exercitationem et vsum scribendo dicendoque coniungat.* Quae omnia in se spectata commendanda omnino esse et laudanda in Ramo, nemo temere inficias iuerit.

V. Summa dialecticae Rameae.

V. Hunc vero finem vt obtineret, dialecticam ex vocis significatione ad differendi ordinem et ex veritate artem retulit, cuius obiectum, vel de quo differitur, cum sit quaestio, omnem dialecticae operam circa eius partem, quae antecedit, et quae consequitur, versari dixit. Et quoniam differendi et eloquendi artem, vt ipsius verbis modo diximus, coniungebat, ex partibus rhetoricae, inuentione, dispositione, eloquutione, memoria et pronuntiatione, siue actione, eloquutionem et actionem tantum propriam esse rhetoricae censuit, inuentionem autem et dispositionem logicae vindicauit. Prius Ciceronis imitatione, (quem potissimum ob oculos habuit) inuentionem, posterius iudicium nuncupauit, ex qua distributione tota tractatio dialecticae, in duas partes facta est, quarum vna de inueniendis argumentis, altera de disponendis agit. Et argumentum quidem esse ait, quod ad aliquid arguendum affectum est; quales sunt singulae rationes solae et per se consideratae, id quod non de medio tantum termino, quem Aristotelici vocant, sed de quauis enunciationis parte secundum Ramum intelligendum est. Ipsam vero propositionem axiomatis nomine definiuit esse dispositionem argumenti cum argumento, qua esse

u) Dedic. Animadu.

aliquid aut non esse iudicatur. Argumentum autem in artificiale et inartificiale diuidens, quorum illud ex arte, hoc ex se arguit, artificiale vel vt primum vel vt ortum considerat, illudque vel absolutum et simplex vel comparatum esse ait, absolutum porro diuidit in consentaneum et dissentaneum: atque consentire rei argumentum dicit vel absolute vel modo quodam. Et ad illam quidem classem caussam et effectum, ad hanc subiectum et adiunctum refert. Dissentaneum vero in diuersa et oppositа partitur, haec in disparata et contraria; atque haec ipsa in relata, aduersa, contradicentia, priuantia. Similiter comparationem statuit esse vel penes quantitatem, vt sint paria aut imparia, maiora aut minora, vel penes qualitatem, qua sint similia atque dissimilia. Argumentum quoque ortum a primo habere species dictitat, coniugata, notationem, distributionem, definitionem, seu descriptionem, inartificiale ad testimonii vel diuini vel humani classem reuocat. Et hac quidem argumentorum, siue terminorum serie constituta, quodlibet eorum describit, quibusque regulis, ex natura eius petitis constet, explicat, quae tamen omnia apud ipsum legenda sunt, cum scriptionis nostrae specialem logicae historiam non poscentis modum excedant. Et haec quidem libro priore prosequitur; posteriore de iudicio argumentisque disponendis tractat. Diuidit autem iudicium in axioma et dianoëam, Axioma autem, quod ex Stoicorum logica accepit, idem Ramo est, quod Peripateticis propositio seu enuntiatio, dianoëa idem quod ratiocinatio, syllogismus, et ratiociniorum consecutio atque methodus. Ex quo intelligi potest, quid in dialectica Rami sit axioma, supra iam definitum, curque dispescuerit in affirmatum et negatum, verum ac falsum, illudque in contingens et necessarium, nempe quod vel ita verum est, vt falsum quoque esse possit, vel quod necessario verum est, vt falsum esse nunquam possit, quo scientiam refert. Quod cum cardinem rei tangat, axioma necessarium secundum proprietates eas, quas iam definiuerat Aristoteles considerauit, vt nempe sit, de omni, per se, et vniuersaliter primum, cuius scilicet consequens et antecedens de se reciproce praedicari possint. Quia vero axioma vel simplex est vel compositum, vtriusque naturam describit, illudque considerat prout vel generale est, vel speciale, vel particulare, vel proprium; hoc, prout vel copulatum, vel congregatiuum, vel disgregatiuum est, quod vel discretiuum vel disiunctum esse dicit. Quo pacto omnem iudicii axiomatici ambitum complectitur. Dianoëa autem Ramo dicitur, cum aliud axioma ex alio deducitur, vnde syllogismus exoritur atque methodus. Et syllogismum quidem, ait, esse, quo quaestio cum argumento vt posito antecedente necessario concludatur. Ita scilicet quaestionem de dubio axiomate, adhibito tertio argumento, cum quaestione comparato, illustrandam esse censebat. Syllogismi, iuxta Rami mentem duae partes sunt, antecedens, quod propositione et assumtione constat, et consequens, quod est ipsa conclusio. Si antecedentis pars vna desit, enthymema oritur,

tur, si qua accedat, prosyllogismus. Eum autem vel simplicem constituit, vel compositum, illumque diuidit in contractum et explicatum. Contractus est, quando argumentum, quasi in exemplum assumitur: explicatus, quando omnes eius partes exprimuntur. Huius quoque species, id est figuras facit duas. Vnam quando argumentum, id est medius terminus tam in propositione, quam in assumtione sequitur; alteram quando argumentum antecedit in propositione, sequitur in assumtione. Quo modo et secundae et primae figurae Aristotelicae locum in dialectica reperit. Syllogismum compositum, vel connexum, vel disiunctum constituit, prout nempe ex assumto vel negato antecedente colligitur vel tollitur consequens. Methodum quoque definiuit Ramus dianoëam variorum axiomatum homogeneorum pro naturae suae claritate propositorum, vnde omnium inter se conuenientia iudicatur, memoriaque comprehenditur. Potiora autem in ea secundum Ramum eo redeunt, vt vniuersalius et clarius praecedat, minus vniuersale aut singulare et obscurius sequatur, adeo, vt gradatim a generalissimis per subalterna ad specialissima perueniatur. Ita vero secundum methodum Ramaeam primo loco collocanda definitio generalissima, tum distributio, quae vel partitio est vel diuisio in species, quibus vt et partibus idem rursus ordo definitionis et distributionis assignandus, cuncta autem, si longiora fuerint transitionis vinculis colliganda, vt oratio inde recta et elegans exsurgat. Addit quoque nonnulla de crypticis methodi, cum res non clare proponitur, vt eo iucundius lector vel auditor trahatur fallaturue. Et haec quidem summa dialecticae Rameae capita sunt, quae exemplis ex oratoribus atque poëtis aliisque scriptoribus petitis mire illustrauit, et velut stellis quibusdam interstinxit, vt fatendum sit, haud contemnenda inde lumina tractationi Rameae accessisse.

VI. Multa in dialectica Rami ex Aristotelicis seruata, multa addita.

VI. Esse in hac dialectica Rami haud pauca, ex Organo Aristotelico transsumta, licet nouis nominibus compareant, ex comparatione apertissimum esse potest. Nec diffessus id est Ramus, vltro id aduersariis dans, *Aristoteli et Aristoteleis non omnem laudem debitam se detrahere velle, sed si qua ab eis, dialecticae propria veraque praecepta tradita fuerint, libenter approbare.* Fatendumque, si verborum nouitatem tollas, multa eum ex Aristotele seruauisse, praecipue, quae de iudicio dianoëtico disputat. Inde enata sententia praestantissimi WERENFELSII v: *Ramum nulla de re nouam sententiam excogitasse, de variis philosophorum circa varias res opinionibus nunquam sententiam dixisse, in modo methodoque docendi, in definitionibus et diuisionibus ab Aristotele recessisse, adeoque recte pronunciari, eum inter* λογομάχους *et* μεθοδομάχους *esse referendum.* Non repugnamus viro doctissimo, si multam de verborum nominumque nouitate contentionem fuisse statuat, non enim nouum hoc est, sed quotidie ea fabula luditur. Ast negari tamen hoc quoque

v) l. c. Opp. p. 477.

non poteſt [w], multa Ariſtotelicorum inutilia Ramum ex logica eieciſſe, praedicabilia, praedicamenta, topica, elenchos minime curaſſe, adduxiſſe vero alia indicta Peripateticis, de cauſſarum, ſubiectorum, adiunctorum, diſſentaneorum, comparationum, diſtributionum, teſtimoniorum, coniunctarum concluſionum partibus et modis, ad quae in differendi diſtribuendique ordine ſuo notiones et rationes arte inque ſcribendi dicendique artificio multa redire, veterum exemplis edoctus ſciebat. Hinc nullum in arte praeceptum ponebat, quod perſpicuis inſignium hominum teſtimoniis et exemplis Ciceronis maxime et Virgilii non illuſtraret.

VII. Fontes dialecticae Rameae.

VII. Ex dictis vero nullo negotio de fontibus dialecticae Rameae definiri poteſt. Quam non omnem Peripateticae doctrinae traditionem negare poſſe, oſtendimus. Sed et veterum Graecorum, maxime Platonis et Stoicorum, logicam cum Ramea comparanti erit clariſſimum, multa ab iis in ſua arua Ramum deriuauiſſe. Plato enim exemplis quidem magis, quam praeceptis cuncta ex definitione, diſtributione, reſolutione et inductione deriuauit, Stoici enunciationes axiomata, ſyllogiſmos argumenta vocarunt. Cumque ad vtriusque ſectae imaginem rhetores veteres orationum ſuarum vultum plerumque pinxerint, mirum haud eſt, Ramum in eorum lectione probe verſatum hanc ſibi ſpeciem dialecticae finxiſſe, reiectis cauillis et ſubtilitatibus Stoicorum, quas non minus, quam Ariſtotelicorum contemnebat. Occaſionem autem ita transformandae dialecticae Ramo ſuppeditaſſe dialogos Platonis, ipſum ſupra fatentem audiuimus.

VIII. Iudicium de Dialectica Rami.

VIII. His vero omnibus rite ponderatis non difficile eſt de dialectica reformatione Rami ſententiam ferre aequam et veram. Et laudandus quidem in eo eſt magnopere, quod ab inutilibus ſpeculationibus nobiliſſimam artem ad vſum fori et vitae reuocauerit, nec in eo quoque culpandus eſt, quod accurate ordineque differere, vel differentes quoque veteres intelligere docuerit. Aſt id maximopere in Ramo reprehendimus, quod antiquitatis praeiudicio, quod tamen in Ariſtotele feliciter eiurauerat, faſcinatus et dialecticae nomine ſeductus, ad vnum differendi artificium omnem ratiocinandi ſcientiam retulerit [x]. Hoc enim pacto neceſſe erat, intellectum, cui medendo, illuſtrando et in veritatis viam ducendo deſtinata eſt diſciplina praeſtantiſſima, in tenebris, quibus naturali morbo et naſcendi infelicitate cingitur, manere, et quum falſo ratiocinetur, emendari a dialectica Ramea non poſſe. Vehementer quoque improbandum eſt, quod in cortice, methodum putamus, haerens, nucleum ipſum omiſerit, eam vero ita ad intellectus normam retulerit, vt pedem modulo adaptaret, qua ratione non potuit non inepta methodi affectatione haud ſemel tractatio corrumpi. Cuius exemplum eſſe poſſunt διχοτομίαι Rameae ſuperſtitioſe

w) Conf. Dedicationes Dialect. et Animaduerſionum Peripp.

x) Conf. CARTES. ep. ad Gallic. interp. princip. philoſ. Ars cogit. P. I. c. 3. p. 19.

ſtitioſe ad noſtra fere tempora excultae, itemque methodus cauſſalis, quae dialecticae Rameae debetur, quaeque in non neceſſariis ſcriptores ita detinuit, vt haud raro ineptiae ſequerentur. Quae omnia ſi parcius adhibuiſſet Ramus, ſi a neceſſariis aliis non abſtinuiſſet, ſi methodi leges non vniuerſales feciſſet, et cuiuis pedi hunc cothurnum adaptauiſſet, pauciora haberemus, quae reprehenderemus. Moderate et ex vero magnus VERVLAMIVS [y]: *Methodus veluti ſcientiarum architectura eſt: atque hac in parte melius meruit Ramus, in optimis illis regulis καθόλου πρῶτον, καὶ παντὸς, καθ' αὑτὸ etc. renouandis, quam in vnica methodo ſua et dichotomiis obtrudendis. Veruntamen neſcio quo fato fit, vt humanis, ſicut ſaepius fingunt poëtae, rebus pretioſiſſimis ſemper adhibeantur pernicioſiſſimi quique cuſtodes. Certe conatus Rami, circa illam propoſitionum limam coniecit eum in epitomas illas et ſcientiarum vada. Auſpicato enim, et felicis cuiusdam genii ductu proceſſerit oportet, qui axiomata ſcientiarum conuertibilia facere attentauerit, et non ſimul ea reddiderit, circularia, aut in ſemet recurrentia. Conatum nihilo ſecius Rami in hac parte vtilem fuiſſe non inficiamur.* Alia ſcriptorum iudicia de Rami dialectica, ne nimii ſimus, omittimus: comparari autem cum dictis poſſunt, quae auctor artis cogitandi [z], et acutiſſimi viri CHRISTIANVS THOMASIVS [a] atque NIC. HIERONYMVS GVNDLINGIVS [b] annotauerunt. Ille methodum tabellarum huc quoque reuocat.

IX. Quodcumque autem dialecticae Rameae ſtatuendum ſit pretium, ipſe certe Ramus debita laude in philoſophiae hiſtoria priuandus haud eſt. Is enim, quod fruſtra tentarunt Agricola, Valla, Nizolius, Viues, maiori ſi non animo, certe ſtrepitu et euentu aggreſſus viam oſtendit, qua ad libertatem philoſophandi abiecto iugo Ariſtotelicae philoſophiae ſectario procedi poſſet: et modum exemplo docuit ſuo, contemnendi eorum clamores, qui pro Sectae ſuae placitis tanquam pro aris atque focis pugnant, et ſanctiſſima myſteria violari conqueruntur. Quod Palladium diu orbi philoſophico ereptum vt aſſertum iret, non minas, conuitia, calumnias, et quae his grauiora ſunt, timuit, perſecutiones diras contemſit, impauidum patiensque pectus aduerſariis obiecit, et rariſſimo exemplo libertatem philoſophandi ſanguine ſuo confirmauit, merito inter martyres philoſophicos [c] numerandus. Qui ſi nihil egiſſet aliud, quam quod exemplo ſuo in academia Pariſienſi viros doctos complures excitaſſet, vt in aliis philoſophiae partibus idem tentarent, quod ipſe in dialectica fecit, quorum haud infelices conatus paſſim annotauimus [d], dignus certe eſſet, cuius nomen atque memoria in annalibus philoſophicis perennaret, et cui non ingratam ſe praeſtaret poſteritas. *IX. Merita Rami de philoſophia.*

§. X.

y) De Augm. ſcient. L. VI. c. 2. T. I. Opp. p. 358.
z) P. II. c. 15.
a) Cautel. c. X. §. V.
b) Via ad ver. logic. p. 78.
c) Singulari diſſ. eorum exempla collegit doctiſſimus HEVMANNVS.
d) Conf. LAVNOIVS de Fort. Ariſt. in Academia Pariſienſi.

Fata dialecticae Rameae post auctoris obitum.

§. X. Extingui posse Rameas nouitates, extincto crudeliter auctore suo, sibi persuadebant eius aduersarii, verum contrarium euenit. Qui enim viuus haud paucos sectatores habuerat, quorum nonnulli ab extremis Europae angulis ad eum conuolarant, post mortem affeclas multo plures nactus est. Et superstite quidem Ramo Audomarus Talaeus, vir doctus et eloquens, cui cum Ramo fraterna interceſſerat necessitas, ex disciplina Ramea formatus eam propagare inter Gallos non sine sudore conatus est e). Quis autem doctrinam Rameam plausus inter Germanos exceperit, cum ad eos Ramus diuertisset, ex supra dictis est manifestum. Quamuis ex illis quoque constet, Peripateticos vbique locorum manibus calcibusque obniti Ramo eiusque reformandae philosophiae consiliis coepisse. Quibus addimus, scholam Melanchthonis, quae rationalis philosophiae culturae se valde addixerat, parum Rameis conatibus fauentem, suum quoque studium disciplinae Rameae velut impedimentum aliquod obiecisse. Et haec quidem viuo et spirante Ramo acciderunt. Post miserabilem autem vitae eius exitum magnis et citatis gressibus passim ad eam doctrinam, quam formauerat Ramus, properatum est, fueruntque passim viri docti, qui Ramismo, (quo nomine ista disciplina appellari solebat) nomen suum addicerent. Et Hispaniam quidem atque Italiam nouitatibus Rameis aures patulas praebuisse, non constat, ast viguisse inter Germanos, Anglos, Scotos eam doctrinam publica documenta produnt, et innumeris exemplis probari potest. Cuius prima occasio, qua Rami dialectica per istas regiones sparsa est, fuit, quod ab ore Rami magna eloquentiae et philosophiae laude docentis iuuenes multi, qui ex Germania atque Britannia ad eum confluxerant, pependerint, et tum dicendi tum ratiocinandi differendiue principia ab eo didicerint. Hos et doctrinae elegantia et iucunditate recreabat, et ad veterum exempla effingebat, et nouo doctrinae genere innutritos domum remittebat, gratos tanti praeceptoris discipulos atque admiratores. Qui cum muneribus essent admoti, occasionemque nacti disciplinam Rameam ad publicos vsus adhibendi, viua voce pariter atque scriptis rem literariam iuuarent, factum inde est, vt Ramismus inter Germanos, Gallos et Britannos omni spe citius et promtius exsurgeret atque inualescerent. Maxime autem ex discipulis Rami hoc nomine memorandi sunt Thomas Freigius et Franciscus Fabricius, qui elegantioris literaturae notitia aeternum sibi in ciuitate erudita nomen comparauerunt. Et Freigius quidem Friburgo-Brisgoius in academia patria praestantes iuris interpretes Vlricum Zasium et Henricum Glareanum praeceptores habuerat, at fama doctrinae Rami excitatus, Parisiensem scholam adiit, tantaque contentione et industria illustris praeceptoris disciplinae adhaesit, vt inter eius discipulos tantum non vnus omnium maxime emineret. Redux ex Gallia in Germaniam et Ramea eruditione ornatior, in patria primum, deinde Basileae munus docendi nactus est, tantis aduersitatum procellis iacta-

e) Conf. eius Academia.

iactatus vt de abiiciendis omnino studiis cogitaret, quod consilium sine dubio perfeciſſet, nisi Hieronymi Wolfii commendatione in Altdorfina schola professoris munus illi obtigiſſet *f*. Is itaque cum omnium optime philosophiam Rami intelligeret, eam et institutione, et commendationibus in veteres scriptores propagare, et ostendere eorundem vsum studuit. Franciscus Fabricius autem Marcoduranus, adolescens ad Petrum Ramum delatus est, eoque euentu ab ore eius haesit, vt se Lutetiae Parisiorum ei operam dediſſe non poenitere ipse scribat *ff*. Qui cum Iohanni Mohemio in gymnasio Dusseldorpiensi regendo successor esset datus *g*, praeter literaturam veterem, quam a Ramo quoque didicerat, et in qua eum valuiſſe scripta eius doctiſſima ostendunt, ipsam quoque Rami dialecticam propagandi occasionem nactus est fauentiſſimam. Cumque haud pauci ex huius disciplina viri docti prodirent, qui postea muneribus passim per Germaniam praefecti sunt, facile inde colliget lector cauſſam, cur Ramismus, quem vocant, tanta inter Germanos incrementa ceperit. Et haec humaniorum quoque literarum cognitio, quam Ramea disciplina tantopere commendabat et adiuuabat, inter cauſſas referenda est, cur illa tantopere inualuerit. Viri enim summi et in veterum scriptorum lectione ad miraculum vsque versati, quamuis male Aristoteli minime cupiebant, attamen Rameam dialecticam ad interpretationem et imitationem veterum plurimum facere credidere, ideoque eam sibi commendatam habuerunt. Qua in re praecipue plurimum valuit summorum virorum Ioannis Sturmii et Dauidis Chytraei auctoritas, quorum vterque eo nomine plurimum Ramo fauit *h*, licet Aristotelem non improbarent. Ast hi duumuiri in constituendis per Germaniam scholis eligendisque doctoribus publicis a quamplurimis in consilii curarumque partes trahebantur; quae via fuit, qua Ramea disciplina latiſſime se extendere potuit, cum similiter animati eorum discipuli Rameam doctrinam fuiſſent amplexi. Vix itaque schola aliqua publica paulo celebrior nominari potest, in qua non Ramistae, quo nomine Rami sectatores solent appellari, docuerint. Vixit enim docuitque ex Rami sectatoribus FRIDERICVS BEVRHVSIVS in Tremoniano gymnasio, qui aliquot libris Rami dialecticam illustrauit, eiusque *Paedagogiam* itemque *defensionem* scripsit, et libello erudito atque luculento Rami et Melanchthonis dialecticam comparauit *i*, ex quo disci potest, in quibus vtraque conueniat, in quibus discrepet, quae controuersiae momenta sint, quae omiserit Ramus, quae adiecerit. In Corbacensi schola pro Ramo fortiter dimicauit ADAMVS SCRIBONIVS, auctor *Triumphi logicae Rameae*, apud Hanouera-

f) Vitam eius habes ad ADAMVM in Vitis philos. p. m. 252. inde sua hauserunt FREHERVS Theatr. p. 889. et REIMMANNVS Hist. lit. Germ. Vol. IV. p. 582.

ff) In Praef. ad vitam Ciceronis.

g) Vid. HANCK. de Rom. rer. script. L. II. c. 1. p. 29. CRENIVS Animadu. philol. P. II. pag. 293. TEISSIER. Elog. T. II. p. 468. FABRIC. Centur. Fabricior.

h) Vid. CHYTRAEI Epist. p. 547. ELSWICH. de Fort. Arist. in academiis Protestantium pag. 57. 59.

i) Francof. 1588. 8.

noueranos Heizo Buſcherus, qui licet ſyncretiſticam dialecticam, de qua infra dicemus, ſecutus fuerit, Rameam tamen dialecticam contra Cornelii Martini inſultus defendit, et doctrinam *de ſoluendis ſophiſmatis* abs Ramo omiſſam ſuppleuit. Eandem contra Martini tela calami pugnam apud Goettingenſes ſuſcepit Conradus Hoddaeus; maxime vero in Iulia academia, vbi Peripatetica doctrina valde valebat, pro Ramo omnibus ingenii neruis decertauit CASPAR PFAFFRADIVS, cui libellum *de ſtudiis Rameis et legibus optimae inſtitutionis* [k] debemus. In ſchola Erfordienſi pro Ramo ſtetit HENNINGVS RENNEMANNVS, editis *Enodatione totius philoſophiae Rameae, et Philoſophiae Rameae inſuperabili ſcuto* [l]. Et hi quidem duo ſcriptores ab iis quoque conſulendi ſunt, qui ſpecialia magis de controuerſiis Rameis in Germania agitatis, quae tangere hoc loco non licet, ſcire cupiunt. In academia Roſtochienſi Thomas Rhaedus contra Ariſtotelem pro Ramo comparuit, qui cum Henningo Arniſaeo hoc nomine eſt congreſſus. Marpurgi HIERONYMVS TREVTLERVS *Rudimenta dialectica P. Rami* deſcripſit. Hamburgi Iacobus Reneccius et poſt eum Seuerinus Sluterus editis de Rami dialectica commentariis pro his partibus ſteterunt; Lubecae Ramiſmum introduxit Ioachimus Hanſius [m]. Etiam in academiis Saxonicis magno ſtrepitu diſciplina Ramea inualuit, motusque haud leues concitauit. Id quod praecipue in academia Lipſienſi factum eſt, in qua Ioannes Cramerus Ramo ampliſſime fauit, licet is Organi Ariſtotelici publicus doctor eſſet. Id quod armauit in eum facultatem philoſophicam, quae, vt eo grauiori inuidia Ramiſmum cumularet, Caluiniſmi ſemina in Ramiſmo latere, in literis ſupplicibus ad electorem Saxoniae eſt conqueſta. Vnde factum, vt auctoritate electorali deligerentur, qui in Rameae factionis pericula, quae imminere credebantur, inquirerent, quae tanta viſa ſunt, vt theologi quoque excitarentur ad aggrediendam ſcriptis peſtem pernicioſam, inter quos maxime Matthaeus Dreſſerus ſe Rameis partibus obiecit [n]. Tantis autem animorum motibus res acta eſt, vt cum nuntium Rameae doctrinae mittere recuſaret Cramerus, is munere publico anno MDXCI. exueretur, et quicunque in ea academia promotionibus publicis frui cupiebant, ſingulari ſyngrapha promittere iuberentur, ſe nolle quicquam tradere, quod a philoſophia Ariſtotelis ſit alienum; tanti momenti, haec pugna dialectica erat:

Non Priamus tanti totaque Troia fuit.

Sed in aliis quoque Proteſtantium academiis fortunam diſciplinae Rameae, licet variis viciſſitudinibus vſam, emerſiſſe, indubitatis teſtimoniis conſtat.

k) Francof. 1597. 8.

l) Oppoſitum id Phil. Scherbio. Valde eius maledicam linguam deteſtatur KECKERMANN. Praecogn. log. tr. II. c. 5. p. 169. cuius verba quoque adducit BAYLE l. c. not. O.

m) Conſulendi de his ſcriptis WALCHIVS et ELSWICHIVS ll. cc.

n) Conf. quos laudant iidem ADAMI Vit. philoſ. p. m. 496. MORHOF. Polyhiſt. T. II. L. I. c. 12. §. 1. DORNIVS ad Ionſ. L. III. c. 36. §. 19. p. 210. qui ad B. Io. CYPRIANI Progr. de fatis philoſophiae Rameae in academia Galliae, infertum Suppl. Bibl. philoſ. Struuianae p. 25. prouocat. Quod tamen in editione Lotteriana, quae ad manus eſt, deſideramus.

ſtat. Et in Altdorfina quidem ſchola multa inuidia premebatur Ramiſmus; aſt quamuis Peripatetici magnis animis ſe ei opponerent, et praecipue Philippus Scherbius diſſertatione pro philoſophia Peripatetica aduerſus Ramiſtas quam philoſophiae Altdorfinae inſeruit IO. PAVL. FELWINGERVS, adeo erudite et acute diſputaret, vt neruoſitate, breuitate et elegantia, flore item eloquentiae et accuratione cum vaſto libro certare poſſe iudicauerit MORHOFIVS [o]; his tamen non obſtantibus inualuere partes Rami, praecipue cum Henricus Rennemannus, duobus ſcriptis proterue Scherbium eſſet aggreſſus, isque nihil repoſuiſſet, ſed LIBAVIVS [p] tantum Scherbium vindicaſſet [q]. Conſtat id ex verbis TAVRELLI [r], qui, quod ab Ariſtotelicis diſſentiret, vt ſuo loco dictum, Ramiſmi conuicio impetitus eſt. Is enim ad hanc obiectionem ita reſpondet: *Vt vero nihil ex Rami vel eius aſſeclarum ſcriptis didicerim, quibus ipſe nunquam ſum delectatus; cum videamus tamen adeo felicem eius doctrinae ſucceſſum, atque in dies augeri eorum numerum, qui vel ſeſe aperte Ramiſtas eſſe profitentur; vel ſaltem a Rami dogmatibus non abhorrent: quis non flectatur, et de Ramo iudicare incipiat aequius. Liberum probo philoſophandi genus: noui etiam in Ariſtotele reprehendiſſe Ramum, quod probandum non fuerat.* In Iulia academia, quae Helmſtadii circa ea tempora [s] excitata eſt, et in qua Pfaffradium Rameam dialecticam propagauiſſe ſupra retulimus, contra Cornelii Martini et Io. Caſelii diligentiam pro Ariſtotelica philoſophia aduerſus Ramum, inſurrexit ANTONIVS NOTHOLDVS, qui nomine *ſtudioſorum philoſophiae Rameae conſiderationem in Martini librum* emiſit, cui cum anno MDCXCVII. Cornelius Martini peculiari programmate reſponderet, annotationibus ille ſuis id eodem anno recudi fecit *, annoque ſequenti diatriben philoſophicam edidit, qua doctrina de definitione et diuiſione dialecticae, de notionibus primis et ſecundis, de argumentis inuentionis et praedicabilibus, de analyſi logica Rameorum, de metaphyſica et praedicamentis ad Philippi et Rami documenta reuocatur ac iudicatur. Quali contentione quoque Martinianis oppugnationibus ſe obieciſſe Cornelium HERMANNVM NICEPHORVM, in libris *de Analyſi logica*, refert HERMANNVS ELSWICHIVS [t], qui epigramma quoque affert, huic libro praefixum, quod, quanti eo tempore Ramus inter Germanos fieret, in aprico ponit. Dabimus id hoc quoque loco, vt de fortuna et opinione Ramiſmi inter Germanos conſtet [ſſ]:

Magnus Ariſtoteles logicus, non vilior illo
Ramus, at obſcurus magnus Ariſtoteles.

o) Polyhiſt. T. II. L. I. c. II. §. 30. p. 62.
p) In Schediaſm. medico-philoſ.
q) Conf. Col. BAYERVS Vit. medic. Altdorf. pag. 20.
r) Alp. Caeſ. p. 37.
s) 1576.
*) Conf. ELSWICH. l. c. p. 66.
t) l. c.
ſſ) Haec plerorumque Rameorum opinio fuit, vnde Ariſtotelicam quoque logicam diſcere iubebant, iuuenes, vt artificiales voces, id eſt terminos a ſcriptoribus adhibitos intelligerent.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ramus conſpicuo diſcentem tramite ducit:
Et breuis et breuitas haec tibi cuncta aperit.
Nemo percipiet logicam felicius artem,
Quam qui Rameam perdidicit logicam,
Poſtea Ariſtotelis; non vt meliora, ſed illa
Quae vulgus nouit, tu quoque ſcire queas.
Cum ſtultis etenim ſtulteſcere tempora poſſunt;
Hoc apte quisquis fecerit, ille ſapit.

Sed in Leucorea quoque academia Rami partes inualuiſſe, ex HVLSEMANNO [t] patet, qui per interdicta electorum Saxoniae actis ordinis philoſophici inſerta, iterumque anno MDCIII confirmata prohibitos eſſe Vitebergenſes, ne Rameae ſe darent philoſophiae. In huiusmodi edicto ab eo allato cauetur, cum a breui tempore in facultate philoſophica ſecta Ramiſtica exorta ſit, quae id agat, vt pe letentim methodum docendi Ariſtotelicam, ſurrogata noua, pellat, ne quis profeſſorum audeat illam in lectionibus publicis fouere, indicta etiam illis poena, qui contra egerint. Sed ad Danos vsque penetrauit quoque dialectica Rami; qui quamuis auctoritate publica ordinationis eccleſiaſticae Chriſtiani III. Melanchthoniana dialectica vterentur [u], non pertimuit tamen Andreas Kragius, philoſophiae tum apud Hafnienſes profeſſor, poſt explicatum auditoribus ſuis Platonem, Ramum quoque et tradere publice et aduerſus G. Liebleri calumnias vindicare. Facile vero eſſet complures afferre, qui hac ratione pro Ramo pugnarunt, ſi eorum nomina excitare vellemus, qui in hoc argumento calamum exercuerunt. Quoniam tamen hoc inſtituti noſtri limites excedit, lectorem rogamus, vt ex LIPENII [v], REIMMANNI [w], WALCHII [x] catalogis ſua induſtria ea colligat, ſi modo tanti videbitur, eorum ſtudia noſſe, qui cramben decies centiesque recoxerunt. Addimus nos tantum verbo, apud Heluetios ita obtinuiſſe Ramiſmum, vt ad noſtra vsque tempora Bernae Lauſannaeque eum auctoritate publica confirmatum eſſe ex Minutoli relatione ſcribat P. BAYLE [y]: Apud Batauos quoque RVDOLPHVM SNELLIVM, linguae Hebraicae et matheſeos profeſſorem Lugdunenſem, edito *Syntagmate philoſophiae Rameae (Commentarium in Rami dialecticam* nominat Ven. WALCHIVS [z], qui an idem ſit cum ſyntagmate, neſcimus) de Ramea dialectica egregie meruiſſe, et haud parum celebritatis illi conciliauiſſe, eo quod ſolide et perſpicue Rami praecepta illuſtrauerit. Quin inter Anglos et Scotos quoque admiratores et ſectatores haud paucos meruiſſe Ramum Keckermanni teſtimonio aſſerit P. BAYLE [*]. Satis hoc fortunarum videri poterat diſciplinae Rameae, quod in ordine philoſophico toties caput erigere licuerit: aſt acceſſit maior felicitas, ex iure conſul-

t) In Praef. Dialyſ. p. 13.
u) Vid. ALB. THVRA Id. hiſt. lit. Danor. P. II. §. 4. §. 2. p. 301.
v) Bibl. philoſ. p. 1283.
w) Calend. crit. hiſt. logicae p. 52.
x) l. c. p. 617. ſeqq.
y) l. c. not. O.
z) p. 621.
*) l. c.

consultorum ordine. His enim valde placuit methodus Ramea, quam et ordine et perspicuitate et facilitate gaudere sibi persuadebant. Obseruatumque CHRISTIANO THOMASIO †, Matthaeum Wesenbecium virum celeberrimum, primum fere fuisse, qui methodum cauſſalem ex dialectica Ramea ad vsum iurisprudentiae traduxerit.

§. XI. Amplissimos habuisse successus dialecticam Rameam, ex adductis satis constare potest. Neque tamen putandum, nullis eam impedimentis, nullis aduersariis fuisse coarctatam atque repulsam. Nam quod viuo Ramo accidit, vt magnis iris, et acerba contentione contra Ramum eiusque philosophiam insurgerent Peripatetici, id post eius tristia, quae perpessus est, fata non minori alacritate et animorum motibus factum. Non memorabimus petulantiam iuuentutis, Ramistis passim insultantis, supra enim idem euenisse Ramo ipsi iam monuimus, nec adeo mirum vel etiam insolens est, iuuenes literarum studiosos incitatos a doctoribus suis et inuidia instigatos, ad quoduis contumeliae genus in nouatores digredi. Sed ad ipsa Peripateticae doctrinae columina prouocamus, quae pro Aristotele, tanquam pro aris et focis pugnauerunt, cuius praeter Parisienses exempla, Ramo adhuc superstite in Beza, Schegkio aliisque commemorauimus. Nulla enim schola fuit, in qua non aduersarios Rami doctrina reperiret, possetque satis amplus nominum eorum contexi catalogus, qui inimica Ramo tela intentarunt, si id ageremus. Paucis tantum et strictim nonnullos tangimus, ne hic quoque ἀσύμβολοι abeamus. Nempe in Tubingensi academia praeter Schegkium, qui cum ipso Ramo contentionis ferram reciprocauit, eius nouitatibus NICODEMVS FRISCHLINVS, edito *Dialogo contra P. Rami sophisticam* pro Aristotele respondit, nec in ea academia pedem figere potuisse ab eo tempore Ramismum verisimile est. Eandem vigilantiam ne Ramistica doctrina Aristotelicam pelleret, probauisse academiae Altdorfinae professores maxime Philippum Scherbium, ex antecedentibus repetendum est. In academia Heidelbergensi parum fauentem sibi Ramus expertus est Zachariam Vrsinum; is iubente electore consilium suum descripserat, vtrum suadendum sit, vt philosophia Ramea in Palatinatu introducatur, in quo multis id rationibus improbat et dissuadet [a]. Hoc cum effectum, quem cupiebat habuisset, adeo momordit Ramistas et in praeceps egit, vt Rennemannus et Pfaffradius acerbissimis eum vocibus ideo reprehenderent [b]. Argentorati Dasypodium, licet infirmo armorum genere, Ramum oppugnauisse, ex epistola Ioannis Pappi ad Marbachium [c] constat. Et in Lugdunensi Batauorum academia Ramismo introducendo se maxime opposuit teste Ma.esio *, Iosephus Scaliger. Magnos vero et potentes aduersarios in academia Iulia experta est philosophia Rami in Ioanne Caselio et

Aduersarii Ramistae.

†) In Cautel. c. X. §. 17.

a) Extat in IACOBI MARTINI Speculo rationali L. II. c. 15.

b) Vid. KECKERMANN. l. c. BAYLE l. c. not. O.

c) Vid. Epistolae Marbachianae a Io. FECHTIO editae p. 404. *) Apud BAYL. l. c. not. O.

Cornelio Martini, de cuius pro Peripatetica doctrina zelo et industria in eius vita, *parte huius tomi superiore*, quantum satis est, diximus. Is grauem se Ramistis aduersarium in *Analysi logica* et scriptis logicis aliis praestitit, quocum congressum fuisse pro Ramo Beurhusium, Hoddaeam, Buscherum, quorum dissertationes iunctim prodierunt [d], itemque Notholdum supra memorauimus. Vitebergae infensum aduersus Rami sectatores animum demonstrauit Iacobus Martini, cuius quoque academiae facultatem philosophicam obtinuisse ex aula Dresdensi decretum de non propagando Ramismo supra retulimus. Idem Lipsiae factum esse, ex dictis repetendum est. Nempe non contenti Rameorum aduersarii inuisam sectam libellis profligauisse, more ab omni fere tempore inter homines recepto, ad potentiorum auxilia et summos etiam magistratus recurrerunt, et argumento ab odio et inuidia ducto, Rameam disciplinam temeratae fidei purioris, confusi ordinis, suspectae nouitatis, contemtarum legum a principibus positarum, conuitiandi corrigendique cum contumelia libidinis et similium accusarunt. Neque vero verisimile est viros prudentissimos, qui passim ex mandato principum summorumque magistratuum rebus praeerant, et his litibus componendis destinabantur, adeo hebetibus fuisse vsos oculis, vt perspicere nequiuerint, neque reipublicae salutem, neque literarum incolumitatem in his disputationibus logicis versari, et parum interesse principis, vincat Aristoteles an Ramus? Ast, vt taceamus, interdum priuatorum suspicionibus potuisse eorum animos corrumpi, vt cum disciplinae, cui a iuuentute erant innutriti, plurimum auctoritatis tribuerent, nouam et insolentem doctrinam refugerent, seque asperiores illi ostenderent: ipsae contentiones virorum doctorum haud raro in vna cathedra docentium, et litigationes inutiles, quibus tempus consumebatur frustra, atque iuuenum pariter atque doctorum publicorum animi in partes discindebantur, metum illis incusserunt, ne tandem bonarum artium ex his litibus interitus oriretur. Fuisse quoque nonnullos, qui crediderint, arma polemicae theologiae subtrahi, si Aristotelica logica pereat, facile HERM. AB ELSWICH [e] credimus, argumentum a studio metaphysico, quod ab eo tempore inter Protestantes inualuit petenti: Quamuis Ioannes Gerardus, magni nominis theologus, qui Aristotelicam philosophiam aliis praeferendam putauit propter aduersarios, cum quibus theologo in arenam descendendum, non improbauerit, si collationis et methodi caussa coniungatur Ramea philosophia [f]. Illud dubio caret, ab eo tempore inferiores fuisse Ramistarum partes, et fulmina potentium multos ab his partibus amplectendis deterruisse. Hinc, quem supra excitauimus Nicephorus, cuius verba adduxit ELSWICHIVS [ff], conquestus est: *Eam temporum iniuriam esse, vt neque precibus, neque rationibus, neque vllo modo alio studium suum veritatis et publicae vtilitatis sartum tectumque quis conseruare queat, sed et vi minisque depulsus*

d) Lemgouiae 1596. e) l. c. p. 73. f) Meth. stud. theol. p. 132. ff) l. c. p. 74.

pulsus ad placitum te potentiorum componas, ac veritatem vtilitatemque turpiter deserere cogatur.

§. XII. Succurrere laboranti Ramismo alia ratione coeperunt nonnulli, quibus syncretismus aptissimum medium visum est, sed qui, si verum fatendum, et experientia consulenda, malum reddiderunt deterius. Et fuerunt quidem mature inter philosophos Germanos nonnulli, qui cum viderent, tanta auctoritate gaudere philosophiam Aristotelicam, qualem repurgatam dedit Philippus Melanchthon, vt pelli locoque moueri tota non posset, ad eam delati sunt sententiam, iuuari posse Dialecticam Rami, si cum dialectica Philippica iungeretur, et cum ferri nonnulla, et supplementi loco adiici posse ex dialectica Aristotelico-Philippica iudicarent, confici inde σύστημα aliquod, quod vtrique parti non posset non arridere. Inde enatum tertium aliquod philosophorum genus, quod tum mixtum dictum est. Praeiuisse his exemplo merito dicendus est FRIDERICVS BEVRHVSIVS; quamuis enim is adeo Ramo fuerit addictus, vt P. Ramum statueret g) non modo Socraticum et Platonicum, sed etiam vere Aristotelicum philosophum „iure dicendum et habendum esse, vtpote qui ex illorum omnium sententia constantibus principiis expressa, vsum ducem ac magistrum sequens „omnem fere artium et materiam et formam ex iis ipsis, et maxime ex „Aristotele deducens omnia praecepta cum Aristotelis legibus congruentia „retineat, contraria vero et repugnantia reiiciat, ac artium quidem praeceptis perspicue distinctis, vsum tamen earum, ac ita philosophiam cum „eloquentia coniungendam esse doceat: non alienum tamen a iuuentutis „commodis censuit, si Philippi Melanchthonis dialecticam, in qua multa „ab interpretibus Aristotelis confusa et inuersa, illustriora facta, quin et „emendata sint, comparandam cum Ramea exhiberet, quam comparationem nec philosophica libertate indignam nec studiis inutilem fore putauit. „Cuius vel hunc vsum fore dixit, vt iuuenes res artibus propositas et diuersos auctorum terminos, id est artificiosas appellationes vno labore cognoscant.“ Quo fine vtramque dialecticam cum explicationibus et collationibus edidit, in eo tamen laudandus, quod vtramque in separatis paginis e regione oppositis expresserit, vt eo facilius res intelligi possit. Ast qui secuti sunt PAVLVS FRISIVS in *Comparationibus dialecticis*, BILSTENIVS in *Syntagmate Philippo-Rameo liberalium artium*, BVSCHERVS in *Harmonia logicae Philippo-Rameae*, POLANVS in *Syntagmate logico Aristotelico-Rameo*, LIBAVIVS in *Collatione dialecticae Melanchthonis et Rami*, quibus suo modo BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS iungi potest, qui licet Peripatetica pleraque sequeretur, attamen multa Ramea admiscuit, Semi-Ramei ideo cognomine ab Aristotelicis appellatus; hi, inquam omnes et his similes Ramum ex Melanchthone facere auctiorem, Philippum ex Petro perfectiorem, et ex vtraque dialectica vnam reddere studuerunt. Qui tamen non in eo solo

Ramei mixti & syncretistae.

g) In Dialect. Rami et Melanchthonis inter se comparata p. 13.

lo conſtiterunt, ſed infauſto haud raro ſyncretiſmi ſidere afflati concordiam inter diſſidentes ſententias maleſanam et inutilem inire viſi ſunt, quamuis ſyncretiſmum prae ſe minime ferrent. Quo ſtigmate notandum eſſe Friſium, Libauium et Keckermannum, in *antecedente huius tomi parte*, cum de ſyncretiſmo philoſophico ageremus, annotauimus. Paulo liberius hanc conciliationem inter Ramum et Ariſtotelem tentarunt, et inter ſyncretiſtas Ariſtotelico-Rameos nomen ſuum retulerunt alii, quorum fere princeps habitus eſt Rudolphus Goclenius, idem vero iter tenuerunt Conradus Dietericus et Ioannes Henricus Alſtedius, quorum libros loco laudato iam adduximus. Parum tamen hac ratione promotum eſt Rameae diſciplinae ſtudium, quod et in ſe valde corruptum, et vtrique parti ſuſpectum factum eſt. Inde audita Pſeudo-Rameorum a Ramiſtis nomina vel potius conuitia; inde vero et indignationes Peripateticorum, ex quorum numero Io. Scharfivs [h] pronuntiauit: *Hinc alia Ramiſtarum ſecta orta eſt, quae vocatur miſta ſeu mixta: ſcilicet nomine fatali. Miſcet enim omnia in vnum chaos, Ariſtotelem transformat in ramenta falſarii ſui Petri, hoc eſt lucem in tenebras, coelum in terram, arborem in ramos.* Quare etiam non Rameis ſolum, ſed et mixtis ne delectentur iuuenes praecepit Abraham. Calovivs [i], ſalubri, vti recte putat, conſilio. Semper enim eiusmodi ſyncretiſmum et ineptam doctrinarum diuerſarum conciliationem atque mixturam ſyſtemata corrupiſſe, et veritatem multo magis impediuiſſe, hiſtoria philoſophica exemplis teſtatur luculentiſſimis. Et ſi verum fatendum, ipſae hae conciliationes et commixtiones Rameae dialecticae exitiales extitere. Cum enim eius puritas, et imprimis vſus, quem in ſcriptoribus veteribus explicandis et imitandis prae ſe ferebat, Peripateticis praeceptionibus, alio longe doctrinae genere nixis, et ad metaphyſicam magis ſpectantibus corrumperetur, hocque ipſo auctoritati Ariſtotelis quam Ramus valde depreſſerat, nouae vires, luminaque noua adderentur, non potuit non diſciplina Ramea in contemtum adduci, et euileſcere, et quae in plerisque ſcholis auctoritate publica introducta fuit Ariſtotelis logica reuireſcere. Factum id iam eſſe circa annum MDCXXIV, ex Hermanni Nicephori praefatione in libros de analyſi logica probauit Elswichivs [k]. Ibi enim ita conqueritur: *Quorſum nunc res ſcholaſticae noſtrae prolapſae ſunt? neſcio quo fato iam pridem in antiquum tenebrarum chaos omnia ruere videantur. Irrepunt enim in ſcholas paſſim cum applauſu libelli logici, ne dicam de aliis, nugarum pleni, expellentes e poſſeſſione ſua contra ius fasque logicam Rameam optimam, pulcherrimam, et ſimul vſum eius vt ampliſſimum ita accuratiſſimum.* Et eo quidem tempore Caſparem Pfaffradium, Danielem Hoffmannum in philoſophiam Peripateticam incitaſſe tradit Gerh. Theod. Meiervs [l]. Aſt ſi verum eſt, hoc ipſo Ramiſmi quoque vineta

h) In Inſtit. log. p. 41.
i) In Paedia theologica p. 111.
k) pag. 74.
l) In Monum. Iulicis p. 24.

vineta caecidit, cum omni philosophiae bellum ille indixerit, vt suo loco dictum. Succesſerunt paulo post noui conatus Carteſii, cuius sectatores cum etiam noua logicae praecepta cuderent, Ramea dialectica tandem obliuione sepulta est, nec aliter hodie eius memoria viget, nisi in historia philosophica.

§. XII. Haec Ramea διόρθωσις fuit, in qua mutata quidem, ast non adeo multum emendata fuit dialectica, licet maximos strepitus edidisset, sed vicit et imperium obtinuit logica Peripatetica. Non defuerunt tamen hic inde, viri nonnulli docti, qui vnam alteramue rationalis disciplinae partem, etiam seculo XVI meliori facie et illustriori luce donarent, ast cum sectam condere, vel Aristotelem de solio deturbare non cogitarent, laudati quidem, sed examinati et in vsum deducti non sunt, licet multo praestantius clariusque de rebus ad ratiocinationem eiusque ordinem pertinentibus differerent, quam Peripatetici. Et hinc factum, vt eorum tantum non omnis exoleuerit memoria. Nostrum non est, eos hoc loco colligere omnes, qui ad hanc emendationem rationalis philosophiae aliquid contulerunt, non tamen omittere possumus IACOBVM ACONTIVM, aliis quoque nominibus in sacrae ciuitatis historia celeberrimum, qui cum logicum ingenium quam maxime esset adeptus, cuius specimina haud pauca in scriptis eruditissimis posuit: iuuenes quoque contemtis quisquiliis logicae scholasticae propiore ad veritatem via ducere conatus est. Scripsit ideo libellum *de Methodo, siue recta inuestigandarum tradendarumque artium ac scientiarum ratione* vtilissimum[m], quem a scriptoribus historiae logicae fuisse omissum merito miramur. Nam non in id duntaxat omnem doctrinae vim adhibuit Acontius, vt inuestigandi docendique viam praeceptis luculentis panderet, verum in eo simul etiam fuit, vt potiora, quae ad ratiocinandi artem et cognitionis acquirendae modum pertinerent, breui, at eleganti compendio, quod a scholasticis spinis esset liberum, enarraret. Cum enim statueret, logicam esse recte contemplandi docendique rationem, hincque duas eius partes constitueret, ad quarum vnam quaestiones, ad alteram themata siue proposita referrentur, id sibi ostendendum esse ratus est, qua ratione veritatis examen instituere et rei alicuius notitiam indagare, quodque affecutus fueris, docere commodo possis. Hinc quid sit cognitio, quaque ratione per quatuor causarum genera discurrat expedit, deque causa materiali et formali, multa a Peripateticis abeuntia et recentiorum cogitatis haud dissimilia affert, et quo modo gigni cognitio, latentesque notiones et scintillae excitari et ad res obscuras illustrandas applicari possint, ostendit, et regulas acquirendae scientiae exponit, et imprimis quomodo in definitione versandum, quaeque vitanda luculenter docet, et de obscuris, ambiguis, impropriis, inusitatis commentatur, et causa-

Logicae emendationes aliae.

Iacobus Acontius.

m) Extat in Collectione libellorum de methodo et ratione studiorum, quae Trai. ad Rhen. 1657. 12. prodiit, p. 325. seqq.

cauſſalem methodum depingit, et diuiſionis leges tradit, et interpretandi docendique ordinem pulchre delineat, et quo pacto quodlibet ſuo poni loco debeat, paucis tangit. In quo breui libello, multa egregia et poſtea Carteſio tanquam noua obſeruata reperiri, ipſi Carteſio olim indicauit Heulnerus, teſte BAILLETO [n]. Nec id negat, qui vitam Acontii deſcripſit P. BAYLE [o], qui inter melioris commatis libros hoc ſchediaſma, et inchoatum tantum, vt ipſe vocat, opuſculum retulit. Vidit autem ipſe Acontius [p], *ſe quidem in ſeculum incidiſſe cultum ſupra modum, aſt ſe non tam eorum*, ait, *vereri iudicia, qui nunc regnant, quam exorientem quandam ſeculi adhuc paulo cultioris lucem pertimeſcere. Etſi enim multos habeat, habueritque aetas ſua viros praeſtantes, adhuc tamen videri ſibi videre neſcio quid magis futurum.* Quae hoc modo ad Ioannem Wolfium ſcripſit anno MDCLXII. Acontius, ſurgente demum ſeculo XVII euentum habuere laetiſſimum. Tum enim dialecticae lumen eclecticum primus fere accendit, et ad noua atque meliora audenda in ratiocinandi arte animum adiecit illuſtriſſimus VERVLAMIVS. Is enim auſu vere heroico, vt recte obſeruatum P. GASSENDO [q] nouam tentare viam auſus eſt, ſperareque, fore, vt modo illi ſtrenue diligenterque inſiſtatur, noua tandem eaque perfecta condi haberique philoſophia poſſit. Id quod quantis moliminibus egerit, ſupra *capite libri primi quarto* planum fecimus et quid in nouo, quod eam ob cauſſam produxit organo, hunc in finem monuerit, expoſuimus. Quae hoc loco repetere opus haud eſt, comparandus autem cum iis eſt GASSENDVS [r], qui more ſuo logicae Verulamianae elegans et perſpicuum compendium ſuppeditat. Et hic ipſe quoque vir praeſtantiſſimus, non modo logicae Peripateticae naeuos magna fiducia nec minori eruditione detexit, editis *Exercitationibus paradoxicis aduerſus Ariſtoteleos*, quod in *ſuperiori huius tomi parte* iam annotauimus, ſed quoque et de origine logicae et de fine eius, et de ſimplici rerum imaginatione, de propoſitione et ſyllogiſmo talia attulit [s], quae ſi non omnia noua, exaſciata tamen et ſelecta, et clariſſima luce perfuſa, multa autem iucundiſſimae doctrinae copia illuſtrata recte poſſunt videri. Vnde meretur vir ſummus, vt logicae eius paulo diligentior, quam fieri ſolet, ratio habeatur [t], et praecipue vt cum Carteſianorum meditationibus comparetur, ex quo pateſcet, hunc Carteſii aduerſarium eius tamen ſectatoribus facem haud raro praetuliſſe.

Verulamius.

Carteſianorum de logica reformata merita.

§. XIII. Non admouiſſe rationali philoſophiae condendae et ex inſtituto deſcribendae manus, ſed contentum methodi regulas poſuiſſe, reliqua quae ad cognitionem humanam pertinent, ex parte principiis philoſophiae

n) Vita Carteſii T. II. p. 138.
o) Dict. T. I. art. Aconce p. 65. ſeq.
p) In Ep. ad Io. Wolf. de ratione edendorum librorum p. 410. conf. qui haec more ſuo expendit P. BAYLE l. c. not. C. D.
q) De Orig. Logicae c. 10. T. I. Opp. p. 62.
r) loc. cit.
s) In Inſtitut. logicis T. I. Opp. p. 92. ſeqq.
t) Conf. WALCH. Hiſt. log. L. II. c. 1. §. 19. Parerg. acad. p. 658. qui tamen valde breuis eſt.

sophiae inseruisse Cartesium in *antecedentis libri capite sexto* ex instituto docuimus, quodque ad rationalem disciplinam ex meditationibus et principiis Cartesii pertinet, fuse delineauimus, quo recurrendum est lectori, hanc artis rationalis partem historicam discere cupienti. Sed et porro monuimus, ea quae Cartesius, physicis intentus dereliquerat, logica sectatores occupauisse, et hanc quoque rationis disciplinam suis meditationibus excoluisse. Inter quos Antonii le Grand, Ioannis Claubergii, Petri Syluani Regisii, Arnoldi Geulingsii, Regneri a Mansuelt aliorumque nota sunt scripta recensita quoque a Ven. WALCHIO [u], qui adeundus. Non omitti tamen hoc loco duo ex Cartesianis scriptores logici possunt, quibus plurimum debere artem logicam apud omnes in confesso est, nempe anonymus auctor *Artis cogitandi*, et Nicolaus Mallebranchius. Ille enim innumeras obseruationes nouas suggessit, hic metaphysicam logicae iungendo ac applicando nouam inquirendae veritatis viam se detexisse ratus est. Et prioris quidem commentatio Gallico sermone prodiit hoc titulo: *Logica, siue ars cogitandi, in qua praeter consuetas regulas plurimae obseruationes nouae ad formandum iudicium facientes continentur*, huius libri prima editio *Parisiis* MDCLXIV lucem vidit, tanto autem philosophantium plausu et approbatione excepta est, vt decies recuderetur. Latinas quoque has artis cogitandi institutiones fecit anno MDCLXVI, CORNELIVS AB ACKERSDYK, qui cum Musis parum fauentibus in eo labore esset versatus, eo quod praecipue editionem primam quae valde imperfecta est, adhibuisset [x], comparentibus editionibus Gallicis auctioribus, nouae quoque versiones Latinae apud Londinenses, Lugdunenses, inter Batauos, et Amstelodamenses confectae sunt, quorum editiones nominat WALCHIVS [y]. Quos tamen labores se deterreri passus haud est Io. CONRADVS BRAVNIVS, quo minus nouam interpretationem Latinam libri praestantissimi moliretur, quae eo nomine reliquis praeferenda est, quia accessiones, quae paulatim in Gallicis editionibus comparuerunt, omnes continet, et praefationem luculentam praemisit celeberrimus Buddeus, in qua de historia logicae strictim disseruit [z]. Deberi hanc logicam portus regii sociis, de noua disciplinarum methodo tunc valde sollicitis, nemo hodie rerum literariarum tam ignarus est, vt nesciat, idque extra dubium positum esse putamus. Ast quem verum ex illa societate auctorem habeat, quis parens fuerit, qui obstetrices tantum manus accommodauerint, de eo inter rerum literariarum scriptores haud vna sententia est. Nonnulli enim Trignyo [a] alii Petro Nicolio, quidam Bonio [b] tribuerunt, LEIBNIZIVS [c], rerum eruditarum sui temporis apprime peritus Antonii Arnaldi opus esse retulit. Quae

Ars cogitandi.

u) loc. cit.
x) PLACCIVS Theatr. Anonym. p. 603.
y) l. c. p. 651.
z) Halae Sax. 1704. 1718. 8.
a) WALCH. l. c. p. 652. STOLL. Hist. liter. P. II. c. 2. §. 25. p. 443.
b) Menagiana T. I. p. 141.
c) Praef. ad Nizolium p. 37.

ſententia *auctorem vitae Arnaldi* [d] a partibus ſuis ſtantem habet, qui diſerte, horis, ait, a ſeuerioribus ſtudiis vacuis virum acutiſſimum, praeter grammaticam rationalem et elementa Geometrica arti cogitandi inſudauiſſe, hocque παρέργῳ taedia grauiorum ſtudiorum leuauiſſe. Cuius ſi aſſertis ſtandum haud eſt, ſubſcribendum eſſe videtur marchionis DARGENSII [e] relationi, qui duos tresue ex hac ſocietate viros doctos ſymbolas ad hunc librum conſcribendum contuliſſe affirmat. Qua ratione et Arnaldus, cui ſine dubio operis lineamenta atque ſtamina debentur, et Nicolius, et alii forte quoque de hoc opere logico condendo fuerint ſolliciti. In quo quamplurima vtiliſſima, et ad veritatem inquirendam, formandumque intellectus iudicium, euitandos eius naeuos, eiicienda praeiudicia etc. facientia contineri, ipſa nos elegantis libri lectio conuincit. Maxime dogmata de ideis, de methodo, deque praeiudiciis ſatis luculenter explicata, nouisque luminibus aucta deprehenduntur. Quae cauſſa eſt, cur has inſtitutiones non modo P. BAYLE [f], acer ingeniorum cenſor lectori commendauerit, ſed aſcetas quoque ſuos diligenter legere iuſſerit IOANNES MABILLONIVS [g]. Dolendum autem, tractationem de praeiudiciis, quod obſeruatum CHR. THOMASIO [h], nec plenam nec planam ſatis eſſe, maluiſſeque auctorem in enucleanda propoſitionum et ſyllogiſmorum natura tanta ſubtilitate verſari, quam haec omnia, cum exigui vſus ſint, abiicere. Quem tamen et temporum iſtorum ratio excuſat, quibus non licuit ea omnia tollere, quae velut pretioſi theſauri in ſcholis tradebantur [i], et multorum poſt eum exempla laudant, qui in logicis verſati omnem ſubtilitatum de propoſitionibus et ſyllogiſmis aceruum cumularunt. Ille vel in eo ſolo laudandus eſt, quod naeuos logicae Ariſtotelicae egregie detexerit, et verbis magis eam, quam mentis ratiocinantis imaginibus inhaerere, oſtendit. In quo viam ab eo ſtratam magno acumine poſtea preſſit, qui *artem* quoque *ratiocinandi* vulgauit et Ariſtotelicam nuditatem detexit G. GER. TITIVS, Io. CLERICVS autem memoratu digniora ex hoc libro in *Inſtitutiones logicas*, quas edidit, tranſtulit, vt ſupra notatum. Poſcit autem lectorem diſciplinae mathematicae haud imperitum, ob exempla ex illa petita, id quod nonnullis diſplicuit.

Nicolai Mallebranchii vita.

§. XIV. NICOLAI MALLEBRANCHII nomen in ſchola Carteſianorum, non modo propter ſingulare ingenii acumen, ſed etiam propter nouas hypotheſes, quibus logicam, metaphyſicam, phyſicam et ethicam auxit et immutauit, celeberrimum eſt, et doctrinae laude valde commendatum. Eius vitam enarrauit more ſuo facundiſſimus FONTENELLIVS [k], repetierunt ſcri-

d) Pag. 147.
e) Philoſ. du bons ſens, Reflex. III. §. 2. p. 211.
f) Reſponſ. ad Qq. Prouinc. T. II. p. 293.
g) De Stud. Monaſt. P. II. c. 9. S. 1. p. 416.
h) Cautel. c. 10. §. 9. p. 129.
i) Idque potiſſimum, quod in docenda iuuentute Ieſuitas aemulabantur portus regii ſocii.
k) T. II. Hiſt. du renouvellement de l'academie royale des ſciences p. 208.

scriptores diariorum eruditorum *Actorum eruditorum* [l], *Ephemeridum Belgicarum* [m], *Memoriarum Triuultiensium* [n], *Diarii Parisiensis* [o], alii. Integram dare ex epistolis Mallebranchianis collectam promisit LONGIVS [p], quae tamen vtrum lucem viderit, ignoramus. Faciemus paucis strictimque acutissimi philosophi notitiam lectori, cum tanta sit eius fama, vt indictum in hac nostra tractatione praetermittere nefas habeamus. Editus est in lucem Mallebranchius Parisiis VIII. id. Sextil. anno MDCXXXVIII, patre Nicolao, qui regi a secretioribus epistolis fuerat. Vltimum liberorum veletudine infirma et corpore valde imbecilli natum magna cura parentes educarunt. Cumque a natura dorso pectoreque incuruo esset efformatus, homines puer fugit, et scholam tantummodo adiit, nec alia forte, quam quaedam habitus corporis non satis pulchre efficti dispositio caussa fuisse videtur, cur pingi se recusauerit [q]. Solitudinis autem ob dictas, vti videtur, caussas amantior, viginti duos annos natus mense Ianuario anni MDCXL, congregationis oratorii sodalitio, positis artium et disciplinarum rudimentis, nomen dedit, totusque in studia incubuit. Et primo quidem Cointii consilio excitatus antiquitatibus ecclesiasticis et historiae sacrae rimandae se tradidit, veteresque scriptores ecclesiasticos nocturna diurnaque manu versare coepit. In quo studio etsi diligentiam adhibebat omnem, memoriae tamen infidelitate valde retardatus est, quae cito iterum ea dimisit, quae impressa prius fuerant. Ad aliud itaque studiorum genus, cui minus virtute recordandi opus esset, diuertere cogitans, Richardum Simonium, cuius tunc in ea congregatione magna erat eruditionis opinio, in partem curarum pertraxit, et eius suasu criticae sacrae se deuouere statuit. Cui dum pertinaciter quidem, ast non satis feliciter inhaeret, toti se, relictis tantum non studiis omnibus pietati colendae, expectandoque in silentio animi diuinae sapientiae lumini sacrificauit [r]. Ast fecit casus quidam inexpectatus, vt ad Cartesianam philosophiam deferretur, cuius postea post ipsum Cartesium praecipuus scriptor auctore sectae non inferior factus est. Nempe cum tabernam librariam praeteriret, a bibliopola CARTESII liber *de Homine*, tum recens editus ei oblatus est. In quo cum pauca obiter legisset, adeo perspicuitatis ab auctore seruatae lumine collustratus est, et scientiae hactenus sibi ignotae principia diligenter sparsa tanta auiditate inspexit, vt satiari non posset. Igitur emto libro illud non legit, sed legendo magis deuorauit, tanto ardore, vt cordis palpitatione interdum ex nimia contentione oborta correptus, legendi modum facere cogeretur. Ita incenso philosophiae insatiabili desiderio dimissis, quae hactenus respexerat, studiis omnibus, philosophiam vnam insigni diligentia amplexus non modo est,

l) 1716. p. 232. seqq.
m) Maerdelyke Vitreksels 1719. Mai. art. 5.
n) 1716. Oct. art. 3. o) 1716. Ianv. art. II.
p) Nou. lit. Lipsi. 1719. p. 818.
q) Inuito tamen effigies expressa est, Nou. lit. Lipsi. 1716. p. 306. praefixa est Bibliothecae, Germanico idiomate editae P. XLV.
r) MARVILLE Melanges T. I. p. 25. edit. rec.

ſed etiam omnibus aliis praetulit, ratus, nec criticam artem nec hiſtoriam tenuiſſe protoplaſten, aſt ſapienter meditatum ſapientiſſimum fuiſſe, hancque ſibi doctrinam cupiendam eſſe. Vnde hunc reliquarum diſciplinarum contemtum vel neglectum potius improbantibus reſpondit, non ſe meliorem eruditionem, quam quae Adamo adfuerit, cupere. Ab eo autem tempore ita ſe profundiſſimae meditationi immerſit, vt ad eas ſententias delaberetur, quas enthuſiaſmo eſſe proximas nonnulli iudicarunt *s*. Totum autem decennium explorandae Carteſianae philoſophiae, et meditationi tribuit, tam inſigni acutiſſimi ingenii, magna iudicandi ſolertia adiuti vigore in myſteria Carteſiana penetrando, vt Carteſio minime inferior eſſe iudicaretur. Ita vero doctrina philoſophica colluſtratus ad ſcribendum ſe accinxit, cumque in inquirendae veritatis ſtudio cardinem omnis philoſophiae verti, hanc autem intellectus culturam non ſatis et prout decebat, a Carteſio traditam eſſe cerneret, ad explicandam nouam intellectus emendandi, et ad inquirendam veritatem formandi artem curas atque meditationes ſuas conuertit. Explorato itaque vnionis inter animam et corpus, itemque inter animam atque Deum intercedentis myſterio *t*, quae impedimenta inquirendae veritatis, quaeque errorum ſemina ex ſenſationum et paſſionum caterua oriantur, quid natura anima ſit, quidue valeat, quibus viribus incedere poſſit, vt ad veritatem perueniat, deſcribere ſtatuit. Inde exortus famigeratiſſimi ſcriptoris foetus, qui *de Inquirenda veritate* inſcribitur, et cuius poſtea ſumma capita tangemus. Cuius primus liber anno MDCLXXIII prodiit, ſecundus tertiusque anno MDCLXXIV, quem vero quotannis fere lambere, emendare, illuſtrare, et perficere, acutiſſimus auctor ſtuduit: vnde plures editiones enatae ſunt, ſemper pleniores et emendatiores, perfectiſſima autem ea eſt, quae paucis ante auctoris obitum annis MDCCXII, quatuor voluminibus, prodiit. In hac vero logica, (huius enim ſcientiae perficiendae curam in ea tractatione auctor ſuſceperat) Carteſianis quidem principiis vtitur Mallebranchius, aſt iis multa noua inaedificat, multa non Carteſiane tantum ſed et Platonice *u* diſputat, multa a communi via diſcedentia affert. Et imprimis imaginandi facultatem, vires, corruptionem, et impedimenta intellectui inde enaſcentia luculentis depingit coloribus. Quae omnia cum eleganter dicendi genere viuo, acuto et florenti exponeret, et abſtruſas metaphyſicae cogitationes pulcherrimis dictionis luminibus illuſtraret, qua ratione ſcilicet aridas ſpeculationes lectori commendari poſſe credebat *x*, dici vix poteſt, quantum plauſum liber ſubtiliſſimus nactus ſit: adeo vt non modo aliquoties, vti dictum, recuderetur, et Latine quoque a cel. LENFANTIO legendus exhiberetur *y*, ſed et haud pauci eſſent, qui

s) Vid. I. G. PRITII Diſſ. de Enthuſiaſmo Mallebranchii.

t) Vid. Praef. inquir. verit. Habebat autem Auguſtinum ducem.

u) Intelligent hoc, qui eius hypotheſin de origine idearum cum Platone comparauerint.

x) MARVILLE l. c. T. III. p. 434.

y) Etiam Belgice, ſed non ſatis feliciter conuerſus prodiit, Nou. lit. Lipſ. 1719. p. 549.

qui in opiniones Mallebranchii pedibus irent, vnde postea sectae Mallebranchianae nomen in Cartesii schola auditum est. Valde autem φιλοσοφέμενα Mallebranchii commendabat D. Augustini auctoritas, quam nouae hypothesi de origine luminis intellectus, quod in ideis fulget, quodque ex immediata DEI perceptione deriuabat, praefixit [a], cum hac ratione tanto doctore praeeunte pulchrius magisque pie philosophari crederetur, nihilque esset in dogmatibus Cartesianis, quod non hypothesi huic posset applicari. Et has potissimum caussas esse putamus, cur liber ille tam auide receptus a multis sit, licet adeo subtiliter scriptus, vt a paucissimis intelligeretur, et opinionum nouitas et subtilitas fere incomprehensibilis obstaret auctori, quo minus more apud Parisienses recepto, teste MARVILLIO [b], censorem reperiret. Mirum itaque non est, cum vix prodiisset, fuisse nonnullos, qui quaedam atro carbone notarent, inter quos imprimis fuit Foucherius [c], cui respondit Robertus des Gabets [d], et post hunc Antonius Arnaldus, qui omnium acerrime cum Mallebranchio, licet amico prius, congressus est. In quibus virorum acutissimorum controuersiis adeo subtiliter de abstrusissimis argumentis metaphysicae disputatum est, vt non defuerint viri eruditi primae notae, qui se parua horum omnium, vel libri illius, qui lites istas genuit, vel totius controuersiae potuisse comprehendere, Mallebranchium nubes petere et μετεωρίζεσθαι, totam autem pugnam inter nugas, magorum spectra et lemures producentium referendam esse confessi sint [e]. Maxime vero lis enata, cum de origine idearum differens Mallebranchius, videre nos rerum omnium ideas in Deo asseruisset. Ex hac enim hypothesi quae intimam animae cum Deo vnionem supponit, orta illi occasio peculiare systema de natura et gratia condendi, quod eum cum Arnaldo acerrime commisit. Non est nostri instituti locique enarrare, quibus inter se libris, quibusque rationibus de vtroque argumento disceptauerint duumuiri eruditissimi, illud enim ad specialem logicae historiam pertinet, hoc ad historiam dogmaticam doctrinae reuelatae et annales ecclesiasticos spectat. Et quod ad istam de origine idearum controuersiam attinet, pleraque satis prolixe alibi [f] enarrauimus, ad quem locum eos, ne prolixitate nimii simus, ablegamus, qui subtilis, et si quid iudicamus, otiosae et inanis controuersiae historiam scire cupiunt. Systematis de natura et gratia fata, libros aliaque, id concernentia, quibus nec Ianseni nec Molinae sectatoribus Mallebranchius placuit, enarrat celeberrimus PFAFFIVS [g], qui videndus. Conferri autem merentur, quae elegantissimus DANIEL [h] in

a) Accessit ei nomen quoque Meditabundorum.
a) Vid. Trois lettres contre Mr. Arnaud p. 14. Hist. de ideis p. 256.
b) T. III. p. 186. qui ex Mallebranchii ore hoc tradit.
c) Edidit is Gallice criticum examen artis inquir. veritatis.
d) Is Criticam criticae Foucherianae oppofuit.
e) Menagiana T. I. p. 258. T. II. p. 389.
f) In Hist. phil. doctr. de ideis Sect. III. §. 2. p. 256. seq. Conf. Vita Arnaldi p. 189. seqq.
g) Primit. Tubing. T. I. p. 209. add. BVDDEVS Isagog. p. 671. 1266. Cat. bibl. Reimmann. T. I. p. 738. FABRIC. Syllab. script. de V. R. C. c. 16. p. 405.
h) P. III. p. 202. Vers. Lat.

in *Carteſii itinere per mundum* de his controuerſiis differit: quamuis is enim, vt Societati Ieſu adſcriptus erat, minus faueat Arnaldo, multa tamen tangit, quae ἀνέκδοτα huius controuerſiae et arcanas circumſtantias detegunt. Factum autem iſtis hypotheſibus, vt non multum ab enthuſiaſmo [j], vel etiam a Quackerorum [k] illuminatione immediata abeſſe videretur, quo iure, quaue iniuria? noſtrum non eſt diſpicere. Ex hoc vero dogmate de vnione animi cum Deo, arctiore illa, quae animae cum corpore intercedit, quod genuinum fundamentum eſt omnium hypotheſium Mallebranchii [l], de origine idearum de concurſu gratiae, et ſimilium, quae per inquirendae veritatis opus ſparſit, multisque poſtea libellis defendit, auxit, comſit et poliuit; enatum quoque ſyſtema cauſſarum occaſionalium, quod deſerto ſyſtemate aſſiſtentiae a Carteſio ſtabilito, amplexus eſt [m], quo inter Carteſianos ſpurios a GVSSETIO [n], ANDALA [o] aliisque relatus eſt. Cuius ſummam cum ſupra tetigerimus, dicta otioſe nolumus repetere. Ita vero factum, vt cum multas ſibi ſingulares opiniones de viſione Dei, quae contingit menti, de natura ſubſtantiae intelligibili, de extenſione intelligibili, infinita in Deo, et ſimilibus concepiſſet, mox fanaticiſmi, mox Spinociſmi [p] accuſaretur, et adeo ſuſpectus haud paucis fieret, vt libri eius in Gallia vendi prohiberentur, et quod P. BAYLE [q] refert, vix apud Batauos editorem reperirent. Aſt non aſſecutos fuiſſe aduerſarios Mallebranchii ſubtilitates acutiſſimi philoſophi clamauerunt poſt Mallebranchium ipſum [r] eius fautores, contenderuntque, pie magis atque ſobrie eum ſenſiſſe. Nec moroſe refragabimur, ſi quis dicat, virum nimia ſubtilitate modum excedentem, incommodis ſenſa animi vocibus expreſſiſſe, nec ea omnia ſtricto et rigoroſo ſenſu ſumenda eſſe, quae magnam ei inuidiam apud haud paucos conflarunt. Interim nemo tamen negauerit, qui Mallebranchianas hypotheſes attente conſideraverit, ipſas quoque opiniones Mallebranchii plane ſingulares eſſe, nec facile probandas. Non enim in logica tantum atque metaphyſica, ſed in naturali quoque et morali philoſophiae parte abeundum ſibi ab aliis eſſe cenſuit, nec aſſentientes reperit adeo multos ſtatuendo, Deum in creatione omnia praeformantem, omnium motuum, qui in creaturis obſeruantur, vnicam eandemque immedia-

i) PRITIVS l. c. BVDDEVS l. c. p. 246.

k) VOLTAIRE Lettre II. ſur les Anglois p. 11.

l) Id ex Praef. operis de I. V. luculenter pateſcit.

m) Ludouicum de la Forge hoc Syſtema primum poſt praeluſiones Suareſii produxiſſe, ſupra obſeruatum, in maiori autem luce poſuit Mallebranchius, cum hypotheſibus ſuis valde fauens deprehendiſſet.

n) In cauſſarum primae et ſecundarum reali operatione, Leou. 1716. 4.

o) In Carteſio Spinoziſmi euerſore. add. PETR. DE VILLEMANDY de Efficacia cauſſarum ſecundarum Lugd. Bat. 1686. Conf. cel. HOLLMANNVS Phyſ. P. I. c. 4. §. 209. not. o. p. 244. Pneumatol. c. II. §. 80. not. a. p. 159. ſeqq. vbi etiam alios Syſtematis cauſſarum occaſionalium fautores nominat.

p) Conf. Recueil de pieces de la philoſ. de Newton, Clarke, Leibniz. Tom. II. p. 217. 432. Cat. Bibl. Reimmann. p. 999. POIRETVS Oecon. Diu. L. I. c. 23. §. 1. p. 328. ARNAVD Diſſ. contre un eclairciſſement du traité de la N. et Gr. SOVVERAIN Platoniſme devoile P. I. c. 8. pag. 74 ſeq.

q) BAYLE Lettres T. II. p. 221. 227. ed. Marchand.

r) Reponſe a une Diſſert. de Mr. Arnaud contre l'eclairciſſement. Facile ab Atheiſmi culpa liberat Philoſophum L. II. c. 2. Inq. Ver.

mediatam cauſſam eſſe: quaecunque ſint in mundo, eſſe aut ſubſtantiam aut modum exiſtendi, extenſionemque ad notionem ſubſtantiae requiri, materiam in infinitum diuiſibilem, quauis parte ſua multas alias ſubſtantias comprehendere; quemuis materiae vorticem ex aliis minoribus vorticibus conſtare, et quae aliae κυρίαι δόξαι viri celeberrimi fuerunt, quae eum cum multis viris doctis commiſerunt. Praeter Arnaldum et Foucherium enim ingenii calamique aciem in eum acuerunt Regiſius, Lamius, Fenelonius, Leibnizius aliique, qui hypotheſin logicam de origine idearum examinarunt, alibi [s] laudati. Maxime vero qui ex eius diſciplina prodiit Societatis Ieſu alumnus P. DV FERTRE ſyſtema Mallebranchii euertere ſingulari tractatione [t] conatus eſt, quem vero non ex ſua, ſed ſuperiorum voluntate ſcripſiſſe, et nec intellexiſſe ſatis, nec candide retuliſſe mentem et opiniones Mallebranchii, multa quoque peruertiſſe alii conqueſti ſunt [u], aliquot autem epiſtolis pro Mallebranchio reſpondit Mironius. Eleganter vero in hoc argumento verſatus eſt magnus Leibnizius, qui in epiſtola quadam ad Remondum [v], refutationem Tertrianam conſiderando, quid culpari in hypotheſibus Mallebranchii, quid excuſari, quid tolerabiliori ſenſu explicari ferrique queat, luculenter oſtendit. Quae epiſtola ab iis legenda eſt, qui iudicium ſobrium et accuratum, vt ſunt Leibniziana omnia, de Mallebranchii opinionibus cupiunt. Quae cum in omnium manibus ſit, ea, quae vir ſummus moderate et erudite attulit, heic in compendium mittere breuitatis ſtudioſi omittimus, et lectori expendenda relinquimus, intelligi autem nequeunt, niſi a Leibnizianarum hypotheſium perito, eo quod animaduerſiones ſuas vir illuſtris illis more ſuo attemperauit, vt id in *Examine principiorum Mallebranchianorum* [w], ſimiliter ab eo factum eſt. Patebit autem ex his obſeruationibus, multa mitiores ſenſus pati, quam verba fundunt Mallebranchii. Quod an de iis quoque valeat, quae eius notioni de extenſione, dogma de transſubſtantiatione euertenti, a Ieſuitis obiecta ſunt, et an defendi poſſit, quod non nemo fecit [x], illis excutiendum relinquimus, quorum intereſt, dogma hoc cum philoſophia conciliare, et obiecta ἀσύστατα ſoluere. Neque tamen inter tot obiectiones defuere Mallebranchio ſectatores et aſſeclae, qui in aedibus virginis de Vailly, quae conſanguinitate Mallebranchium attingebat, conuenire ſolebant, vt ductoris ſui hypotheſes atque dogmata inter ſe illuſtrarent [y]. Fuerunt quoque nonnulli eorum, qui pro Mallebranchianis ſententiis pugnarunt, inter quos eminuere Mironius [z], Montagnolius, Catelanus.

s) Hiſt. de Ideis l. c.
t) Refutation du nouveau Syſteme de Metaphyſique, compoſé par P. Mallebranche, quae in plerisque Ephemeridibus anni 1715. et 1718. recenſetur.
u) BERNARD. Nouv. de la rep. des lettres 1717.
v) Recueil T. II. p. 326. ſeqq.
w) l. c. p. 211. ſeqq.
x) Vid. Europe ſavante 1718. Juin. art. 5.
y) ARCHIMBAVD Recueil des pieces fugitives T. III. art. 6.
z) Vid. Europe ſavante 1718. Juil. art. 7. 1719. Dec. art. 7. 1720. Avr. art. 10. Juin. art. 4. Juil. art. 4. Août. art. 7.

telanus. Inuenti etiam sunt, qui celeberrimum Cameracensem archiepiscopum Fenelonium, cuius tamen de amore puro hypothesin Mallebranchius refutauerat, et contentionis ferram cum eo reciprocauerat, in suspicionem adducerent, ac si clam ad eius partes transiisset, qui tamen perperam id de se dici et iniuriam sibi fieri publice professus est [a]. Scripsit haud pauca vir acutissimus, quorum indicem exhibet FONTENELLIVS [b], in quibus profunditatem meditationum acumen ingenii supra modum extensum, imaginationis vim atque lumen, et ardorem quendam valde cum elegantia emicantem prodidit, ast quae obscura et difficilia intellectu faciunt hypotheses singulares, abstractae, et subtiles et dicendi quaedam atque exprimendi cogitationes consuetudo metaphysica, nouis notionibus lectoris sensus refugiens. Quam imaginationi luxurianti et ferocienti interdum fuisse iunctam a Mallebranchio, (qui tamen hunc intellectus morbum mira felicitate confodit,) vti valde mirum et insolens est, ita vtrum excusari praetextu condimenti iucundioris possit, vt ipse ea de re monitus facere solebat [c], aliis excutiendum relinquimus. Ceterum laudatur vir praestantissimus ob pietatem, morum honestatem, animi candorem, ingenii elegantiam et doctrinae soliditatem [d], qua meruit inter academiae regiae scientiarum socios referri. Nam et in philosophia eminebat, et rerum theologicarum cognitionem admodum profundam sibi comparauerat, et matheseos mysteriis erat accurate initiatus, et scribendi dicendique amoenitatem aridissimis metaphysices argumentis apte iungere nouerat. Vnde inter ornamenta seculi nostri etiam ab iis relatus est, quibus haud paucae opiniones eius displicuerunt. Obiit LXXVII annos natus anno MDCCXV, III. id. Octobr. non sine iactura orbis philosophici.

Summa libri de inquirenda veritate.

§. XV. Auxisse philosophiam rationalem obseruationibus suis Mallebranchium, omnino fatendum est. Licet enim ratiocinandi praecepta omnia describere nunquam in animum induxerit, fundamenta tamen rationis, intellectus naturam morbosque, veritatis inquirendae studium suffiaminantia, media ea euitandi viamque, id est, methodum in perquirenda veritate obseruandam selectis animaduersionibus explicare conatus est. Hinc exposita ex sententia Cartesii (hanc enim fundamenti loco ponit) intellectus et voluntatis huiusque libertatis ratione, natura atque indole, iudicandi et ratiocinandi facultatem voluntati, magistrum secutus tribuit, et quo pacto libertas ad eam rite adhibendam in partes vocanda sit, ne sequatur vel error, vel peccatum explicat, et euidentiam quam maxime commendat. Erroris autem fontes praecipuos sibi enarrandos sumens, in abusu libertatis errorum, qui sensibus imputari solent, fontes quaerit, et

a) Conf. Nou. lit. Lipſ. 1715. p. 385.

b) Iunctim edita esse Parisiis indicatur in Nouis lit. Lipſ. 1723. p. 627. Conf. BAYLE Tom. I. Lettr. p. 186.

c) MARVILLE l. c. p. 435.

d) Eleganti Oda vitam et doctrinam Mallebranch. commendauit illustris A. F. DESLANDES, quae integra inserta est Nouis liter. Lipſ. 1715. p. 481. seq. praestitisse Cartesio, ingenio metaphysico, et scribendi elegantia iudicat LEIBNIZ, Or. Hannou. p. 165.

et quo pacto illi occasione sensuum fere omnium enascantur, magna subtilitate et non sine ingenio prosequitur, et imprimis errores circa extensionem, motum, aliaque phaenomena materiae Cartesiana principia secutus detegit, inque his explicandis optices atque mechanices principiis vtitur. Errores autem circa qualitates sensibiles denudaturus, quid anima, quid corpus agat in sensationibus producendis, quid obiecta in corpus eiusque fibras agant, quae sensationum indoles et experientia sit, et quo pacto innumera falsa iudicia cum illis sequantur, quae genuini errorum fontes appellandi sint, curiosa explicatione enumerat. Idque exemplis principiorum inde deriuatorum, qualia sunt differentiae specificae, formaeque substantiales, aliaque spectra scholastica, illustrat, immo ex morali doctrina quoque lucem affert, exque errore animae circa bonum: physicos etiam errores de natura et qualitatibus corporis huc reuocat. Tum amplissimum explicandae facultatis imaginandi campum ingressus, docta et acuta tractatione, de eius natura et indole, de spiritibus animalibus eorumque motu, mutatione eiusque causis ex aëris, neruorumque dispositione agit, quidque memoria sit, quid habitus, quae cerebri cum reliquis corporis partibus connexio et influxus in intellectum et voluntatem enarrat, et qua ratione imaginatio ex matris temperamento, ex educatione, nutritione, conuersatione alteretur varieque afficiatur, depingit, imaginationis quoque conditionem in feminis, viris, senibus tradit, quaeque in imaginando consuetudinis vis sit, quae auctoritatis inde enascentis, quae lectionis ineptae et praeposterae, quae opinionis noui systematis efficacia in producendis erroribus eleganter edisserit, et quosdam timiditate, alios cognitione superficiaria, nonnullos auctoritatis veneratione, aliquos experientiae fiducia in errores prolabi probat. Eodem autem libro, qua ratione imaginatio fortior aliquo contagio alios inficiat, et in errores rapiat, non sine ingenio delineat, et iucundis atque eruditis exemplis Tertulliani, Senecae, Montani, quin et magorum illustrat. Tum libro tertio ad contemplandum intellectum purum progressus, cogitationem solam esse menti essentialem contendit, eam autem limitatam esse, nec infiniti capacem obseruat, indeque multos errores et haereses oriri notat, et dissipatos inde philosophorum animos considerare iubet, quemadmodum e contrario geometras iustis methodi limitibus constrictos non tam facile falli putat. Qua occasione logicam Aristotelis reprehendit, eo quod vires intellectus obtundat atque minuat. Multos autem errores ab inconstantia voluntatis in inquirenda veritate, inclinante magis, ad sensationes quam ad ideas puras repetit, et imprimis morum inde corruptionem sequi statuit. Vbi ansam capit species ab obiectis materialibus emissas iugulandi, animaeque facultatem producendi ideas denegandi, quin et productionem idearum a Deo immediate factam, ideasque nobiscum creatas explodendi, sicque sibi viam parandi ad palmariam, quam delegerat sibi, hypothesin asserendam: omnes nos res videre in Deo.

Quod qua ratione fiat, ideam de Deo, de corpore, de anima, de spiritibus puris concipiendo explicat, et ex idea vaga entis in genere considerati, quae intime homini praesens sit, plerosque errores philosophicos oriri statuit, idque exemplo essentiae materiae illustrat, quam Cartesii vestigia premendo in extensione sitam esse contendit. Vltimam vero errorum caussam in eo ponit, quod cuius ideam nullam intellectus habet, id non putet existere, adeoque ex praesentibus ideis de rebus tantum iudicet, id quod exemplis ex natura philosophiae petitis manifestius facit et ex morali disciplina in eundem finem nonnulla adducit. Quarto libro de inclinationibus siue commotionibus mentis acturus, earum originem et necessitatem tum naturam mouendi se versus bonum in genere detegit, et inde haud paucos errores, ob inquietam voluntatem oriri docet. Speciatim autem sciendi cupiditatem ad veritatem inquirendam esse necessariam, ast regulis et limitibus in ordinem cogendam monet. Tum desiderium amoris proprii in partes vocat, et qua ratione ex cupiditate vel honoris et existimationis, vel voluptatis, veritatis, impedimenta enascantur delineat, cupiditatem quoque sciendi et inter eruditorum choros sine merito comparendi huc trahit, et de eruditis apparenter talibus, et pseudo-doctis multa eleganter obseruat, tum speciali tractatione inclinationes ad scientias practicas et speculatiuas intuetur, ostensurus, quo pacto ex iis veritati obex poni possit, et quos effectus futuri mali vel boni cogitatio in animo habeat. Tertiam animi commotionem in amicitia ponit, quam ad errorem haud raro seducere notat, et hoo pacto intellectus morbos profunda tractatione detegere satagit. Libro porro quinto, quid τὰ πάθη affectusque animi in inquirenda veritate valeant, quid sint, quo effectu gaudeant, quibus mutationibus corpus animumque afficiant, et qua facilitate in errores nos coniiciant viuis coloribus depingit, mentis autem perfectionem in vnione cum Deo mediante veritatis cognitione et virtutis amore statuit, imperfectionem a dependentia a corpore eiusque sensibus et passionibus deriuat. Tum ad specialem passionum explicationem progressus admirationis naturam, effectum et damna, sed vtilitatem quoque modumque rectum considerat, idem de amore et odio eorumque speciebus primariis agit, et quo pacto falsae sint affectuum excusationes et apologiae enarrat: eos autem, qui malum auersantur esse periculo viciniores et iniquiores, qui cognitione antecedente carent, esse fortiores animaduertit. Cumque hac prolixa tractatione ab erronea via mentem liberasset, tum ad rectam inquirendo veritatem semitam eam ducere libro sexto nititur, expositurus media, quibus euidentia in inquirenda veritate conseruari possit, et quibus bonae methodi regulae absoluuntur. Refert huc, et prolixe explicat attentionem, ab ipsis passionibus excitatam et suffultam, imaginationis vsum, algebrae et arithmeticae necessitatem ad augendam intellectus capacitatem, tum regulas bonae methodi, quas non modo claras et perspicuas reddit, sed exemplis quoque philosophorum,

qui

qui eas vel neglexerunt vel obseruauerunt illustriores facere laborat. Quo loco ei occasio enata est, accurationem philosophiae Cartesianae maximopere extollendi, confusionem vero Aristotelicae fugillandi, tum ordinem cognitionis acquirendae inculcandi, et vsum eius in quaestionibus particularibus ostendendi. Quae materiam ei praebuerunt complura problemata physica more suo secundum hypotheses vel Cartesianas communes, vel proprias explicandi.

§. XVI. Sufficit breuis operis acuti et ingenioſi διατύπωσις, vt intelligatur, praeclare de rationali philosophia meruisse Mallebranchium, et obseruationibus eam pulcherrimis auxisse, multaque esse, quae maximas laudes mereantur. Idque non ad ipsum, quod tractandum sibi sumserat, argumentum dumtaxat, sed ad ea quoque pertinet, quae ex omni philosophicarum scientiarum orbe illustrationis causſa addidit. Ast esse quoque naeuos in eo haud paucos, partim scholae Cartesianae communes, partim proprios, nemo a partis studio alienus facile negauerit. Non colligemus hoc loco vel censuras virorum doctorum, vel obiectiones aduersariorum, vel encomia sectatorum Mallebranchii, haec enim alia otia, alium locum postulant. In compendio tantum, lectoris in gratiam ea referemus, quae Ven. REIMMANNVS [e], qui more suo attento liberoque animo librum egregium examinauit, et ordinis causſa in tabulas redegit, laudanda et reprehendenda esse censuit, eo quod cuncta strictim sit complexus, vt habeat lector monitorem, ad quem in adhibendo inter legendum proprio iudicio subinde respiciat. „Laudat is in auctore ingenii lumen et „acumen, meditationes profundas, singulares et minime quotidianas, pe„ritiam in physicis, ethicis, mathematicis, παῤῥησίαν in taxando cultu super„stitioso creaturarum, et commendando cultu interno, inque erroribus „philosophicis detegendis; tractationem de imaginatione perpulchram, „stili rotunditatem, viuacitatem, elegantiam et ἐνέργειαν, abesse iussas alle„gationes fatigantes, scopumque laudabilem, Deum vbique agnoscendum, „honorandum, amandum exhibendi, homines imbecillitatis et ignoran„tiae conuincendi. Vituperat autem pruritum nouandi philosophiam et „theologiam, et principia eiusmodi statuendi, quae lectorem non possunt „non deducere ad Spinocismum, nimiam erga foetum suum στοργὴν et li„bidinem lambendi, formandi, reformandi, vindicandi, fastidium ele„gantiorum scientiarum, studium reprehendendi viros in sua arte celeber„rimos, Heuelium, Sauilium, Tertullianum, Senecam, Bochartum, „Montanum imaginationis vim contagiosam in ipsius praecepta peccan„tem, meditationem nimis metaphysicam, et oestrum comparandi sibi „famam et condendi nouam in philosophia sectam meditabundorum. „Maxime vero improbanda esse dogmata falsa, monstrosa, pernicioſa et ad „atheismum indirecte ducentia monet, qualia sunt: Deum esse omnia,

Iudicium de Mallebranchii hypothesibus.

e) Cat. Bibl. suae p. 999. Conf. Hist. atheismi P. II. c. 5. §. 23. p. 415.

„creaturas nihil: omnia extenſa eſſe ſubſtantiam DEI quatenus creaturas „repraeſentat; mundum eſſe inuiſibilem, Deum autem a nobis videri, „ideas eſſe ſubſtantiam Dei figurarum forma inductam, Deum eſſe, qui „in anima hominis omnes motus, actus, ideas, deſideria producat, qui „vera omnium cauſſa ſit, quae ea producat, cum reliqua occaſiones ſint „tantummodo voluntatis ſuae exequendae. Modificationes animae nullate„nus repraeſentatiuas eſſe poſſe, voluptates ſenſuum mentem actu felicem „reddere, natura nullam dari certitudinem firmam atque inuincibilem ex„iſtentiae corporum, et diſtinctionis inter phantaſmata et extenſionem „Dei veram repraeſentatam: Naturam agentem, qua talem, eſſe merum „nihil; ideas ſenſibiles eſſe Deum figuris repraeſentatum, dari extenſio„nem intelligibilem. Nec placet viro doctiſſimo, quod orationis floſcu„lis dogmata quaſi ſepeliuerit ad faſcinandum lectorem; quod rem ſaepius „repetiuerit eandem, nonnulla alieno, nec ſuo loco, multa ambigua, „obſcura, manca et contradictoria attulerit; quod plura deſtruxerit quam „aedificauerit, non tam de inquirenda veritate, quam de vitandis errori„bus tractans. Quod non laudauerit, per quos profecerit, maxime Ba„conum, quem ſexcenties exſcripſerit; quod phaenomena omnia naturae „a voluntate diuina deriuauerit, ſicque perpetua miracula ſupponat: quod„que famam ſuam ruinis aliorum inaedificare anniſus ſit, et ideo ab omni„bus cogitationibus vulgaribus receſſerit, vt ingenii rari et extraordinarii „quale ipſe depingit [f], laudem conſequeretur.“ Hactenus Reimmannus, cuius cenſurae neque ſubſcribimus, neque eam reiicimus, ſed comparationi lectoris ex integro permittimus, attamen aequitatem et amorem in ferendo iudicio commendamus, quibus haud pauca in Mallebranchio poſſe excuſari, et meliori ſenſu explicari, nonnulla ferri, reliqua modeſte reiici, ſumus certiſſimi [g].

Tſchirnhauſenii merita de rationali philoſophia.

§. XVII. Quod in Gallia tentauit Mallebranchius, paulo poſt in Germania ſuſcepit EHRENFRIED GVALTHERVS DE TSCHIRNHAVSEN, vir non minus acutiſſimo ingenio magnaque rerum mathematicarum peritia quam ſanguinis nobilitate illuſtris, cuius vitae hiſtoria in annalibus diſciplinarum mathematicarum enarranda eſt [h], ſatis autem de eius circumſtantiis atque meritis, dabit diſertiſſimus FONTENELLIVS [i]. Is cum profundiori meditatione inſtituta comperiſſet, praeter notitiam philoſophiae vocabulariam pariter atque hiſtoricam, realem quoque requiri, quae in ipſos naturae rerum receſſus penetret, veritatique inueniendae apta ſit, quaeque, vt in matheſi algebram facere nouimus, quid occultum ſit in philoſophia, et tamen ſub intellectum cadens, certa et conſtanti methodo in lucem potis ſit deducere; ad eiusmodi artem inueniendi,

f) Lib. VI. c. 8.

g) Comparanda cum his, quae LEIBNIZIVS et MIRONIVS ll. cc. attulerunt, qui mitiores ſenſus Mallebranchianis paradoxis tribuunt.

h) Prodiit eius Vita Germanice, Gorlicii 1709. 12. Conf. Bibl. nou. T. I. p. 328. obiit m. Oct. 1708. 58 annos natus.

i) Hiſt. du Renouvellement de l'acad. des ſciences T. II.

niendi, velut praeclariſſimum intellectus humani munus, declarandam cogitationes ſuas conuertit. Quod conſilium certe laudatiſſimum, ita ſe exequi poſſe putauit, vt philoſophiam quandam primam, quam alii metaphyſicam vocant, ipſe potiori iure logicam, vel medicinam mentis vocauit, delinearet [k], quae ea exhiberet omnia, quae homini, cui ſeria ſapientiam ſibi acquirendi mens eſt, omnium prima cognoſcenda veniunt, doceretque, qua ratione veritatem per ſe ipſum certo acquirere, paſſiones ſuas ſapienter moderari, ſanitatem vtut diaetam bonam non adeo exacte ſequi poſſit, conſeruare liberos prudenter educare, et ſimilia poſſit. Quem finem obtineri poſſe ſperabat haud difficulter, ſi primo exploretur, quaenam inter infinita hoc in mundo occurrentia negotia omnium optima ſit occupatio, quae prae ceteris eligenda ſit? quam eſſe ſtatuit ſtudium acquirendae veritatis per ſe ipſum: deinde ſi quis conuincatur, nihil magis ad id eſſe neceſſarium, quam ipſam methodum veritatem infallibiliter detegendi: ſique tertiò in hac incognitas veritates detegendi methodo, primum exponatur, quid verum quid falſum ſit, et quomodo vnum ab altero diſcerni queat, et quo modo quaue via de veritate ad veritatem cognitio noſtra ſemper et absque fine extendi poſſit: tandem quibus mediis quoue modo impedimenta remoueri queant, quae methodum acquirendi veritatem planam reddere et facilem prohibeant. Quae ſi rite fuerint cognita, dari tunc poſſe regulas ſtatuebat, quibus infinitis obiectis illa methodus applicari, et ad ea extendi poſſit. In hunc itaque modum medicinam mentis ſiue logicam quandam vniuerſalem formandam tradendamque eſſe apud ſe reputans, diligenti meditatione perficere opus, quod animo formauerat, conſtituit. Ne vero vlla in re falleretur, attente circumſpecteque praecauens talia principia aſſumenda eſſe cenſuit, quae omnium, etiam Scepticorum iudicio eſſent certa et indubia. Qualia ſibi eſſe ait: ſe variarum rerum conſcium eſſe, ſe bene a quibusdam, a quibusdam vero male affici; quaedam a ſe poſſe comprehendi, quaedam nullo modo poſſe concipi ſuique reſpectu eſſe incogitabilia: tandem, ſe varia ſenſuum externorum, itemque imaginum internarum et paſſionum ope aduertere. His enim quatuor principiis, ceu totidem columnis totum humanae cognitionis aedificium inniti credebat, et hoc pacto viam ſe ſternere poſſe planam atque rectam ad inuenienda veritatis et felicitatis media ſibi promittebat. Ita enata illuſtri auctori *Medicina mentis ſiue artis inueniendi praecepta generalia*, quae primo quidem, *Amſtelodami* [l] deinde auctiora et emendatiora *Lipſiae* [m] prodierunt. In quo libro magna ſubtilitate auctor ingenti ingenii vi praeditus verſatus eſt, cumque rerum Geometricarum et arithmeticarum eſſet peritiſſimus, eius problemata, ad illuſtranda praecepta ſua magno numero adhibuit, in id connitens [n], vt viam

k) Haec omnia fuſe in Praef. Medicinae mentis proſequitur.
l) 1687.
m) 1695. cui addita Medicina corporis, quam obſeruationibus illuſtrauit EL. CAMERARIVS in Medic. recent. conciliatrice.
n) Pag. 290. ſeqq.

viam quandam facilem aperiret, qua quisque per se ipsum summam perfectionem, cuius homines lumine naturali capaces esse videntur, assequi et habitum sibi comparare possit, veritatem in omnibus rebus proprio Marte detegendi, ac proinde quid sibi sit vtile, aut quid noxium sit discernendi. Ad quem finem egregium obtinendum, necessarium esse vidit, vt clare ostenderet, non modo, quid sit faciendum, vel omittendum, sed etiam quo modo. Ita vero intermedia sibi via opus esse iudicauit, inter viam, quae a priori per solas rationes omnia deriuat, et quae a posteriori sola experientia vtitur; ita vt a posteriori incipiatur, tum vero in progressu omnia tantum a priori deriuentur, et vbique per euidentem experientiam cuncta confirmentur, hocque eo vsque continuetur, quousque denuo ad primam experientiam, quae assumta fuit, reditus fiat. Experientiam ideo facilem, nullis expensis obnoxiam, errori nulli subiectam, id est, illam quae in nobis sit et existit, initio quaerendam statuit, quae nos docet, et nostri, et aliarum rerum nos esse conscios, id est, cogitare, in quo asserendo ita a Cartesio dissentit, vt non hoc sit principium siue res notissima a priori, sed experientia prima et euidentissima, qua conuincamur, cum talia corpori nemo attribuat ad solam hoc mentem pertinere sui conscium. Ex quo experientiam secundam deriuat, quam fundamentum totius nostrae felicitatis esse contendit, quaedam nos bene, quaedam male afficere, quam ab ipsa Scepticorum ἀταραξίᾳ vltimoque scepticismi fine roborari recte obseruat. Eam autem mentis operationem, quae bene afficientia appetit, male afficientia auersatur, voluntatem esse ostendit. Tertiam experientiam ex eo sumit, quod animaduertat, nihil constantius et melius nos afficere, quam acquisitionem veritatis, indeque totius humanae certitudinis fundamentum, quod sine conscientiae pudore nemo negare possit, oriri, quod quaedam concipere possimus, quaedam non, inde enim veritatis certam normam, et intellectus ideas, et similium naturam indolemque facile posse cognosci. Cum autem alia magis, alia minus fortiter assensum extorqueant, quarta experientia se discere ait, permulta sibi ab externis aduenire, per sensus, per internas imagines, et per passiones, licet hactenus modum et rationem ignoret. Quam facultatem imaginationem, et id cuius ope talia animaduertuntur, corpus nostrum vocat. His naturalibus experientiis difficultatibus istis se extricasse gloriatur, in quas se coniecere viri docti, qui initio philosophandi facto haec non ab experientia, sed ex definitione cognoscenda esse statuerunt. Quo pacto specialiora scientiarum reliquarum praecepta deinde deriuari posse monet, eo quod ita ab vna veritate ad aliam progredi vltra liceat. Et hinc enata auctori illustri methodus detegendi incognitas veritates, qua percipiendi, concipiendi, imaginandi rationes, differentias et cauſſas describit, et quae concipi possint, id est, simili ratione cogitari ab omnibus, veritatem prodere, quae non possint, impossibilia esse, et absurda statuit; tumque rationem definitio-

nitiones condendi, axiomata inueniendi, theoremata noua obtinendi prolixe depingit, et ad generationem alicuius rei potiſſimum attendendum eſſe monet, et quibus regulis id perficiatur, vt primorum conceptuum ſeriem acquiramus, exponit, et quo pacto ex iis, quae ex ipſa generatione noua alia atque alia reſultant, axiomate deducantur, explicat, ſimiliterque circa theorematum generationem et naturam verſatur, et quae veritates nouae ex deductis oriri queant, oſtendit, eaque ad problemata ſoluenda applicat, et hac ſimul ratione Carteſianos methodi canones ſupplet et illuſtrat. Vt autem, quae ab erroribus oriuntur impedimenta remoueantur, ad fontem eorum in percipiendi ſiue imaginandi facultate [o] ſola quaerendum reſpicere iubet, et huic origini praeiudicia nos debere affirmat, ideoque imaginationem a veritate inueſtiganda remouendam et vocabula definienda eſſe vult, et characterum in eo vſum commendat, ex qua obſeruatione algebraici calculi praeſtantiam concludit: et experientias nouas quaerere et adhibere ſuadet. Porro cum impedimentum veritatis in eo verſetur, quod quae cognita ſunt non magni faciamus, ac proinde ſit difficile diu haec attente meditari, ea quae ignoramus, admiremur, huic quoque malo medicinam affert, et quia quae non ſtatim vtilia apparent, parum digna inquiſitione putamus, hiſce quoque remedia parat, ſique ex noſtra indiſpoſitione, quam vocat, impedimentum naſcatur, illam remouere docet, atque rectum commodumque tempus ac praeparationem eligere: attentionis quoque deficientis morbum ſanat, et quibus modis poſſit, etiam in longa meditationum ſerie conſeruari explicat, et hac occaſione educationis bonae regulas proponit elegantiſſimas et vtiliſſimas, ſed et illud impedimentum remouere docet, quod ex defectu commoditatis ad exequendam veritatem oritur, et quae inclinationis ad ſtudia in ea re vis ſit, ad excogitanda media, quod auxilium in bona methodo, quae via ad ſubſidia externa oſtendit. Tandem in tertia quoque methodi huius parte, modum applicandi delectam veritatem, vt vitam ſuauiter conſumamus, tradit, et heic ante omnia ſcientias commendat, maxime ſcientiam naturalem, eo quod ex hac rite explicata omnes alias deriuari credit. Et haec quidem celebris libri ſumma eſt, ex qua vaſta auctoris doctrina, et meditationes profundae ſatis cognoſcuntur. Cum autem totus ſcientiis mathematicis ſe tradidiſſet, inque iis magnum perfectionis gradum attigiſſet, totam tractationem exemplis ex matheſi ſublimiori petitis illuſtrauit, et ſi verum fatendum, logicam nobis mathematicam exhibuit, quae in diſciplinis theoreticis methodum pariter et exempla elegantiſſima exhibet, in morali argumento haud raro friget. Valde acrem cenſuram in hunc librum exercuit Chr. Thomasivs [p], quae magnarum, inter

o) Concipiendi facultatem intellectui puro, percipiendi impuro ſiue imaginationi tribuit.
p) In Dialogis menſtruis ann. 1688. m. Mart.

inter vtrumque virum celeberrimum irarum cauſſa fuit: neque id magnopere mirandum, cum haud pauca Thomaſius contemneret, quae inter ſummas veritates, easque ſimul vtiliſſimas referri poſſe Tſchirnhauſenius contenderat. Attamen multum ſe ex hoc libro profeciſſe, in *Praefatione Praxeos logicae* poſtea faſſus eſt. Nec inficiandum pulcherrima multa illuſtrem virum cumulaſſe, et rationali philoſophiae lumen haud contemnendum accendiſſe. Qui ſi ex habitu diſciplinarum mathematicarum ad philoſophicas non concluſiſſet, ſi inter vtrasque recte diſtinxiſſet [q], ſi ad ea reſpexiſſet quoque, quae in vita humana quotidie occurrunt, et methodo longiori atque mathematica explorari nequeunt, ſi intellectus puri et imaginationis limites paulo diſtinctius deſcripſiſſet, ſi ipſam ratiocinandi artem, legibus methodi adieciſſet, non haberemus, quod de perfectione libri praeſtantiſſimi conquereremur, nec forte obſcuritas multis ineluctabilis viſa, certe geometriae ignaris ineuitabilis multos ab eius lectione deterruiſſet. Poſtulat enim lectorem mathematicum et meditationi geometricae aſſuetum, ex qua ſua lumina hauſit [r].

Recentiores qui de emendatione logicae meruerunt alii.

§. XVIII. Poſt hunc multi inter Germanos, Belgas, Gallos prodierunt, qui logicam artem nouis commentariis illuſtrando, et tum ineptias Peripateticorum perſtringendo, tum noua adducendo, de ea pulchre meruerunt. Quos vero hoc loco recenſere omnes, eſſet hiſtoriam literariam logicae ſcribere, praeſertim cum eorum, qui eminuerunt ſuis ſcriptionibus, mentionem iam in antecedentibus fecerimus. Addi vero, qui deſiderantur (inter quos ſuo merito palmam aliis praeripuit praeſtantiſſimus CROVSAZIVS [s],) ex catalogis ſcriptorum logicae recentioris poſſunt, quos contexuerunt Morhofius, Struuius, Walchius, Stollius, libris notiſſimis Tacemus eos, qui hodie magna nominis fama viuunt, et rationalem philoſophiam quoque illuſtrant, quorum princeps facile hodie eſt illuſtris Chriſtianus Wolfius, ad hos enim diuertere meta nobis poſita obſtat. Non tamen praetermittendum hoc loco eſt, magnum Britanniae decus, acutiſſimus Ioannes Lockius, qui intellectus humani hiſtoriae ac culturae ampliſſimam lucem accendit. Cuius vitam cum eleganter deſcripſerit IOANNES CLERICVS [t], potiora et memorabiliora ex ea ſtrictim enarrabimus, et, quid ei debeat humani intellectus emendatio, circa quam philoſophia rationalis verſatur, paucis poſtea complectemur.

Vita Io. Lockii.

§. XIX. Tulit acutiſſimum et politum IOANNIS LOCKII ingenium, ferax magnorum doctrina virorum Britannia, edidit Wringtonia

q) Appoſite hoc obſeruatum RVDIGERO in Senſu veri et falſi L. II. c. 4. §. 7.

r) Conf. Act. Erud. 1695. p. 230. MORHOF. Polyhiſt. L. II. c. 7. §. 15.

s) Debemus ei Syſtema logicum Gallice exaratum Amſt. 1720. 3. Vol. 8. Conf. Biblioth. choiſie T. XXIV.

t) l. c. T. VI. p. 342. praefixa quoque operibus Lockii diuerſis Roterod. 1710. 12. editis. Germanice vertit et libro de Educatione liberorum praefixit, S. G. STARCKIVS, Actis philoſ. Vol. I. pag. 972. ſq. quoque inſeruit praeſtantiſſimus HERMANNVS.

tonia anno MDCXXXII, IV. Cal. Sept. fatum parente Ioanne Lockio tribuno militum: qui omnem in hunc filium suum rite atque eleganter educandum curam atque diligentiam conuertit. Emicabat autem in puero iudicium aetate ista tenera maturius, et insolitus sciendi discendique ardor; Londinensi ideo scholae traditus est, vt disciplinarum semina in hoc agro foecundo spargerentur. Quae cum laetam segetem ostenderent, ad vrgendam messem pleniſſimam anno MDCLI in Oxonienſem academiam missus et collegio ecclesiae Christi adscriptus est. Quo loco positus cum incomparabili ingenii bonitati et excellentiae diligentiam naturae dotibus non minorem iungeret, mature omnes, qui illud cum ipso literarum stadium ingressi erant anteuertit. Ast infelicitati eius temporis adscribendum est, quod cum tam praeclaram indolem ad scientiarum culturam attulisset, in tricis scholis tum vsitatis fuerit detentus. Quarum vsum se habiturum nullum, neque desiderio sciendi, quod immensum alebat, facere posse satis, quae tum in ea schola tradebantur, intelligens, magno vitae academicae taedio captus est. Lumina intellectus enim quaerebat, quae cum se consequi posse desperaret, eo quod nihil esse in proprio fundo crederet, quo disciplina literarum iuuari posset, nec chaos Peripatetico-Scholasticae philosophiae aliquid ad formandum ingenium afferret, aliud animo alimentum quaesiuit, et consuetudine hominum nonnullorum ingenii festiuitate magis, quam doctrina conspicuorum vti coepit. Et tum eam cogitandi scribendique facilitatem et elegantiam sensim didicit, ob quam postea multis admirationi fuit, et imprimis cum facundissimis epistoliographis comparatus est. Atque his quidem ingenii nutrimentis animum dum alebat, exercitationes academicas autem, quas vtilitate carere vidit, negligebat, eo quod in disputationibus ostentationem tantum ferendorumque bellorum studium formari iuuarique obseruaret, mirum tamen est, quod inter Oxonienses non sine doctrinae opinione et auctoritate vixerit. Primus autem, quo dispelli posse intellectus tenebras sentiebat, ipsi auctor fuit Carteſius. Licet enim eius decretis nunquam subscripserit, et haud pauca eius passim reprehenderit, vehementer tamen cepit eum differendi cogitandique claritas, cuius eum fructum retulit, vt ignorantiae suae prioris causſam non in ipso, sed in auctoribus quos legerat et audiuerat, quaereret, sicque desperationem illam abiiciendo, nouis stimulis ad prosequendum studiorum cursum accenderetur. Immersit itaque se iterum disciplinis atque imprimis arti salutari se tradidit, quam tamen nunquam postea quaestus causſa exercuit, cum ad praxin clinicam vires corporis non satis sufficere comperisset. Omnem tamen medendi artem accurate complexus est, et summorum in ea virorum amicitiam hoc nomine meruit. Cuius specimen quod ex Sydenhamii testimonio adduxit Clericus, apud ipsum legi meretur, in quo eo, siue ingenio iudicioque acri et subacto, siue etiam antiquis, hoc est, optimis moribus, vix superiorem quemquam, inter eos, qui nunc sunt ho-

mines repertum iri, pauciſſimos certe pares ille pronuntiat. Nunquam vero ſummos in arte medica honores popoſcit, titulo magiſtri artium contentus. Anno MDCLXIV itinere excolendum animum augendasque ingenii vires ratus, cum legato Britanniae regis in Germaniam ad aulam Brandeburgicam conceſſit, et ex hominum conuerſatione, velut viuo quodam libro, naturam hominis perdiſcere ſtuduit. Anno vno peracto ad patrios lares reuerſus ad Oxonienſes quidem Muſas denuo accurrit, aſt non aridis ſpeculationibus, ſed foecundis naturalis philoſophiae meditationibus diligentiam curamque ſuam addixit. Ibi felicitas ei contigit, vt magno poſtea Angliae cancellario, comiti Shaftesburio u), innoteſceret, et ſanitatis eius curam aliquam ageret. Cui viro illuſtriſſimo cum ingenium contigiſſet vaſtum et inſolens, quodque et iudicandi ſolertia, et memoriae excellentia et viua quadam imaginationis alacritate facile omnes ſuperabat, mira autem animi iucunditas et decora quaedam feſtiuitas, eum omnibus faceret gratiſſimum, lectio tandem et experientia rerum etiam ſummarum incomparabilis illius animo inſideret, isque ſe facilem, apertum commodumque omnibus praeberet, dici non poteſt, quanta animi laetitia conſuetudinem huius maximi viri Lockius amplexus ſit; qui cum totus eius admiratione occuparetur, in vaſtiſſimo ingenio et rariſſimo praeſtantiae exemplo inuenit, ex quo maxima emolumenta animi indies creſcentis capere poſſet. Attulit quoque ad tanti viri amicitiam Lockius ingenium ſolers, et erectum, iudicium acre, candoremque animi, ſecundum veros philoſophiae characteres expreſſum, quibus velut vinculis ita maximi viri amorem ſibi vindicauit, vt ad vitae finem duraret. Valde enim Lockii conuerſatione gaudebat vir illuſtriſſimus, vbi ſemel praeſtantiſſimas, quae ei inerant, animi dotes intellexerat, vnde non ad acidulas tantum hauriendas, ſed Londinum quoque eum ſecum deduxit, et in domum atque familiam ſuam receptum adeo carum habuit, vt ſalutis ſuae curam ei traderet, quae adeo feliciter Lockio ceſſit, vt ex pectoris vlcere cum vitae periculo decumbentem a ferali malo liberaret. Id quod totum Shaftsburium illi conciliauit, praeſertim cum eruditionem vinceret ingenii animique praeſtantia. Quam diſtrahi et impediri praxis clinicae ſtrepitu videns ille, non conceſſit, vt medicinam extra domum ſuam faceret, ſed vt ad rerum ciuilium et eccleſiaſticarum intelligentiam animi perſpicaciam conuerteret, illi auctor fuit: eo euentu, vt vir ſummus dignum eum haberet, quem quauis fere occaſione ſublata ſententiam ſuam rogaret, etiam de rebus maximis, ſecum autem in conclaui atque bibliotheca haberet, et aditum apud ſummos reipublicae, qui tum in inſula ciuili prudentia eminebant, heroës, Ducem Buckinghamiae, Halafaxium aliosque pararet, quibus ſe conuerſandi iucunditate et doctrinae copia

u) Vid. Memoires pour ſervir a la vie d'Antoine Asley Comte du Shaftesbury, et Grand-Chancelier d'Angleterre ſous Charles II. tirées des papiers de feu Mr. Locke et redigées par le Clerc, Bibl. choiſie T. VII. p. 146. Oeuvres diverſes de Mr. Locke p. 407. ſeqq.

copia Lockius valde commendauit, eo quod ingenii feſtiuitatem morum ſeueritati et cultui, quem maximis viris debebat, eleganter iungere noſſet, et natiuam in eo conuerſationis genere indolem atque libertatem quandam decore expreſſam oſtenderet. Anno MDCLXVIII eum ſibi itineris in Galliam ſuſcipiendi comitem aſciuit Northumbriae comes cum coniuge, apud quam perſtitit, cum comes Romam excurreret. Qui cum praematuro fato extingueretur, cum hera domum Lockius rediit, occaſionem in eo itinere nactus multa, duce experientia diſcendi. Reducem in domum moecenas priſtinus recepit, filiique vnici inſtitutioni moribusque regendis praefecit. Quod tanta fide, tanta prudentia perfecit, vt matrimonii filio contrahendi curam parens vni Lockio committeret: felici ſatis exoptatoque ſucceſſu. In hoc itaque ſeceſſu cum philoſophandi otium aliquot ſuppeteret, anno MDCLXX. de intellectus humani natura, viribus, facultatibus, et operationibus cogitare coepit, cum ex colloquio eo de argumento habito intellexiſſent amici, quam ſingulari illud lumine poſſet illuſtrari, vnde eum rogarunt, vt meditationes ſuas in chartam coniiceret. Quorum conſilio paruit quidem, abſoluere tamen, quae coeperat impeditus ab occupationibus aliis non potuit. Ita vero percrebuit fama eruditionis Lockianae, vt circa hoc tempus albo ſocietatis regiae plaudentibus omnibus adſcriberetur. Anno porro MDCLXXII, quo Angliae magnus cancellarius, quem vocant, herus eius renunciatus eſt, ab eo muneri ſecretarii beneficiorum offerendorum [v] praefectus eſt; aſt cum regis ille indignationem anno ſequente meruiſſet, et regni ſigillum redderet, fulmina aulae Lockius quoque expertus eſt, qui cum moecenati factionis, quae tum in aula regnabat, et fatalis libertati et religioni videbatur, inſidias genti tum Britannorum haud obſcure detexit [w]. Anno tamen ſequenti regiis recuperatoribus de commerciis diſquirentibus additus eſt, vt illis a commentariis [x] eſſet; quod munus anno MDCLXXIV decurrente iterum expirauit. Id licet reditus Lockio eriperet, non ſine ſanitatis tamen commodo ei accidit. Cum enim phthiſin metueret, heri ſui conſilio ſumtibusque iter literarium ſuſcepit, Montempeſſulanum vero elegit, vbi moram diu fecit, vſus amicitia comitis Pembrockii, quem ob vaſtam philoſophiae cognitionem vehementer laudat, et hunc ſibi operis de intellectu humano ἐργοδιώκτην fuiſſe in inſcriptione libri fatetur. Deinde ad Pariſienſes ſeceſſit, magnorumque virorum conuerſatione et colloquiis gauiſus eſt, inter quos Iuſtellum et Tornardum laudat Clericus. Et tum quidem ſacrorum oraculorum ſtudio, maxime noui foederis, laudatiſſimo conſilio animum adduxit. Reconciliato cum aula Schaftesburio comite, et ſanctiori regis concilio praefecto, Londinum anno MDCLXXIX Lockius reuocatus eſt, totus tamen ſanitati nondum

v) Secretaire de la preſentation des benefices.
w) Conf. BURNET. Hiſt. ſui temp. Tom. II. p. 588. Verſ. Germ.
x) Secretaire de la commiſſion touchant les commerces.

reſtitutus, et aſthmate quodam grauatus, quo factum, vt diu in vrbe perſiſtere non poſſet, ſed ad hauriendum puriorem aërem ſubinde rus excurrere cogeretur. Aſt cum nouo odio herus eius premeretur, quod eum arci primum Londinenſi incluſit, et coëgit poſtea, exilio ſpontaneo ad Batauos concedere, vbi a principe Arauſionenſi, qui ſumma rerum poſtea in Britannia potitus eſt, beneuole eſt exceptus; Lockius de ſecuritate in patria deſperans, illum ſecutus eſt, Amſtelodami ſedem, anno MDCLXXXIII exſpirante figens. Ibi et medicis et theologis Remonſtrantium Limborchio atque Clerico amicitia innotuit, opusque *de Intellectu humano* perfecit: Domi autem cum regi inuiſus eſſet factus, illius iuſſu ex albo collegii eccleſiae Chriſti Oxoniae, fruſtra intercedente epiſcopo eius vrbis Ioanne Fello, nomen eius deletum eſt. Veniam tamen poſt mortem regis, a Iacobo rege obtinuiſſet, niſi amicos eam rogare impediuiſſet, nihil ſe admiſiſſe teſtatus, cuius deprecari veniam opus haberet: at vix inſidias aulae tum euaſit, cum eius capiendi et in Angliam mittendi mandatum rex dediſſet, vnde aliquamdiu latere apud amicos coactus eſt. In hac mora epiſtolam *de Tolerantia* ad Limborchium ſcripſit, eo quod in haud paucis Remonſtrantium dogmata illi placerent. Anno ſequente autem cum abeſſe eum a ſeditionis conſiliis omnibus apertum eſſet, iterum publice comparuit, tempusque et libellis exiguis ſcribendis, et mora Vltraiectina, et colloquiis eruditorum hebdomatim inſtitutis fefellit. Ipſe confecto operis de intellectu humano compendio, Clerici opera vſus eſt, vt in *Bibliotheca vniuerſali* y) vulgari poſſet, quo dici vix poteſt, quantum videndi ipſius libri deſiderium apud philoſophiae maturae ſobriaeque cultores accenderit. Tandem notiſſima rerum Anglicarum conuerſione duce Guilelmo Arauſionenſium principe anno MDCLXXXIX facta, libertatem quoque redeundi in patriam Lockius nactus, eaque laetus vſus eſt. Tunc etiam in inſulam rediit et magnorum virorum amicitia frui coepit, qua ad munera haud leuia aditum ſibi parare potuiſſet, niſi modico viuere maluiſſet. Delegatis itaque ad appellationes adſcriptus eſt, quo in munere vacare quoque literis et philoſophiae licebat. Etiam legati regii charactere fungi potuiſſet, quo pacto ſereniorem auram in peregrina terra haurire ſe poſſe ob pectoris infirmitatem, ſperare poterat, niſi ſanitatis ratio id ipſum illi valde timido diſſuaſiſſet. Vt vero ſe vtilem domi exteris quoque exhiberet, anno MDCXCIV opus diu meditatum, auctum, politum, *de Intellectu humano* vernaculo ſermone vulgauit, quod tanto philoſophantium plauſu fauoreque exceptum eſt, vt anno MDCXCVII et MDCC recuderetur, et cum Gallice a Coſteo, ipſo auctore dirigente et inſpiciente, tum Latine anno ſequente a Burridgio, ſed minus feliciter, verteretur. Ipſe tamen, vt erat veritatis amantiſſimus, ſemper lambendo, emendando, perficiendo opus abſoluere magis conatus eſt, quibus augmentis ſe commendat editio anni MDCCVI. Epitomen autem libri Anglico

y) T. VIII. Janv. 1688. p. 49. ſeqq.

Anglico sermone z) dedit Wynnius. Prodiit quoque eodem anno liber *de Imperio ciuili*, qui Gallica quoque veste comparuit, in quo despotismo absoluto neruos incidere studuit. Vitae, quae restabat, partem conuersationi cum viris summis et non dignitate modo, sed ingenio etiam et rerum vsu excellentissimis destinans, honestissimam viuendi dulcedinem in humanitate ista posuit: maxime vero Pembrockio comite familiariter vsus est. In cuius praediis tum degere solebat, cum grauior in vrbe aër pectus infestaret. Qui eum tandem coëgit Londinum relinquere, et ad Mashamum equitem concedere, qui in agro valde salubri * habitabat. Ibi et ipsius hospitis, viri elegantis et humani beneuolentia, et vxoris eius, acutissimi Cudworthi filiae, eruditione et acumine philosophico, quod supra † iam depraedicauimus, et loci commoditate, atque salubritate in infirma valetudine valde sustentatus est. In hoc secessu legendo, meditando, scribendo tempus consumsit, raro Londinum per aestatem excurrens, debemusque huic otio librum *de Educatione liberorum*, bonae frugis plenum, et ideo in plerisque Europae linguis expressum, itemque tertiam *de Tolerantia* epistolam. Cumque emendandae vtilitatis commercii per Britanniae regnum rationem peculiari studio haberet, de refingenda et ad iustum pretium reuocanda moneta considerationes profundas nutriuit. Quarum necessitatem cum peculiari schediasmate explicuisset, anno MDCXCV, quo ista pestis tandem oculos senatus regni perstrinxit, malo remedium quaesitum, Lockius autem, cuius iudicii aciem non minus in rebus ad ciuilem prudentiam et reipublicae administrationem, pertinentibus quam in disciplinis theoreticis se prodere inde constabat, collegio delegatorum ad commerciorum et coloniarum res curandas, mille librarum Anglicarum stipendio adscriptus est. Cui muneri ad annum MDCC maxima cum laude et diligentiae atque attentionis prudentis testimonio praefuit, tum vero sanitate eius vrbis aërem grauiorem non ferente, aegre consentiente rege id deposuit. Eodem anno MDCXCV Anglico sermone prodire iussit, *Christianismum rationi maxime conformem*, in quo erudito libro id demonstrare aggressus est, nihil esse in Christianae religionis decretis, qualia in scripturis diuinis definiuntur, quod notionibus veris, certis, accuratis rationis esset contrarium. Quae commentatio illi aduersarios haud paucos cumulauit, inuidiam addente eorum audacia, qui proscribere ex doctrina Christianorum mysteria omnia, et rationis notionibus vltra limites protrusis, sacrosanctae triados dogma conculcare ausi sunt, id quod praeter Vnitarios nonnullos feciſſe Tolandum, scriptorem audacissimum, neminem latet. Hi cum post carecta Lockii ex parte latere cuperent, rationibus nonnullis vsi, quas ille in laudato commentario attulerat, accensus est theologorum zelus, vt in Lockium quoque, velut frigidam reuelationis hostibus suffundentem theologi insurgerent. Hinc praeter Samuelem

z) Eleganter versa est, sermone Gallico.
†) In vita Leibnizii.
*) Oates dicto 20. mill. Londino distante.

muelem Bernardum, magni nominis et praeclarae eruditionis theologus Eduardus Stillingfleet episcopus Worcestrienſis, cum aduersus Vnitarios trinitatis mysterium defenderet, notionem de substantia Lockianam examinauit et reprobauit, eo quod ἑτεροδοξώτερον esse crederet. Ex quo liticula inter episcopum et Lockium enata est, et controuersiae reciprocatio, qua ter episcopo Lockius respondit, cuius eo de argumento scriptiunculae, etiam Icanni Edwardo oppositae alteri parti editionis Gallicae operis de I. H. anno MDCCIII excusae adiectae leguntur. In qua controuersia alibi prolixius enarranda [a] episcopum lectionis copia, Lockium philosophiae vsu excelluisse, plurimis visum est [b], licet Socinianorum partibus nimium hunc fauisse contenderint haud pauci [c], et inter hos praecipue Ioannes Eduardus [d], cuius vehementiae valde indignatur Clericus. Hisce laboribus dum corpus senii et morborum incommodis fractum exhauriebat Lockius, imminentem tandem ruinam anno MDCXCVII sensit, cum tempestate frigida ad salutandum regem, qui colloquium eius desiderabat, Londinum concessisset. Adeo enim ab eo tempore asthmate compressus est, vt tandem ὀρθοπνοϊκὸς euaderet. Vt itaque aeternitati feliciter suscipiendae se praepararet, studium diuinorum oraculorum, quod ab aliquot annis elegerat, gnauiter vrsit, cuius fructus post eius fata nonnulli commentarii vel paraphrases potius in epistolas ad Galatas, Romanos, Corinthios et Ephesios prodiere. Ita vero mali vis sensim inualuit, vt in vltimo vitae anno ob virium debilitatem neque legere multa, neque scribere quicquam posset, quare, mentis acie morbi vehementia non suppressa, tempus omne pietati fouendae tribuit, sicque indies decrescentibus corporis viribus, inter preces Mashamiae coniugis et familiae spiritum Deo reddidit V. cal. Nou. st. v. anno MDCCIV, aetatis septuagesimo tertio. Pulchris eum depingit coloribus, nonnemo, qui eum intime nouerat apud CLERICVM [e] qui cum egregie in ea re sit versatus, ipse legi meretur. Laudat is maximam philosophiae notitiam libere et sine praeiudiciis in grauissimis etiam reuelationis argumentis demonstratam, iudicandi solertiam, penetrationem et accurationem, meditationis profunditatem, doctrinam in elegantioribus literis praeclare versatam, viuendi consuetudinem, pulchram et ab omni paedagogico fastu alienam, veritatis amorem, colloquiorum dulcedinem, vitae ciuilis prudentiam, morum ciuilitatem, seriam et accuratam, et in ipsa tamen seueritate iucundam et maximis quoque viris commendatam, caritatem erga pauperes ipso opere demonstratam, irae rationis ope moderationem, silentii et amicitiae fidem, diligentiae, quantam sanitatis constitutio permitteret, contentionem, victus continentiam, morborum patientiam, vtilitatem

a) Accurate rem omnem librosque huc pertinentes exponit BVDDEVS Isag. in Hist. theolog. L. Ii. c. 7. p. 1294 seqq. b) CLERICVS l. c.

c) POIRET. Opp. posthum. p. 87. item Auctor fidei et rationis collatae.

d) Scripta huc pertinentia enumerant magni nominis theologi BVDDEVS l. c. p. 1296. PFAFFIVS Introd. in Hist. lit. theol. P. II. p. 332.

e) Loc. cit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

litatem ex scriptis eius ad humanam societatem redundantem. Ipse in epitaphio, quod sibi posuit, talem se fuisse ait, qui mediocritate sua contentus vixerit, literis innutritus eousque tantum profecerit, vt veritati vnice litaret. Quibus sane ingenii animique virtutibus cum maximis in orbe philosophico heroibus meruit comparari.

§. XX. Multum debet rationalis philosophia Lockio ob librum *de Intellectu humano*, cuius literariam historiam cum fuse prosequutus fuerit B. GOTTL. KRAVSIVS *f*, breuitatis studio lectorem ad eum dimittimus. Ipsum opus nouum intellectus humani explicati et delineati aedificium sistit, quod non modo in Platone et Aristotele, sed in Cartesio quoque, Gassendo aliisque recentioribus, qui ante Lockium scripsere, frustra quaeras. Abiecit enim omnes omnino opiniones, et ex consideratione humani intellectus et conscientia sua philosophandum esse censuit. Vnde humani intellectus historiam non inepte appellaueris, non ex libris sed experientia interna conscriptam, qua de re digna est, quae legatur ipsius auctoris praefatio, quae nonnulla quoque illustrat, quae ei obiecta sunt, et aliquos offendere poterant. Libris opus praestantissimum quatuor distinxit acutissimus philosophus, et primo quidem de ideis innatis disputat, et nec speculatiua axiomata, nec practica innata esse intellectui humano magno acumine demonstrat. Libro secundo in idearum originem inquirit, easque vel ex reflexione, vel ex sensatione ab obiectis externis ortas omnes esse, animam quoque non semper cogitare argumentis multis ab experientia sensuque desumtis probat. Tum de natura idearum simplicium, deque ideis vnius tantum sensus ministerio genitis differit, qualis est soliditatis idea, quam ab extensione subtiliter distinguit, ideas porro ex pluribus sensibus, itemque ex reflexione et attentione ad se ipsum exsurgentes, quales sunt ideae intellectus et voluntatis, exponit, eas quoque non negligit, quae ex vtroque fonte prodeunt, vbi de idea doloris, voluptatis existentiae, vnitatis, potentiae, successionis subtilissime philosophatur, et qua ratione qualitates primae et secundae ad cognitionem humanam se habeant, erudite prosequitur. Tum perceptionem, memoriam, contemplationem, attentionem aliaque ad memoriam pertinentia considerat, et idearum quoque compositionem et distinctionem, ideas complexas modosque, et imprimis relationes describit: Ad modorum simplicium tractationem delatus, ideas spatii, corporis, extensionis, substantiae, accidentis, temporis, durationis, expansionis, loci, numeri, finiti et infiniti, aeternitatis curiose perueſtigat, modos quoque ex sensibus oriundos, et qui vel cogitationem vel voluptatem et dolorem fontes agnoscunt, in partes vocat: quidque potentia siue facultas sit, docet, hacque occasione quid sibi de facultatibus intellectus, voluntatis, libertatis, necessi-

Lockii liber de intellectu humano.

f) In Historia literaria Germanice edita P. I. art. 1.

neceſſitatis videatur, et qua ratione ſe humana mens in his omnibus ad operationem deducendis habeat, ſuas meditationes ſecutus proponit. Sequuntur modi mixti, ideae ſubſtantiarum complexae, collectiuae, relationum, cauſſae et effectus, identitatis et diuerſitatis, et principii indiuiduationis, atque perſonalitatis, relationum moralium, clarae, obſcurae, diſtinctae, confuſae, reales, fictae, completae, incompletae, verae et falſae; in quibus omnibus non in ſe tantum, ſed etiam ratione obiecti circa quod verſantur conſiderandis, nec copioſiorem, nec accuratiorem, nec curioſiorem ante ſe vllum habet, et multa affert, aliis nunquam obſeruata, vel leuiter tantum tacta. Qualis eſt aſſociatio idearum, quod intellectus humani myſterium miro lumine perfudit. Libro tertio voces, quibus ideae deſignantur conſiderat, et omnium fere generum idearum nomina percurrit, quaue ratione ab ipſis ideis diſcrepent, quae impedimenta intellectui inde oriantur, quibusque regulis determinari accurate debeant, ediſſerit, ne particulis quidem exceptis, maxime vero pulcherrima tractatione de vocum nominumque imperfectione, et abuſu, de inani ſubtilitate, de vocibus vagis, obſcuris, nihili, indeterminatae ſignificationis, etc. multa praeclara monet, et remedia ſufficientia enumerat. Librum quartum cognitioni humani intellectus examinandae deſtinat, eiusque naturam, gradus, limites, realitatem definit; quidque veritas ſit, quae propoſitiones vniuerſales earumque criteria certa, quae axiomata, euoluit, propoſitiones quoque friuolas, quae plane nihil cognitionem humanam adiuuant, quales ſunt identicae, verbales tantum, ſimilesque tangit. Tum ad obiecta, circa quae verſatur humani intellectus cognitio conuerſus, explorat, quaque ratione cognoſcamus exiſtentiam noſtram, itemque Dei, tum rerum extra nos, determinat, et media augendae cognitionis humanae ſuppeditat, ex quorum numero axiomata et hypotheſes excludit, et pleraque ad idearum certarum, clararumque comparationem reuocat, attentionem vero commendat. Affectiones etiam cognitionis, iudicium, probabilitatem, eiusque gradus determinat, quidque ratio ſit, quid fides, qui vtriusque limites, ſuſe proſequitur. Morbos vero intellectus, enthuſiaſmum, ſiue opinionem friuolam ratione et reuelatione deſtitutum, quae pro diuinitus enata habetur, erroremque deſcribit. Epilogi loco ſcientias in phyſicas, practicas et ſignorum cognitionem partitur. Et haec breuis quidem celeberrimi libri ſumma eſt, in quo innumera pulchra, bona, vera et vtiliſſima, quamuis plerisque hactenus non obſeruata eſſe, vnanimi conſenſu orbis eruditus cenſuit. Aſt cum ſua tantum lumina, et maxime ſuam conſcientiam adhiberet Lockius, quo fieri non potuit vt non multoties ab omnibus philoſophis diſcederet, et nouas obſeruationes atque opiniones ſtabiliret, multa quoque, neceſſe fuit, magnis viris aliis hypotheſibus occupatis diſplicere. Inter quos heic, vbi ſtrictim omnia proponenda ſunt, non tantum PETRVS POIRETVS [g] fuit, qui

g) Opuſc. poſthum. Sect. V. p. 172. qui rationaliſmum et naturaliſmum ei obiicit, et quae configenda ſint in philoſophia Lockii, proſequitur.

qui longe aliud sibi intellectus humani systema formauerat, et periculosas fidei et illuminationi assertiones Lockii esse statuebat, sed et illustris LEIBNIZIVS [h] magnus cetera, vt solebat vir summus aequissimum se meritis virorum doctorum tribuere, Lockianae eruditionis laudator. Is quamuis concederet, recte reiecisse Lockium ideas innatas Cartesianorum, ideam tamen identitatis, et contradictionis natura homini adesse monet, alias quoque, quam Lockius, idearum verarum et realium notiones sibi fingit, ideasque nostras, etiam sensuales, ex fundo animae progredi, magisque per reminiscentiam quandam, quam sensuum impressionem acquiri contendit, parum autem probauisse Lockium obseruat, animam interdum nunquam cogitare, quod cogitationem cum perceptionibus distinctis confuderit. Nec probare potest, quod spatium et vacuum distinxerit, hocque ex motu probare voluerit, materiam ex partibus duris tantum et inflexibilibus constantem concipiendo; nec placent ei meditationes Lockii de infinito, de ideis adaequatis, quaeque de definitionibus nominalibus et realibus, et de axiomatibus disseruit, quodque formam syllogisticam logicae communis inutilem pronunciauerit. Quam censuram minus aeque pertulisse Lockium, eiusque amicos Molinyaeum, Clericumque, supra in Leibnizii vita iam obseruauimus. Quamuis autem nihil inesse libro huic, quod non veritate nitatur, ipse auctor statuat, et imprimis laudent admiratores Lockii, quod abesse iussa metaphysica imaginaria et hypothesibus suffulta, ad naturam et conscientiam hominis ipsamque experientiam attenderit, ob quam praestantiam innumeros in gente sua sectatores Lockium habuisse refert Cl. DES MAIZEAVX [i], inuenerunt tamen alii quoque viri docti et attenti quod reprehenderent [k]. Et nonnullis quidem minus multa, quibusdam nimis pauca scripsisse visus est, quibus vtrisque in praefatione satis fecit Lockius. Magis memorandum est, quod vehementer in eo quidam reprehenderunt, erroneas eum de intellectus et voluntatis facultatibus inter se distinguendis opiniones fuisse secutum, speculationes haud paucas attulisse, quae in inuestiganda veritate vsum nullum habeant, libertatem minime accurate definiuisse, et quod ad methodum attinet, multa inutiliter repetiisse, obscuris lucem, exemplis additis non conciliasse, in nonnullis tamen verbosum praeter necessitatem fuisse, et quae his similia sunt. Quae an vera sint omnia, et qua ratione in Lockio vel excusari vel defendi possint, nostrum hoc loco non est, dispicere. Addimus id vnum, inter opuscula diuersa Lockii, extare quoque *Collectionem obseruationum de Intellectu circa inquirendam veritatem rite adhibendo*, in quibus multa attulit, in opere *de Intellectu humano* praetermissa, et amplissimam lucem ratiocinanti intellectui humano accendere aptissima. Prodiere opera Lockii omnia Londini MDCCXIV.

h) Recueil. T. II. p. 143. seq.
i) Praef. collect. Epist. Clarckii, Newtoni, Lockii.
k) Conf. THOMAS. Cautel. c. X. p. 130. Fund. I. N. et G. L. II. c. 12. p. 144. WALCH. Parerg. Acad. p. 672. STOLLIVS Hist. liter. P. II. c. 2. §. 34. p. 453. Add. quos nominat FABRIC, Syll. script. de V. R. C. p. 333.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

* *

CAPVT SECVNDVM.

DE EMENDATA AVCTAQVE PHILOSOPHIA NATVRALI.

§. I.

Dicendorum ordo et ratio.

MAturius laetiusque, quam reliquis philosophiae partibus naturali disciplinae contigit, vt emendatos vultus et augmenta maxime conspicua caperet. Adeo enim deterruere sapientiae studiosos steriles campi, et dumetis scatentia scholasticae physicae deserta, vt ad foecundiores et amoeniores agros plerique, quibus de meliori luto Titan praecordia finxerat, properarent, et elegantiorem disciplinae nobilissimae tractationem molirentur. Factum id esse mature post renatas literas luculentis exemplis in antecedentibus demonstratum, maxime vero obseruatum est, ad finem vergente seculo XVI. in hanc scientiam meliori facie reformandam citatis pedibus concurrisse excellentissima ingenia signum cum aliis paucis praeferente Bernardino Telesio, cum quae Cardanus similesque moliti erant, euentum fere nullum habuissent. Ab eo enim tempore nouatores, (qua voce sectariorum indignatio a philosophorum plebeiorum gregi eos discreuerat, qui naturam ipsam, quam veterem aliquem philosophum consulere maluerunt) aliam viam, quam quae iam calcata erat, ingredi ausi sunt; quamuis non deessent, qui Parmenideam, Platonicam, Ionicam, Stoicam, Epicuream physicam resuscitarent, quorum omnium conatus in *antecedente huius tomi parte* luculenter descripsimus. In varias autem sententias mireque inter se distantes semitas eos discessisse, qui a sectaria philosophia dissentire in naturali disciplina coeperunt, ex hactenus dictis lectori obscurum esse non potest. Nonnulli enim, cum sectariam physicam detestarentur, ad diuiniorem quandam naturalium operum declarationem confugerunt, et principia nobis diuina, spiritualia, et vel ex Mose, vel ex alio fonte a ratione deuiante hausta commendauerunt, mirum naturalis disciplinae aedificium, cuius fundamentum emanatio ex Deo, finis enthusiasmus esset, comminiscentes. Quales Physicos fuisse, qui philosophiam Cabbalisticam, Mosaicam, theosophicam excogitarunt, ex instituto ostendimus, et inepta horum hominum systemata de rebus ad naturam mundi eiusque partium pertinentibus fuse descripsimus. Quae physicae diuinae, (huius enim furfuris se esse iactabat) absurditas etsi facile poterat a plerisque, paulo attentioribus palpari, miros tamen progressus habuit, ex quo paradoxum Theophrasti Paracelsi ingenium ineptiis non quidem medelam, attamen colorem et commendationem attulit. Is enim cum ignis beneficio corpora naturalia soluere, et

chemiae

chemiae opera in eorum naturam penetrare egregie nosset, principiis vagis et ineptis magnam verisimilitudinem media chemica maxime quae ex Mercurio et Opio parauerat, illis adaptando comparauit. Cuius scholae Paracelsicae historiam cum etiam in antecedentibus enucleauerimus, ea, quae de Paracelsi et sequacium opinionibus de rebus naturalibus exposita iam sunt, in naturalis scientiae historia repeti hic non possunt. Sed et tertium philosophorum genus prolixe enarrauimus, quod abiecta seruitute sua libertate frui et eclectice philosophari coepit. Cuius generis philosophiae antesignanos Brunum Nolanum, Cardanum, Verulamium, Campanellam, Hobbesium, Cartesium, Leibnizium, Thomasium, cum in scenam produceremus, occasio nobis enata est, de placitis eorum physicis simul differendi. Et hoc quidem pacto haud exiguam naturalis philosophiae partem historica enarratione iam explicuimus. Non tamen ista scopo nostro sufficere, nec plena satis esse, vt intelligatur, quibus successibus emendare physicam philosophiae partem viri docti aggressi sint, quid in ea perfecerint, et intelligimus ipsi et vltro fatemur: sunt enim praeter ea innumera, quae a magnae perspicaciae philosophis detecta sunt, quibus in amplissima luce collocata est doctrina naturalis. Quae non quidem omnia integra systemata concernunt, ast per pleraque tamen capita specialia infinita noua, rerum naturalium explicationi adiecerunt. Praecipue ex quo magni Verulamii opera, orbis philosophicus in hac doctrinae parte desipere desiit, et proscriptis spectris naturales eius vultus experimentorum, igne ferroque tentatorum, itemque scientiarum mathematicarum ope restituti et eleganter ornati sunt. Et in his quidem strictim enarrandis capitis huius tractatio versabitur. Quam tamen, si, vt ipsi optamus, dare constitutum haberemus, volumen, integro recentioris historiae philosophicae complexu non inferius exsurgeret; nam et vitae atque meritorum ratio, qua eminuere tot disciplinae naturalis cultores enarranda esset, et per amplissimum campum discurrendo ostendendum, quid per omnes rerum naturalium classes detectum sit, quomodo de causis rerum naturalium praeceperint viri magni et naturae sacerdotes doctissimi, quibus experimentorum auxiliis, et obseruationum indicibus ad certa, quae recepta tandem sunt, dogmata peruenerint, quae comperta sint, quae lateant, de quibus desperandum sit, in quibus oleum operam physici perdiderint, quibus institutis cognitio naturae adiuta sit, et quae sexcenta alia sunt, quae ad physices accuratam et specialem historiam pertinent. Qualis tractatio, quam longe a scopo et limitibus nostris absit, quilibet intelligit, nec a nobis hanc prolixitatem expectabit. Relinquemus itaque historiae doctrinae naturalis explicationem dogmaticam eamque specialem aliis, vehementer autem cohortamur, viros in hac nobilissima parte egregie versatos, vt annales eius dogmaticos tandem aliquando conscribant, vt, quas veritates aetas nostra detexerit, quae detegendae adhuc sint, constet, et eo felicius in amplissimo hoc oceano emetiendo studium posteritatis versari queat. Nostra vero in eo tantum occu-

pabitur induſtria, vt ſtrictim ſumma attingamus capita, quae emendatam nobis phyſicam referunt, et eorum philoſophorum res paucis perſtringamus, qui agmen duxerunt, et quorum nomina, cum meritis in philoſophiam naturalem maximis immortalitatem meruerint, omittere in hac noſtra tractatione haud licet. Reliquorum enim, etſi in hoc argumento magnam famam conſecutorum memorias tradere huius loci non eſt, fontes autem nominabimus, ex quibus notitia eorum ſatis ampla hauriri queat. Idem etiam in obſeruationibus recentioris aetatis deſignandis faciemus, cum eas integras adducere, nec ſcriptionis modus, nec tractationis limites permittant. Ita vero ſine noſtro ductu lectori facili labore licebit, ſatis amplam ſua diligentia phyſicae partis hiſtoriam congerere. Commendamus autem diligentiſſimi MORHOFII [a], et imprimis praeſtantiſſimi HOLLMANNI [b] labores, quorum vterque quid per potiora naturalis diſciplinae capita viri docti obſeruauerint, ſtrictim at curioſe et erudite enarrauit.

Exempla nouatorum phyſicae.

§. II. Reliquerunt tenebras philoſophiae ſectariae naturalis mature non illi modo, qui omnem philoſophiam emendare aggreſſi ſunt: ſed fuerunt quoque nonnulli diſciplinae tantum phyſicae intenti, qui ſobrie magis atque caſte de natura rerum in hoc mundo comprehenſarum ſtatuere coeperunt. Multis id poſſet exemplis illuſtrari, ſi per varias Europae gentes eundo particularem iſtam virorum doctorum diligentiam perquirere vellemus; aſt ſufficient pauca, vt de rei veritate conſtet, Nathaneelis Carpentarii, Redemti Baranzani, Bernardi Paliſſi, Guilelmi Gilberti, Ioannis Eſpagneti, quorum haud incelebre in naturali ſcientia nomen eſt.

Nathaneel Carpentarius.

CARPENTARIVM Deuonia Angliae genuit parente Ioanne ſatum, educauere academiae Britannicae in theologia, antiquitate et philoſophia, fouit Vſſerius archiepiſcopus Armachanus, muneri praefecit Hibernia, vivis eripuit annus MDCXXVIII, memoriam eius conſeruauit ANTONIVS WOODIVS [c]. Magno is animo a receptis ſcholarum opinionibus declinauit, edita, *Philoſophia libera, triplici exercitationum decade propoſita, in quae aduerſus huius temporis philoſophos dogmata quaedam noua diſcutiuntur* [d]. In quo libro paradoxa plurima a receptis ſcholarum definitionibus abeuntia explicantur, et dogmata phyſica haud pauca innouantur. Talia ſunt, non dari notitias naturales, locum eſſe nihil, elementa eſſe grauia, omnium rerum ortum eſſe ex nihilo, ſenſus fallere fallique non poſſe, ignem eſſe humidum, cometas non eſſe meteora incenſa, et ſimilia [e].

Redemtus Baranzanus.

REDEMTVS BARANZANVS Seraualam dioeceſeos Vercellenſis patriam habuit, Barnabitarum religionem amplexus,

a) Is laudabili induſtria, licet interdum extemporali alterum Polyhiſtoris ſui tomum, hiſtoria dogmatica philoſophiae naturalis repleuit.

b) Quemadmodum vir eruditiſſimus in Inſtit. phyſicis, plerorumque recentiorum hypotheſes, explorauit, et quid veriſimile ſit, detexit, ita copioſe quoque fontes nominauit, ex quibus plura hauriri queant.

c) In Athenis Oxonienſibus.

d) Oxon. 1636. Lond. 1672. 8.

e) Conf. MORHOF. T. II. p. 110. 245. SORBL. de Perfect. hom. p. m. 480.

plexus *f*, quem annus MDCXXII fustulit, triginta tres tantum annos natum. Quamuis is haud ita diu Annecii docuisset, adeo tamen naturalis scientiae cognitione inclaruit, vt inter prima sui temporis ingenia a MOTHAEO VAYERIO *g* meruerit referri. Testis autem libertatis philosophicae in argumento physico liber est *de nouis opinionibus physicae, Lugduni* MDCXIX editus *h*, in quo, Patritii, Telesii et nouatorum aliorum exemplis excitatus deferere Aristotelem ausus est. Quem cum Verulamio misisset, laudauit is in epistola, cuius editionem debemus NICERONIO subtilitatem magnam et diligentiam in ea via, differentiam tamen se inter antiquos et modernos maximam facultatis, veritatis perparum agnoscere ait, hincque suadet, vt rebus se submittat, ne cum aliis ingeniis redeat in orbem. BERNARDVM PALISSVM non tam lectio librorum (erat enim figulus ἰδιώτης) quam rerum naturalium experientia et vsus admirabilis commendauit. Quamuis enim nec Graece nec Latine doctus esset, ex eruditorum tamen consuetudine ita profecit, vt de aliorum quoque opinionibus promte dextreque iudicaret, et de rebus naturalibus haud pauca ignota prius detegeret, ex quibus noua demum principia cudere ausus est. Cuius exemplum esse potest, quod in *Dialogis de natura fontium, metallis et gemmis* statuit: ex aqua omnia generari, eam autem duplicem esse, materialem et congelantem, nihil agi sine Solis operatione, sine sale non consistere hominis vitam, quin et reliqua corpora; et quae his sunt similia diligenter enarrata a SORELIO *i* qui videndus. GVILELMVS GILBERTVS Angliam ornauit, ortu Gloceſtrienſis, philosophus et medicus Londinensis; qui ineunte seculo XVII. floruit. Duplici nomine multum illi debet philosophia naturalis. Primo quod libertate philosophica vsus, recedere a placitis Aristotelicis, quibus tunc superstitiose adhuc adhaerebat insula, et reiicere multa ausus est. Edidit enim *Philosophiam nouam de Mundo nostro sublunari*, in qua multa innouauit, vetera, quae sine ratione sufficiente dicta erant, reiecit. Qualia sunt elementorum numerus quaternarius, transmutatio et mixtura etc. vacuum autem duplex adhibet separabile et inseparabile, et quae his sunt similia. Deinde ingenti ausu, maximis sumtibus *k*, incredibili industria et attentione ad magnetis naturam scrutandam se accinxit, primusue post innumeras obseruationes demonstrauit, virtutem magneticam terrestri globo a natura insitam adeoque terram magnum esse magnetem, edita *Philosophia noua de Magnete magneticisque corporibus, et de magno magnete, tellure l*. Hoc enim quasi signo dato, noua philosophia magnetica cusa,

Bernardus Paliſſus.

Guilelmus Gilbertus.

f) Conf. FR. LVIGI BARELLI Memorie de Barnabiti T. II.

g) Apud BAYLE T. I. art. Baranzan. p. 440. add. NICERON. Memoires T. III. p. 43. seqq.

h) Addi illi potest Vranoscopia, Col. Allobr. 1617. 8. Campus philosophicus, in quo omnes dialecticae quaestiones breuiter et subtiliter agitantur, Lugd. 1620. 8.

i) l. c. p. 470. Conf. MORHOF. T. II. p. 202. 438.

k) 50000. aureos impendisse in naturam magnetis scrutandam ex Haruaei testimonio refert MORHOF. T. II. p. 410.

l) Amstelod. 1600. fol.

cusa, et experimenta Gilbertiana ad principia physica reuocata sunt, quo labore naturalem doctrinam adiuuare conati sunt Nicolaus Cabaeus, Nicolaus Zucchius, Iacobus Grandamicus, Athanasius Kircherus, de quibus videndus MORHOFIVS [m]. De quo de magnete dogmate infra adhuc quaedam dicentur. Gilbertus autem eam sibi famam laudatissima hac diligentia parauit, vt maximam gentis suae gloriam in doctrina naturali meruisse censeretur, qua de re digna sunt, quae legantur, virorum doctorum testimonia, collecta a THOMA POPE-BLOVNTIO [n]. Ipsum Cartesium Gilbertiana philosophia praeclare ad examinandam magnetis naturam, vocatis in subsidium particulis striatis, vsum esse, supra iam obseruatum; et Gilbertianam quoque hypothesin ad declarandas proprietates declinationis acus magneticae adhibuit acutissimus HALLEIVS [o].

Ioannes Espagnet.

Addimus his IOANNEM ESPAGNETVM, cum Ioanne d'Espagne ecclesiae Gallicanae Londinensis pastore, cui de praeiudiciis et erroribus vulgi praeclarum librum debemus non confundendum; ille enim curiae regiae apud Burdigalenses praefectus fuit. Is cum artis chemicae praestantia emineret, eamque ad exploranda naturae arcana adhibuisset, non modo *Arcana Hermeticae philosophiae* vulgauit, sed naturam quoque rerum in mundo reclusurus, *Physicam restitutam* [p] breuibus quibusdam thesibus comprehensam edidit, in qua pleraque noua sunt, et a receptis sententiis abeuntia, haud pauca vero, quae emanatiuo systemati, quale apud Alexandrinos philosophos occurrit, valde sunt affinia. Statuit enim, mundum ab aeterno in archetypo suo descriptum fuisse, archetypum autem, qui totus lumen sit, ante vniuersi creationem in se complicatum, sibi soli illuxisse, in mundi vero productione, quasi parturientem se explicuisse, opusque suum in mente, velut in matrice, prius occultum, quadam sui extensione manifestum fecisse, ac mundum idealem quasi duplicata diuinitatis imagine actualem et materialem eduxisse. Quod Platonicum, nempe recentius et Cabbalisticum esse recte monuit, qui exegesin in hunc librum scripsit IO. LVDOV. HANNEMANNVS. Reliqua ex hoc principio facile intelligi possunt, qualia sunt: omnia, summa, ima, in mundo analogia quadam similia inuicem cohaerere, spiritum diuinum rebus infusum geometrice haec inferiora tractare; et per omnia large diffusum, animamque mundi esse, spiritum dari vniuersi siue lumen in principio creatum, contractum in corpore solari, ordinem naturae esse seriem explicatam legum aeternarum, etc. Sed his, quae ex Orientali et Alexandrino atque Cabbalistico systemate mutuum accepit, noua multa inaedificat, statuit enim: mundum esse opus fabrile in orbem gyratum, partes eius quasi catenae annulos se mutuis amplexibus stringentes; naturam opificem in medio sitam attritas semper vires reparare. Mundi vniuer-

m) loc. cit. n) Cens. cel. Viror. p. 919. o) Theor. Variat. Pyxid. Magnet. in Philosoph. Transact. n. 148. Vid. Act. Erud. 1684. p. 392. p) Lut. Paris 1642. Col. Allobr. 1653. Kil. 1718. Tubing. 1725. 4. cum exegesi.

vniuerſitatem triplici natura conſtare, ſupra coeleſti ſiue intelligibili, coeleſti et ſubcoeleſti, ſiue elementari: nihil ſine voluntate creatoris in mundo mori, ſed omnia tranſire et immutari, et in ſua ſimplicia reſolui, materiam primam Ariſtotelis figmentum eſſe; ſpiritum mundi architectonicum a duobus principiis vniuerſalibus creationis opus inchoaſſe, vno formali, altero materiali, lucem ſolarem eſſe formam formarum, et vniuerſalem, quae formas et rerum ſemina infundat, ita, vt indiuiduum naturae quodlibet ſcintillam lucis in ſe recondat: ſolem lucidum eſſe diuinitatis ſpeculum, appetitum materiae defectus et imperfectionis argumentum eſſe, eo quod luxurians ac recalcitrans propter remotionem et diſtantiam a formali principio expleri non potuerit, hincque mortis venenum non a qualitatum repugnantia, ſed ex infecta matrice et venenato materiae tenebroſo menſtruo et mixtura oriri, vniuerſi harmoniam in diuerſa et graduali materiae informatione conſiſtere, ſimplicia corporum elementa non dari, materiam generationis eſſe fluorem, elementum naturae eſſe ſimpliciſſimam materiae primae portionem, terram et aquam ſola elementa materialia eſſe, terrae corpus eſſe ſpongioſum, aërem vniuerſum coelum eſſe, aream vniuerſi, naturae cribrum, per quod influentiae in corpora transmittuntur, regionem lunae vicinam non igneam, ſed aëream eſſe, ignem naturae alium a luce coeleſti non dari, ſed ignem noſtrum, ex vnitis radiis lucis coeleſtis excitari, omnem calorem viuificum eſſe a ſole; ſolem non eſſe planetam: amorem naturae eſſe ingenitum, diſcordiam in natura et repugnantiam nullam, quintum elementum ab Ariſtotele confictum eſſe ſpiritum aethereum incorruptibilem, tenebras et lucem realia entia eſſe, et ex eorum temperamento et coitu qualitates fuiſſe et elementa orta, adeoque elementa non eſſe vera principia, terram in ignem non poſſe mutari, etc. Haec et quamplurima alia dum Alexandrinis et Cabbaliſticis hypotheſibus affricat, et imprimis totum formati mundi opus ex chemicis principiis deducit, et ſecundum ea applicat, fecit auctor, vt nec Chemicis ſolis nec Platonicis, nec theoſophicis, nec Cabbaliſtis recentioribus, nec Moſaicis totus poſſit adiici, quorum tamen omnium principiis multa habet affinia, ſyſtema autem ſingulare aeque ſibi proprium. Id quod valde placuit MORHOFIO [q] huius commatis phyſicis, mirum quantum, fauenti; ipſum quoque librum, velut praecipuum ſyſtema phyſicum, quod in Gallia oppoſitum ſit Ariſtoteli, commendat SORELLVS [r], recte autem notat, tale eſſe, quod prudentiores ex parte probauerint, ex parte reiecerint, ob dogmata ſomniis theoſophicis repleta. Addi his poſſent, Sebaſtianus Baſſonus et Stephanus Clauius, at eorum iam in *parte huius tomi antecedente* mentionem in vita Berigardi fecimus, quo lectorem licebit remittere.

§. III.

q) T. II. p. 119. 165. Ex dictis patet, poſſe Eſpagnetum Moſaicis et theoſophicis ſuo modo quoque annumerari. r) l. c. p. 481.

Physici recentiores eclectici.

§. III. Inter Germanos primus in disciplina naturali desipere, et relictis nugis scholasticis sapere ausus est, DANIEL SENNERTVS, cuius vitam et insignia de naturali et salutari arte merita depraedicauit facundus AVGVSTI BVCHNERI [s] calamus, quem alii exscripserunt, qui adiri ab illis possunt, qui celeberrimi viri vitae historiam nosse cupiunt. Ornauit is literas et cathedram medicam cum munere archiatri Saxonici in academia Wittebergensi, denatus aetatis anno LXV, reparatae salutis MDCXXXVII, ex peste, relicto filio, philologiae S. laude inter professores Wittebergenses inclyto. Qui cum eruditione, iudicii lumine, sentiendi libertate at modesta et prudenti vteretur, non modo eruditissimis foetibus artem medicam et philosophiam naturalem auxit, sed et celeberrimorum virorum laudes iure suo meruit, quas cum THOM. POPE-BLOVNTIVS [t] collegerit, eum non exscribimus. Plurimum praestantissimo huic medico debent literae non medicae duntaxat, sed et physicae; eo enim duce inuisum in academiis Protestantium apud Germanos chemiae studium introductum, reiectisque ineptis hypothesibus Paracelsicis, philosophico habitu donatum est. Qui conatus vt minori inuidia premerentur, ad syncretismum quidem confugit, edito *de Chymicorum consensu et dissensu cum Aristotelicis et Galenicis*, libro, quo nomine inter syncretistas locum ei in *antecedenti huius tomi parte* fecimus; ast insedisse eius animo studium vere eclecticum, ex prooemio *Hypomnematum physicorum*, in quibus de rerum naturalium principiis, de occultis qualitatibus, de atomis et mistione, de generatione viuentium, de spontaneo viuentium ortu differit, constare potest, et ipsa quoque libri lectio demonstrat. In quibus sunt multa, quae a Peripateticis prorsus abeunt. Statuit enim [u]: principia rerum naturalium non omnia esse contraria, nec sufficere Aristotelica ad explicandum generationis rerum ordinem atque causas, Deum in prima creatione rebus suas formas dedisse [x], per quas generationis ordo continuetur et absoluatur; immo omnibus quoque corporibus naturalibus suam materiam assignauisse [y], priuationem frustra inter principia referri [z]. Esse in rebus omnibus consensum atque dissensum, atque alia se amice appetere, alia fugere [a]: non dari praeter elementa alia adhuc corpora simplicia, nec esse principia dicenda, in quorum resolutione ars vltra vix progredi possit [b]. Qualitates occultas tantum ratione causarum et formarum esse intelligendas [c], doctrinam de atomis rationibus concludentibus nec facile refutandis probari [d], alterationes esse corporis alieni participationem; non dari quidem minimam quantitatis, at naturae, et quae de continui diuisione in infinitum Aristoteles disputat, ex alienis principiis, mathematicis scilicet, non propriis, seu physicis disputari [e], eductionem formarum

s) In Panegyrico illi dicto Witteberg. 1655. qui extat quoque inter Orationes Vol. II. p. 889. Conf. Vita Operibus praefixa WITTE Mem. Medic. p. 89. BAYLE Dict. Tom. IV. art. Sennert. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. III. p. 450.

t) p. 921. seqq.

u) II. 1. c. 2. p. 11.

x) c. 3. p. 16.

y) p. 19.

z) c. 4. p. 25.

a) c. 5. p. 32.

b) c. 6. p. 38.

c) III. 1. p. 90.

d) p. 98.

e) p. 116.

marum esse figmentum [f], mistiones, quae a forma superiore non diriguntur, ab atomorum consensu et dissensu prouenire. Deum postquam semel a creatione cessauit, nihil amplius, nisi miraculose creare, naturam vero instituisse, quae cursum generationis et corruptionis absoluat atque tueatur et obseruet [g], semen esse animatum, animamque in semine formare corpus animatum, oua in se habere animam, animam humanam cum semine propagari in liberos, et statim a primo conceptionis momento adesse [h], formationem foetus fieri ab vna anima, casum et fortunam in rebus naturalibus locum non habere [i], minima in mundo ad eius perfectionem pertinere *, dari in corporibus formas succenturiatas et subordinatas [k]. Talia et his multo plura Sennertus cumulat; quae quamuis hodierno, quod in physica coruscat, lumini non aeque respondeant omnia, et nonnulla adhuc ex scholae principiis enata videri queant, falsum tamen est, quod MORHOFIVS [l] iudicat, eius physicam ab Aristotelica non adeo differre, nisi quod materiam primam, mutationem elementorum et similia specialia dogmata impugnet. Nempe nonnulla ex Paracelsica schola cum ipsis chemiae artificiis Sennertus receperat, quae Aristotelico quidem habitu vestit, prudenter sui temporis circumstantiis inseruiturus, at quae tamen haud raro ab Aristotelico sensu toto coelo differunt. Et hinc quoque factum, vt magnis animorum motibus in Sennertum Aristotelici, maxime Groeningae Freitagius, Ienaeque Zeisoldus insurgere coeperint, accusauerintque virum eruditissimum eiusque sequaces, quod non tantum receptam scholarum sententiam turpiter deseruerit, sed et in ipsam religionem, atque Deum animaeque immortalitatem iniurius fuerit. De quibus accusationibus legi merentur, quae more suo eleganter differit P. BAYLE [m]. Discipulum atque sectatorem praecipuum Sennertus habuit Ioannem Sperlingium, professorem physices in schola Wittebergensi, LVIII. aet. anno fatis ex calculo anno MDCLVIII decedentem [n]. Edidit is *Institutiones physicas anno* MDCLIII, quae tanto plausu exceptae sunt, vt in plerisque Germaniae scholis argumentum praelectionum suppeditaturae adhiberentur [o]: eas *Exercitationibus physicis* postea illustrauit, *Anthropologiam physicam* quoque non sine acuminis et doctrinae laude tradidit, Sennertum autem aduersus Freitagium et Zeisoldum mascule defendit. In his vero scriptis physicis praeceptoris quidem vestigia dicendi genere plano lucidoque delineata premit, ast discedere tamen ab eo, vbi caussam se habere putat, non erubescit, libertati philosophicae, vt ipse fatetur, ex animo addictus. Quod vero cum praeceptore qualitatibus occultis formisque, quae asyla ignorantiae in doctrina naturali sunt, nimium tribuerit, potiusque declamet quam demonstret, id quod in eo reprehendit MORHOFIVS [p], eorum, in quibus viuebat, temporum con-

f) p. 144. g) IV. 2. p. 151. h) c. 6. p. 185.
i) c. 13. p. 328. *) p. 360.
k) p. 394. l) T. II. p. 249. m) l. c.
n) WITTE Mem. phil. Dec. VIII. p. 296. seqq.
o) CHR. VATER. Physiol. prooem. p. 3.
p) T. II. p. 265.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ditioni et diluculo aduenientis lucis physicae adscribendum est, quo se praeiudiciis a pueritia in schola hausti, et notionibus a iuuentute consuetis ex toto exuere non licebat. Laudandus tamen virorum optimorum conatus atque voluntas eo magis est, quo magis physicae restituere eclecticam philosophandi libertatem, et excutere iugum sectarium coeperunt.

Kenelmus Digbaeus.

§. IV. Dum in Germania lucem accendere philosophiae naturali Sennertus satagit, multo clariorem facem in natura scrutanda occupatis in Britannia praetulit Baconus de Verulamio. Qui cum orbi philosophico oculos aperuisset, vt quam misere hactenus in eo argumento scholae coecutiuerint, omnibus palam fieret, enata inde contentio virorum nonnullorum valde acutorum inter Anglos tentandi, quid in hac noua via liceat attingere. Quod cum proscripta omni Aristotelis auctoritate minus feliciter fieri posse quidam crederent, vt occupatis praeiudicio auctoritatis philosophis fucum facerent, non aperte bellum Stagiritae, intulerunt, sed quendam Peripateticae παιδείας tropum prae se ferentes, noua tamen propriaque dogmata illis obtruserunt. Inter hos nemo vel cogitationum acumine vel diligentiae contentione vel famae celebritate vicit KENELMVM DIGBAEVM, equitem Anglum apud Carolum I. gratiosum, et militia pariter atque ciuili prudentia in legationibus demonstrata illustrem, cuius vitae circumstantias cum post WOODIVM [q] aliosque [r] enarrauerit P. BAYLE [s], ad elegantissimum scriptorem lectorem dimittere, quam in tanto dicendorum aceruo prolixi esse malumus. Aderat celeberrimo viro magna eruditionis copia, quam non tam in academia Oxoniensi, vbi literis operam dedit, quam sua industria, attentione, lectione neque sibi comparauit, accedente vsu atque experientia, quam in itineribus variis sibi comparauerat. Absoluto enim studiorum curriculo Galliam et Italiam inuisitat, et post funesta Caroli I. fata, cum deuotissimus partibus regiis esset, aliquandiu Francofurti ad Moenum, Romae alibique haeserat, sed et in Gallia apud Montispessulani ciues diu moram fixerat, quo loco etiam pulueris sympathetici construendi occasionem a Carmelitarum socio quodam nactus, illum publica oratione laudauit, reduxque Londinum ineunte vere anni MDCLXV, sexagenarius obiit. His ergo subsidiis eruditionis, atque ingenii opibus instructus cum omnium fere disciplinarum esset peritus, linguarumque notitia adiutus, inter armorum strepitus ad philosophiam, maxime naturalem et metaphysicam, tum ad artem salutarem praecipue vero chemiam, et ad artes mathematicas animum conuertit, et nec labori atque industriae neque sumtibus pepercit, vt mysteria istarum artium perquireret. Et in metaphysico quidem argumento, quid ingenium Digbaeanum valuerit, ex tractatu *de immortalitate animarum* disci potest. In chemicae autem artis mysteria

q) Athen. Oxon. r) BULLART. Acad. des Sciences T. II. p. 1137. seqq. Lex. Hist. vniu. T. II. p. 56. s) Dict. T. II. art. Digbi p. 290.

ſteria tanta felicitate penetrauit, vt medicinae rationes arcaniſſimas teneret, multaque remedia inueniret, quibus ſanitatem aegris, maxime pauperibus gratis multoties reſtituit. Inde factum, cum et theoria et praxi naturalem ſcientiam praeclare teneret, vt regiae quae Londini floret ſcientiarum academiae albo inſcriberetur. Cum Pariſiis eſſet, Carteſium conueniendi occaſionem nactus eſt, cumque eo de natura et operationibus animae diſputauit, conſpirare tamen cum illius placitis ſe non poſſe, quamuis maximi illum faceret, teſtatus eſt. Ad propriam itaque philoſophiam conuerſus eſt, eiusque principia ita conſtituit, vt non plane Peripateticam diſciplinam eiuraſſe videri poſſet. Experientiam vero, praecipue chemicam, in declarandis naturae operibus potiſſimum conſuluit, et hinc nouas hypotheſes exſtruxit. Rarefactionem enim et condenſationem pro principiis phyſicis aſſumens, in enucleanda natura rerum ab inanibus Peripateticorum vocibus abſtinuit. Cuius exemplum capi poteſt ex libris *de Natura corporum*, *et de Plantarum vegetatione*, in quo poſteriore proceſſum accretionis et nutritionis plantarum luculenter demonſtrauit, expoſuitque, quomodo ex vno puncto ſeminali partes extra partes extendantur, partim ſalibus aëris aut terreſtribus euocatae, partim preſſione aëris et humoris externi, partim calore ſubterraneo eiectae &c. Qua ratione reieciſſe Digbaeum animam vegetatiuam Ariſtotelicorum, et longiſſime a formarum doctrina receſſiſſe, nemo non videt. Vnde caute accipiendum eſt, quando Peripateticam philoſophiam ei tribuit, qui aliquandiu in eius familia vixit et philoſophiam Digbaeanam profeſſus eſt Thomas Anglus; de quo ſupra dictum. Ille enim ſcripſit *Inſtitutiones Peripateticas ad mentem ſummi viri clariſſimique viri Kenelmi Digbaei*, quas tamen Peripateticas non eſſe facile ex comparatione pateſcit. Tranſtulit autem Digbaeus principia phyſica etiam ad metaphyſicam, maxime ad pſychologiam, vt ex demonſtratione immortalitatis animae rationalis patet. In ea enim naturam et qualitates corporis, quarum praecipuas, generale principium ſuum phyſicum ſecutus, ponit denſitatem et raritatem, ſupponit, et ex earum progreſſione immortalitatem animae demonſtrare ſatagit. Quo nomine eum, licet iudice MORHOFIO [s] non ſatis iudicioſe refutauit ex ſocietate Ieſu Eggefeldius, aſcito AMANDI VERI nomine, ſub quo *Anima triumphans* prodiit. Recte enim Morhofio obſeruatum, de principiis eius prius tranſigendum eſſe, quae nexu arcto inter ſe cohaerent; et ſine eo fruſtra Digbaeum impugnari.

Chemicorum merita in phyſicam reformatam.

§. V. Digbaei exemplum ſecuti ſunt plures, qui chemiae beneficio ignisque miniſterio in naturam rerum materialium penetrare ſunt conati. Et longum quidem eorum indicem texere liceret, ſi id ageremus, eo quod haud pauci chemici non contenti corpora compoſita ignis ope in ſimplicia reſoluiſſe, ex iis principia quoque phyſica theoretica exſculpſerunt. Quod qua ratione fecerit Theophraſtus Paracelſus, et qui ex eius ſchola prodierunt,

s) T. II. p. 446.

runt, in antecedente iam parte fuſe differuimus, et quibus vultibus conſpiciendam ſe dederit philoſophia horum hominum chemica, duce Oswaldo Crollio, delineauimus. Multum in hoc phyſicae genere chemico laborauit, multumque profecit Helmontius pater, cuius tamen hoc loco mentio, ſupra iam facta, repetenda haud eſt. Neque putandum, omnes qui chemiae miniſterio phyſicae ſcientiae lucem accendere conati ſunt, ad eiusmodi principia theoſophica, nullibi niſi in ardentis imaginationis campo florentia, fuiſſe dilapſos. Poſtquam enim deſipere nugasque agere noſtra aetate orbis philoſophicus deſiit, in id conniſi ſunt artis ſpagiricae (quo nomine ſchola Paracelſicae vti placuit) ſtudioſi, vt cum ſanioribus principiis, maxime mechanicis, eius experimenta coniungerent. Cuius exempla ſi quis ſcire aueat, eum vel commentarios ſocietatum ſcientiarum, Caeſareo-Leopoldinae, Londinenſis, Pariſienſis, Berolinenſis, Petroburgenſis adire iubemus vbi haud pauca chemiae philoſophica methodo ad recludendos naturae receſſus adhibitae ſpecimina extant, vel ad Io. Iacobi Mangeti *Bibliothecam chemicam curioſam* ablegamus, in compendio autem illuſtris viri Herm. Boerhave *Elementa chemica* [u] conſulere iubemus. Quemadmodum enim in praeſtantiſſimo libro vir incomparabilis, et in chemiae arte ad miraculum verſatus experimentorum rationes prouidentiſſimas iniit, et ingenio philoſophico vſus illis theoriam inaedificauit, ita artis quoque mirabilis hiſtoriam mira ſolertia congeſſit, ſcriptorum chemicorum indicem contexuit, materiam chemicam diſpoſuit, vtilitatem chemiae non in arte tantum ſalutari, ſed in philoſophia quoque naturali demonſtrauit, et hoc pacto, quid ad augendam phyſicae partem philoſophiae chemia attulerit, erudite atque luculenter ediſſeruit. Ad quem eruditiſſimum naturae interpretem lectorem dimittere, quam breui chemicorum enarratione extra oleas vagari malumus. Comparari tamen cum illo poteſt Io. Georgivs Paschivs [x]. Ne tamen hoc quoque loco abeamus ἀσύμβολοι, vnum naturae per chemiae artem interpretem, at πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων ROBERTVM BOYLEVM in ſcenam producimus. Is ex illuſtri Boyleorum gente inter Hibernos ortus patre Richardo, comite Corckiae, ſtudiorum curſum apud Lugdunenſes Batauorum Muſas peregit, peragrataque, ad noſcenda naturae artisque opera Italia, Gallia et Heluetia anno MDCLVII Oxoniae in ampliſſimo literarum theatro ſedem fixit, cumque artem ſalutarem miro amore eſſet complexus, (cuius ſummos quoque in ea academia honores rite conſecutus eſt,) multum in eo deſudauit, vt inter naturae conſultos initia ſocietate de augenda ſcientiae naturalis cognitione conſilia agitarentur, quorum euentus, condita ſocietate ſcientiarum regia fuit laetiſſimus [y]. Illi vero fauente Carolo II. inter primos adſcriptus eſt.

Robertus Boyle.

Quam

u) Lugd. Bat. 1732. 4. 2. Vol. Conf. Journal literaire T. XIX. P. I. art. 6. P. II. art. 3.

x) De Inu. nou-antiq. c. VI. §. 5. p. 318. Borrichivs de Orig. et progreſſu chemiae p. 145. ſq.

y) Th. Sprat Hiſt. Soc. reg. Lond. P. II. S. 2. p. 67.

Quam spartam cum ornandam accepisset, sede Londinum translata magnis sumtibus nec minori industria in explorandos naturae recessus incubuit, totus experimentis chemicis, mechanicisque et his similibus intentus. Huic enim studio se totum deuouerat, et ob eam quoque caussam caelibem vitam ad obitum vsque seruauisse videtur, qui exspirante anno MDCXCI, sexagenario maiori non sine ingenti literarum, praecipue physicarum iactura luctuque contigit. Locum autem vir summus inter primarios physicae scientiae doctores summo iure postulat; cum enim non linguas tantum eruditas, etiam orientis teneret, vt consulere scriptores fere omnes posset, sed et magno studio et immensis sumtibus chemiae experimentis et physicae, quam experimentalem vocant, inuigilaret, instituto autem commercio literario cum maximis in Europa viris, qui in natura scrutanda eminebant, omnium fere philosophorum sui temporis experientiam consuleret, affluerent autem ad eius aedes, humanitate et beneuolentia eius inuitati, quotquot naturae rimandae diligentiam adhibebant suam, iique obseruationes suas cum eo communicarent, (quos tamen interdum eum fefelliſſe obseruat MORHOFIVS [z],) facile inde subduci rationes possunt, cur ex illustris viri conatibus magna ad philosophiam naturalem experimentis constantem incrementa accesserunt. Non vero nuda experientia contentum principia quoque curiose inuestigauisse, vel ex vno *Chymista sceptico, siue dubiis et paradoxis chymico-physicis circa Spagiricorum principia vulgo dicta hypostatica, prout propugnari solent a turba alchymistarum*, euidenti exemplo patet. Clarissime enim demonstrare conatus est, veros characteres principiorum, decantatam illam chemicorum triada tueri non posse, sed requiri alia, ex quibus ista constent. Vnde tribus istis chemicorum principiis constituentibus, sale, sulphure et mercurio, siue corpore spiculis minimis armato, inflammabilibus partibus constante, et volatili, minime contentus, systemati atomistico, ex Democriti atque Epicuri schola in lucem reuocato, manus dedit, illique experimentorum obseruationes adaptauit. Et hoc quidem pacto de natura rerum in variis scriptis pulchre philosophatus est. Debemus enim ei *Experimenta Physico-Mechanica de vi aëris elastica, eiusque defensionem aduersus Franciscum Linum; aliaque de aëris virtute elastica paradoxa hydrostatica, tentamina physiologica, et historiam fluiditatis et firmitatis, itemque de absoluta quiete in corporibus, experimenta et considerationes de coloribus, introductionem ad historiam qualitatum particularium, exercitationes de athmosphaeris corporum consistentium et effluuiis, specimen de gemmarum origine et coloribus, obseruationes de adamante in tenebris lucente, apparatum ad historiam naturalem sanguinis humani* [a]. Quae omnia mira experimentorum luce collustrauit. Scripsit quoque librum de igne, quem arcana sua vulgari non passus consumsit ignis

z) T. II. p. 130.

a) Prodiere eius opera Col. Allobr. 1677. 4. Vol. Conf. MARCKLIN. Linden. renou. p. 939.

ignis incendii Londinensis. Ceterum pietatem atque virtutem, quin et Christianae religionis propagandae studium accendi ab attenta naturae operum contemplatione laudatissimo exemplo suo demonstrauit Boyleus. Valde enim commendantur eius probitas, moresque sancti, modestia, humanitas, et sumtus magni, in reuelatae religionis propagationem facti. Mirumque virum in scrutanda natura tanta industria occupatum GROTII incomparabilem librum de V. R. C. Arabico idiomate expressisse, vt inter infideles spargi felicius posset [b]. Tandem neque in eo errabimus, si contendamus, plurimum ad naturam rerum materialium recludendam totum medicorum ordinem, et immortales gloriae viros, qui arti salutari clarissima lumina accenderunt, contulisse. Non negabunt hoc illi, qui conuicti sunt euidentissimis rationibus, artem medicam, si rationalis sit, totam in quadam naturalis philosophiae parte comprehendi, nec constare posse, nisi a physica sustentetur. Inde magna recentiorum medicorum caterua exorta est, qui non contenti medendi artem descripsisse, in enucleandis quoque argumentis physicis laudabilem operam posuerunt. Quos hoc loco enumerare esset historiam literariam medicinae scribere, quae a nostro instituto aliena est. Facile autem plerique cognosci possunt ex bibliotheca scriptorum medicorum a Io. IAC. MANGETO, constructa indicibus ab ABRAHAMO MERCKLINO suppeditatis, vel ex bibliotheca philosophica STRVVII, vel ex aliorum quoque catalogis vbiuis obuiis [c]. Nobis ex immenso fere numero post illustrem FRIDERICVM HOFFMANNVM, qui felici conatu artem medicam ad habitum rationalem et philosophicum reduxit, et in nonnullis argumentis physicis, praesertim quod ad aquas medicatas attinet, lucem nouam naturali scientiae intulit [d], suo merito iam memorandus est vir eruditissimus IOANNES IACOBVS SCHEVCHZERVS [e], medicinae publicus apud Tigurinos doctor, denatus anno MDCCXXXI. Is enim haud leuem philosophiae eclecticae operam praestitit, ex praestantissimorum naturae interpretum scriptis ea colligendo, quae iuncta obseruationibus suis elegantes solidasque naturalis disciplinae institutiones exhibuere [f], scientiam autem praestantissimam ad augustum diuinorum oraculorum volumen traducens, splendidum atque eruditissimum *Physicae sacrae* [g] opus post se reliquit, vt taceamus, tractationem *de Physica Iobi*, *Herbarium diluuianum*, quod herbas petrefactas ostendit, *Querelas et vindicias piscium*, *Museum diluuianum*, et alia, quibus inter praestantissimos philosophos naturales suo iure meruit referri. Cui ex seculo XVII. merito addimus GVILELMVM HARVAEVM, magnae

Frid. Hoffmann.

Io. Iacob. Scheuchzerus.

Guilelmus Haruaeus.

b) Conf. Wood. Athen. Oxon.

c) Consuli autem cum fructu possunt historiae medicae scriptores, et imprimis qui literariam eius partem more suo eleganter atque erudite exposuit cel. STOLLIVS in Hist. liter. Medicinae, Germanice edita.

d) Conf. si placet Pinacothecam scriptorum nostrae aetatis illustrium, nostra cura editam Dec. I.

e) Ipse vitae suae historiam stricte enarrauit in Cat. Auctorum, physicae sacrae praefixo.

f) Tigur. 1729. 8. 2 Vol.

g) Prodiit opus vere splendidum et augustum Aug. Vind. 1731. VI. Vol. fol.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

magnae famae medicum Britannum archiatrum Caroli I. Qui quantis de philosophia naturali meritis corruscauerit, ex variis, quae illi debemus ἐυρήμασι in sequentibus adhuc tangendis constat, inter quae palma sine dubio debetur nobilissimo inuento circulationis sanguinis, de quo contentionis ferram cum Parisano, Primorosio et Plempio reciprocauit, quarum litium controuersiam accurate enarrat praestantissimus HEVMANNVS [h]. Merita autem insignis medici exasciata scripta produnt [i], et elogia virorum doctorum, a POPE-BLOVNTIO [k], collecta loquuntur. Tandem ex medicorum choro qui de physica philosophiae parte pulcherrime meruerunt, illi quoque adducendi hoc loco sunt, qui ferro naturam resecandam esse, a Verulamio moniti, cultro anatomico structuram corporum animalium diligentius quam antea scrutati sunt, cum scientia nobilissima a Galeni aetate inculta neglectaque iacuisset. Ingens summorum virorum numerus afferri hoc loco posset, si id agendum nobis esset, vt scriptorum anatomicorum historiam scriberemus. Ast id alium locum, aliud institutum postulat, haud pauci vero ex *Bibliotheca Anatomica* a DANIELE CLERICO et Io. IAC. MANGETO edita disci possunt. Nec ignota sunt inter artis salutaris studiosos et physicarum rerum peritos illustria nomina, Bartholini, Bagliuii Santorini, Winslouii, Ruyschii, Malphigii, Cowperi, Verheyenii, Blancardi, Rudbeckii, Schelhammeri, Nuckii, Stenonis, Borelli, Whartoni, Diemerbroeckii, Willisii, Vieussenii, Garengeoti, Blanchini, Morgagni, Bidlooi, Valsaluae, Duuernay, Hauersii, Glissonii, Albini, Pecqueti, Eustachii, Graafii, Bellini, Swammerdammii, Guilelmini, Michelotti, aliorumque, quibus, qui hodie facile inter anatomicos regnat, cel. Heisterus adiiciendus est. Hi enim omnes aut totius corporis animalis fabricam, aut vnius alteriusue visceris vel partis naturam cultro anatomico scrutando, eiusque oeconomiam, munus, operationem considerando naturalis philosophiae capiti quod de animali, praecipue homine agit, plurimam lucem accenderunt. De quibus specialia magis dicere, historiae anatomiae est, qualem plenam atque integram adhuc desideramus.

§. VI. Non minora, quam medicis, incrementa philosophiae naturalis debemus mathematicorum nationi, quae statim post reparatas literas plurimum ad augendam scientiam physicam contulit [l], idque duplici ratione. Aut enim siderali disciplinae se maxima attentione atque diligentia tradiderunt, et quae corporum coelestium natura, motus ratio et cum globo nostro terraqueo harmonia atque conspiratio esset, nouis experimentis

Incrementa physicae eclecticae ex diligentia mathematicorum.

h) Act. phil. Vol. II. p. 616. seqq.

i) Recenset ea MERCKLINVS l. c. p. 378.

k) Cens. cel. auct. p. 987. seq.

l) Exagitauerunt praeposteram mathematicorum circa doctrinam naturalem diligentiam Thomasius et Rudigerus, ille in Cautelis circa praecognita iuris, hic in Physicae diuinae prooemio: ast, vel nonnullorum tantum ineptias petunt, ipse matheseos non imputandas, aut ignari mysteriorum mathematicorum nesciunt, quid sibi velint.

tis et incredibili induſtria explorarunt, ex quo ſtudio noua illa ſyſtemata mundana exorta ſunt, quae Ptolemaicum prorſus eiecerunt. Aut cognitis rerum materialium vicibus, operationibus et effectibus de earum mechaniſmo ſolliciti leges motus calculo arithmetico et demonſtrationi geometricae ſubiecerunt, ſicque quandam philoſophiam naturalem, quam mathematicam dicere placuit, conſtituerunt. Et prius quidem mature factum eſt, poſtquam ex virorum magnorum deque aſtronomia immortaliter meritorum Georgii Peurbachii et Ioannis Mülleri, Regiomontani, cuius vtriusque vitam accurate delineauit GASSENDVS [m], diſciplina velut ex equo Troiano diſcipuli eruditiſſimi prodierunt, qui in ſideralem ſcientiam diligenter incubuerunt, animos illis addente imperatore Friderico III, optimo principe, qui eorum conatus praeclare adiuuit [n]. Maxime vero in ſchola Viennenſi [o] ab eo tempore diligentiſſimi aſtronomiae cultores reperti ſunt, quorum expirante Sec. XV, et ineunte Sec. XVI, magna fama fuit atque multa exiſtimatio. Noſtrum non eſt, hoc loco catalogum contexere celebriorum aſtronomorum, quorum induſtria huic naturalis ſcientiae parti ingentia lumina acceſſerunt, illi enim in ſpeciali aſtronomiae hiſtoria enarrandi ſunt. Nec facile ignorantur a rerum in orbe erudito geſtarum peritis celeberrima nomina Eraſmi Oſwaldi Schreckenfuchſii, Ioannis Humelii, Petri Rami, Michaëlis Moeſtlini, Chriſtophori Clauii, Ioſephi Scaligeri, et quamplurimorum aliorum, ex Sec. XVI virorum clariſſimorum, tum praecipue ex Sec. XVII, quod valde ferax virorum doctorum in ſcientia ſiderali fuit, Franciſci Vietae, Ioannis Bayeri, Chriſtophori Scheineri, Willebrordi Snellii, Henrici Sauilii, Dionyſii Petauii, Philippi Lansbergii, Guilelmi Schickardi, Petri Gaſſendi, Iſmaëlis Bullialdi, Ioannis Heuelii, Ioannis Baptiſtae Riccioli, Sethi Wardi, Abdiae Trew, Ioannis Baptiſtae Hamelii, Caſparis Schotti, Io. Alphonſi Borelli, Ioannis Dominici Caſſini, Ioannis Flammſtedii, Olai Roemeri, Edmundi Halleii, Erhardi Weigelii, Dominici Guilelmini, Iacobi Bernoullii, Godofredi Kirchii, Eduardi Bernardi, Ioannis Philippi a Wurzelbau, quibus ex hoc noſtro ſeculo Franciſcum Blanchinum, Gabrielem Philippum de la Hire, Dauidem Gregorium, Ioannem Polenum, Euſtachium Manfredum, Guil. Whiſton, Gabrielem Doppelmayerum, Ioſephum Nicolaum de l'Isle, Petrum Horrebouium, Iacobum Philippum Maradum, Petrum Ludouicum de Maupertuis, Dort. de Mairan, Danielem Bernoullium, Arnoldum Celſium et complures alios magna nominis fama hodie viuentes aſtronomos addere liceret, ſi vel huius artis hiſtoriam, vel annales viuentium hodie eruditorum literarios conderemus. Tacemus ideo maximorum quoque principum gratiam et liberalitatem in hanc ſcientiam promouendam, quod ſine magnis molimi-

nibus

m) T. V. Opp. p. 517. ſeqq.
n) Conf. Io. GRVNBECK in Vita Frid. III. p. 31. STRVVIVS Corp. Hiſt. Germ. Per. X. p. 788.
o) Addi poſſunt Aſtronomi Norimbergenſes et Tubingenſes.

nibus et ingentibus sumtibus fieri nequit, cuius nuper demum in itineribus astronomorum Parisiensium in Americam et in Lapponiam, et astronomorum Petropolitanorum in Tartariam, luculentum exemplum habuimus, nec de turribus speculisque astronomicis a regibus, principibus, et rebuspublicis Hafniae, Grenouici apud Londinum, Norimbergae, Lugduni Batauorum, Parisiis, Berolini, Vlissippone, Petroburgi alibique excitatis plura addimus, sed ad celeberrimi viri Io. FRID. WEIDLERI, cui et ipsi locus inter meritissimos de hac arte viros debetur, elegantissimam *Historiam astronomiae* [p] lectorem dimittimus, ex qua plenis cyathis hauriet, omnemque virorum summorum diligentiam, conatus, libros, obseruationum studia, et quae alia sunt, huc pertinentia, luculenter intelliget. Non tamen indicti nobis praetermittendi sunt ex seculo XVI Nicolaus Copernicus et Tycho de Brahe, ex seculo XVII Ioannes Keplerus, et Galilaeus Galilaei, eo quod nouis hypothesium systematibus non astronomiam tantum, sed physicam quoque scientiam locupletarunt.

§. VII. Lucem vidit NICOLAVS COPERNICVS Thorunii Borussiae anno MCCCCLXXII et post accepta in Cracouiensi academia, linguarum, philosophiae et artis salutaris elementa, matheſi totum se, Regiomontani fama excitatus, tradidit. Deinde Italiam ingressus Bononiae Dominici Mariae, astronomiae professoris opera et auxilio vsus est, tanto successu, vt insigni omnium applausu, exspirante seculo XV, Romae mathematum professor constitueretur. Post aliquot annos reuersus in patriam, in canonicorum Warmiensium ecclesiae cathedralis Frauenburgi collegium receptus, de noua hypotheſi systematis mundani cogitare coepit, et restaurato dogmate Pythagoreo, Philolaico quod solem in mundi medio immotum ponit, nouam *Orbium coelestium eorumque reuolutionum theoriam* construxit, quam sex libris vulgauit, qui *Norimbergae* MDXLIII prodierunt [q], quo anno sanguinis profluuio extinctus est. De quibus eius vitae circumstantiis atque historia prolixe differuit PETRVS GASSENDVS [r], quo cum conferri rerum literariarum scriptores [s], et inter hos quoque MELCH. ADAMVS [t], possunt. Aeternam is sibi nominis gloriam nouo illo systemate mundano comparauit. Hactenus enim Ptolemaei systema apud omnes obtinuerat, in quo terra in centro collocatur, circa quam Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter et Saturnus in circulis concentricis moueri concipiebantur. Huius falsitatem vel solae Veneris et Mercurii reuolutiones demonstrabant, cum inter eos et Solem terram aliquando intercedere, contra experientiam, oporteret, ex quo homocentricorum auctores deserendos esse recte Copernicus colligebat. *Nicolaus Copernicus.*

p) c. 14. 15. 16.
q) Amstelod. 1617. cum Annot. NIC. MVLLERI.
r) T. V. Opp. p. 497. seqq.
s) IOVIVS Elog. c. vlt. FREHER. Theatr. p. 1447. VOSSIVS de Scient. Mathem. c. XXXV. §. 45. p. 183. STARAVOLSCIVS Cent. Polon. erud. alii.
t) Vit. Phil. p. 126. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. III. p. 521. WEIDLER. l. c. c. XIV. §. 19. p. 343.

bat. Ad ſcholam itaque Pythagoream conuerſus, quae eiecta e centro mundi terra, ſolem in eo, velut loco nobiliſſimo conſtituebat, et ita ſimpliciori et concinniori ordine motuum coeleſtium cauſſas enarrabat, ex ea aſſumendum eſſe ſtatuit, terram circa axem proprium gyrari, et circuitionem abſoluere ab occaſu in ortum dietim, diei noctisque viciſſitudines perficiendo. Sed cum iſta quoque ἀσυμμετρίαν proderent, Philolaum ſequendum eſſe iudicauit, qui terram a centro amouens, motum ei diurnum circa proximum axem, et circumductum etiam annuum circa ſolem tribuebat, eique locum inter planetas aſſignabat, cuius centrum Sol eſſet. Quae cum phaenomenis multo ſimplicius reſpondere conuenireque videret, etiam de ſingulorum motuum periodis definiendis cogitauit, indeque adhibitis obſeruationibus aſtronomicis opus de *Orbium coeleſtium reuolutionibus* confecit, ac eas geometrica methodo demonſtrauit. Dici non poteſt quam pulchrum ſyſtema Copernicanum ſideralis ſcientiae et coſmographiae ſtudioſis viſum ſit, eo quod abſurditates et confuſiones in Ptolemaico ſiderum motu eorumque epicyclis et eccentricis emendabantur, et inuolutiones circulorum multiplices, vt BVLIALDO [u] obſeruatum, ad ſimplicitatem phyſicam reuocarentur. Permouit haec naturalis ſimplicitas Georgium Ioachimum Rheticum, matheſeos apud Vitebergenſes profeſſorem, vt dimiſſo munere profeſſorio in Boruſſiam ad Copernicum concederet, et ſe illi in diſciplinam traderet [x]. Nicolaus Schoenbergius autem, cardinalis Capuanus magnis conatibus hypotheſin Copernicanam promouere ſategit [y]. Tacemus alios, qui pedibus in hanc hypotheſin atque ſententiam Copernicanam ire non cunctati ſunt. Quos hoc loco nominare eo minus opus eſt, quo minus in alienam meſſem falcem mittere fas eſt. Vnus quem poſtea nominabimus, Keplerus, ſpecimen eſſe poteſt, magnis in ſiderali ſcientia viris hanc hypotheſin placuiſſe. Nec defuere praeclara virorum eruditiſſimorum de meritis his Copernici teſtimonia, quorum partem collegit THOM. POPE-BLOVNTIVS [z], qui videndus. Signum tamen tollere contra hanc ſyſtematis mundani delineationem haud paucos iuſſit apparens ſacrarum paginarum pugna, quae tanta viſa eſt theologis, maxime ex Romanae eccleſiae gremio, vt et ſenſuum et reuelationis fidem eiurare videretur, quo in argumento eminuit Chriſtophori Clauii, doctiſſimi ex Ieſuitarum Societate mathematici diligentia. Mirum itaque haud eſt, congregationem patrum eccleſiaſticorum Romanam peculiari decreto hanc hypotheſin confixiſſe [a]. Id quod non impediuit quidem multos, quo minus calculum ei adiicerent, de quibus videſis I. GEORG. PASCHIVM [b], at in omnes tamen ſe partes vertere

u) Proleg. Aſtronomiae Philolaicae.

x) Conf. REIMMANN. l. c. P. IV. p. 216. debemus ei narrationem de libris reuolutionum Copernici adiectam Io. KEPLERI Myſterio coſmographico. Conf. BOECLER. Bibl. crit. c. 34. p. 537. WEIDLER. l. c. §. 23. p. 345.

y) IDEM l. c. §. 24. p. 346.

z) Cenſ. cel. Auct. p. 609. ſeq.

a) Vid. R. SIMON. Lettr. choiſies T. V. n. 12.

b) De Inuentis nou-antiquis c. VII. §. 3. pag. 519. ſeq.

tere coacti sunt mathematici Romanae curiae addicti, vt fulmina pontificia euitarent. Cumque Carteſius eandem Copernici hypotheſin nouis coloribus pingere et ſyſtemati, quod ſibi conceperat, phyſico adaptare conſtituiſſet, miras fraudes eum comminiſci oportuit, vt palpum inquiſitoribus obtruderet, vt ſupra narratum. Quae tamen ſeueritas hodie valde remiſit [c], praecipue cum inuenirentur nonnulli, qui dicta Scripturae S. cum ea hypotheſi conciliare poſſe non deſperarent, variamque viam inirent. Id quod valde agitatum eſt in Belgio foederato in controuerſiis Carteſianis, peculiari autem tractatione ſibi demonſtrandum ſumſit Io. IACOBVS ZIMMERMANNVS [d], vt alios taceamus. Nec diffitendum, quamplurima commendare hypotheſin Copernicanam, ſimplicitatem, ab omni perplexitate et confuſione remotam, ordinem ſapientiae diuinae conuenientem, ſimilitudinem terrae cum planetis accuratam, rationes apparentiarum coeleſtium planiſſimas et tricis omnibus expertes, epicyclorum et epepicyclorum inextricabiles labyrinthos euitatos, arcuum retrogradationis et progreſſionis in planetis deſcriptionem luculentam, et quae alia ſunt, ex hoc ſyſtemate fluentia, quae a reliquis prorſus exulant.

§. VIII. Mederi offenſioni, quam ex hypotheſi Capernicana tot viri docti metuebant, voluit TYCHO BRAHEVS, poſt Copernicum inter ſideralis ſcientiae cultores facile ſuo tempore princeps, de cuius vita integrum librum accurata diligentia conſcripſit PETRVS GASSENDVS [e], qui ab iis legendus eſt, qui hiſtoriam aſtronomiae ſeculo XVI excultam intelligere cupiunt. Cui addi poteſt I. IENSII oratio *de vita et obitu Tychonis de Brahe*, quaeque ad eius res cognoſcendas collegerunt TEISSIERIVS [f], BVLLARTIVS [g], WITTENIVS [h], BARTHOLINVS [i], PASCHIVS [k], WEIDLERVS [l], alii. Editus ex illuſtri, quae hodie adhuc in Suecia floret, Braheorum gente, Knudſtorpii in Scandia anno MDXLVI, patrem habuit Ottonem Braheum; educatus a patruo, anno MDLIX, Hafniamque ad diſcenda humanitatis ſtudia miſſus occaſione eclipſeos ſolaris ſideralis ſcientiae amorem concepit, et ſphaericae doctrinae principia haurire coepit. Lipſiam ad prudentiam iuris colendam ablegatus aſtronomiam potiorem habuit, eique duce Ioanne Hummelio ex Sueuia noſtra orto [m] inſudauit, commilitione vſus Bartholomaeo Sculteto, licet hanc ſiderum contemplationem, quo poſſet modo paedagogus, qui ei praefectus erat, impediret. Anno MDLXVI, poſt reditum in patriam Vitebergam acceſſit, et ineunte auctumno Roſtochium, vbi funeſto caſu in conflictu quodam naſi partem anteriorem fere totam amiſit, ſic vt adu*enti*-

Tycho de Brahe.

c) Conf. HEVMANN. Act. phil. Vol. II. pag. 808. ſeq.
d) In Script. Copernizante, vid. Act. Erud. 1691. p. 205. Relat. Innoc. 1701. p. 395. illuſtr. C. WOLF. de Script. Math. c. 9. §. 29.
e) Opp. T. V. p. 387. quem plerique ſecuti ſunt,
f) Elog. T. IV. p. 382. ſeq.
g) Acad. des Sciences T. II. p. 108. ſeqq.
h) Memor. philoſ. Dec. I. p. 5. ſeqq.
i) De Scriptis Danor. p. 146. 451.
k) De Inu. nou-antiq. c. 7.
l) l. c. c. 14. §. 85. ſeqq. p. 383. ſeqq.
m) Erat enim Memmingenſis. De eius peritia aſtronomica vid. GASSENDVS l. c. p. 389.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uentitium naſum ex auro argentoque conflatum agglutinare opus eſſet. Anno MDLXIX, abſoluto ſtudiorum academicorum ſtadio, cum iam praeclare in ſiderum cognitione eſſet verſatus, ad iter aſtronomicum ſe accinxit, et aliquandiu Auguſtae Vindelicorum haeſit, vbi eum virorum de promotis literis et literatis immortaliter meritorum Io. Baptiſtae et Pauli Hainzelii beneuolentia, et commoda occaſio quadrantis conficiendi detinuerat. Illi enim cum eruditos omnes mira humanitate excipere ſolerent, quos adducere ſolebat Hieronymus Wolfius, maxime Tychoni Braheo aſtronomiae cultura, quam inſigniter promouebant, coniuncti fuerunt [n]. Tum et aliis Germaniae locis viſis, labente anno MDLXXI patriam repetiit, acceptaque ab auunculo ſede aſtronomicis et pyronomicis operis diligenter vacauit. Biennio poſt matrimonium, cum femina plebeia iniit, non ſine conſanguineorum indignatione, et petente rege adoleſcentibus nonnullis planetarum theoriam praelegit. Tum anno MDLXXV iter diu meditatus tandem ingreſſus eſt, et, poſtquam Haſſiae Landgrauium Guilelmum, qui ſiderali ſcientiae magnificis conatibus et proprio ſtudio fauebat, conuenerat, Baſileam adiit, iterque proſecutus per Heluetiam Venetias vidit, et in patriam rediit, Hafniam a Danorum rege Friderico II. vocatus, ob commendationem Landgrauii Venuſiam inſulam, quam Huenam inquilini vocant, vtendam, aedificiumque obſeruationibus ſiderum deſtinatum extruendumque liberaliter accepit, cui coeleſtium ſpeculationum theatro Vranoburgi nomen poſtea indidit, inſtrumentorum neceſſariorum apparatum magnificum ſumtibus vere regiis ab optimo principe ſuppeditatis parauit et canonicatus Roſchildienſis atque feudi Noruegii reditibus ſatis vberibus ditatus, vt vni ſiderum contemplationi vacare poſſet. Deſcripſit prolixe Gaſſendus, quibus obſeruationibus in hac ſede aſtronomica lumina aſtronomorum auxerit, quae apud ipſum legenda. Tanta vero induſtria, tanta cum laude et felicitate operi inſtitit, vt nominis fama vbique increbeſceret, et rex Scotiae Iacobus anno MDXC regis ſororem ducturus ipſum inuiſeret, immo conſcripto, carmine eleganti, elogio eum extolleret. Quia vero artis medicae peritia Tycho excellebat, arti quoque ſpagiricae tempus impendit, et arcanis remediis deſperatos haud raro morbos gratis ſanauit. Quae res tandem ei inuidiam conflauit, et patriam atque arcem iſtam coeleſtem, quam liberalitate Friderici regis extruxerat, relinquere coëgit. Chriſtiano IV. enim rerum potito, cum infenſos haberet aulae magiſtrum regnique cancellarium, eo quod illum leui de cauſſa irritauiſſet, (cuius arcanam hiſtoriam a GASSENDO [o] praetermiſſam, narrat HVETIVS [p],) regis animus ab eo alienatus eſt, eo quod nonnulla irae impatiens grauiora in regem effuderat, et ſtipendia cum

n) Meretur de optimorum virorum ſtudiis et voluntate erga viros doctos legi GASSENDVS l. c. p. 392. quem locum multis exemplis illuſtrare poſſemus, ſi hiſtoriam patriae noſtrae literariam ſcriberemus. Meritorum autem Hainzeliorum in literas memoriam alio forte tempore exponemus. Aderat tunc quoque Petrus Ramus.

o) Pag. 445.

p) De rebus ad eum pertinentibus Lib. II. p. m. 35.

cum canonicatu et feudo subtracta sunt. Quae res eum coëgit, de transferenda aliorsum sede cogitare. Hafniam itaque concessit cum familia et apparatu, solis maioribus organis Vranoburgi relictis. Ibi cum ab aulae magistro per praetorem vrbanum astronomiae et chemiae exercitationibus insudare prohiberetur, cum suis et supellectile Rostochium anno MDXCVII, indeque ad Henricum Ranzouium, qui Holsatiae produx praerat, et studiis sideralibus vehementer delectabatur [q], diuertit, ibique machinarum astronomicarum descriptionem Rudolpho II. imperatori dicauit. Is cum abiisse ex Dania Tychonem intellexisset, per procancellarium, amplissimis promissis eum ad se inuitauit. Qui morem gerendo cum Pragam concessisset, clementer exceptus et MMM. aureorum stipendio conductus arcem Benaticam habitandam vtendamque accepit, illucque familiam transtulit, ac socios obseruationum adsciuit. Pertaesus tamen eius loci, aedes Curtianas Pragae elegit, Keplerumque obseruationum et calculi adiutorem nactus est. Quibus laboribus dum strenue inuigilat, post largiorem in coena apud Rosenbergium potum haustum ex vrina nimis diu retenta anno MDCI viuis ereptus est. Vranoburgum autem temporis et tempestatis iniuria ita dirutum et solo aequatum, vt HVETIVS, et Io. PICARDVS [r], qui locum inuiserunt, vix eius vestigium inuenirent. Fuisse Tychonem hominem violentum, impotentem, iracundum, famulos et villicos male mulctantem, ebriosum quoque et mulierosum non nemo Huetio percontanti, ex Huenae insulae incolis, qui in familia Brahei vixit, retulit. Sed et contradictionis impatientem, pertinacem, atque superstitiosum fuisse obseruat TEISSIERIVS [s]. In siderali autem scientia immortalem sibi gloriam et inuidendas eruditorum laudes comparauit, vt ex testimoniis a POPE-BLOVNTIO [t] collectis intelligitur. Testes quoque sunt libri, quorum ex parte edendorum curam habuit Keplerus. Inter quos mechanicos eminere iudicauit BARTHOLINVS [u], indicem eorum dedere TEISSIERIVS [v] et WEIDLERVS [w], qui videndi. Nouo vero systemate mundano maxime inclaruit, quo medium inter Copernicum et Ptolomaeum tenere, vel suo modo vtrique fauere studuit. Supponit enim, terram quiescere, et solem cum toto coelo, duplici illo diuerso circa illam motu, ita rotari, vt terra quidem centrum motus solaris, sol vero planetarii motus centrum esse statuatur [x]. Ast vidisse Tychonem difficultates huius systematis, cuius congruentiam cum apparentiis coelestibus, in opere, quod meditabatur, astronomico, explicaturus erat, et ipse prodidit, et KEPLERVS monuit [y]. Viri autem acuti, non minus id confusione et ordinis defectu, quam Ptolemaicum, laborare, quin maiores tenebras officere rei siderali, dudum

q) Conf. GASSENDVS l. c. p. 414 447. WEIDLER. l. c. p. 391.
r) Coll. Obseru. variar. Paris 1693 edit. vbi extat Iter Vranoburgense.
s) l. c. p. 386. t) p. 789.
u) De libris legendis Diss. III. p. 66.
v) l. c. w) l. c.
x) In App. Tomi I. Progymn. p. 810.
y) Praecept. Rudolph. p. 57. vid. WEIDLER. l. c. p. 392.

dum demonstrarunt. Quo nomine in Anti-Tychone in illud insurrexit SCIPIO CLARAMONTIVS, cui Hyperaspisten oppositus fuit KEPLERVS x.

Ioannes Keplerus.

§. IX. Tychoni Braheo socium addidisse optimum imperatorem Rudolphum II. IOANNEM KEPLERVM diximus. Tantum debet insigni viro, et illustri Sueuiae nostrae, ex qua oriundus fuit, ornamento astronomia pariter atque naturalis scientia, vt indictum eum hoc loco praetermittere nefas sit y. Natus exspirante anno MDLXXI Wilae in ducatu Virtenbergico, Leonbergae, vicino oppido educatus est; eo enim pater, militiam praeclaris facinoribus secutus, ob perditas facultates se contulerat, et cauponariam postea in agro exercebat, in exilio relicta vxore tandem defunctus. Qui cum filii educationem neglexisset, in coenobio Mulefontano inter alumnos receptus literarum semina ita feliciter hausit, vt ad Tubingensem academiam mitti posset, vbi in ducali collegio vixit. Ibi anno MDXCI magister philosophiae creatus, ministerio ecclesiastico se destinauit, duce vero Moestlino in astronomiae quoque mysteria incubuit, eo progressu scientiae sideralis, vt a proceribus Stiriae anno MDXCIII Graecium ad occupandam cathedram mathematicam et ethicam euocaretur. A quo tempore totum fere se astronomiae studiis tradidit. Cuius specimen praeclarissimum anno MDXCV extare voluit, edito *Mysterio cosmographico, siue de admirabili proportione orbium coelestium, deque caussis caelorum numeri, magnitudinis, motuumque periodicorum genuinis et propriis demonstratum per quinque regularia corpora geometriae.* Quo libro ingenii eius perspicacia et eximia eruditio astronomica viris in ea arte summis, maxime Tychoni Braheo commendata est. Biennio post coniuge ducta infelix matrimonium, ob lites de dote obortas habuit. Anno MDXCVIII religionis caussa in Hungariam exul abiit, muneri anno MDC restitutus. Cum autem indies magis calamitates publicae in Stiria suspectae viderentur, Tychonis amicitia et commendatione vsus Caesarei mathematici axioma accepit et familiam eo anno Pragam transtulit, incerto fortunae euentu, cum stipendium non promte solueretur, et illi cum Tychone, homine impotente, cui calculi socius erat additus, non satis conueniret. Arti itaque salutari horas nonnullas dicauit, vt haberet ex quo postea viuere posset. Extincto mox Braheo, Herwarti ab Hohenburg, Cancellarii Bauarici, intercessione stipendium quidem solutum semel accepit, at postea litibus Tychonis haeredum impeditus, per annos vndecim in tanta doctrinae praestantia inopia laborare cum familia coactus est. Tandem a Matthia imperatore Lincium euocatus meliorem fortunae auram sensit, ibique ex fauore procerum Austriae modico stipendio vixit anno MDCXXIX Caesaris venia in Alberti Fridlandiae ducis patrocinium transiit, et Sagani docuit, anno sequenti a Rostochiensibus ad profes-

x) BAILLET des Satyres person. T. II. p. 141.

y) Vitam eius enarrat GASSENDVS Vit. Tych. L. V. p. 451. 471. BAYLE Dict. T. III. art. Kepler p. 3. WEIDLER. Hist. Astron. c. XV. §. 1. sqq. p. 414.

professionem mathematum inuitatus, dum in comitiis Ratisbonensibus stipendia residua vrget, ad fidereas sedes anno MDCXXXI, aet. LIX, rapitur. Non est animus vel libros eruditissimos insignis viri z), vel merita in rem astronomicam praeclarissima, et quae noua detexit, illustrauit, auxit, exponere; hoc enim ad historiam disciplinae sideralis pertinet. Ast id praetereundum non est, acutissimum philosophum vidisse nonnulla et monuisse in naturali scientia, quibus sequens aetas, et in ea maxime Cartesius *, velut nouis inuentis, superbire coepit; inuenisse praeclaras hypotheses, quibus postea haud pauca naturalis doctrinae capita inaedificata sunt. Obseruatum id magno LEIBNIZIO †, „diuina prouidentia factum esse, vt obseruationes et molimina Tychonis in manus viri incomparabilis, Ioannis Kepleri venirent, cui fata seruauerint, vt primus „mortalibus publicaret

Iura poli, rerumque fidem legesque deorum.

„Hunc enim inuenisse, quemlibet planetam primarium orbitam describere „ellipticam, in cuius altero focorum sit sol, ea lege motus, vt radiis e „sole ad planetam ductis areae semper abscindantur temporibus proportionales. Eundem deprehendisse, plures planetas eiusdem systematis habere tempora periodica in sesquiplicata ratione distantiarum mediarum a sole. - - Sed tantarum tamque constantium veritatum causas dare non „potuisse, tum quod intelligentiis, aut sympathiarum radiationibus inexplicatis haberet praepeditam mentem, tum quod nondum illius tempore „geometria interior, et scientia motuum, eo quo nunc, profeciisset. „Apparuisse tamen et rationibus indagandis aditum. Nam ipsi primum indicium deberi verae causae grauitatis, et huius naturae „legis, a qua grauitas pendeat, quod corpora rotata conentur a „centro recedere per tangentem, et ideo si in aqua festucae vel „paleae innatent rotato vase, aquam in vorticem actam, festucis densiorem, adeoque fortius, quam ipsas, excussas a medio festucas versus „centrum compellere, quemadmodum ipse diserte duobus et amplius locis „in Epitome astronomiae exposuerit, quanquam adhuc subdubitabundus, „et suas ipse opes ignorans, nec satis conscius, quanta inde sequerentur, „tum in physica, tum speciatim in astronomia. Sed his deinde egregie „vsum esse Cartesium, etsi more suo auctorem dissimularit: miratumque „se esse saepe, quod Cartesius legum coelestium a Keplero inuentarum „rationes reddere ne aggressus quidem sit &c.“ Satis haec ingenii Kepleriani felicitatem detegunt, et manifestum faciunt, qua in re naturali disciplinae vtilissimam operam praestiterit. Quod autem Leibnizius dicit, Keplerum,

z) Vid. WEIDLER. l. c. BAYLE l. c. eminent Tabulae Rudolphinae, in quibus auctor primum logarithmos ad calculos astronomicos traduxit. Colligere Kepleriana atque edere dudum molitus est cel. HANSCHIVS, vid. Epp. Leibniz. Vol. III. p. 82. seqq. IV. 453.

*) Diximus ea de re in vita Cartesii, conf. BAYLE l. c. not. D. †) Act. Er. 1689. p. 82. seqq.

Keplerum, intelligentiis praepeditam mentem habuisse, id de hypothesi Kepleriana intelligendum est, qua omnibus mundi corporibus, adeoque sidereis quoque, intelligentiam quandam siue animam dirigentem et sentientem inesse, credebat. Quam eius opinionem ita enarrat GASSENDVS [a], vt moneat, *eum sidera fecisse animata, ac vt instrumenta motus in animalibus sint fibrae digestae per musculos, sic censuisse illum esse et in terra et in planetis ceteris ingentes fibras aliquas pro ratione molis cuiusque, per quas anima vim suam motricem exerceat. Censuisse vero etiam praeter speciales animas, et vires quae insunt in ceteris, esse in ipso sole animam nobilissimam potentissimamque, quae dum solem circum proprium axem, a centro mundi propterea non discedentem circumagat, immateriatas species irradiando circumfundat, quibus planetae velut correpti ipsi soli circumducantur.* Quae hypothesis, vt eleganter magno Leibnizio obseruatum, minime quidem physica videtur; immo nec admirandis Dei machinamentis dignum est, intelligentias peculiares itineris directrices assignare sideribus, quasi Deo deessent rationes eadem corporeis legibus perficiendi: ast facile id ferri in Keplero et condonari illi potest, cum tamen leges motus felicissime detexerit, licet in assignandis caussis errauerit. Nec hic nouus error est, sed tantae sapientiae opus, quantum in directione legum motuum coelestium conspicitur, semper tale visum philosophis fuit, quod a potentissimis et sapientissimis intelligentiis produceretur, id quod astronomia barbarica satis superque probat. Immo philosophos hodiernos exagitat ideo P. BAYLE [b], quod eos satis incertos esse putet, annon Kepleriana hypothesis vera sit. Quod tamen non asseruisset vir acutissimus, si matheseos paulo fuisset peritior. Verum de his aliisque, quae ad Keplerum spectant, alibi differendum iudicandumque est.

Galilaeus Galilaeus.

§. X. Eodem, quo orbem mathematicum Keplerus ornauit, tempore magna sideralis scientiae fama eminuit GALILAEVS GALILAEVS, vir celeberrimus, cuius vitam rogatus a cardinale Carolo Mediceo scripsit VINCENTIVS VIVIANI, praefigendam scriptis Galilaei vno fasce edendis, quam in tenebris latentem tandem in lucem protraxit SALVINVS SALVINI, inseruitque *Fastis consularibus academiae Florentinae* [c], Germanico vero habitu indutam prodire iussit celeberrimus HEVMANNVS [d]. Nos pro instituti ratione pauca quaedam de tanto naturae siderumque interprete ex hac biographia notamus. Natus est, Galilaeus Galilaeus Pisis anno MDLXIV, XV. cal. Mart. patre Vincentio Michangelo Galilaeo [e], matheseos musicaeque peritia instructo. In pueritia et ingenii diuini singularem plane et inusitatam alacritatem, et mathematicarum rerum atque instrumentorum amorem prodidit. Qua naturae felicitate adiutus magna studiorum incrementa cepit, quamuis idoneis magistris destitueretur. Nam et artis musicae

a) Physic. Opp. T. I. p. 635.
b) Loc. cit. c) p. 397. seqq.
d) Act. Phil. Vol. III. p. 261. seqq. 400. seqq.
e) Spurium facit nostrum ERYTHRAEVS Pinac. I. p. 279. negat biographus, conf. Act. Erud. T. VIII. Supplem. p. 354.

muſicae exercitatione, et Graecae linguae cognitione et logices vulgaris notitia (quam tamen mature nauſeare coepit) et pingendi delineandique artificio mirum in modum adoleſcens excelluit. Annos natus octodecim anno MDLXXXI Piſas miſſus, et philoſophiae Ariſtotelicae atque artis ſalutaris ſtudiis deſtinatus eſt. Qui cum acerrime iudicaret, mox vidit, quibus ineptiis atque tricis ſcholaſtica doctrina et philoſophia recepta turgeret, cuius etiam naeuos et errores in publicis diſputantium circulis fortiter tangere non neglexit, licet parum ſe gratioſum apud Ariſtotelis pediſequos fore intelligeret. Ipſe igitur, cum a viuis praeceptoribus parum caſtioris diſciplinae ſibi promitteret, ad veteres philoſophos Graecos diuertit, et hiſtoriae philoſophicae cognoſcendae non leuem operam impendit. Mathematicas autem artes hactenus neglexerat, quarum exigua eo tempore in Italia cultura florebat. Quarum diſcendarum cupiditatem pater ei accendit, quae in flammas mox erupit, praecipue cum Oſtilio Riccio Firmo, mathematico perſuaſiſſet, vt Euclidea axiomata ipſi explicaret. Ita factum, vt matheſi plus fauere, quam medicae arti, inciperet, indignante patre, et Riccio interdicente, ne ad has porro artes filium duceret. At ille ſuomet, quod excellentiſſimum nactus erat, ingenio confiſus, legere ipſe Euclidem et intelligere demonſtrationes eius coepit, ea felicitate, vt parentem tanta eius lumina obſtupeſcentem commoueret, vt ſuo genio indulgere et tradere ſe totum geometriae reliquisque ſcientiis mathematicis pateretur. Quo impedimento ſuperato dimiſit medicinae ſtudium, et veterum geometrarum, praeſertim Archimedis ſcripta legere et meditari conatus, miros in geometria reliquisque matheſeos partibus profectus ſenſit. Quos cum ſciret magnus Hetruriae dux, eum vix viginti ſex annos natum cathedrae mathematicae in academia Piſana praefecit. Intellexit vero vir acutiſſimus, fruſtra hactenus Peripateticos in detegenda natura rerum materialium atque naturalium deſudaſſe, quod leges motus naturales non intelligerent. Ad hoc itaque nobiliſſimum phyſicae caput cum magna cura attenderet, naturam motus mechanici propius inſpexit, ita vero pſeudo-philoſophos et ignorantiae patronos aduerſarios expertus eſt. Anno MDXCII a republica Veneta in ſexennium ad Patauinam cathedram conductus eſt, eamque ſpartam inuentis machinis vtiliſſimis editisque lucubrationibus mathematicis egregie ornauit, nonnullas aliis donauit, qui eius poſtea plumis ornati ſuperbire non erubuerunt. Thermometrorum circa hoc tempus inuento inclaruit; cumque ſexennium iſtud effluxiſſet, in aliud operam ſuam Patauinae academiae denuo, aucto ſtipendio, addixit; idem tertio factum anno MDCVI, ſalario largiori ſoluto. Anno MDCIX cum ad aures eius perlatum eſſet, obtuliſſe Belgam quendam Mauritio Naſſouiae comiti perſpicillum, cuius ope obiecta diſſita velut propinqua intueri liceret, isque ab amicis de rei certitudine eſſet perſuaſus, de ſimili tubo optico inueniendo cogitare coepit, eumque poſt aliquot tentamina innixus doctrinae de refractione tandem

dem ita perfecit, vt organon opticum conſtrueret, quo res viſae millies maiores conſpicerentur, vt ipſe narrat in *Nuncio ſidereo*, quo loco legendus eſt. Quo εὑρήματι ita reipublicae Venetae fauorem aucupatus eſt, vt triplici ſtipendio ditato ad vitae dies munus mathematici reip. confirmaretur. His tentaminibus feliciter cedentibus ad microſcopia conficienda delatus eſt, tuborum autem opticorum acie in coeli partes conuerſa noua multa, et inaudita hactenus detexit, quorum hiſtoriam ipſe in *Nuncio ſidereo* contexuit. Vidit enim in lunae facie aſperitatem, praealtos montes, profundasque valles, in lacteo circulo et ſtellis nebuloſis innumeram fixarum nudis oculis inconſpicuarum congeriem, in Venere phaſes, quales luna habet, in Saturno figuram oblongam et quaſi tricorpoream, quatuor porro circa Iouem lunas, quas ſidera Medicea nuncupauit, et in ſole maculas ex quarum motu collegit, ſolem circa axem ſuum rotari. Tam ſtupendas ſiderum facies cum orbi detexiſſet, et laudatum librum Coſmo Hetruriae principi inſcripſiſſet, adeo diligentia Galilaei feliciſſima Moecenati huic placuit, vt epiſtola ad eum data illi de ea re gratularetur, et philoſophum atque mathematicum Hetruriae eſſe iuberet. Orbis autem aſtronomicus mire eius conatibus applaudit, quamuis eſſent haud pauci, qui iucunda ſibi ingenii elegantis ſomnia narrari crederent, quos tamen de rei veritate experientia poſtea conuicit. Anno MDCX a magno Etruriae duce vocatus Florentiam conceſſit, viditque Venerem non minus, quam Lunam creſcere et decreſcere. Biennio poſt itinere Romam facto coram cardinalibus aliisque viris principibus, macularum ſolarium aliarumque obſeruationum experientiam demonſtrauit, adſcriptus propter ingenii perſpicaciam academiae lynceorum. Aeſtate ſequente dum cogitationes de maculis iſtis vulgare ſcripto contendit, crabrones Peripateticos vehementer irritauit *f*, quos tamen edita reſponſione disiecit fugauitque diſcipulus eius Benedictus Caſtelli, Mathematicus Piſanus. Ipſe in Florentino agro, qui Philippi Saluiati erat, totus in ſidera contemplanda incubuit, cumque macularum detectarum gloriam ſibi Chriſtophorus Scheinerus, Societatis Ieſu theologus vindicaret, cum eo, intercedente Marco Welſero noſtrate, viro ſummo, in epiſtolis concertauit *ff*. Sed et nouorum inuentorum auxilio ad vtiliſſima problemata conuerſus, longitudinum geographicarum inuentionem ope obſeruationum circa Iouiales moliebatur, et quantum inde rei nauticae emolumentum enaſci poſſet, aulae Hiſpaniae regis, per magnum ducem ſignificauit, fruſtraneo tamen euentu: Comparentem vero in coelo cometam anno MDCXVIII licet aeger, lectoque affixus, obſeruauit, Horatii Craſſi, mathematum profeſſoris Romani aliorumque hypotheſes varias et nihil recti ſignificantes, reiecit, quas eius cogitationes Marius Giudiccius edito libello *de Cometis* vulgauit, fremente et indignante Craſſo, et haud parum inuidiae Galilaeo conflan-

f) Conf. quos nominat WEIDLERVS loc. cit. p. 426.

ff) Scriptores de hac controuerſia nominat HEVMANNVS l. c. p. 807.

conflante. Qui cum *Systematis Cosmici* explicationem accuratam moliretur, et quam pulchre sententia Philolai et Copernici cum coeli phaenomenis conspiraret, demonstrare vellet, anno demum MDCXXXII prodire in publicum ausus est, praemissa anno antecedente *Collectione testimoniorum PP. et theologorum de S. Scripturae dictis in conclusionibus mere naturalibus, quae experientia sensuum et demonstrationibus necessariis euinci possunt, temere non vsurpandis.* Vix autem Systema Cosmicum ediderat, lingua vernacula et dialogistica methodo vsus, ex terrae motibus, fluxuque et refluxu maris demonstrauerat, qua verisimilitudine Copernicana hypothesis Ptolemaicae esset praeferenda, cum optatissimam occasionem insidias illi struendi nacti aduersarii Romanos censores, patresque ecclesiasticos, quos istam hypothesin anno MDCXVI damnauisse supra notauimus, excitarent, vt haereticae prauitatis philosophus incomparabilis accusaretur. Citatus Romam ab officio, cum comparuisset, honestiori carcere conclusus, rationem reddere iussus est. Ex quo loco cum male responderi posse intelligeret, sententiam retractauit, dialogum istum inter libros prohibitos relatum vidit, sicque post quinque menses, Roma quidem liber dimissus, sed Senensis tamen archiepiscopi, Piccolominei palatio excedere prohibitus est. Paruit Galilaeus et fauente hospite totum se perquirendis legibus mechanicis resistentiae corporum tradidit. Permissum tamen post menses quinque, rus quoque concedere, quo vellet, locum sibi studiis suis commodum delegit, amicos vero frequentes penes se habuit. Systema cosmicum autem a Matthia Berneggero Latinitate donatum, et in alias quoque linguas conuersum, miro vbique applausu exceptum est [g]: indignante Galilaeo, cuius intererat, vt ex animo istam hypothesin eiurasse crederetur. Resumto deinde anno MDCXXXVI, longitudinum definiendarum labore Belgii foederati proceribus, quae detexisset, obtulit. Qui cum tanti viri merita nossent, torquem aureum ei obtulerunt, quem accipere tamen noluit, nisi cogitationibus suis prius examinatis. Quod cum a rerum peritis proceres Belgii foederati fieri iussissent, et hi Galilaei inuentis subscripsissent, missi sunt Martinus Hortensius et Blauius, qui Galilaei obseruationibus interessent, et calculos necessarios pro compositione tabularum tractarent. Ast fatale, quod Galilaeo incidit, malum, laudatissimum institutum interrupit. Nam post XXVII annorum labores et obseruationes fidereas oculorum acie et tandem vsu omni priuatus, coepta absoluere non potuit. Scripta ideo sua et obseruationes Vincentio Renierio tradidit, ad Batauos mittenda, vt negotium perficeret, schediasmata alia amicis donauit, eo quod typis vulgare nihil amplius vellet. Animum tamen ad absoluenda, quae molitus erat, scripta nonnulla adiecerat: at oculorum artuumque doloribus et febri lenta depastus exequi consilium non potuit, ereptus inuidiae et ignorantiae persecutionibus anno MDCXLI ineunte. Haec Viuianus; cuius

g) Conf. LEO ALLATIVS in Apib. Vrban. p. 118.

cuius narrationem ideo sequendam esse duximus, quod is inter carissimos Galilaei discipulos fuerit, et scire res praeceptoris potuerit [h]. Conferri autem cum ea possunt, quae dedit I. Nic. Erythraevs [i], et quae doctissimus Hevmannvs [k] ex aliorum scriptis de Galilaeo annotauit. His enim inhaerere diutius hoc loco non licet. Librorum indicem dabit Leo Allativs [l], quocum conferendus Cl. Weidlervs [m]. Nobis in praesentia ideo praestantissimus Mathematicus extollendus laudibus est, quod non solum obseruationibus astronomicis, sed et geometricis et mechanicis philosophiae naturali insigne lumen accenderit, laudatus ideo ex merito a viris doctis, quorum testimonia collegit Thomas Pope-Blovntivs [n], qui consulendus. Illud certum, in emendanda et firmiori fundamento collocanda physica Galilaeo omnium plurimum tribuendum esse, vnde recte Cl. Crovsazio [o] illustris matheseos et hodiernae physicae parens dicitur. Quamquam enim Keplerus leges motuum naturalium iam detexerat, geometriae tamen sublimioris auxilio destitutus in caussas earum non penetrauit, vt supra dictum. Ast Galilaeus geometriam mechanicam, in qua prope solus inter veteres geometras Archimedes aliquid vidit, aggressus, iudice Leibnizio [p], *exacto iudicio magnaque interioris geometriae notitia instructus, pomoeria scientiae protulit primus, idemque solidorum resistentiam ad geometriae leges reuocare coepit.* Qui et hoc addit: *Quanquam non semper acu rem tetigerit, vsus hypothesibus non satis certis ex fundamentis tamen positis recte ratiocinatum esse.* Et ab eo quidem tempore rationes mechanices geometricae diligenter excultae, mirabilem naturae rerum materialium cognoscendae lucem accenderunt.

Physicae incrementa ex studio mathematicorum geometrico-mechanico.

§. XI. Valde auctum est ab eo tempore, quo Galilaeus naturalis disciplinae pomoeria cum obseruationibus astronomicis, tum calculo geometrico ad mechanicam applicato dilatauit, physicae studium. Certatim enim prodierunt geometrae praestantissimi, qui nouas motus legis detegendo infinitas naturalis scientiae veritates geometrico calculo subiecerunt. Et hinc alterum mathematicorum genus constitui potest, quod geometriae mechanicae attemperatae auxilio physicam disciplinam maximo lumine collustrauit. Et ipsum quidem Galilaeum, quem secuti sunt Torricellius et Cauallierius, rem non semper acu tetigisse, et supra iam dictum, et in tam difficili argumento adeo mirandum haud est. Solet enim, vt in naturae regno, ita etiam in disciplinis diluculum solem plenumque diem praecedere. Perfectiorem tamen cognitionem geometricam monstrauit Gregorius de S. Vincentio, qui imprimis insignem hyperbolae vsum in scientiis physico-mathematicis primus fere vidit ac ostendit, et intimioris

h) Conf. Act. Erud. 1709. p. 159.
i) l. c.
k) l. c. p. 803. seqq.
l) l. c.
m) l. c. vbi Astronomici recensentur.
n) Cens. cel. Auct. p. 897.
o) Logic. P. IV. c. 12. §. 10.
p) Act. Erud. 1684. p. 319.

mioris geometriae adyta pandit q). Quem citatis pedibus sequuti Harriotus, Cartesius, Wallisius, Fermatius, Hugenius aliique semitam eam ingressi sunt, quam post horum tentamina tandem ingenti ingenii perspicacia aperuerunt maximi geometrae, Leibnizius atque Newtonus, qui insignem geometrarum cateruam post se traxerunt. Quos hoc loco adducere esset extra oleas vagari. Ast merentur tamen duumuiri maximi hoc loco eo magis memorari, quo magis ad philosophiam geometriae auxilia transferre diuino calculi differentialis et methodi fluxionum auxilio sategerunt, et tantum non alios plane physicae vultus effinxerunt. Et Leibnizii quidem memoriam supra iam recoluimus: cui praeter Hospitalium, Varignonium aliosque insignes viros illustris Bernoulliorum familia addenda est, quae in hoc physici luminis genere immortalia merita habet. De magno Newtono autem eo magis hic dicendum est; quo magis, inuito licet viro maximo, in sectam abiit philosophia Newtoniana. Quam tamen describere totam more nostro eo minus licet, quo minus vel locus vel institutum nostrum, quod in speciali parte philosophiae non occupatur, id patitur. Dicemus vero strictim de vita celeberrimi mathematici, deque meritis et dogmatibus eius illa paucis afferemus, quae in historia philosophiae vniuersali ignorari nequeunt.

§. XII. Laudauit ISAACVM NEWTONVM more suo, elogium maximi viri conscribendo distertus FONTENELLII r) calamus, cuius biographia vel oratio potius panegyrica aliquoties Anglica lingua recusa est: dederunt quoque eius summam Ephemerides nonnullae literariae s). Vitam autem eius enarrauit anonymus Britannus t), nos pauca hoc loco, instituti memores repetimus. Vidit incomparabilis philosophus atque mathematicus lucem VII. cal. Ian. anni MDCXLII. Cantabrigiae illustri et antiqua Newtoniorum familia satus. Tanta vero ingenii quod a natura acceperat, diuini specimina puer iam demonstrauit, vt cum insatiabili disciplinarum desiderio arderet, quae maturae aetatis hominibus difficilia sunt, facile intelligeret, et Euclidis theoremata atque demonstrationes nullo negotio assequeretur. Totum ergo cum se non elegantioribus modo literis, sed et seuerioribus disciplinis, maxime artibus mathematicis dedisset, quae in geometricis Cartesius tradidit, et in opticis Keplerus, inter ipsa, quae posuit, matheseos rudimenta excussit ff), facilitate et felicitate ingenii tanta, vt viginti quatuor annorum iuuenis, anno MDCLXV quadraturam circuli, hyperbolae, et aliarum quarundam curuarum per series infinitas ex WALLISII arithmetica infinitorum, per interpolationem serierum eius primo deduceret, deinde methodum excogitaret,

Isaacus Newton.

q) Conf. Memoire pour l'Histoire des decouvertes qu'on a fait en Mathematique dans ces derniers Siecles, Mem. de Trevoux 1721. Juin. art. 4.

r) Elogior. T. III. Opp.

s) Present state of the rep. of lettres 1720. Juin. P. II. art. 5. Journ. des savans 1734. Mai. art. 6. Bibl. Franc. Tom. XI. P. I. art. 5.

t) Londin. 1728. 12.

ff) Didicisse a Wreenio multa Newtonum tradit Leibnizius. Recueil T. II. p. 10.

gitaret, easdem series per diuisiones et extractiones radicum inueniendi, quam anno sequente generalem reddidit. Id quod ex schedis eius se didicisse contendunt maximi geometrae asseclae [t], praecipue ex Collinsii, qui amplissimum cum sui seculi mathematicis commercium aluit, scriniis. Ex quo commercio Collinsii constat, Newtonum haec mysteria perquisiuisse duce Isaaco Barrouio insigni geometra in academia Cantabrigiensi, acceptoque anno MDCLXVII gradu magistri artium, tantum in hac methodo inuestigandi magnitudinum dimensiones per infinitas series, aliquot annos, antequam MERCATORIS logarithmotechnia anno MDCLXVIII prodiret, profeciisse, vt huic vni inuentionis gloria debeatur. De hac enim ipsum illustrem virum, et multo magis eius assectas his testimoniis pertinaciter pugnauisse, supra iam [u] ex parte tetigimus. Talis cum esset, collegio SS. Trinitatis socius adscriptus a Barrouio prouinciam publice praelegendae matheseos in se recepit, et postea professor mathematum Lucasianus in academia Cantabrigiensi constitutus est. Quo axiomate ornatus senatui regni nomine academiae anno MDCLXXXVIII, et anno MDCCI interfuit. Non autem excellentissimorum, quae plaudente et consentiente mathematicorum omnium choro sibi parauit, meritorum illustrius testimonium est, quam quod inter primos fuerit, quos ex exterorum numero suo albo adscripserit academia scientiarum Parisiensis; Londinensis autem famae eius atque doctrinae consummatae gloria illum sibi anno MDCCIII praesidem elegerit, quo honore ad vitae finem functus est. Cumque non theoretica tantum eruditione emineret, sed et vitae ciuilis prudentia esset commendatissimus, suprema rei monetariae cura ei equiti aurato demandata est, ex quo munere amplissimi prouentus [v] ad eum redundarunt. Quamuis autem vir summus in rimandis mysteriis geometricis et arithmeticis tanta felicitate ab ipsis iuuentutis annis versaretur, non tamen ante annum MDCLXXXVII nouam, quam geometriae calculique sublimioris auxiliis adiutus construxerat philosophiam naturalem et mathematicam communicare cum vulgo voluit. Hoc enim anno lucem prima vice vidit liber incomparabilis, cui *Philosophiae naturalis principiorum mathematicorum* titulum praefixit. Nempe minime satisfecerat maximo viro physica Cartesiana, nec Gassendiana quoque doctrina placuerat, cum videret, statuere eos [w] quidem materiam vniuersam homogeneam esse, et omnem formarum varietatem, quae in corporibus cernitur, ex particularum componentium simplicissimis quibusdam et intellectu facillimis affectionibus oriri; atque hoc pacto recte progressionem instituere

t) GVIL. IONES Praef. ad Analys. per quantitatum series, fluxiones et differentias, CONTI Epist. ad Leibniz. Recueil T. II. p. 13.

u) In Vita Leibnizii. Is Newtono proprio Marte acquisitae inuentionis laudem non denegauit, sibi vero calculum differentialem suis luminibus enatum esse constanter asseruit, nec attulerunt Britanni, quod nos contrariae sententiae conuinceret. Qua de re digna sunt, lectu, quae Memoriarum Triuoltiensium auctores 1721. Juin. art. 2. monuerunt. Haec enim tangere prolixius huius loci non est.

v) 700000 libras Gallicas eum reliquisse biographus ait, rarissimo inter philosophos exemplo.

w) COTESIVS Praef. nouae editionis 1713.

ſtituere a ſimplicioribus ad magis compoſita: at licentiam ſibi aſſumere ponendi quaſcunque libet ignotas partium figuras et magnitudines, incertosque ſitus et motus, quin et fingendi fluida quaedam occulta, quae corporum poros liberrime permeent, omnipotente praedita ſubtilitate, motibusque occultis agitata, ſicque ad ſomnia delabi neglecta rerum conſtitutione vera, fundamentum vero deſumere ab hypotheſibus: hincque etiamſi deinde ſecundum leges mechanicas accuratiſſime procedant, fabulam quidem forte elegantem et venuſtam, fabulam tamen concinnare. Ad aliud ergo philoſophiae naturalis genus deueniendum eſſe iudicauit, quod experimentale eſſet, et in quo ex ſimpliciſſimis principiis rerum cauſſae deriuarentur, nihil autem principii loco aſſumeretur, quod nondum ex phaenomenis comprobatum fuerit, quodque hypotheſes non comminiſceretur, nec in phyſicam reciperet, niſi vt quaeſtiones, de quarum veritate diſputetur. Hoc philoſophandi genus duplici methodo vti obſeruauit, analytica et ſynthetica, et illa quidem naturae vires, legesque virium ſimpliciores ex ſelectis quibusdam phaenomenis deducendas eſſe, ex his deinde per ſyntheſin reliquorum conſtitutionem eſſe tradendam. Quam philoſophandi rationem cum omnium optimam iudicaret; eius illuſtre exemplum dare conſtituit, mundani ſyſtematis explicationem ex theoria grauitatis deducendo, demonſtrandoque grauitatis virtutem vniuerſis corporibus ineſſe, idque apparentias certiſſime euincere. Quibus poſitis, et mathematica argumentatione demonſtrato: terram et ſolem et corpora omnia coeleſtia, quae ſolem comitantur, ſe mutuo attrahere, et ſingulorum particulas quasque minimas vires ſuas attractiuas habere, pro quantitate materiae pollentes, ac adiecta quoque corporum extenſioni, mobilitati et impenetrabilitati grauitate; non potuit non vortices Carteſii reiicere, quos fictam cauſſam rerum naturalium afferre contendebat, eo quod experimentis nondum eſſet euictum, vortices huiusmodi dari, cum e contrario attractionem natura ipſa doceat, vortices autem legibus motus non faciant ſatis. Non eſt huius loci hiſtoriam immortalis operis contexere, et quo plauſu ab vniuerſa mathematicorum natione exceptum ſit, operoſe congerere, hoc enim alium locum poſtulat, id vnum ſufficiet, incomparabilem Leibnizium illius praeſtantiam agnouiſſe atque depraedicauiſſe. Quamuis autem methodo fluxionum analyticae opus hoc illuſtris auctor inaedificaſſet, ea tamen methodo in demonſtrandis theorematibus vſus haud eſt, ſed more geometrarum veterum ſynthetica methodo vſus eſt, quamuis eius veſtigia prodiderit. Praeter phyſicam mechanicam ad rimandam curioſius luminis naturam et pandenda opticae ſcientiae myſteria magna diligentia attendit, et innumeris experimentis, quae radiorum lucis natura eſſet, explorare conatus eſt; cuius induſtriae ſpecimen aliquod rogatu amicorum quorundam e ſocietate regia, ad cuius ſocietatis ſcribam miſſum, et in conuentu ipſorum lectum erat, anno MDCLXXV iam edidit, annis poſt duodecim theoriam abſoluit, ne vero controuerſiis de hoc argumento implicaretur, ad annum vsque MDCCIV editionem preſſit, quo demum

demum anno prodiit lingua Anglica, *Optice, siue de reflexionibus, refractionibus, inflexionibus et coloribus lucis libri tres*, quos Latinos postea reddidit SAMVEL CLARCKIVS, ediditque *Londini* MDCCXIX. In hoc opere elegantissimo methodo suae experimentali insistens Newtonus, exponere sategit noua ac miranda luminis phaenomena, refractionum inaequabilitatem, radiorum in eandem superficiem iisdem angulis incidentium alternas reflexionis ac transmissus vices, varias radiorum prope corporum obiectorum extrema paruo interuallo transeuntium inflexiones, et suos singulorum colores connatos et immutabiles; idque demonstrare clarissimis experimentis sine vlla omnino hypothesi conatus est. Valde placuit incomparabilis viri feliciſſima in hoc argumento industria viris doctis, praecipue cum in varia refrangibilitate coloris rubri, flaui, viridis, coerulei, violacei et colorum intermediorum ingenii vires supra modum foecundas demonstrauisset. Aſt inuentus tamen est, qui veterem opinionem, quae colores omnes ex lucis et vmbrae commistione deriuat, defendere, et experimenta Newtoni erroris conuincere conatus est. Prodiit enim, Io. RIZZETTI *Specimen physico mathematicum de luminis affectionibus* [x], in quo theoriam colorum Newtonianam et Bernoullianam euertere studuit, ad quas tamen obiectiones respondit cel. RICHTERVS [y]. Tandem anno MDCCXI *Analysis per quantitatum series, fluxiones ac differentias cum enumeratione linearum tertii ordinis tractatusque de quadratura curuarum* comparuit: quae ad sublimiorem geometriam spectantia omnia vastissimum maximi geometrae ingenium luculenter demonstrant. Mirum autem est, virum in his difficillimis argumentis a iuuentute educatum et versatum in arte critica paucos habuisse pares, et in chronologia ex veterum monumentis eruenda, et ad certitudinem quandam reuocanda, ingenti eruditione fuisse versatum. Cuius rei exemplum esse possunt, *Fundamenta chronologiae* ab eo condita [z], in quibus calculo astronomico nixus, et suppositio expeditionis argonautarum tempore ante N. C. DCCCCXXXVII, recentiorem antiquitatum Graecarum periodum annis DXXXIV, quam fieri alias solet, facit. Quo de argumento controuersiam ei mouerunt abbas Contius, Soucietus Iesuita, Freretus, Befordus Harduinus alii, quorum obiectiones in chronologiae historia enarrandae, et ibidem quoque exponendum, quid de Danielis vatis Chronologia Newtonus statuerit *. Quem in animo quoque habuisse sacra oracula ex mathesi illustrare refert bibliothecae Anglicae † conditor. Sed interrupit indefessam Newtoni diligentiam, quam sanitas ad LXXXV aetatis annum inconcussa hactenus sustentauerat, senectutis

x) Conf. Act. Erud. T. VII. Suppl. S. 3. art. 7.

y) In breui disquisitione de iis, quae opticae Newtonianae in epistola ad Christianum Martinellum non ita pridem opposuit Io. Rizzettus, conf. Act. Erud. l. c. S. 5. art. 7. Dissentit quoque a Newtoni theoria colorum Io. CASP. FVNCCIVS in libro de coloribus coeli.

z) Ea tamen inuito Newtono in lucem prodierunt.

*) Conf. Bibl. Françoise 1726. Juil. art. 1. 2.

†) Biblioth. Angloise T. IX. art. 8.

ctutis infirmitas, et incontinentia vrinae, qua exhauſtus tandem anno MDCCXXVII, XIII. Cal. Apr. mortalium rebus ereptus eſt. Vixit autem vix vnquam philoſophus et mathematicus, quem viuum adhuc adeo doctrina in coelum apud plerosque extulerit, et non ciuibus modo ſuis ſtupendum, ſed et exteris admirandum fecerit. Et illi quidem inuidendis elogiis et veneratione, quantum ornamentum in Newtono Angliae obtigiſſet certatim prodiderunt, patuitque in exequiis regali pompa habitis, loco ſepulturae, epitaphio [a] et ſtatua eius in horto regio Richmondi inter heroës poſita [b], numo condito [c], omnibus inſulae ornamentis literariis eum fuiſſe praelatum. Poſt mortem autem, pauci fuerunt, in tam ferace philoſophorum acutiſſimorum inſula, qui non in naturali philoſophia eius diſciplinae ſe addictos faterentur, ſic vt, inuito ſine dubio viro immortalis famae, philoſophia Newtoniana inter Anglos in ſectam abierit. Maxime vero viuo adhuc Newtono inter eius ſectatores eminuerunt Rogerus Coteſius, aſtronomiae et philoſophiae experimentalis profeſſor Plumianus apud Cantabrigienſes [d], cui nouam principiorum philoſophiae editionem debemus, Samuel Clarkius, theologiae profeſſor, qui opticam latinam fecit et Newtonianam philoſophiam contra obiectiones Leibnizii magno acumine defendit [e], Io. Keilius, aſtronomus Oxonienſis [f], qui pro inuentionis methodi fluxionum gloria Newtono vindicanda acriter pugnauit, Guilelmus Whiſtonus, qui ſyſtema ſolare ex eius mente concinnauit, quibus addi complures alii poſſent, ſi Newtonianae philoſophiae hiſtoria ſcribenda eſſet, quam vt eruditi viri, qui eam accurate tenent, ſine partis ſtudio moliantur, merito optamus. Sed et extra inſulam fuerunt, qui in admirationem non Newtoni modo, ſed etiam eius philoſophiae rapti, has partes amplexi, et philoſophiam quandam Newtonianam commenti ſunt. Inter quos eruditionis elegantia aliis praeferendus eſt GVIL. IACOBVS S' GRAVESANDE, A. L. M. et I. V. D. ſocietatis Londinenſis membrum et aſtronomiae atque matheſeos profeſſor Lugduni Batauorum. Is enim anno MDCCXX prodire iuſſit *Phyſices elementa mathematica, experimentis confirmata, ſiue introductionem ad philoſophiam Newtonianam.* In qua demonſtrationes equidem difficiles et abſtruſas viri ſummi faciliores et clariores facere promiſit, lectorem tamen geometriae non ignarum requirit. Quin et ingenioſiſſimus VOLTAIRIVS, non contentus carminis Gallici gloria, inter Newtonianos aſſeclas eminere quoque contendit. Nam non ſolum Newtonianam philoſophiam omnium hominum captui attemperare peculiari ſcripto [ff] conatus eſt, ſed et meta-

a) Vid. Nou. lit. Lipſ. 1731. p. 697.
b) Ibid. p. 497. 1732. p. 731.
c) Ibid. 1734. p. 108.
d) Epitaphium a Bentleio acutiſſimo mathematico 1717 defuncto poſitum exhibet Hiſt. of Works of the learned 1738. May. art. 4. conf. Suppl. Nou. lit. Lipſ. T. IV. p. 808.
e) T. I. Recueil. Debemus ei Annott. ad ROHALTII Phyſicam.
f) Edidit praeter aſtronomica Introduct. ad veram phyſicam, conf. STOLL. Hiſt. lit. P. II. c. 4. §. 48. p. 560.
ff) Elemens de la philoſophie de Newton miſe a la portée de tout le monde. Amſt. 1738. 8.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

physicam Newtonianam atque Leibnizianam, inuito, si viueret Newtono, comparare inter se, huncque illi multis modis postponere studuit *g*. Quo tamen in libro, impares congressus Achilleis eum prodidisse, et nec mysteriis Newtonianis explicandis, nec refutando euertendoque systemati Cartesiano et Leibniziano sufficere, anonymus Cartesianus *h*, et doctissimus KAHLIVS demonstratum iuere. Nihil autem, quanta Newtoni fama sit, in aprico magis ponit, quam studium sectatorum Newtonianorum, philosophiam hanc, abstrusis et difficillimis theorematibus et demonstrationibus vix acutissimis ingeniis peruiam ita explicandi, vt nec foeminarum sensus atque captum refugiat. Quod saxum voluere inter Anglos coepit HENRICVS PEMBERTONVS, edita *Introductione in philosophiam Isaaci Newtoni* *i*, qui tamen coruos delusisse hiantes nonnullis visus est. Idem tentauit inter Italos FRANCISCVS ALGAROTTI, qui theoriam colorum lucisque et attractionis dialogo Italico explicuit, praefixo titulo: *Newtonianismus pro foeminis* *k*. Qui libellus cum rem luculenter explicaret, non tantum a PERRONIO DE CASTERA in Gallicam linguam conuersus, sed a CARTERIA erudita quoque foemina, nuper, non sine ingenii philosophici laude *l*, Anglis vernacula legendus traditus est. Adolescentum autem, sublimioris matheseos expertium studiis quam maxime consulendum esse ratus est GEORGIVS PETRVS DVMCKIVS, edita *Philosophia mathematica Newtoniana illustrata*, in qua elementis matheseos ad comprehendendam demonstrationem huius philosophiae scitu necessariis praemissis, definitiones et leges motus generaliores, leges virium centripetarum et theoria attractionis seu grauitationis corporum in se mutuo, tandemque mundi systema explicatur. Ex quibus parca manu ex infinitis, quae dici poterant, allatis satis superque constat, quem locum illustrem inter nostrae aetatis philosophos Newtonus meruerit. Quamuis autem in extollendo viro summo inter se orbis philosophici et mathematici ciues decertauerint, non tacendum tamen, fuisse nonnullos, quibus alia de eo sententia placuerit *m*. Et in ipsa quidem, quod mireris Britannia inuentus est, qui non modo philosophicae accurationis gloriam Newtono inuideret, sed et impietatis eum clanculum insimularet. Prodiit enim auctore BERCKELEIO vernacula Anglorum, *Philo-*

g) Dictum de eo in vita Leibnizii.

h) Lettre d'un physicien sur la phil. de Newton mise a la portée de tout le monde par Mr. Voltaire 1738. conf. Bibl. Françoise T. XXVIII. P. II. art. 4.

i) Lond. 1728.

k) Vid. Nou. lit. Lipf. 1730. p. 449. seqq.

l) History of the Worcks of the learned 1739. Jun. art. 1. vbi eruditio et ingenium foeminae istius valde extollitur. Conf. Suppl. Nou. liter. Lipf. T. VI. p. 375.

m) Idem feciſſe Hazfeldium, qui perpetui mobilis gloriam sibi vindicauit, refertur in Bibl. Angl. T. XIV. P. I. art. 2. Quod mirari quis posset, cum ex optica et principiis Phil. Newtoni constet, id imprimis vrgere virum summum, desinentibus caussis mechanicis, in ordine caussarum metaphysicarum illico ad Deum recurrendum esse. Ast quid non consequentiarum machinis eruitur? Nec thesis quoque Newtoniana, spatium esse Dei sensorium periculo carere Leibnizio visa est, vid. Recueil T. I. p. 3. sqq. Sed improprie tantum loqui Newtonum et absque suspicione erroris demonstrauit Clarckius Resp. prima §. 3. l. c. p. 7.

Philosophus analyticus [n] in quo libello methodum fluxionum incertitudinis, et obscuritatis, eiusque demonstrationes paralogismorum, totumque Newtonianum arithmeticae infinitorum et differentiarum mysterium, inter somnia et tricas numeratur, mathematicos vero summos, qui in Anglia viuunt, libertinismo frigidam suffundere contenditur. Quam scriptionem ad commaculandam Newtoni famam collineare facile obiecta impietas et astutia atque artes prohibitae, quas ad obtinendam auctoritatem Newtonus adhibuisse dicitur, produnt. Cui tamen impudentiae anonymus Philalethae nomine adscito apologiam opposuit [o]. Extra insulam et Cartesianorum factio, et Leibnizianorum cohortes magnis animis philosophiam Newtonianam adorti sunt, rati excelluisse quidem virum celeberrimum in geometria et disciplinis matheseos reliquis, ast mediocrem tantum philosophiae notitiam possedisse, nec tanti esse obiectiones eius contra systema Cartesii physicum, vt hoc derelinquendum videatur, et in eius locum qualitas attractionis occulta collocetur. Qua in pugna eminuit acutissimi inter Gallos philosophi PETRI REMONDI MONTMORTII [p] diligentia, qui in *Comparatione principiorum physicorum Cartesii cum principiis philosophorum Britannorum* [q], fortia tela in Newtonianam philosophiam vibrauit, et carere eam ratione sufficiente, duritiem, grauitatem et attractionem qualitates corporis concreatas constituendo, vacuumque asserendo, et simplici vorticum hypothesi principia obscura et minime intelligibilia surrogando, demonstrare conatus est. Ex altera parte ipsum Leibnizium magnis arietibus placita Newtoniana concussisse, et aduersus Clarckium acriter contra attractionem, sensorium Dei et similia Newtoni placita pugnauisse, ex illius historia supra enarrata, exque *Collectione scriptorum Leibnizianorum, Newtonianorum, Clarckianorum* constat [r]. Maxime vero systema Newtonianum euertere annisus est cel. NIC. HARTSOECKERVS, qui in *Collectione scriptorum nonnullorum physicorum* imbecillitatem systematis Newtoniani ostendere suscepit, cui tamen ex Germanis respondit IACOBVS GEHRINGIVS edito schediasmate *de Philosophia Newtoniana* [s]. Tacemus alias Leibnizianorum, Thummigii, Koeleri, Kahlii velitationes, pro Leibnizio contra Newtoni assecias susceptas. Addi his debent ea, quae de systemate optico a Rizzetto oppugnato supra diximus. Quae vero illustres geometrae Nicolaus et Ioannes Bernoullii de problemate inuerso virium centripetarum contra Newtonum eiusque hyperaspisten Keilium, monuerunt, alio loco enarranda sunt [f].

n) The Analyst, Lond. 1734. 8. vid. Bibl. Britannique T. IV. P. 2. art. 8. vbi etiam apologia Philalethae recensetur, cuius auctores esse creduntur Midletonus et Smithus Prof. Cantabrigiensis.

o) Vid. Mem. de Trevoux 1718. Fevr. art. 11. Conf. Nou. lit. Lipf. 1730. p. 450.

p) Vid. de eo Mem. de Trevoux 1723. Fevr. art. 6. Nou. lit. Lipf. 1724. p. 147.

q) Extat in Europ. Erud. 1718. Oct. art. 3.

r) Recueil de plusiers pieces de physique ou l'on montre l'invalidité du Systeme de Mr. Newton.

s) Lipf. 1722. 4. vid. Act. Er. Germ. P. LXXXIV. art. 4.

f) Conf. si placet Pinacothecam Script. illustr. Dec. II. in elogio Ioannis Bernoullii.

Philoſophia naturalis Newtoni.

§. XIII. Philoſophia Newtoniana cuius indolis ſit, ex dictis ſatis conſtat. Falluntur equidem, qui magnum virum non tantum inter geometras, mechanicos, aſtronomos, phyſicos, ſed inter metaphyſicos quoque ſummo loco ponunt, ne quid ſectae ſuae deſit, in quo cum contemtu aliorum gloriari poſſit. Abfuit ab hac iactantia, vt modeſtia non minus, quam reliquis virtutibus eminebat, vir optimus, qui metaphyſicam ſi non plane contemſit, omnem tamen eius ratiocinandi modum neglexit, omnes hypotheſes reiiciens, et ad experientiam ſolam confugiens. Quod ne fruſtra dixiſſe cenſeamur, en ipſa NEWTONI verba ff), quibus totam principiorum philoſophicorum tractationem praeſtantiſſimam clauſit, et magna quaſi voce aliqua obſignauit: *Quicquid ex phaenomenis non deducitur, hypotheſis vocanda eſt; et hypotheſes ſeu phyſicae, ſeu metaphyſicae, ſeu qualitatum occultarum, ſeu mechanicae, in philoſophia experimentali locum non habent. In hac philoſophia propoſitiones deducuntur ex phaenomenis, et redduntur generales per inductionem.* Pulchre vero obſeruatum eruditiſſimo KAHLIO t), ex aſſertis nonnullis, quae magnus vir paſſim in ſcriptis ſuis diſſeminauit, quaeque ad metaphyſicam trahi poſſunt, inepte aliquam philoſophiam Newtonianam etiam metaphyſicam exſculpi, cum talia, quae diſſolutas ſcopas exhibent, ad effingendum aliquod doctrinae aedificium minime ſufficiant. Suum itaque, quem ſibi emetiendum delegerat campum, incomparabili viro aſſignandum eſſe cuilibet, inſano auctoritatis praeiudicio non corrupto patet, neque obſtat ſummae, quam immortalibus meritis ſibi acquiſiuit, nominis gloriae, ſi non in omnibus philoſophiae partibus reformatorem ſe praeſtitiſſe dicatur. Ad philoſophiam ergo naturalem illuſtris philoſophi diligentia referenda eſt. In qua quid detexerit, quibus legibus naturam rerum circumſcripſerit, quibus demonſtrationibus qualitates rerum, et imprimis, cui totam fere phyſicam inaedificat, attractionem viresque centripetas euincere ſtuduerit, hoc loco, vbi ſpecialis phyſicae ſcientiae hiſtoria non traditur, explicari non poteſt, digna vero eſt, quae a viro docto rerumque geometricarum et phyſicarum perito condatur accurata philoſophiae naturalis Newtonianae hiſtoria. Ne tamen in tanta doctrinae Newtonianae celebritate, qua hodie floret, plane conticuiſſe, et inuidiſſe lectori tanti viri placita, accuſemur, dabimus primo definitiones ab ipſo viro celeberrimo allatas, quibus notiones phyſicas determinat, et principia atque leges, queis reliqua inaedificat, et tum qua ratione ex experimentis collecta argumentatione de rebus phyſicis argumentandum putet, ipſis eius verbis ex *Optica*, vbi pleraque quaeſtionum nomine in ſummam contraxit et coaceruauit, explicabimus. Ita vero in *Principiis philoſophiae* decernit:

I. Quantitas materiae eſt menſura eiusdem orta ex illius denſitate et magnitudine coniunctim.

II. Quan-

ff) L. III. p. 484. ed. rec.

t) Comparat. Phil. Newt. et Leibniz. Praef. Conf. cel. WOLFIVS Elem. Math. vniu. Tom. V. c. 9. p. 474. coll. c. 5. p. 414.

II. Quantitas motus est mensura eiusdem orta ex velocitate et quantitate materiae coniunctim.

III. Materiae vis insita est potentia resistendi, qua corpus vnumquodque, quantum in se est, perseuerat in statu suo vel quiescendi vel mouendi vniformiter in directo.

IV. Per inertiam materiae fit, vt corpus omne de statu suo vel quiescendi vel mouendi difficulter deturbetur. Exercet vero corpus hanc vim solummodo in mutatione status sui per vim aliquam in se impressam facta, estque exercitium eius sub diuerso respectu et resistentia et impetus.

V. Vis impressa est actio in corpus exercita, ad mutandum eius statum, vel quiescendi vel mouendi vniformiter in directum.

VI. Vis centripeta est, qua corpora versus punctum aliquod tanquam ad centrum vndique trahuntur, impelluntur, vel vtcunque tendunt. Huius generis est grauitas, qua corpora tendunt ad centrum terrae, vis magnetica, qua ferrum petit magnetem, et vis illa, quaecunque sit, qua planetae perpetuo retrahuntur a motibus rectilineis, et in lineis curuis reuolui coguntur. Et par est ratio corporum omnium, quae in gyrum aguntur, quae conantur a centris orbium recedere, sed vi aliqua contraria in orbibus retinentur, quae centripeta commode vocari potest. Cuius iustam magnitudinem, vt corpus in dato quouis orbe cum velocitate accurate retineri possit &c. inuenire mathematicorum est.

VII. Vis huius centripetae quantitas trium generum est, absoluta, acceleratrix et motrix, referturque ad corpora centrumpetentia, ad corporum loca et ad centra virium.

VIII. Vis motrix ad corpus refertur, tanquam conatus et propensio totius in centrum, ex propensionibus omnium partium composita: vis acceleratrix ad locum corporis, tanquam efficacia quaedam, de centro per loca singula in circuitu diffusa, ad mouenda corpora quae in ipsis sunt, vis absoluta ad centrum tanquam caussa aliqua praeditum, sine qua vires motrices non propagantur per regiones in circuitu.

IX. Est igitur vis acceleratrix ad vim motricem, vt celeritas ad motum, oritur enim quantitas motus ex celeritate ducta in quantitatem materiae, et vis motrix ex vi acceleratrice ducta in quantitatem eiusdem materiae.

X. Voces attractionis, impulsus, vel propensionis cuiuscunque in centrum, indifferenter vsurpantur, has vires non physice sed mathematice tantum considerando. Itaque his vocibus non definitur species vel modus actionis caussaue aut ratio physica, nec centris vires vere et physice tribuuntur, si de viribus centrorum sermo est.

XI. Tempus absolutum, verum et mathematicum in se et natura sua absque relatione ad externum quoduis, aequabiliter fluit, alioque nomine dicitur duratio: relatiuum apparens et vulgare, est sensibilis et externa quaeuis durationis per motum mensura.

XII. Spa-

XII. Spatium abſolutum, natura ſua absque relatione ad externum quoduis, ſemper manet ſimilare et immobile: relatiuum eſt ſpatii huius menſura, ſeu dimenſio quaelibet mobilis, quae a ſenſibus noſtris per ſitum ſuum ad corpora definitur.

XIII. Locus eſt pars ſpatii, quam corpus occupat, eſtque pro ratione ſpatii vel abſolutus vel relatiuus.

XIV. Motus abſolutus eſt translatio corporis de loco abſoluto in locum abſolutum, relatiuus de relatiuo in relatiuum.

XV. Diſtinguuntur quies et motus abſoluti et relatiui ab inuicem per proprietates ſuas et cauſſas et effectus.

XVI. Motus proprietas eſt, quod partes, quae datas ſeruant poſitiones ad tota participant motus eorumdem totorum.

XVII. Moto loco mouetur locatum, ſuntque motus omnes qui de locis motis fiunt, partes ſolummodo motuum integrorum et abſolutorum, qui non niſi per loca immota definiri poſſunt.

XVIII. Cauſſae quibus motus veri et relatiui diſtinguuntur ab inuicem, ſunt vires in corpora impreſſae ad motum generandum, per quas ſolas motus generatur et mutatur.

XIX. Effectus, quibus motus abſoluti et relatiui diſtinguuntur ab inuicem, ſunt vires recedendi ab axe motus circularis.

XX. Leges motus hae ſunt I. corpus omne perſeuerat in ſtatu ſuo quieſcendi vel mouendi vniformiter in directum, niſi quatenus a viribus impreſſis cogitur ſtatum illum mutare. II. Mutatio motus proportionalis eſt vi motrici impreſſae, et fit ſecundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur. III. Actioni contraria ſemper et aequalis eſt reactio, ſiue corporum duorum actiones in ſe mutuo ſemper ſunt aequales et in partes contrarias diriguntur.

XXI. Quantitas motus, quae colligitur capiendo ſummam motuum factorum ad eandem partem et differentiam factorum ad contrarias, non mutatur ab actione corporum inter ſe.

XXII. Commune grauitatis centrum corporum duorum vel plurium, ab actionibus corporum inter ſe non mutat ſtatum ſuum vel motus, vel quietis, et propterea corporum omnium in ſe mutuo agentium, (excluſis actionibus et impedimentis externis) commune centrum grauitatis vel quieſcit vel mouetur vniformiter in directum.

XXIII. Corporum dato ſpatio incluſorum iidem ſunt motus inter ſe, ſiue ſpatium illud quieſcat, ſiue moueatur idem vniformiter in directum absque motu circulari.

XXIV. Si corpora moueantur quomodocunque inter ſe, et a viribus acceleratricibus aequalibus ſecundum lineas parallelas vrgeantur, pergent omnia eodem modo moueri inter ſe, ac ſi viribus illis non eſſent incitata. Haec principia ſunt, quae mathematicis experientia commendauit, et quibus iam ex parte Galilaeus, Wrennus, Walliſius, Hugenius geometrarum

rum principes, vſi ſunt. His itaque totam motuum corporum theoriam Newtonus quoque inaedificauit, et qua ratione vires centripetae inueniendae ſint, qui motus corporum ſit in conicis ſectionibus excentricis, quomodo orbes elliptici, parabolici et hyperbolici ex vmbilico dato, motus in orbibus dati, corporum deſcenſus et aſcenſus rectilineus, orbes in quibus corpora viribus quibuscunque centripetis agitata reuoluuntur, motus corporum in orbibus mobilibus, motusque apſidum, motus corporum in ſuperficiebus datis, et funependulorum motus reciprocus, motus corporum viribus centripetis ſe mutuo petentium, inueniri et determinari queat, docet. Tum de corporum ſphaericorum et non ſphaericorum viribus attractiuis, de motu corporum minimorum, quae viribus centripetis ad ſingulas magni alicuius corporis partes tendentibus agitantur, de motu corporum, quibus reſiſtitur in ratione velocitatis, varia de corporum circulari motu in mediis reſiſtentibus, de denſitate et compreſſione fluidorum, de motu et reſiſtentia funependulorum, de motu fluidorum et reſiſtentia proiectilium, de motu per fluida propagato, et de motu circulari fluidorum tractat, et hoc pacto principia philoſophiae naturalis non tamen philoſophica, ſed mathematica tradit, nempe motuum et virium leges et conditiones, quas tamen ſcholiis philoſophicis generalibus illuſtrauit, qualia ſunt corporum denſitas et reſiſtentia, ſpatia corporum vacua, motusque lucis et ſonorum. His vero abſolutis, ex iisdem principiis methodo mathematica docet conſtitutionem ſyſtematis mundani, et qua ratione vires quae planetas perpetuo retrahunt a motibus rectilineis, et in orbibus ſuis retinent, quibusque grauitantur planetae, definit, hincque hypotheſes efformat, centrum ſyſtematis mundani quieſcere, ſolem motu perpetuo agitari, ſed nunquam longe recedere a communi grauitatis centro planetarum omnium, planetas moueri in ellipſibus vmbilicum habentibus in centro ſolis, orbium aphelia et nodos quieſcere, et ex his problemata magni momenti in aſtronomia deducit, et cometarum quoque ſitum, motum, et determinationes explicat. In fine autem vorticum hypotheſin impugnat, et haec ad cognoſcendam diuini Numinis potentiam et prouidentiam ita applicat, vt, cum motus planetarum maxime regulares in orbibus concentricis, et cometarum in eccentricis, originem ex cauſſis mechanicis habere nequeant, concludat, elegantiſſimam hanc compagem, non niſi conſilio et dominio vnius entis intelligentis et potentis oriri potuiſſe. Hunc omnia regere non vt animam mundi, ſed vt vniuerſorum dominum, in qua notione veram Dei notionem quaerendam eſſe putat. Deum itaque in fine deſcribit, velut dominationem entis ſpiritualis ſummam, ex qua ſequatur, Deum verum eſſe viuum, intelligentem et potentem ex reliquis perfectionibus, ſummum eſſe, aeternum, infinitum, omnipotentem, omniſcium, non eſſe aeternitatem vel infinitatem nec durationem vel ſpatium, ſed aeternum infinitum durare ſemper et adeſſe vbique, et exiſtendo ſemper et vbique durationem et ſpatium, aeternitatem et infinitatem conſtituendo, nec poſſe eſſe nun-

quam nusquam; omnipraesentem esse non per virtutem solam, sed etiam per substantiam, in ipso contineri omnia et moueri vniuersa, sed absque mutua passione. Deum semper esse ex necessaria existentia vbique et semper, inde esse totum sui similem, totum oculum, totum aurem, totum cerebrum, totum brachium, totum vim sentiendi, intelligendi et agendi, sed more minime humano, more minime corporeo, more nobis prorsus incognito: corpore omni et figura destitui, nec eius nos, nisi attributorum, minime vero substantiae ideam habere, adeoque tantum per proprietates, attributa, rerum structuras et causas finales cognoscere, venerari autem ob dominium. Et hoc quidem pacto nobilissimam tractationem de phaenomenis coelorum et maris nostri per vim grauitatis explicatis claudit, monet autem in fine, caussam grauitatis nondum se assignauisse, quamuis certum sit vim hanc oriri a caussa aliqua, quae penetret ad vsque centrum solis et planetarum, sine virtutis deminutione, quaeque agat non pro quantitate superficierum particularum in quas agit, vt solent caussae mechanicae, sed pro quantitate materiae solidae, et cuius actio in immensas distantias vndique extendatur decrescendo semper in duplicata ratione distantiarum. Satis autem esse, dicit, quod grauitas reuera existat, licet eius caussae ignorentur. Tandem spiritum quendam subtilissimum corpora crassa peruadentem, et in iisdem latentem esse statuit, cuius vi et actionibus particulae corporum ad minimas distantias se mutuo attrahant, et contiguae factae adhaereant, corpora electrica agant ad distantias maiores, lux emittatur, et reflectatur, et corpora calefaciat, sensatio omnis excitetur, et membra animalium ad voluntatem moueantur vibrationibus eius per solida neruorum capillamenta ab externis sensuum organis, et ad cerebrum et a cerebro in musculos propagatis. Cuius tamen actionis leges se nondum accurate demonstrare posse fatetur. Et haec quidem in *Principiis philosophiae* Newtonus.

Hypotheses physicae Newtonianae.

§. XIV. In optica non minus experientia quam calculo geometrico nititur Newtonus, et quae ex longa obseruationum serie didicerat, fundamenti loco substernit, ex quo elegans illa de coloribus et luminis rarefactione, reflexione, refrangibilitate et similibus tractatio exorta est, quae mere experimentalis est. Subiunxit tamen in fine quaestiones, id est, hypotheses, quas ex obseruationibus his fluere concludebat, quas tamen, vt erat modestia insignis, et nihil pro certo admittebat, quod non vel ex experimentorum inductione, vel ex certissimis regulis exsurgebat, et probari poterat, ad inquirendum de iis, viris doctis proponebat. Ex quibus si θετικῶς exprimantur, ita visum esse Newtono patet.

I. Corpora et lumen agunt in se mutuo [u].

II. Corpora omnia fixa quum sunt vltra certum gradum calefacta, lumen emittunt et splendent.

III. Ignis corpus est eousque calefactum, vt copiosius lumen emittat.

IV. Cor-

u) Lib. III. P. I. p. 340. seqq.

IV. Corpora magna calorem ſuum conſeruant diutiſſime, partibus ſuis ſe mutuo calefacientibus.

V. Flamma vapor eſt, fumus ſiue exhalatio candefacta, hoc eſt calefacta eousque, vt lumen emittat.

VI. Sol et ſtellae fixae ſunt ingentes terrarum globi vehementer calidi, quorum vtique calor conſeruatur corporum ipſorum magnitudine et mutua actione ac reactione, quae eſt inter ipſa, et lumen quod emittunt, et quorum partes quidem, ne in fumum abeant, facit non modo ſua ipſorum adeo fixa admodum natura, verum etiam ingens pondus, denſitasque atmoſphaerarum ſibi circumcirca incumbentium, et ingenti niſu vndique comprimentium, et condenſantium vapores atque exhalitiones quotquot emiſerint.

VII. Phaenomena luminis non pendent ex nouis modificationibus, ſed ex congenitis et immutabilibus radiorum proprietatibus.

VIII. Philoſophiae naturalis id praecipuum officium et finis eſt, vt ex phaenomenis ſine fictis hypotheſibus arguamus, et ab effectibus ratiocinatione progrediamur ad cauſſas, donec ad ipſam demum cauſſam primam, quae ſine dubio mechanica non eſt, perueniamus *.

IX. Conſtat ex phaenomenis, eſſe entem, incorporeum, viuentem, omnipraeſentem, qui in ſpatio infinito tanquam in ſenſorio ſuo, res ipſas intime cernat, penitusque perſpiciat, totasque inter ſe praeſens praeſentes complectatur, quarum quidem rerum id, quod in nobis ſentit et cogitat imagines tantum ad ſe per organa ſenſuum delatas in ſenſorio ſuo concipit et contuetur.

X. Radii luminis exigua ſunt corpuſcula e corporibus lucentibus emiſſa, quae diuerſas habent proprietates.

XI. Ad colorum varietatem omnem, diuerſosque refrangibilitatis gradus producendos nihil aliud opus eſt, quam vt radii luminis ſint corpuſcula diuerſis magnitudinibus, quorum quidem ea, quae ſint minima, colorem conſtituant violaceum, vtique tenebricoſiſſimum et languidiſſimum, reliqua, vt eorum quodque in magnitudinem excedit, ita colores exhibeant fortiores et clariores, vti coeruleum, viridem, flauum, et rubrum.

XII. Corpora vim ſuam actuoſam plurimum accipiunt a particulis luminis, quae in eis componendis inſunt.

XIII. Corpora inuicem agunt per attractiones grauitatis virtutisque magneticae et electricae.

XIV. Qua cauſſa efficiente fiat attractio, heic non inquiritur, fieri ſane poteſt, vt ea efficiatur impulſu, vel alio aliquo modo nobis ignoto.

XV. Accipienda attractionis vox, vt ſignificet vim aliquam, qua corpora ad ſe mutuo tendant, cuicunque demum cauſſae tribuenda ſit. Nam ex phaenomenis naturae illud nos prius edoctos oportet, quaenam

*) Pag. 372.

corpora se inuicem attrahant, et quaenam sint leges atque proprietates istius attractionis, quam in id inquirere par sit, quam efficiente caussa peragatur y).

XVI. Corpora omnia fluida composita esse videntur ex particulis duris. Quin et ipsi luminis radii corpora dura esse videntur. Quare durities vniuersae materiae simplicis proprietas haberi potest.

XVII. Natura vniuersa valde simplex est et consimilis sui: perficiens nimirum magnos omnium corporum coelestium motus attractione grauitatis, quae est mutua inter corpora illa omnia et minores fere omnes particularum suarum motus alia aliqua vi attrahente et repellente, quae est inter illas particulas mutua.

XVIII. Vis inertiae est principium passiuum, quo corpora in motu suo vel quiete perstant, vel recipiunt motum vi mouenti semper proportione respondentem, et resistunt tantum, quantum sibi resistitur. Ab hoc solo principio nullus vnquam in rerum vniuersitate oriri potuisset motus: alio itaque principio opus erat ad mouendum.

XIX. Ex variis binorum motuum compositionibus manifestum est, non semper eandem esse in mundo quantitatem motus, sed posse motum nasci et perire.

XX. Multo magis in eam semper partem vergit natura rerum, vt pereat motus, quam vt nascatur, et quidem is perpetuo imminuitur z).

XXI. Quoniam varii motus, qui in mundo conspiciuntur, perpetuo decrescunt vniuersi, necesse est prorsus, quo ii conseruari et recrescere possint, vt ad actuosa aliqua principia recurramus, v. c. grauitatis et fermentationis caussam.

XXII. Simillimum veri videtur, Deum O. M. in principio rerum materiam ita formasse, vt primigeniae eius particulae, e quibus deinceps oritura esset corporea omnis natura, solidae essent, firmae, durae, impenetrabiles, et mobiles, iis magnitudinibus et figuris iisque insuper proprietatibus, eoque numero et quantitate pro ratione spatii, in quo futurum erat, vt mouerentur, quo possent ad eos fines, ad quos formatae fuerant, optime deduci: particulas autem primigenias diuidi in partes nulla vi posse, vel naturam earum et texturam immutari.

XXIII. Itaque existimandum corporum omnium mutationes in variis solummodo separationibus nouisque coniunctionibus et motibus durabilium illarum particularum consistere.

XXIV. Hae particulae primigeniae non modo in se videntur habere vim inertiae, motusque leges passiuas, quae ex vi ista oriuntur, verum etiam motum perpetuo accipere a certis principiis actuosis, qualia sunt grauitas et caussa fermentationis et cohaerentiae corporum.

XXV. Haec principia consideranda sunt, non vt occultae qualitates, sed vt vniuersales leges naturae, quibus res ipsae sunt formatae.

y) p. 380. z) p. 405.

matae. Ea enim exiſtere phaenomena naturae oſtendunt, licet cauſſae lateant.

XXVI. Ope principiorum iſtorum res corporeae vniuerſae videntur compoſitae fuiſſe ex duris ſolidisque particulis varie inter ſe in prima rerum fabricatione ſociatis et coniunctis, nutu et conſilio agentis intelligentis. Nec decet philoſophum alios mundi condendi rationes comminiſci *.

XXVII. Irregularitates motus planetarum oriri poſſunt ex mutuis cometarum et planetarum in ſe actionibus, quae, veriſimile eſt, fore, vt longinquitate temporis maiores vsque euadant, donec haec naturae compages manum emendatricem ſit deſideratura.

XXVIII. Quamuis animalium omnium vniformitas et conformatio prima nulli rei tribui poſſit, quam intelligentiae et ſapientiae entis potentis ſemperque viuentis, qui ſit ſibi vbique praeſens, poſſitque voluntate ſua corpora omnia mouere in infinito ſuo vniformi ſenſorio, adeoque omnes mundi partes ad arbitrium fingere et refingere: nec tamen mundum ſpectare debemus tanquam corpus Dei, nec partes eius tanquam partes Dei. Deus enim eſt ens vniforme, organorum, membrorum, partiumque expers: illa autem omnia ſunt creaturae eius voluntati ſubditae.

XXIX. Quoniam ſpatium indiuiſibile eſt in infinitum, materia autem non eſt neceſſario in omnibus partibus ſpatii, poteſt Deus creare materiae particulas variis magnitudinibus et figuris varioque numero et quantitate pro ratione ſpatii, in quo ſunt forte etiam et diuerſis denſitatibus diuerſisque viribus, eoque pacto variare leges naturae, mundosque condere diuerſa ſpecie in diuerſis ſpatii vniuerſi partibus.

XXX. Quatenus ex philoſophia naturali intelligere poſſumus, quaenam ſit rerum prima cauſſa, et quam poteſtatem et ius ille in nos habeat, et quae beneficia ei accepta ſint referenda: eatenus officium noſtrum erga eum aeque ac erga nosmet ipſos inuicem quid ſit, per naturae lumen innoteſcet.

XXXI. Lex moralis ab origine gentibus vniuerſis erant ſeptem illa Noachidarum praecepta †.

Teſtari haec φιλοσοφούμενα magni philoſophi de vaſtiſſimo ingenio, nemo facile negauerit, nec diffiteri audent, quibus diſplicet Newtoniana philoſophia; laudanda quoque viri incomparabilis modeſtia, qua non plus pro certo affirmare cupit, quam experientia duce didicit, reliqua ad quaeſtiones et hypotheſes probabili argumentatione demum dilucidandas refert. Aſt non tamen ea vbique laudatiſſimo propoſito reſpondere, contendunt, qui haud pauca Newtonianae philoſophiae obiecerunt. Cumque inter principia prima a Newtono ſtabilita ſit attractio, eam velut qualitatem occultatam et ignotam adeoque minime intelligibilem valde exa-

*) pag. 410. †) pag. 415.

gitant. Fecit id LEIBNIZIVS [a], qui obiecit Clarckio, attractionem proprie dictam esse operationem, quae explicari nequeat ex natura creaturarum, quaeque non nisi per miraculum explicari possit, nisi recurratur ad absurditates, id est, ad qualitates occultas Scholasticorum, quae sub specioso virium nomine venditentur, quaeque nos ad regnum tenebrarum reuocent. Hoc esse inuenta fruge glandibus vesci. Idem obiecerunt Cartesiani, ex quibus nuperus Voltairii censor [b], postquam obseruasset, ipsum magnum Newtonum loqui de attractione, non velut de caussa quadam physica et mechanica, sed tantum mathematica et ideali; eo quod modum actionis caussamue aut rationem physicam attractionis definire non audeat: vrget, ex ipsius Newtoni confessione esse attractionem tantum caussam possibilem, principium solummodo geometricum, vim quandam incognitam, cuius effectum considerauerit et calculo subiecerit. Quo simpliciter negato omnem demonstrationem et theoriam pulcherrimam concidere. Ipsam quoque ingenii Newtoniani vastitatem peruidisse, attractionis ideam claram nullam esse, sed eam mysterium aliquod, quod intelligi nequeat, inuoluere, et reuera, qualitates occultas scholasticorum dudum sepultas, resuscitare: impulsu quoque multo simplicius omnia explicari posse, qui etiam character sit operum auctoris naturae; qui corporibus coelestibus non aliam legem fixerit, quam sublunaribus; vacuum quoque immensum per perpetuas depastiones astrorum principiis ab omnibus receptis refragari; et verisimile esse, vidisse ipsum Newtonum similes systematis huius naeuos, et difficultates, eo quod passim videatur agnoscere speciem aliquam pleni, materiam quandam subtilem, grauitatem extrinsecam et veram impulsionem. Praeuidisse has obiectiones Newtonum et praeuertere voluisse, ex assertionibus supra allatis constat, quibus diserte monet, se, attractionem non inter caussas mechanicas et physicas referre, sed veram eius caussam ignorare, ast experientia conuictum nosse et demonstrasse, ex effectu attractionem adesse, et hoc pacto eam odioso qualitatis occultae nomine non esse obruendam. Id quod repetiit COTESIVS [c], monens: „Occultas esse „caussas, non illas quidem, quarum existentia per obseruationes clarissi„mas demonstratur, sed has solum, quarum occulta est et ficta existentia „nondum vero comprobata. Grauitatem ergo non esse occultam caussam „motuum coelestium, siquidem ex phoenomenis ostensum sit, hanc virtutem „reuera existere. Hos potius ad occultas caussas confugere, qui nescio quos „vortices materiae cuiusdam prorsus fictitiae et sensibus omnino ignotae „motibus iisdem regendis praeficiant. Quin eo delabitur, vt contendat: „eos qui haec obiicient, fundamenta conuellere philosophiae, etenim „caussas continuo nexu procedere solere a compositis ad simpliciorem: „vbi ad caussam simplicissimam perueniatur, iam non licere vlterius pro„gredi,

a) Recueil T. I. p. 142. b) p. 41. seq. c) Praef. Princ. philos. editionis 1713. et seqq.

„gredi, nec eius dari mechanicam explicationem. Hanc autem ideo ne„gare velle, esse omnem caussarum seriem euertere. Similia Leibnizio „respondit CLARCKIVS *d*.“ Verum nec hic desunt, quae aduersa pars regerat. Vrgent enim ipsos quoque Scholasticos non eas dixisse qualitates occultas, quarum effectus minime probatus sit, sed qualitates occultas ad caussas physicas referendo, vocasse eas, quarum effectus cum sint manifesti, caussae lateant, nec definiri possint. Id quod recte dici ex vnius SENNERTI dissertatione de occultis qualitatibus * est longe manifestissimum. Monent porro *e*, „experientia hactenus non constare, posse cor„pora naturalia alia quadam ratione quam pulsu in se inuicem agere, hinc„que nec sine contactu mutuo alterum in altero motum quemcunque pos„se producere; in attractione autem vere tali omnia contraria plane ratio„ne fieri necesse esse. Nec omnibus illis, quae hactenus innotuerunt, ex„perimentis aliud quicquam probatum esse, quam posse duo quaedam cor„pora ad se inuicem accedere, praeterquam vt caussa aliqua indicari ex„terna possit, quae alterum ad alterum appellat, eo tamen ipso nondum „probatum esse, rationem sufficientem huius mutui accessus, in alterutro „corporum ad se inuicem accedentium modo, quem diximus, latere, ad„eoque et alterutrum illorum alterum attrahere, id quod tamen proban„dum imprimis sit. Quod si per attractionem nihil aliud, quam talem „corporum quorundam ad se inuicem accessum mutuum intelligamus, vn„decunque ille etiam proficiscatur, (quae mens vera Newtoni est) tunc „quoniam sic nihil, nisi effectus ipse per eandam intelligatur, obscu„rum per aeque obscurum, atque idem per idem, satis frigide explicari; „et si quis caussam mutui corporum quorundam ad se inuicem accessum „attractionem illorum esse vellet dicere, idem hoc fore, ac si accessum „illum ad se mutuum caussam mutui illius accessus esse dicere vellet.“ Alia attractationi Neutonianae obiecta *f*, et eius defensoribus Keilio, Freindio Clarckio, s' Graueſandio, Musschenbroekio aliisque obiecta hic praeterimus, nec ea breuitatis caussa afferimus, quibus velut inimicis telis confossa sunt Newtoniana dogmata. His enim vltra immorari ob instituti rationem non licet.

§. XV. Plurimum adiutam esse insigni diligentia medicorum et mathematicorum philosophiam naturalem, ex dictis ignotum esse nequit, et innumera noua extant, quae in physica experimentorum fide detexit felicissima virorum summorum diligentia. Quorum indicem contexere, et quid viderit aetas recentior et in apricum produxerit, veteribus ignotum et perperam traditum operae pretium esset, ex actis physicorum colligere vnoque volumine comprehendi; vtiliter interim consuli poterit I. G. PASCHII catalogus inuentorum nou-antiquorum *ff*. Nostrum enim non *Noua inuenta physica.*

d) Recueil T. I. p. 188.
*) Hypomn. Phys. II. p. 43.
e) Vid. cel. HOLLMANN. Phys. P. I. cap. 4. §. 225. sq. p. 260. seqq.
f) Act. Erud. 1710. Sept. 1713. p. 308.
ff) C. 6. Methodum in hoc argumento obseruandam praescripsit magnus VERVLAMIVS in Hist. naturali siue sylua syluarum.

non est huic prolixitati calamum nostrum attemperare, qui satis arctis in eo limitibus constringimur. Sufficiet paucis specimen capere, vt intelligatur, quam felici successu recentiori aetate physica philosophiae pars promota sit, et quam exoptata fuerit euentu suo philosophorum in hac parte industria. Inter haec vero physicae incrementa cultri anatomici felicitatem et experimenta circa corpora animalium, maxime hominis, facta merito primo loco ponimus. In qua humani corporis cognitione vix praestabilius quicquam est detecta circulatione sanguinis, cui verior theoria totius oeconomiae animalis postea superstructa est. *Circulatio sanguinis.* Et vidisse quidem iam nobilissimam theoriam Hyppocratem *, et Nemesium, contendit THEOD. IANSON. AB ALMELOVEEN [g], nosque *Tomo tertio* iam de Nemesio agentes locum indicauimus, ex quo colligi potest, aliquid huius rei eum sciuisse. Et de Caesalpino quoque differentes indicasse eum fundamenta huius asserti in *antecedente huius Tomi parte* obseruauimus. Alii Serueti [h] plures Paulo Sarpio [i], nec id sine verisimilitudine tribuunt. Primus tamen qui totum mysterium perspexit, et rationem eius exposuit, et hoc quidem sensu recte inuentor dicitur, fuit GVIL. HARVAEVS, cuius ea de re extat *Exercitatio anatomica de motu cordis et sanguinis* aliquoties recusa, et *Bibliothecae* quoque *anatomicae* [k] inserta. Quo de argumento eum aduersarios nonnullos fuisse nactum, supra iam diximus, et ad cel. HEVMANNI [l], enarrationem illius controuersiae lectorem ablegauimus. Et ab eo quoque, et, post hunc, a celeberrimis anatomicis discendum est, quibus argumentis praestantissimum hoc εὕρημα probari possit, inter quae praecipuum est, quod a cordis et valuularum eius structura desumi solet. Vnde mirandum, inuentum esse in Italia HOMOBONVM PISONEM, qui *Vltione antiquitatis in circulationem* [m] edita, veritatem tot experimentis comprobatam negare ausus sit. Simili felicitate vsus est Ioannes Pecquetus, medicus Parisiensis, is enim circa annum *Ductus thoracicus.* MDCLI primus detexit ductum thoracicum, vel chyliferum, cum cisterna siue receptaculo chyli, vasisque lacteis secundi generis, per thoracem ad ramos vsque subclauios, eumque in *Experimentis anatomicis nouis* vulgauit [n]. Cuius nobilis inuenti veritatem in dubium vocasse Gassendum, donec oculari testimonio a Pecqueto conuinceretur, narrat in *Vita eius* SAM. SORBIERIVS. Vidit tamen ante Pecquetum hunc ductum thoracicum Bartholomaeus Eustachius, ast eius vsum, quem in chylo ad sanguinem deferendo praestat, ignorauit [o]. *Vasa lymphatica.* Circa idem tempus vascula tenuissima et pellucida lympham deuehentia, quae inde vasa lymphatica dici solent,

*) Vid. cl. STENZEL. Diss. de Vestigiis circulationis sanguinis apud Hippocratem, Viteb. 1731. 4.

g) In Inuentis nou-antiq. c. 24. §. 28.

h) Conf. Cl. A SEELEN Sel. lit. n. I. p. 49. n. II. p. 56.

i) MORHOF. Polyhist. T. I. p. 221. T. II. p. 153. Cel. HEISTER. Pr. num circulus sanguinis veteribus fuerit cognitus. Helmst. 1721.

k) T. II. p. 64. seqq.

l) Act. Phil. Vol. II. p. 616. seqq.

m) Vid. Act. Erud. Suppl. T. I. p. 579. seqq.

n) Bibl. Anat. T. II. p. 652. seqq.

o) ALMELOV. l. c. §. 23. p. 284.

solent, in apricum produxerunt Olaus Rudbeckius et Thomas Bartholinus [p]; eorum autem valuulas primus vidit cel. Ruyschius [q]. Simile valuulas in colo et ieiuno intestino primus obseruauit et descripsit Kerkringius [r], poros biliarios cum venae portae, arteriae hepaticae et neruorum hepaticorum ramulis, communi quadam capsula inclusos Glissonius, a quo capsula illa biliaria nomen quoque accepit, vt alia ad hepatis naturam partesque cognoscendas facientia, et recens detecta taceamus, de quibus post Fr. Glissonium, celeberrimi BIANCHI *Historia hepatis noua* consulenda est. Vasa lactea vel chylifera in lucem anno MDCXXII produxit Caspar Asellio, a quo venarum Asellianarum nomen acceperunt, quamuis is vasa lactea secundi generis, quae chylum in peculiare receptaculum deferunt, nondum viderit, quae Pecqueto primum obseruata esse supra diximus. Praeclare vero recentiorum anatomicorum studium versatum est, in enarranda historia musculorum, eorum structura, situ, figura, vsu motuque, quo in argumento post Nicolaum Stenonem incomparabilem operam anatomiae praestitit, IO. ALPHONSVS BORELLVS, cuius *de motu animalium* tractatio prorsus egregia est, quemque postea certatim anatomici secuti sunt. Tacemus tubas, siue ductus recuruatos vtero adiacentes, quos inuenit nomineque suo notos fecit Fallopius, veram ouarii naturam detectam et sexcenta alia, veteribus nec visa nec audita, quae in anatomiae historia enarranda sunt, locumque heic non capiunt. Maxime vero ingeniosum fuit philosophandi studium virorum doctissimorum circa generationem animalium, de qua satis minime facere posse inanes veterum hypotheses maxime generationem aequiuocam innumeris obseruationibus constitit. Longum esset, et a tractationis scopo alienum, opiniones recensere omnes, quibus mysterium hoc naturale recludere naturae interpretes conati sunt. Et primus quidem Guilelmus Haruaeus ouarium foeminarum, quod veteres testes muliebres inepte vocarunt, ouulis, siue copusculis rotundis et pellucidis duplici membranula vestitis turgere, obseruauit, vnde enata hypothesis, quae totum pene orbem medicum physicumque occupauit, stamina futuri foetus in iis delitescere, et ante congressum cum mare iam praeexistere, de qua praeter alios elegantissimi VALLISNERII *Historia generationis hominum et animalium*, et praestantissimi BOVRGETI *Epistola philosophica tertia* consulenda est. Ast cum solertissimus stupendorum naturae miraculorum interpres ANTONIVS A LEEWENHOECK microscopiorum exquisitissimorum beneficio innumera naturae arcana detexisset, quae in *Epistolis ad societatem Londinensem* enarrauit, compertum eius industria est, in semine animalium innumeram animalculorum seu vermiculorum, stupendae exilitatis, at viuorum tamen et mouentium se atque subsultantium esse copiam. Vnde ad

Valuulae coli et ieiuni.

Capsula biliaris.

Vasa lactea.

Musculorum natura et motus.

Generatio animalium.

Ouarium.

Animalcula seminalia.

p) Scripta eorum huc pertinentia extant Bibl. Anat. T. II. p. 700.
q) Ib p. 712. seq. r) Ibid. T. I. p. 117. seqq.

ad haec animalcula recurrit in arduo generationis negotio explicando recentiſſimorum phyſicorum conſideratio, et ab iſtorum animalculorum vno animam in ouarium deferri, hocque ſedem animalculo in animam humanam eleuando praebere ſtatuit. Quam ſententiam ſuam quoque fecere HARTSOECKERVS [s], BOERHAVENIVS [t], WOLFIVS [u], LEIBNIZIVS [v], alii, magnis arietibus euertere ſategit VALLISNERIVS [w] vtramque hypotheſin conciliare ſtuduit NIC. ANDRYVS. Ex quo recte colligi poteſt, non obſtante inſigni virorum doctorum ſtudio nihil certi definitique habere mortales, quod de ortu ſuo affirment.

Inuenta organa optica, et mechanica.

§. XVI. Poſſemus hunc in modum per chemiae et reliquarum, quae cum arte medendi connectuntur, artium campos diſcurrere, et eximium aceruum ſingularium experimentorum colligere, quibus phyſica aucta eſt, ſi id nobis agendum eſſet. Mirabiles enim ſunt effectus pulueris ſympathetici, transfuſionis ſanguinis, curationum magneticarum, vnguenti armarii, ſimiliumque, quibus recentiori aetate naturalis philoſophia perſonuit. Sed in haec arua exſpatiari nobis, aliis curis diſtrictis non licet, conſulendi autem ſcriptores ſunt, quos magno numero adduxit cel. HOLLMANNVS [x], ad quem breuitati litaturi, vt et ad MORHOFIVM [y] lectorem remittimus, et artis eum ſalutaris hiſtoriam conſulere iubemus. Plurimum autem attuliſſe adiumenti, ad has obſeruationes experimentis confirmandas et tentandam rerum naturam oculis abſconditam inſtrumenta optica et mechanica, teleſcopia, microſcopia, thermometra, barometra, hygrometra, ſpecula encauſtica, antliam pneumaticam et ſimiles machinas atque organa artificialia ex dictis iam colligi poteſt, et nemo rerum phyſicarum tam ignarus eſt, vt neſciat. Et teleſcopiorum quidem ſiue tuborum opticorum inuentionem vtiliſſimam, qua corpora mundi maxima at diſſita propius intueri licet, nonnulli ad annum MDCIX referunt, et Ioanni Lipperſeinio perſpicillario Middelburgenſi tribuunt, Iacobum Metium, mechanicum parentem facit REN. CARTESIVS [z]. Huius autem organi inuenti fama excitatus Galilaeus, qua ratione ipſe ad eius conficiendi rationem delatus ſit, ſupra iam narrauimus. Et habuiſſe quidem veteres tubos ad contemplanda ſidera adhibitos, ex imagine Ptolemaei aſtra tubo quodam intuentis quam in codice veteri reperit et deſcripſit Io. MABILLONIVS * conſtat, et obſeruatum quoque Io. PASCHIO †. Aſt caruiſſe eos vitris opticis, et tantum cohibendis lucis radiis inſeruiuiſſe dubium non eſt. Multum autem vtiliſſimum inuentum emendauere Chriſtianus Hugenius, Campanus, Newtonus aliique, de quorum tentaminibus in hiſtoria opticae plura tradenda ſunt. De microſcopiorum, quibus minima inſigni magnitudine exhibentur, inuentore incerta lis eſt, alii

Teleſcopia.

Microſcopia.

s) Cont. Coniecturar. phyſic. Amſt. 1708. edit.
t) Inſtit. Medic. §. 621.
u) Phyſ. Germ. P. I. §. 440. Experim. Tom. II. §. 99.
v) Cauſſa Dei §. 81. w) l. c.
x) Phyſ. P. I. c. 4. §. 229. p. 265.
y) T. II. L. II. P. 2. c. 8. §. 4. ſeq.
z) Dioptr. c. 1. §. 2.
*) Irin. Germ. p. 54.
†) De Inuent. nou-antiq. c. 7. §. 4. p. 527. ſeq.

alii enim Ludouicum Septalium, Medicum Mediolanenſem, cuius in *antecedente parte* mentionem iam fecimus, eorum conficiendorum rationem anno MDCXXI detexiſſe, alii Cornelium Drebbelium, mechanicum Alcmarienſem, alii Fontanam Italum auctorem nominant. Ad ingentem autem perfectionem, qua ſtupendi effectus deprehenſi ſunt, ea perduxerunt, Euſtachius Diuinus S. Saluettus, Leewenhoeckius, Butterfieldius, Stephanus Gray aliique [a]. Et his quidem inſtrumentis, dici non poteſt, quantam in minimis naturae varietatem, artem, pulchritudinem, et ſtupenda conditoris rerum opera philoſophiae naturalis doctores detexerint, cuius rei exempla ex P. BORELLI *Obſeruationibus Microſcopicis*, ROB. HOOCKE *Micrographia*, LEEWENHOECKII *Epiſtolis phyſiologicis ſuper compluribus naturae arcanis*, aliisque huius generis ſcriptis colligi poſſunt. Thermometrorum inuentorum gloriam Cornelio Drebbelio plerique vindicant, alii Roberto Fluddo, de cuius ea in re obſeruationibus in vita eius *Parte praecedente* ductum eſt. Barometrorum porro ſiue baroſcopiorum, ad deſignandam aëris grauitatem, vel vim potius elaſticam deſignandam, auctorem nonnulli Valerianum Magnum faciunt, plerique Galilaei ſucceſſori Euangeliſtae Toricellio tribuunt: is enim ad eorum conſtructionem delatus eſt occaſione controuerſiae de vacuo demonſtrando; et inde tubus Toricellianus vocari ſolet. Tranſtulit autem ad metiendam aëris grauitatem primus Robertus Boyle, vel, quod alii contendunt, Otto Guerickius, emendarunt paſſim variis modis viri docti, et hinc vtiliſſimae obſeruationes barometricae ortae ſunt, quas diligentiae nonnullorum debemus, quibus non modo phyſicae, ſed et medicae ſcientiae praeclara lux illata eſt [b]. Nullum autem vel elegantius vel vtilius in naturali diſciplina inſtrumentum orbis eruditus vidit, antlia pneumatica, cuius inuentae gloria debetur Ottoni Guerickio, conſuli Magdeburgico, mechanicae artis et naturalis philoſophiae callentiſſimo. Is huius inuenti mentionem cum Gaſpari Schotto, Herbipolenſium ex S. I. profeſſori prodidiſſet, primus aliquid de ea in *Arte mechanica hydraulico-pneumatica* publice prodidit: quibus lectis excitatus Robertus Boyle, reque cum Roberto Hoockio communicata ſimile quid tentare coepit. His permotus Guerickius in *Experimentis nouis Magdeburgicis de vacuo ſpatio* anno MDCLXII *Amſtelodami* editis rem omnem vulgauit. Diligenter autem in vtiliſſima machina emendanda et perficienda verſati ſunt viri eruditi mechanicae ſtudioſi, quorum labores exponit, ipſamque antliam mira luce colluſtrat vir diligentiſſimus, et de mechanica multis nominibus praeclariſſime meritus IAC. LEVPOLDVS, qui *Antliae pneumaticae deſcriptionem luculentam* vernacula lingua edidit [c]. Adiicimus his ſpecula encauſtica quae et magnitudine et ſtupendo effectu admiranda confecit illuſtris Tſchirnhauſenius [d]. Alia mul-

Thermometra.

Barometra.

Antlia pneumatica.

a) Conf. Transact. philoſ. Vol. I. p. 207. ſeqq.
b) Conf. STVRMII Colleg. curioſ. P. I. auctar. p. 22.
c) Lipſ. 1711. & Contin. 1712. conf. WOLF. Experim. P. I. c. 4. p. 121.
d) Act. Erud. 1697. Sept. p. 414. ſq.

ta, quae huc trahi possunt, ne in argumento alibi excutiendo nimii simus, praeterimus.

Historia naturalis exculta.

§. XVII. Istis auxiliis suffulti per vniuersum mundum, naturam contemplando, discurrerunt disciplinae naturalis periti, et vix particula relicta est, quam non summa diligentia excusserint. Et enata inde historia naturalis, cum disciplina naturali non confundenda, quae naturae opera et phaenomena curiose disquirit, quidque per vniuersum orbem singulare et attentione dignum occurrat, colligit. Cuius scriptores cum enarrauerint D. G. MORHOFIVS [e], I. I. SCHEVCHZERVS [f], IVL. B. DE ROHR [g], et, quod ad Germanos attinet I. FR. REIMMANNVS [h], lectorem rogamus, vt haec cognoscendi auidus ad eos recurrat. Quisquis autem vel itineraria scripsit, vel Acta, Obseruationes, Miscellanea, Thesauros rerum naturalium et similia edidit, quin et Museorum enarratores huc referendi sunt. Posset quoque ingens eorum catalogus contexi, qui historiam animalium, piscium, insectarum, plantarum, lapidum, metallorum, mineralium, aquae, ignis etc. descripserunt, si id agendum esset, vt bibliothecam scriptorum naturalium contexamus. Ea vero alium locum postulant. Commendamus autem lectoris industriae praeter eos, quos enumerant MERCKLINVS [i] atque PASCHIVS [k], diligentiam virorum praestantissimorum, quae in his argumentis specialibus enituit. Quo pacto de insectorum historia natura praeclare meruere SWAMMERDAMIVS, in *Historia generali Insectorum*, IOANNES GOEDARTIVS de *Insectis in methodum redactis*, ingeniosissima MAR. SIB. MERIANA in *Obseruationibus historicis de insectis, et in Metamorphosi insectorum Surinanensium*, et nuper viri celeberrimi REAVMVR et FRISCHIVS, quibus praeclaras *de Insectis* obseruationes debemus. De aquatilibus, testaceis, crustaceis, squamatosis, conchyliis et similibus egregia multa suppeditabunt MARTINVS LISTERVS in *Historia conchyliorum*, aliisque huius generis GEORG. ERHARDVS RVMPHIVS in *Thesauro imaginum piscium, testaceorum, cochlearum et conchyliorum*, FR. WILLOVGBEIVS in *Historia piscium*, Io. RAIVS in *Synopsi methodica auium et piscium.* De brutis Io. CONR. PEYERVS in *Merycologia siue Commentario de ruminantibus et ruminatione*, MICH. BERN. VALENTINI in *Amphitheatro Zootomico.* De plantis MALPHIGIVS in *Anatomia plantarum*, SEB. VAILLANT *de Structura florum*, quos magno numero alii in describendis plantis, floribusque et herbis secuti sunt. Inter quos miro artificio et elegantia eminet, quod nuper coloribus ad naturae imagines effictis et aere expressis, addita enarratione botanica patriam nostram Augustam ornare coepit splendidum opus *Phythantozoiconographiae* WEINMANNIANAE, vt reliquos botanices scriptores,

e) Polyhist. T. II. L. II. p. 1. c. 2.
f) In Biblioth. Script. Hist. nat. Tig. 1716. 8.
g) Bibl. Phys. c. 14. p. 277. seqq.
h) Hist. lit. Germ. Vol. I. p. 61. V. p. 793. seqq.
i) P. II. Lindenii renouat.
k) l. c.

res, Tournefortium, Waltherum, Michelium, Houſtonum, Vaillantium, Sigesbeckium, Burmannum, Rumphium, Breynſium, et qui imprimis de botanices ſtudio praeclare meruit, celeberrimum Carolum Linneum praetereamus, qui alios multos ipſe in *Bibliotheca botanica* enumerat, ab illis, qui plura hoc loco poſtulant, omnino conſulendus. Simili modo haud exiguus eorum numerus recenſeri poſſet, qui foſſilium ſeu mineralium hiſtoriam enarrauerunt, ſi dicendorum prolixitas limitesque nobis poſiti id paterentur. Inter quos non tam ATHANASIVM KIRCHERVM, fumos haud raro in *Mundo ſubterraneo* [1] vendentem, quam OLAI WORMII *Muſeum*, WOODWARDI *Hiſtoriam foſſilium*, VOLCKMANNVM in *Sileſia ſubterranea*, PH. IAC. HARTMANNVM in *Hiſtoria ſuccini*, FR. CHR. LESSERVM in *Lithotheologia*, HYACINTHVM GEMMA in *Hiſtoria naturali gemmarum et lapidum omniumque mineralium*, Io. FRID. HENCKELIVM in *Hiſtoria pyritae*, I. IAC. SCHEVCHZERVM in *Hiſtoria naturali Heluetiae*, et quos alios nominat Cel. BRVCKMANNVS in *Prodromo bibliothecae metallicae*, commendamus. Quibus addi poſſunt illi, qui lapides figuratos recenſent, ab eodem nominati, quique diluuii reliquias in ſtratis montium, lapidibus aliisque locis detexerunt, cuius generis diſſertationem *de Origine lapidum figuratorum* dedit CAR. NIC. LANGIVS, et *Herbarium* atque *Muſeum diluuianum* I. IAC. SCHEVCHZERVS. Non vero lapidum vllus curioſitatem naturae interpretum magis exercuit, quam magnes, cuius mirabilem vim attractiuam ferri et magnetis alterius, itemque conuertendi ſe ad ſeptentrionem, explorare, et cauſſas veriſimiles magnetiſmi afferre non ſine ſudore philoſophi conati ſunt. Non facile enim in inſtitutionibus phyſicis hoc phaenomenon quisquam omiſit, praeſertim poſtquam Guilelmi Gilberti opera et immenſis ſumtibus, vti ſupra iam dictum, experientia maior orbi philoſophico de magnete ſuccreuit. Inſignis quoque, quem in arte nautica habet pyxis magnetica, diligentiam virorum acutiſſimorum et magna patientia ad haec myſteria attentorum eo adegit, vt ad declinationem magnetis, quae diuerſis locis et temporibus diuerſa eſt, reſpicerent, et eius cauſſas probabiles afferrent, vt ex Fr. Lanae, Halleii aliorumque tentaminibus conſtat. Poſſent haec omnia eorum indicibus augeri, qui omnis generis obſeruationes phyſicas ex innumeris experimentis factas collegerunt, niſi et numerus eorum nos deterreret, et nomina eorum ſatis nota eſſent, et ſcriptioni tandem huic modus eſſet ponendus. Dabit potiores cel. STOLLIVS [m], qui adeundus.

§. XVIII. Tandem, vt quae dicenda reſtant, abſoluamus, reticendum non eſt, inſignes acceſſiones naturalem diſciplinam nactam eſſe, poſtquam non priuata, ſed publica auctoritate in ſcrutandos naturae receſſus philo- *Societates eruditae phyſicam doctrinam augentes.*

1) Conf. MORHOF. Polyhiſt. T. II. p. 167. Act. phil. Vol. II. p. 193. REIMMAN. Hiſt. lit. Germ. Vol. III. p. 176. STOLLIVS Hiſt. liter. P. II. c. 1. §. 23. p. 325. m) l. c. P. II. c. 4. §. 42. p. 555. ſeqq.

philosophi incubuerunt, et integrae societates in hunc finem certis legibus et institutis coierunt, summis principibus earum conamina auctoritate sua, priuilegiis, honoribus et sumtibus magnifica ratione iuuantibus. Non est animus in historiae literariae campos excurrere, et societatum eruditarum annales condere; non licet enim nobis ad alia spectantibus lineam transcendere. Dabunt, quantum satis, historiae literariae scriptores passim, et in his GOD. VOCKERODVS [n], MORHOFIVS [o], STRVVIVS [p], STOLLIVS [q], alii. Sed ad eas tantum societates respicimus, quae augere, emendare, illustrareque naturalem philosophiam sunt conatae. Inter quas laudabile exemplum aliis praebuit, et ad augendam disciplinam naturalem prima omnium symbolam suam contulit academia Consentina, a Bernardino Telesio instituta, cuius historiam in eius vita *parte huius tomi antecedente* iam tetigimus. Eam postea haud paucae in Italia secutae sunt, quae ad doctrinae mathematicae physicaeque augmenta et culturam respexerunt, in quo studio prae reliquis praeclare versata est academia Lynceorum, magnis in physica scientia viris illustris. Nuper autem, currentis seculi anno duodecimo illustrissimi Marsilii comitis studio atque sumtibus accessit academia, vel quod ipsi nomen placuit, institutum Bononiense, cuius natales, modum, studia in naturali disciplina, auxiliaque et quae his sunt affinia, descripsit H. P. LIMIERIVS [r]. Tacemus alias minores quarum recensum dabit Io. IARCKIVS [s]. Maiori tamen successu et auctoritatis quoque atque sumtuum auxilio in eiusmodi societates conspirauerunt philosophi, cum summi principes fouere, tueri, et reditibus augere eas constituissent. Cuius rei laudatissimae initium fecit Germania. In ea enim priuatis primum ausibus, auctore Laurentio Bauschio medico Suinfurtensi anno MDCLII coierunt medici nonnulli, eo scopo, vt naturae arcana, communicatis inter se obseruationibus et experimentis curiosius rimarentur. Quod cum pulchre succederet, extendendos limites et dilatanda pomoeria rati anno MDCLXVI, alios quoque peculiari scriptione [t] inuitarunt. Qui cum libenter accessissent, tandem nobilissimo instituto augustissimi imperatoris Leopoldi I. qui clementissimo affectu erga literas vtebatur, auctoritas quaesita est, qua anno MDCLXXXVII publice confirmata, munitaque legibus et insignibus priuilegiis aucta est. Ex quo tempore laetissimis ingenii prouentibus physicam disciplinam promouit, editis *Miscellaneis curiosis*, seu *Ephemeridibus physico medicis academiae caesareae naturae curiosorum*. Quae cum ab anno MDCLXX plaudente orbe philosophico prodiissent, per dimidium seculum, *Actorum physico-medicorum* nomen postea sortiti sunt. De cuius societatis historia narrationem luculentam edidit

n) Introd. in notitiam Societ. literar.
o) Polyhist. T. II. L. II. c. 1. p. 135. seqq.
p) Introd. in Hist. lit. c. 10 cum suppl.
q) l. c. P. II. c. 4. §. 31. p. 547. seqq.
r) Histoire de l'academie appellée l'institut des sciences et des arts etabli en Bologne, Amst. 1723. 8.
s) In Specimine academiarum erud. Italiae.
t) Cui rit. Salue academicum. Conf. REIMMAN. l. c. P. V. p. 809. seq.

edidit MICH. BERN. VALENTINI u). Aetate huic suppar est academia Florentina del cimento, nomen gerens, a magno Etruriae duce Leopoldo anno MDCLVII excitata, vt in naturae arcana inquireret. Cuius societatis physicae tentamina, Italico sermone vulgata Latina fecit, et insignibus accessionibus auxit vir celeberrimus PETRVS VAN MVSSCHENBROECK x). Eundem lapidem voluere coepit circa eadem tempora Anglia, illustrissimo Verulamio in *Noua Atlantide* eius consilii primas lineas ducente. Tanti enim viri prudentia et experientia in rerum naturalium studio commoti viri nonnulli docti artisque medicae et philosophiae naturalis studiosi Oxoniae priuatis initio congressibus tempore interregni symbolas suas conferre coeperunt, rebus summis autem potitus Carolus II. anno MDCLX quae isti auspicati erant, confirmauit, et priuilegiis societatem, regio nomine ab isto tempore splendentem, auxit. Quae narrat copiose, remque omnem exponit THOMAS SPRAAT in *Historia societatis Regiae Londinensis* y). Insignia autem sunt illustris societatis in disciplinam naturalem merita, obseruationes innumerae, magna diligentia conscriptae, experimentorum fides recta et non suspecta. Cuius diligentiae fructum vidit orbis philosophicus in *Actis philosophicis*, ab anno MDCLXV, ab OLDENBVRGIO, qui ab epistolis societati fuit, proprio motu, Anglico sermone editis, sed ad nostram vsque aetatem continuatis, edito quoque a Io. LOWTHORPIO, BENIAM. MOTTE et Io. GRAY eorum compendio. Successit paulo post academia scientiarum regia Parisiensis, patrocinante Musis Io. Baptista Colberto, a Ludouico XIV. anno MDCLXVI instituta regiisque sumtibus tanta magnanimitate sustentata, vt praeclarissimi inde in scientias naturales fructus prodirent: cuius historiam conscripsit, qui ei a chartis fuit, Io. BAPT. DV HAMEL z), continuauit post eius renouationem FONTENELLIVS. Etiam huius societatis diligentia et laboribus frui orbi philosophico licet, vulgatis *Commentariis mathematicis et physicis ex chartis academiae regiae scientiarum*, qui hodie quoque continuantur. Accesserunt seculo praesente societas scientiarum Berolinensis, quae cum suadente Leibnizio a Friderico I. anno MDCC excitata, et anno MDCCXI inaugurata fuerit, eius natales et historiam in vita illustris viri iam tetigimus. In cuius *Miscellaneis* praeclarae obseruationes occurrunt, quibus physica doctrina insignes accessiones accepit. Recentissime anno MDCCXXIII tanta exempla imitatus Petrus I. Moscouiae monarcha princeps animo pariter et facinoribus vere magnus Petropoli nouam scientiarum academiam condidit, ast perfecit demum anno MDCCXXV Catharina. Quae praestantissimis viris ornata, et sumtibus maximis sustentata paucis annis praeclare naturalem disciplinam adiuuit, et diligentiae ea in re suae exemplum in *Commentariis societatis Petropolitanae* extare voluit. Et ita qui-

u) Giessae 1700. 4. x) Lugd. Bat. 1731. 4. y) Anglice, Lond. 1665. Gallice 1667. Genuae.
z) Par. 1698. et auct. 1701.

quidem conſpirante per cultiores Europae partes omni eruditorum caterua, ita emendata, illuſtrata, aucta eſt diſciplina phyſica, vt ſi omnium ſeculorum induſtriam colligamus, coecutiiſſe tamen orbem philoſophicum vsque ad ſeculum XVII merito dicendum ſit, tantumque praeſtiterit ſeſquiſeculum, quantum omnis aetatis curioſitas nunquam effecit. Ex quo conſtat, quid ad emendandam mutandamque phyſicam philoſophiae partem poſt renatas literas, maxime Seculum XVII et XVIII attulerit.

* *

CAPVT TERTIVM.

DE METAPHYSICAE ET PNEVMATOLOGIAE MVTATIONIBVS RECENTIORIBVS.

§. I.

Fata metaphyſicae recentiora.

EX phyſico regno ad metaphyſicum tranſimus, luſtraturi, quid in eo noui attulerit quid mutauerit, philoſophorum induſtria. Ne vero, quod hactenus plerosque terruit, metaphyſicae nomen ab hac conſideratione lectorem velut ſpectrum quoddam abigat, nonnulla, quae ad huius diſciplinae hiſtoriam, naturam atque conſtitutionem pertinent, paucis praefanda, et ex veteris philoſophiae hiſtoria repetenda ſunt. Et nomen quidem metaphyſicae ante Ariſtotelis aetatem ignotum fuit. Plato enim, qui primus argumentum metaphyſicum diſputationi philoſophicae ſubiecit, dialecticam vocauit, vt ſuo loco dictum eſt. Ariſtoteles vero diſtinctius philoſophaturus libris, quot hodie extant, quatuordecim, metaphyſicam doctrinam primus complexus eſt, nomen tamen ipſum vel a Theophraſto, vel recentiore paulo aetate, cum deperditi Ariſtotelis libri recenſerentur, ab Andronico Rhodio praefixum eſt [a]. Ariſtoteles enim aliis nominibus, et imprimis ſapientiae primae, vel philoſophiae primae, quin et theologiae aliisque nominibus inſigniuit [b], teſtatus, ſingularem et vtiliſſimam ſcientiam ſe eo nomine pandere velle. Quam cum ex praeceptoris diſciplina accepiſſet, qui nobiliſſimum dialecticae argumentum ideas, ſiue οὐσίας αὐτὰς καθ' αὐτὰς, eſſe ſtatuebat [c], et alios philoſophiae vultus effingere vellet, vt et ipſe nouae doctrinae auctor videretur, ſingularem ſcientiam conſtituit, in qua de his immutabilibus ſubſtantiis ſibi agendum, inquirendumque putauit, quae illa principia per ſe ſubſiſtentia ſint, quae materiae fluxae et aeternum mutabili certam et durantem naturam largiantur, et a quo principio cauſſaque prima omnis eorum

a) Conf. PATRICIVS Diſcuſſ. Perip. Tom. I. Lib. V. p. 62.

b) Loca Ariſtotelis diligenter collegit, et erudite in hoc argumento illuſtrando verſatus eſt CHRISTIAN. DREIERVS in Sap. prima Diſſ. III.

c) Conf. Hiſt. phil. doctr. de Ideis S. I. §. 6.

eorum catena et emanatio dependeat. Id enim tota illa tractatio de ente prout ens est, de caussis primis principiisque vult, quae intelligi, prout debet, non potest, nisi cum dialectica Platonica comparetur, et tota librorum metaphysicorum Aristotelicorum connexio inspiciatur. Quod hoc loco facere, et hoc pacto origines metaphysicae pandere, heic, vbi recentioris philosophiae historia scribenda est, non licet. Conferri autem cum fructu potest, qui eleganter in hoc saxo voluendo versatus est cel. HOLLMANNVS [d], comparandaque simul sunt ea, quae docte cumulauit FRANC. PATRICIVS [e], vt intelligatur, ex quibus fontibus Aristoteles sua hauserit, et qua significatione meditationes eius accipiendae sint. Subtiliter in hoc argumento versatum esse Aristotelem, nec in omnibus adeo culpandum ac plerique hodie faciunt [f], qui libros eius metaphysicos nec legunt nec intelligunt, facile concedimus, lectorem enim postulat et abstractionibus mathematicis adsuetum, et veteris philosophiae Graecanicae hypothesium peritum, et ad obscurum et difficilem illum modum ratiocinandi, quo Stagirita vsus est, maxime attentum. Quibus vero mediis cum carerent quamplurimi, ipsaque oralis Aristotelicae doctrinae transmissio libris eius defossis et sublatis diu iam desiisset, mirum haud est commentatorum eius gregem, post restitutos luci Aristotelicos libros, nouam sibi ex iis scientiam efformasse, quam metaphysicae nomine ornarunt, eamque in ontologiam quandam seu doctrinam de ente in genere eiusque affectionibus communissimis, adiecta doctrina de Deo et spiritibus, et pneumatologia commutauisse, et vtramque vnius scientiae nomine tradidisse. Quae cum ab Arabum et Scholasticorum ingeniis, valde quidem subtilibus, at Graecae linguae et philosophiae ignaris tractari coepisset, adeo diuersam ab auctoris sui mente philosophia haec prima faciem accepit, vt sua agnoscere, si rediret, Aristoteles aegre posset. Itaque ab Arabum et Scholasticorum aetate metaphysica disciplina aliam prorsus naturam habitumque atque constitutionem nacta est, et noua quaedam scientia emersit, quae ontologiam tradidit, et de Deo atque spiritibus praecipiendo, pneumatologiam et theologiam naturalem appendicis loco sibi coniunxit. Quae ab eo tempore non tantum ad renatas vsque literas, sed post eas quoque ad nostra vsque tempora peculiarem sibi in systemate corporeue philosophico locum vindicauit. Nam quamuis spectra lemuresque quibus scatet metaphysica Scholastica perhorrescerent recentioris aetatis philosophi haud pauci, ideoque nonnulli prorsus a metaphysica manum retraherent, quod imprimis consilium secutus est Philippus Melanchthon: fuerunt tamen multi quoque, qui abiectis Scholasticis spinetis, non omnem eius

d) Hist. Metaphys. Syst. phil. T. I.

e) l. c. T. II. L. II. p. 196. sqq.

f) Cogitandum quoque, deesse libros metaphysicos Aristotelis multos, confusum esse temporis iniuria ordinem, aliena esse adiecta haud pauca, vnde istae difficultates magnam partem oriuntur.

eius disciplinae tractationem abiiciendam esse putarent, praecipue, cum ad theologiam traducta hac lingua philosophica, scientifice, quod dicunt, de mysteriis diuinis disputari, et errantes haereticosque refutari melius posse, plerique statuerent. Qua opinione Peripateticam scholam seculo XVII infectam fuisse, ex illis colligi potest, quae in antecedente parte de fatis philosophiae Peripateticae prolixe satis differuimus. Quae tamen cum et Aristotelica non essent, et fructu carere viderentur, factum inde est, vt de emendanda quoque metaphysica, et philosophia prima nonnulli cogitare inciperent. Comparent inter eos, qui talia aggressi sunt nomina Nicolai Taurelli, Henrici Mori, Thomae Hobbesii, Thomae Campanellae, quibus ex Cartesiana schola accessit Ioannes Claubergius, quem postea sodales certatim secuti sunt. Quorum tamen placita de metaphysico argumento hoc loco enarrare eo minus opus est, quo minus ea, quae huc pertinent, in antecedentibus, vbi de horum philosophorum dogmatibus egimus, omisimus. Ea itaque hoc loco repetenda sunt, vt aliqua metaphysicae emendatae et commutatae historia exsurgat. Ipse vero magnus VERVLAMIVS [g], aliam viam ingressus, metaphysicam ad eam naturalis philosophiae partem retulit, quae speculatiua est, quamque in physicam specialem et metaphysicam diuisit, monens, vti se vocabulo metaphysicae sensu a recepto et vulgato discrepanti. „Disiunxit itaque „philosophiam primam a metaphysica, illamque communem scientiarum „parentem esse voluit, quo communia et promiscua scientiarum axiomata „progignerentur, eaque non logice sed physice tractarentur, sed et inqui„sitionem de Deo, vno, bono, angelis spiritibus ad theologiam natura„lem retulit et a metaphysica secreuit. Metaphysicam autem propius ad „Aristotelis mentem refingens, quem ob acumen ingenii mirabilem vo„cat, metaphysicae, non ea quae penitus in materia submersa sunt, quae„que ad physicam refert, sed abstracta, constantia, v. c. mentem, ideam, „vindicauit, eamque de forma rerum naturalium atque de fine praecipere „iussit. Eam enim, quae in scholis recepta est, metaphysicam, mas„sam esse iudicauit [h] inconditam doctrinae ex partibus quibusdam physi„cae, veluti de principiis et animo, exque theologia naturali et logica „compositam et congestam, et sublimitate quadam sermonis hominum, „qui se ipsos admirari amant, tanquam in vertice scientiarum positam.“ Neque tamen haec quoque Verulamii φιλοσοφούμενα eaque partitio multis placuit, licet negare nemo auderet, et locum esse debere communibus axiomatibus et vniuersalibus, quibus omnis scientia niteretur, principiis atque regulis, quas philosophiae primae nomine vir summus complectebatur, et in physica parte cauſſas quoque generales, formam, finemque esse enarrandam. Sed permouit metaphysicae significatio Scholastica, quosdam, vt eam omnem ex circulis philosophicis eiiciendam esse contenderent. Qua in re magnos animos irasque ostendisse Danielis Hofmanni affectas,

g) De Augm. scient. L. III. c. 4. Opp. Tom. I. p. 190. h) C. 1. p. 180.

assectas, et ad satyras conuersum idem vrsisse Christianum Thomasium, cuius vestigia lepida terminorum metaphysicorum conuersione Germanica pressit ZEIDLERVS [i], suis locis iam indicauimus. Quibus adderemus, quod Maresii ex narratione tradunt PASCHIVS et HOLLMANNVS [k], Gustaui, Suecorum regis, iussu metaphysicam Suecorum regno proscriptam, et omnes libros metaphysicos fisco addictos fuisse, si paulo certiorem eius rei fidem allegare liceret. Neque tamen omnium, qui recentiori aetate de metaphysica iudicarunt, ea mens fuit; sed et ὀφολογίας et lexici eruditi commodique loco, vt lingua philosophantium intelligi queat, conseruandam eam esse in philosophia statuerunt, quae mens fuit IACOBI THOMASII [l] et B. BVDDEI [m]; et haud pauca in logicam tractationem quidam transtulerunt, cuius exemplum esse possunt, quae *Artis cogitandi* auctor, Mallebranchius, Crousazius aliique ex metaphysica suis tractationibus logicis insperserunt; haud pauci ad doctrinam de Deo et spiritibus reliquis, praeter communia scientiarum principia eam reuocarunt [n], quo scopo praeter Peripateticos plerosque ipse CARTESIVS in *Meditationibus de philosophia prima*, de Deo et anima egit, et post Hamelium B. Syrbius, Rudigerus, et ipse tandem illustris Wolfius incedendum esse rati sunt. Pauci haec theologiae naturali seruantes metaphysicam cum philosophia prima idem esse iusserunt, eamque occupari circa prima communissimaque omnis cognitionis nostrae principia, quae ad singulares quasdam disciplinas referri ob vniuersalitatem suam nequeant, voluerunt, eum inter philosophicas scientias illi locum tribuentes, quem inter mathematicas geometria occupat. Quo sensu *Ontologiam methodo scientifica* pertractare constituit illustris WOLFIVS, et eam quoque singularis scientiae habitu in scenam produxit Cel. HOLLMANNVS. Nobis praeter haec, quae summatim dedimus, in hac vniuersali scientiarum claue enarranda, non est, quod praecipue in hac nostra tractatione adducendum habeamus. Nuper demum, philosophiae primae [o] hic honor restitutus est, eiusque axiomata hoc loco enarrare, esset specialem eius historiam condere, et quae hodie obtinent, exponere, sicque instituti nostri fines migrare velle. Omissis itaque iis, quae ex laudatissimorum modo virorum institutionibus metaphysicis hauriri possunt, ad doctrinam de Deo et spiritibus quam plerique metaphysicae iunxerunt, respiciemus, et quid circa hanc partem recentior aetas molita sit, qua licet breuitate porro enarrabimus.

i) In Metaphysica lepide Germanice versa, tit. Die wohlehrwürdige, grosachtbare und wohlgelehrte Metaphysica, oder Vbernaturlehre etc. Vbi in praefatione Satyra mordax in metaphysicam scribitur.

k) Inu. nou-antiq. c. II. §. 14. p. 48. l. c. §. 43. p. 594.

l) In Hist. metaphys. §. 16. 33. et quae supra in vita filii ea de re diximus.

m) Elem. phil. instrum. P. IV.

n) Conf. THOMAS. l. c. §. 3. 26. sq.

o) Dedit B. SYRBIVS eruditam dissertationem de Philosophia prima loco honorique suo restituenda, qui ideo institutiones quoque philosophiae primae eclecticae scripsit, vt supra dictum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fata recentiora theologiae naturalis.

§. II. Nobiliſſimum metaphyſicae doctrinae argumentum a pleriſque habetur, quod de prima omnium rerum cauſſa, DEO, agit. Quem cum idearum fontem conſtituerit Plato, ratio inde intelligitur, cur in metaphyſicis ad hanc theologiae naturalis partem aſcenderit Ariſtoteles. Cuius diligentiam imitati haud pauci argumentis metaphyſicis euincere conati ſunt, dari eiusmodi ens ſummum, infinitum, perfectiſſimum, et neceſſario exiſtens, a quo reliqua dependeant entia omnia et exiſtentiae ſuae rationem in ſe habeant. Non eſt loci praeſentis eos allegare, qui ratiocinationibus metaphyſicis (de his enim in praeſentia ſermo tantum eſt.) Deum eſſe demonſtrauerunt, nec, de vario nobiliſſimam hanc veritatem euincendi modo, efficacia et ratione differere. Collegit omnia diligenter et adductis copioſo indice ſcriptoribus enarrat IO. ALB. FABRICIVS [p], qui videndus. Id vnum ὡς ἐν παρόδῳ notamus, noſtro hoc tempore inter controuerſias Leibnizio-Wolfianas plurimum diſputatum eſſe de vſu et valore argumentorum pro exiſtentia Dei, cum viris his celeberrimis, et praecipue Wolfio, eae rationes ſuſpectae viderentur, quae pro Deo demonſtrando plerumque allegari ſolent [q], eo quod elabendi viam atheis eas pandere crederet, ſtatueretque, non certius et efficacius argumentum deduci poſſe, quam quod a contingentia rerum peti poteſt, qua in re praeeuntem habuit Leibnizium. Ita enim viſus eſt, validiſſima, quae hucusque in impietatis patronos emiſſa ſunt tela eneruaſſe, et in ſolo metaphyſico argumento obſcuro paucisque intellecto ſpem omnem et fiduciam collocaſſe. Qua in re annon de vmbra litigauerint viri docti, et an tanto ſtrepitu de argumenti metaphyſici pondere decertandum fuerit, re ipſa a nemine negata, nos lectoris prudentiae definiendum relinquimus, fatemur autem, argumentum illud, quod a rerum contingentia deſumitur, modo recte explicetur, et tollatur omnis ambiguitas, omnium maxime ſtringere nobisque videri omnium euidentiſſimum, modo rationem ſufficientem exiſtentiae rerum requiri, admittamus. Quo principio, licet ſufficienter non explicato omnes nixi ſunt, qui hanc demonſtrandae exiſtentiae Dei rationem adhibuerunt; adhibuerunt autem iam inter ſcholaſticos plurimi: quamuis inde colligi non poſſe putamus, reliquas rationes hac imprimis ſuppoſita, nihil recte valere vel demonſtrare poſſe. Quae cum latius in pneumatologia diſputari ſoleant, ad eius inſtitutiones lectorem dimittimus. Hac vero veritate velut quae certiſſime demonſtrari queat admiſſa, manifeſtum eſt, peccauiſſe in ipſam philoſophiam poſt renatas quoque literas omnes, quotquot impietati vel palam velificarunt, vel latenti veneno, vſi emendatae philoſophiae colore, pietati inſidiati ſunt. Quorum vtinam non tam amplus catalogus contexi et non ſine humani intellectus opprobrio demonſtrari poſſet, ipſum, quod Numinis beneuolentiae debemus, philoſophiae beneficium, ad oppugnandam DEI exiſten-

p) In Syllabo ſcriptorum de V. R. C.
q) Vid. LVDOVICI Hiſt. phil. Wolf. P. I. c. 14. §. 237. 259. 391. 397.

exiſtentiam et maieſtatem tot vana et otioſa ingenia nefandis auſibus adhibuiſſe, quae tamen acutius ſe cernere, et eiuratis vulgi praeiudiciis liberius philoſophari gloriata ſunt. Id quod ex ampliſſimis atheorum indicibus diſci poteſt, quos conſcripſit IENKINI THOMASII [r], Io. FRANC. BVDDEI [s], et IAC. FRID. REIMMANNI [t] diligentia. Quibus tamen copioſior ipſorum ſyſtematum, ab atheiſmi patronis in vſum vocatorum enarratio et ſuccincta eneruatio merito addenda eſſet, vt intelligi poſſet, quantum in argumento omnium nobiliſſimo recentior philoſophia profecerit. Quibus dein nouae attributorum operumque diuinorum explicationes queis impietatis tela retundere viri docti et laudabili pietatis zelo flagrantes ſtuduerunt [tt], adiici poſſent, quo pacto vtilis admodum et dogmatica theologiae naturalis hiſtoria condi poſſet, quam hactenus deſideramus. Diſtinguendi autem cum ſint athei theoretici, qui certis dogmatum fundamentis, hanc impietatem ſuperſtruunt, a practicis, quorum ſine Dei timore cultuque ob atheiſmum, vita eſt; ipſi quoque theoretici non omnes propria doctrinarum aedificia conſtruxerint, quibus abeſſe numen iuſſum eſt; eos quos ſyſtematicos non incommode dixeris, proprie heic in cenſum venire, apertum eſt. Aſt haec omnia enucleate tradere, et eos enumerare non licet, quos perperam hac macula notauit praepoſterus eorum zelus, quibus atheiſmo ſuſpectum omne illud eſt, quod vel ipſi non intelligunt, vel a receptis opinionibus et παιδείας τρόπῳ recedit, vel conſequentiarum machinis in prauos ſenſus torquetur, quosque inuidia magis quam ſiniſtrae de Deo ſententiae atro lapillo deſignarunt: id enim ad ſpecialem atheiſmi hiſtoriam pertinet, nec hoc loco quaeri debet. Adhibuimus autem in hac noſtra tractatione curam hactenus atque diligentiam omnem, vt atheiſmi hiſtoriam, quantum ſcriptionis modus permittebat, ſimul enarraremus, quod vt in veteris et medii aeui hiſtoria haud ſuperficiarie fecimus, ita in recentioris aetatis philoſophica hiſtoria explicanda non negleximus, ea quoque tangere, quae de atheiſmo ſectae Auerroiſticae, Pomponatii, Portae, Caeſalpini Cremonini, Simonis Simonii, Taurelli, Cardani, Bruni, Campanellae, Berigardi, Baylii, Burrhi, Poſtelli, Mallebranchii, Hobbeſii, Carteſii, Leibnizii, Lockii, Thomaſii, Paracelſi, Boehmii et theoſophorum aliorum, a nonnullis diſputantur. Addi poſſent plures, ſi id ageremus, ſolent enim atro huic catalogo inſcribi nomina Bernardi Ochini, Marcelli Palingenii, Lazari Bonamici, Petri Aretini, Bonauenturae de Perieries, Franciſci Rabelaeſii, Iacobi Dauidis Perronii, Antonii Mureti, Petri Ruffi, Stephani Iadelli, Ioſephi Scaligeri, Stephani Doleti, Franciſci Garaſſe, Ioannis Harduini, Richardi Simonis, Iſaaci Peyrerii, Antonii Goueani, Eduardi Herberti,

r) In Hiſtoria Atheiſmi, Altd. 1713. Lond. 1717. 8. edita.

s) Theſ. de Atheiſmo c. 1.

t) In Hiſt. Atheiſmi, Hildeſ. 1725. 8.

tt) Qualis ſunt, quae theologiam ex ſideribus, aſtris, aquis, lapidibus laudabili conatu recentiſſima aetate conſtruxerunt, alibi nominanda.

Thomae Browne, Bernardi Connorii, Caroli Blountii, Iacobi Maſſe, Ioannis Tolandi, Antonii Collini, Theodori Cornhaerti, Conradi Vorſtii, Stephani Curcellaei, Ludouici Meyeri, Ioannis Weſtrene, Iſaaci Voſſii, Hadriani Beuerlandi, Caſparis Scioppii, et multorum aliorum, iure iniuriaue in hunc cenſum relatorum. Quos tamen accurate intueri, opiniones eorum ex ſcriptis propriis expendere, et proſcripto odio et praeiudiciis omnibus, immo notione quoque atheiſmi reſtricta et a paradoxis opinionibus diſcreta, nec cum enthuſiaſmo et deiſmo commixta, de re ipſa iudicare relictum lectoris aequitati et induſtriae volumus. Nos, vt ſpecimen extet, duos nobis ex tota hac caterua ſelegimus, quos pro atheis theoreticis et quidem ſyſtematicis omnis fere habet mundus philoſophicus, Iulium Caeſarem Vaninum, et Benedictum Spinozam, quibus in tota atheiſmi hiſtoria nihil eſt famoſius. Horum itaque hiſtoriam paulo plenius enarrabimus.

Iulii Caeſavis Vanini hiſtoria vnde petenda.

§. III. Valde famoſa eſt, IVLII CAESARIS VANINI hiſtoria, quod commouit viros nonnullos doctos, vt de ea conſarcinanda et in ordinem redigenda eſſent ſolliciti. Fecit id poſt Io. GOTTL. OLEARIVM, qui duas *de Vita, ſcriptis, ac opinionibus Iulii Caeſaris Vanini* diſſertationes [t] edidit, vir clariſſimus Io. MAVRITIVS SCHRAMMIVS, qui ex ſcriptis Vanini hodie, ob futilitatem magis et ſentiendi licentiam, quam ob doctrinam rariſſimis [u], potiora omnia collegit, quae ad noſcenda infelicis philoſophi fata et opiniones facere poſſunt, quamuis admixta ſint haud pauca ἀλλότρια et chartam tantum implere apta [v]. Ex hoc commentario vitam et opiniones Vanini breuiori compendio delineauit Gallico ſermone DAVID DVRANDVS [w]. Et hi quidem inter impietatis patronos haud infimum locum Vanino aſſignauerunt. Aſt fieri id non ſine iniuria Vanini, cum haud paucis rationibus demonſtrari poſſe crederet celeberrimus, PETRVS FRIDERICVS ARPE, edidit, licet ad declinandam inuidiam ἀνωνύμως *Apologiam pro Iulio Caeſare Vanino*, in Belgio, *Coſmopoli* [x], vt habet titulus, excuſam. In qua docta ſcriptione ea omnia ſtudioſe vir eruditus ex vita et opinionibus Vanini collegit, quae pro eius innocentia euincenda, et declinandis accuſatorum obiectionibus facere poſſe iudicauerat. Qua in apologia cum eum ingenio indulgere, haud ſerio agere, patronum cauſſae non iudicem eſſe, nonnulli obiicerent, reſpondit [y], ſe non tam vindicias pro Vanino parauiſſe, quam pro veritate, eiusque dignitatem miſere deformatam ex dumetis eruere ſategiſſe. Praeſertim

t) 1708.
u) VOGT. Catal. ſcript. rar. p. 595.
v) Vid. Act. Erud. 1709. p. 260. I. FABRIC. Hiſt. Bibl. ſuae T. V. p. 232.
w) Vid. Hiſt. crit. de la rep. des lettres Tom. XIV. p. 361. Act. Erud. 1718. p. 230. Bibl. anc. et mod. T. VIII. p. 230. FABRIC. l. c. Europe ſçavante 1718. Juill. art. 5.
x) 1712. 8. Conf. Cat. Bibl. Reimmann. T. I. p. 1033.
y) Fer. aeſtiu. P. I. §. 39. ſeqq. p. 28. vbi hiſtoriam libri recenſet, et iis reſpondere promittit, quae in noua Bibl. Tom. III. p. 64. Relat. innoc. 1713. p. 173. BVDD. Theſ. de Atheiſmo c. 1. p. 122. Act. Erud. Germ. P. VII. p. 670. monita ſunt.

sertim postquam, facta dissidentium obiectionum inquisitione leuiores ipsi rationes esse viderentur. Vidisse se enim historiam Vanini recentibus odiis esse compositam, et si omnes in illa scrupulos eximere nequeamus, nostra id fieri ignorantia, ex documentorum defectu. Conquestus ideo vir clarissimus et eleganter doctus de iniuria est, qua nonnulli eum ob dictam hanc pro Vanino apologiam cumularunt. Praeter hos duumuiros alii quoque in enarranda Vanini historia diligentiam probauerunt suam, quos cum nominauerit Io. FABRICIVS [z], qui et ipse breui indice res Vanini tetigit, eos heic appellare supersedemus. Addi autem illis possunt CROSAEVS *, BVDDAEVS †, PARCKERVS [a], IAEGERVS [b], FABRICIVS [c], alii [d]. Nos more nostro strictim res eius percurremus, et quid de eo memoratu dignum iudicamus, sine odio, sine fauore, excussis caussae rationibus, breuiter explicabimus.

§. IV. Edidit Vaninum Neapolitana regio, Taurisani oppido [e], anno MDLXXXVI, parentibus Ioanne Baptista Vanino, comitatui Castrensi praefecto, et Beatrice Lobez de Noquera. In sacro lauamine tesseram sponsionis factae, Lucilii nomen, accepit, idque postea in Iulii Caesaris commutauit, aut arrogantia ductus, quod mores eius et temperamenti conditio suadere videntur, aut persecutionis violentia coactus, vt eo tutius lateret. Natum esse ait MDLXXIX CROSAEVS [f], non tamen addito testimonio, quod facile inde refelli potest, quod in dialogis *de Arcanis naturae* ††, anno MDCXVI editis, se eo tempore triginta annos natum esse innuit, hoc enim indice eo, quem diximus anno, natum fuisse, certum est. Admodum adolescentem praeter naturalem animi alacritatem et ingenii felicitatem ingens discendi ardor occupauit, cui se ambitio iam tum haud obscure se prodens iunxerat. His itaque stimulis actus post posita Latinarum literarum fundamenta sub praeceptoribus domesticis mature ad cognoscenda philosophiae mysteria perductus est, et non modo rationalem philosophiam, sed et naturalem atque moralem secundum Aristotelis placita auidissime hausit. Quo factum, vt cum Auerroistas * ex Peripateticis, praeceptores vel viua voce, vel quod malumus, lectione esset nactus, totus in eorum hypotheses concederet. Vtebatur autem praeceptore Ioanne Bacconio, Anglo, religioni Carmelitarum [g], et si philosophiam spectes, Auerroisticae impietati addicto, a quo tanta Aristotelis et commentatorum eius admiratione repletus est, vt plane insaniret [h]. Et hanc quidem studiorum rationem, cui artem salutarem iunxerat, Romae prius, deinde Neapoli tenuit, ibique (quo loco Telesii curam circa illud tempus exacuisse viros doctos, vt de naturali philosophia paulo curiosius essent solliciti,

Vita Vanini.

z) Hist. Bibl. suae T. VI. p. 518.
*) Entretiens p. 337. †) l. c.
a) De Deo Disp. II. §. 28. p. 194.
b) Hist. eccl. Sec. XVII. Dec. II. L. 7. c. 7.
c) Syll. Scr. de V. R. C. c. 17. p. 419.
d) Patauiana p. 51. Ann. acad. Iuliae P. II. p. 168.
e) De Arc. nat. Dial. 56. p. 424.
f) l. c. p. 337. ††) p. 493.
*) Expirauerat enim isto tempore secta Auerroistica, quae cum Peripateticis γνησίως talibus non est confundenda. g) Amphith. Ex. 4.
h) Vid. ARPIVS l. c. p. 3.

liciti, ex supra dictis de Telesio repetendum est) in physicam potissimum incubuit, nec adeo male tempus eum collocasse, ex scriptis eius potest intelligi. His autem studiis cum esset deditus, non abludit a verisimilitudine, quod biographi eius referunt, nauseasse iuuenem praeferuidum et doctrina philosophica superbientem, simplicitatem sacerdotum, vulgi credulitate, fraudibus ad veritatis et sapientiae speciem effictis abutentium. Deinde ad diuinarum rerum scientiam conuersus est, ambitione vrgente, cum sacri, quibus praesules ecclesiarum fruuntur, tituli et honores oculos eius valde perstringerent, et summi in theologia honores nescio quam ei ἕξοχὴν promitterent. Qua in disciplina Bartholomaeum Argottum, ex Carmelitarum sodalitio virum eloquentia celeberrimum, praeceptorem habuit [i], quo duce etiam in concionandi arte profecit. Nec a tentandis iurisprudentiae limitibus mentem πολυίστορίας laudem affectantem retinuit [k], et imprimis canonico iuri expendendo diligenter vacauit, non neglectis tamen quas Iustinianus olim compilauerat, iusti rectique constitutionibus. Eam ob rem, in Patauinam academiam se contulit, id apud se constituens, vt, quod ipse in *amphitheatri praefatione* dicit, *iuris prudentiae ac theologiae studiis in Parthenopaeo ac Patauino circo decursis, reliqua fere omnia literarum exercitationum per totum Europaeum orbem erecta theatra, Amphitheatra circosque duceret frequentandos* [l]. Tantus autem discendi ardor, tanta studiorum contentio illi inerat, vt se paruula contentum Patauii togula, hyberna frigora perfregisse glorietur. Ita animus per vniuersae literaturae campos discurrens, in quocunque literarum genere curiose pabulum quaerebat, et imprimis philosophiae arcana altius, quam aetas ista solebat, rimabatur. Placuit ei inter scripta quae tum triuerat, imprimis doctrinae varietas, quam in Cardani libris deprehendebat. Vnde virum eum sapientissimum, nec valde credulum superstitionibus vocat [m], inuita veritate, ipsoque Cardano, qui in extollendis superstitionibus suis ad insaniam vsque versatur, eodem, qui Vaninum occupauerat, charactere; et tamen valde eum exagitat, et atheismi suspectum habet [n], quod genituram Iesu Christi definire esset ausus. Sed et Pomponatio valde delectatus est Vaninus, quem praeceptorem suum plerumque vocat, non quod per tempus aliquod ipsius disciplina vsus esset, quod post alios quoque coniicit SCHRAMMIVS [o], hoc enim non sine insigni anachronismo statui, in vita Pomponatii suo loco ostendimus; sed quod ex libris et φιλοσοφεμένοις Pomponatii, qui inter Peripateticos acutius cernentes solebat referri, plurimum doctrinae philosophicae accepisset. Hunc ita Auerroistam putauit Vaninus [p], vt Auerrois animam in eum commigrauisse censendum esse statueret, quod quousque verum sit, suo loco excussimus. Maxime libellus *de Incantationibus* siue *de effectuum naturalium rerum caussis* (quos inter se titu-

i) De Arc. nat. Dial. 30. p. 205.
k) Amphitheatr. Praef.
l) Ibid. Exerc. I. p. 351.
m) De Nat. Deor. p. 203. 204.
n) Amphith. Exerc. VII. VIII. SCHRAMM. l. c. p. 21.
o) §. 20. p. 42.
p) l. c. Exerc. VI.

titulos vnius libri perperam diuersos facit SCHRAMMIVS *q*, adeo placuit Vanino, vt eum aureum et admirabilem diceret *r*, ex quo vno iudicio si cum iis comparetur, quae ex instituto de hoc libro alibi diximus, de Vanini philosophia facile iudicium fieri potest, simulque intelligi, quibus de miraculis, de anima, de fato et similibus dogmatibus a Pomponatio acceptis Vaninus subscripserit. Neque tamen diffitendum, interdum et Auerroi et Pomponatio Vaninum contradixisse, vt ex *Exercitatione XLIX Amphitheatri* patet, vbi tamen non negat, plerosque ipsum putare stantem a partibus Pomponatii. Absoluto studiorum academicorum curriculo monachi habitum induisse oportet Vaninum, si vera sunt, quae habet MARINVS MERSENNVS *s*, cuius verba ob insignem libri, in quo extant, raritatem, ipsa adducemus: *Viros bonos se mentientes, (ita de atheis pronunciat,) fallunt; nec enim existima, te vllum vnquam hominem atheo peiorem inuenturum, quod exemplo Vanini atheorum Caesaris testatum facere possumus, qui ne iocator existimaretur, καταπυγωνέστερος esse maluit, licet aliquando nomen suum alicui sanctissimae religiosorum congregationi dedisset, quae statim illum, vt verum monstrum euomuit.* Tacet tamen haec ipse Vaninus, vnde si modo vera sunt, et non deceptus est Mersennus, in huiuscemodi valde credulus, coniicimus, eum, cum prima religionis susceptae tentamina adiisset, essetque hypocriticae simulationis acerbus irrisor, maxime vero huius vitii clericos haberet suspectos, liberiori lingua venerabiles fratres ita irritauisse, vt mature abeundi consilium aut coactus acciperet, aut sponte caperet. Ipse se peracto curriculo academico Taurisanum patriam suam in aestiuis caloribus obequitantem repetiisse, et tum Ioanni Mariae Ginochio theologo Germaniam peragranti socium se dedisse, et contemtis sinistris auspiciis Argentoratum peruenisse scribit *t*. In quo itinere se fortissimis telis atheos aggressum fuisse iactat, quod si verum est, prodidisse caussam optimam ex mira ratiocinatione censendus est. Perlustratis Germaniae vrbibus in Bohemiam vsque penetrauit, vbi eo tempore et Catholici et Hussitae et Anabaptistae viuebant, et hos quidem se oppugnauisse ipse quoque gloriatur *u*. Tum in Belgium descendens cum atheis pugnas porro iniit, andabatarum more, et aut reuera eos refutare serio noluisse, aut non potuisse, satis luculenter prodit *x*. Pleraeque enim eius responsiones tales sunt, vt haud dubia atheos victoria maneat. Id quod characterem Vanini animo recolentes non magnopere miramur. Ex Belgio relegere vestigia itineris ad patriam ducentis constituens Geneuam peruenit, vbique atheis, si vera sunt, quae ostentat, grauis et intolerabilis, et quidem cum periculo vitae *y*. Quod cum euasisset ad Gallos delatus, Lugdunum peruenit, ibique Henrico Sylvio eum deferente fuga se liberare ab inquisitione

q) l. c. *r*) Arc. Nat. Dial. 51. p. 374. *s*) Qq. in Genesin col. 156. *t*) De Arc. nat. Dial. 56. p. 425. *u*) Ibid. p. 349. *x*) p. 357. *y*) p. 328.

ne coactus est [v]. Tutiorem vero, quam Galliam, censuit sibi fore Britanniam, in quam delatus per biennium vixit, et Hieronymum Morauium, legati Veneti sacerdotem amicum satis fidum et interiorem habuit. Londini autem scribit [w] *se ad agonem Christianum destinatum fuisse, adeoque quadraginta nouem diebus in latomiis tanquam in palaestra quadam exercitum eo fuisse pro catholicae ecclesiae auctoritate defensanda effundendi sanguinis desiderio accensum, et inflammatum, vt sibi a Deo immortali vel maius donum aut melius contingere nullo modo potuisset.* Accidit hoc, si narratio vera est, anno MDCXIV, de quo tamen subdubitat cel. LA CROZE [x], nobis autem indolem animi Vanini expendentibus valde videtur simile, hominem eiusmodi charactere anomalo insignem, et incerta ingenii luxuriantis varietate huc illuc raptum mox de veritate religionis Christianae dubitare coepisse, mox in alterum extremum currendo pro ecclesiae suae, cui nomen addixerat, incautius et liberius loquendo, contra rempublicam quaedam effutiisse, ideoque castigatum martyrii gloriam affectasse. Nihil enim tam ineptum maleque cohaerens et a se dissonum est, ad quod non stultitia per vices delabatur, et arripiant capita heteroclita. Parum itaque fauentes sibi Protestantium terras expertus in Italiam rediit, Genuaeque sede fixa, viris eruditis innotescere studuit, quorum commendatione iuuenes in philosophia erudiendos haud paucos accepit [y], et cum eruditionis ornamentis enitere crederetur, optimatium sibi gratiam deuinxit, quam venari studiose annitebatur. Praelegit ibi naturalem philosophiam, posthabitis Scholasticorum praeceptis discipulos monens, ne in vllius magistri verba iurarent, sed ad fontes ipsos conuerterentur: Auerrois autem libros prae alijs obtulit, ex quo intelligi potest, quas philosophiae scaturigines consulendi iuuenibus auctor fuerit. Genua Lugdunum reuersus est, sine dubio quod ἀνωμαλίαν ingenii eius supra modum paradoxi et haud raro delirantis diu eum cum auctoritate et viri boni atque eruditi opinione viuere vno loco haud paterentur. Certe eadem in vrbe opus habuisse, vt, se cum atheis non stare ostenderet, ex suscepta contra Cardanum pugna, quem atheismi insimulabat, haud obscuro indicio constat. Nec diu ibi morari potuit, sed mox in Italia, mox in Gallia discurrens, haud contemnendis periculis exantlatis cum mox latronum metus eum opprimeret, mox aquae interitum minarentur, indies fieri coepit de impietate magis suspectus. Coëgit id eum Lutetia excedere [z], qua in vrbe eum atheismi suspectissimum fuisse, vel ex vnius MERSENNI *Commentario in Genesin* * constare potest, qui cum ei fuerit σύγχρονος inter atheos praecipuos fuisse relatum non obscure significat. Minus itaque in Parisiorum vrbe tutus ad Tolosanos vrgente fato delapsus est. Narrat tristissima infelicis philosophi fata, qui miserabilem

v) Amphitheatr. Ex. 42.
w) Ibid. Ex. 19. p. 117. 118.
x) p. 340.
y) l. c. p. 350. conf. Ex. 40.
z) Conf. SCHRAMM. l. c. §. 19. p. 160.
*) loc. cit.

bilem eius vitae exitum vidit, et ipsum viuum nouit GRAMMONDVS †, cuius testimonio plerique qui post eum de Vanino scripserunt, steterunt. Summa eius narrationis huc redit: Suspectum se libris editis, eo praecipue, quem *de Arcanis naturae* inscripserat, fecerat Vaninus, quod de religione minus recte, et nonnulla impie statuerat. Quamuis autem se Romanae ecclesiae iudicio cuncta submittere professus tutus hactenus latuisset, inuentus tamen est Franconus quidam non ignobilis genere, qui eum in extremum periculum coniiceret. Ille enim cum saepius in vtramque partem cum Vanino de Deo rebusque diuinis sermonem miscuisset, eum velut nefarium diuinitatis hostem deferre apud magistratum constituit. Rapitur in ius Vaninus caussamque dicere iussus, quod pestilentibus opinionibus iuuenum animos corrumperet; respondit Romanam se fidem amplecti, nec ab ea ecclesia quod dissonet, vnquam docuisse; nonnulla ab atheis, obiici solita eo fine enumerasse, vt leues argutiunculas hominum impiorum eo fortius refelleret. Ita excusatione allata tum quidem liber dimissus est. Quo successu laetior et elatior cum impietatem in dies audacius spargeret, Franconus Magistratu compellato, diem ei diceret, rogauit, vt quod toties ex ore eius audiisset, eius illum coram conuinceret. Qui cum nobilitate et auctoritate gauderet, fidem ita senatui fecit, vt is Lucilium sine mora cum omni supellectile caperet. Ductus est in carcerem inter reculas inuentus, immanis bufo, aquis innatans, quem vitro inclusum aluerat, quae res valde veneficii et magiae suspicionem apud plerosque excitauit, quamuis is rogatus antidotum malo pestilenti ex eo parari affirmauisset. Accusatus Vaninus impietatis cum pristina vestigia legeret, Franconus in medium procedens, negatae diuinitatis eum reum egit tempore locoque et verbis quoque quibus elocutus erat, simul indicatis, interposita quoque iurisiurandi fide. Negauit cuncta Lucilius, de iniuria conquestus, quod iudicio semel absolutus veteri lite denuo grauaretur. Discipulorum autem testimonio in partes vocato in vincula coniectus est, in quibus pietatem et religionis professionem, sacro etiam epulo aliquoties testatus est, omni arte adhibita, vt hac caussa se extricaret, quo pacto totum semestre, protracta lite consumtum est. Sententiam de Deo dicere rogatus, vnum se in trinitate adorare professus, sublata ex terra stipula Dei existentiam ex eius mirabili structura demonstrauit. Sed peruicit et testium concordia et magicarum artium suspicio, vt ad rogum damnaretur. Currui impositus vt in supplicii locum veheretur, subtracta demum larua impietatem prodidit: non poenitentia dictorum, non preces vllae, sic vt nec Deum gratiam rogare se posse, monitus responderet, quem nullum crederet, nec regem, in quem nihil peccasset, nec iudices, qui magna ipsum iniuria afficerent. Oblatam crucifixi imaginem respicit, iactitans, imbellem fuisse, cui timor sudorem elicuerit,

†) Hist. Gall. L. III. p. 212. seqq. Per domos eundo iuuenes philosophiam docuisse Tolosae ait auctor Mercurii Gallici ad ann. 1619.

rit, se imperterrite mori, ac philosophice. Ad locum supplicii deuecti linguam ferro discerpsit carnifex, horrendo mugitu edito; corporis reliquiae infelicibus ignibus vstulatae perierunt, cineres in aërem sparsi, et infelicis philosophi memoria hoc pacto deleta. Haec Grammondus. Similia alibi leguntur [a]; et horrendae quoque in Deum et senatum regium blasphemiae, quas eructauisse dicitur, adduntur. Valde de huius accusationis veritate et sententiae iustitia disputatum est inter viros doctos. Plerique enim de Grammondi fide nihil dubitant, cum et praesens ipse fuerit et acta inspexerit, et supplicium viderit, et in ea dignitate constitutus vixerit, qua et prae aliis scire cuncta ex vero potuerit, et causam mentiendi non habuerit, qua dignitatem suam polluisset. Accedunt testimonia Mercurii Gallici, Marini Mersenni, aliorumque, qui ea aetate vixerunt, et famam publicam in testimonium vocauerunt. Et hoc quidem pacto recentissime pronuntiarunt Schrammius, Durandus, Crosaeus, aliique supra nominati. Ast non mediocriter fidem Grammondi eleuant, quae alii obiiciunt. Monent enim adeo animum odio, persecutione et sanguinolento consilio turgidum contra Vaninum historicum Gallum prodere, vt omnem fidem amittat, satisque, dictante inuidia eum scripsisse, pateat. Ipsum porro ita rem narrare monent, vt a partis studio semoto pateat, neque iustam causae rationem apud iudices obtinuisse, neque satis eum vel conuictum vel confessum supplicio fuisse affectum, iudicibus infensum animum, ab aliis, maxime clero inflammatum inaudita executionis festinatae celeritate prodentibus. Quos caruisse iudicio omni recto, et plane ineptos ad ferendam sententiam inhumanam fuisse, vel ex eo constare contendunt, quod atheismum et artes magicas inepte iungendo, ex bufone aquae incluso ridiculum impietatis argumentum desumserint. Fabulam autem de impietate in morte prodita, et eructatis in Saluatorem blasphemiis non nouam esse, sed Vanino alteri anno MDL ob mutatam religionem rogo imposito [b] iam tributam ita occasionem subministrasse, inauditam crudelitatem senatus Tolosani excusandi pingendique, maledicentiae aliorum in blasphemiae culpam conuersa [c]. Nec reliquos testes magnam fidem mereri, quos vna sceleris fama publica sed mendax instruxerit: Cuncta vero iudicum iniustitiam, Vanini innocentiam, supplicii nefandam atrocitatem prodere: odium scilicet cleri, quem cum saepius arrosisset, in rabiem ita egerit, vt in eius perniciem conspirauerit, aduersariorum improbitatem et malitiam, accusationem ineptam et fuco carentem. Ita imprimis ingeniosissimus Arpius, cuius apologia tota legenda est, vt intelligatur, quid in hac narratione reprehendi possit. Nobis valde suspecta et Grammondi, et Mersenni, et aliorum relatio vel eapropter videtur, quod ab euentu illi omnes argumentum atheismi capiant, quem posthabitis aequitatis et iustitiae legibus causam Vanini fuisse nactam,

a) Mercur. Gallic. l. c. MERSENNVS l. c.
b) CRISPINI Hist. testium verit. L. V. p. 162.
c) ARPE Fer. acst. l. c. §. 45. p. 30. 31.

ctam, nemo temere negauerit, qui auctoritatis praeiudicio aut partis ſtudio non ducitur. Non iam inquiremus, vtrum huius impietatis ſemina Vaninus in ſcriptis prodiderit, de eo enim in ſequentibus dicemus; fingamusque oculatiores recte deteſtanda et impia multa in dialogis Vaninianis videre; ſufficit in praeſentia, vbi de intentata Vanino lite diſputandum, prodiiſſe libros Vanini cenſorum regiorum approbatione munitos; qui licet falli poterint, id tamen recte inde infertur, ita ſcriptos eſſe, vt meliores ſenſus recipiant, nec ſufficiant, vt infauſtis lignis perimendus auctor ſalua iuſtitia tradi potuerit. Vnus vero Franconus teſtis in quaeſtione de capitis periculo adductus eſt, et ille quidem, cuius teſtimonii fidem, abſolutio, quam prima vice Vaninus obtinuerat, eneruat, odiumque, quo in infelicem philoſophum exardere tum clerus, et ipſe ſenatus prouinciae Toloſanae non erubuit. Quodſi et hoc concedamus, fuiſſe eum ex adductis cauſſis ſuſpectiſſimum, aequum tamen erat, qui toties errori renuntiaſſe videbatur, et haud contemnendo argumento ſobrie de Deo philoſophatus erat, poenitentiae illi locum facere, et ab horrendo ſupplicio abſtinere, et errantem magis rationibus compeſcere, quam forcipe carnificis. Quae crudelitas cum deteſtabilem apud bonos omnes infamiam accuſatoribus iudicibusque conflare apta fuerit, quid mirum, mendacia de eius blasphema morte talia fuiſſe commentos audaciſſimos homines, quibus ab hac macula liberarentur, et recte blasphemiae cauſſa eum ſuſtuliſſe demonſtrarent. Tacemus pueriles de bufone nugas et ſexcenta alia, quae ſatis probant, ſpiritum perſecutorium, inuidiam, ſuperſtitionem, manus ad delendum infelicem Vaninum ſociauiſſe. Non iam de eo diſputamus, vtrum pie et prudenter recteque Vaninus ſcripſerit, concedemus id viris doctis, qui cauſſam Vanini impietatis ſuſpicione iugulant, fluctuaſſe in nonnullis hominem ineptae philoſophiae et nutantis ingenii vitio corruptum; ſed de iuſtitia et iniuſtitia ſupplicii Vanini differimus, quem omni aequitate proſcripta fuiſſe horrendo ſupplicii genere peremtum, ex adductis, niſi fallimur, eſt manifeſtiſſimum. Quo tollere Vaninum iniquum erat, etiamſi apertam impietatem fuiſſet profeſſus, cum ſatis fuiſſet, eius impudentiam alio modo coërceri, ne cum aliorum damno graſſaretur *.

§. V. Scripſit aetate haud longa Vaninus complura, quorum ipſe paſſim meminit, *Commentarios phyſicos, et in Ariſtotelis libros de generatione et de meteoris, libros aſtronomicos, apologiam pro lege Moſaica et Chriſtiana, de contemnenda gloria, de vera ſapientia, metamorphoſin phyſico-magicam, apologiam pro concilio Tridentino.* Quae tamen omnia dubium eſt, vtrum perfecta et prodire iuſſa in vulgus ſint. Nomen autem et memoriam ſuam immortalem quidem, at infamia commaculatam fecit libris duobus, in quibus impietatis ſemina ſparſiſſe plerisque

Scripta Vanini ex quibus atheiſmi accuſatus.

*) Ita quoque iudicant LEIBNIZIVS Vol. I. Epp. p. 310. et CROSAEVS l. c. p. 374. ſeq.

visus est. Edidit enim *Lugduni anno* MDCXV, cum censura et approbatione, *Amphitheatrum aeternae prouidentiae diuino-magicum, christiano-physicum, nec non astrologico-catholicum aduersus veteres philosophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos, Stoicos*, in quo quidem ingenii miram varietatem et vices incertas prodidit; at nonnulla tamen attulit, quae doctrinam et elegantiam spirant. Vnde iudicauit de eo cel. REIMMANNVS [d], *reperiri in hoc eius Amphitheatro quaedam non laudanda prorsus spectacula, hypotheses insolentiores, subtilitates inutiles, probationes frigidas, limitationes meticulosas, philosophemata scholastica; sed accuratam tamen et quodammodo factam esse, auctoris dictionem, acumen praeclarum, lectionem non quotidianam, et in prouidentia Dei explicanda, probanda, vindicanda, tantum studium, vt si praeter hunc foetum tum alia non fuerint atheismi indicia, parum absit, quin cum C. Thomasio, Arnoldo, Oleario, Arpio et scriptorem et scriptum immerita damnatione affectum pronuntiemus.* Consentiunt in eo, et parum sibi visum esse, quod pestilentes doctrinas sapiat, in eo libro, fatentur MORHOFIVS [e], et FABRICIVS vterque [f]. Aliter quidem visum BVDDEO [ff] et CROSAEO †, et praeter hos aliis, quibus clanculum impietatis semina in hoc quoque libro sparsisse Vaninus visus est. Ast occupati, viri cetera summi et in iudicando accurati, siniſtra de Vanino opinione, et Atheismi suspicione, cuncta ad eam retulerunt, quae ingenium Vanini stultum, et a se toties diuersum, inepta et absona disseruit. Totus enim cum incertitudine fluctuaret, ambitio autem et simplicitas in eius animo regnarent, non potuit non talia afferre, quae, si stricte et secundum rigorem iudicandum sit, suspicionem malae opinionis nutrire apta sunt: si vero ad hunc stultitiae Vaninianae characterem referuntur, benigniorem admittunt explicationem, et cum venia desipientis sibique non constantis auctoris legi ab aequo lectore postulant. Alter, quo sibi fatum accelerauit, foetus hoc titulo superbit: IVLII CAESARIS VANINI, *theologi, philosophi et I. V. D. de admirandis naturae reginae deaeque mortalium arcanis libri quatuor, qui prodiit Lutetiae anno* MDCXVI, munitus priuilegio Ludouici XIII. Galliarum regis et approbatione censorum, quos tamen eius puduit; librum enim vltricibus flammis traditum postea fuisse, asserit Rossetus apud SCHRAMMIVM *. Vsus est in hoc libro methodo dialogistica inter discipulum Vanini, Alexandrum, et Iulium Caesarem, in quo, vagis et ineptis disputationibus Peripateticis ita extra orbitam raptus de naturalis et reuelatae religionis capitibus ex vtraque parte differit Vaninus, vt satis appareat, eum totum incertitudine, et delirantis ingenii furore quodam in praeceps haud raro ruente fuisse corruptum. Et in hoc quidem libro pudendae impietatis specimina prodidisse Vani-

d) Cat. crit. bibl. suae T. I. p. 989.
e) Polyhist. T. I. L. I. c. 8. p. 79.
f) I. ALB. FABRIC. l. c. Io. FABRIC. Hist. bibl. suae T. VI. p. 517.
ff) l. c.
†) l. c. Conf. quos nominat REIMMANN. Hist. Atheismi S. 3. c. 4. p. 369. seq.
*) l. c. c. 3. §. 13. p. 191.

Vaninus plerisque visus est, inter quos imprimis PARCKERVS [g], et CROSAEVS [h] describere impias pestilentis scripti sententias satis non possunt, quas crassa tantum larua velauerit. Prodere enim se in illo impietatem Peripateticam, Auerroisticam, et Astrologicam, ratiociniis ineptissimis et lacrymis dignis demonstratam et stultissima ambitione se ridicule efferentem. Cuius exempla quoque afferunt, satis prodentia caput habuisse Vaninum helleboro purgandum, et parum pretii statuisse venerandis religionis Christianae mysteriis, ea vero, quae pro ea dixit, ironice dixisse, ita ferente dialogo, contendunt, et quae velut atheorum obiectiones attulit, vel plane non refutasse, vel frigide tamen, conqueruntur, et contemtis, aiunt, istis, quae in amphitheatro scripserat, cumulasse quicquid ad atheismum fouendum, et in aperta luce ponendum facere posse intellexerit, nec his alia nisi diuinomagica, cabbalistica, et emotae mentis somnia contradictionum et dubitationum plena opposuisse, Christiana mysteria risisse, et nihil excusationis attulisse, quam quod istis impietatibus, si reuera spectes, sit deterius et intolerabilius. Et his quoque rationibus, sed defensus quoque, atheismi damnare plerique Vaninum nulli dubitant. Sunt tamen non contemnendae eruditionis viri, qui nimium haec premenda non esse, ducti charactere ingenii Vaniniani volunt, et excusationi locum esse putant [i]. Inter quos post CHR. THOMASIVM [k], GOD. ARNOLDVM [l], Io. PHIL. OLEARIVM [m] eminet Cl. ARPIVS [n]. Is, quae contra eum solent afferri, quaeque responderi et pro Vanino dici possint, ita strictim complexus est [o]. I. *Ignorabat Deum, quia vltra mentis captum non profiluit.* II. *Librum nefandum de tribus impostoribus* (hunc dialogos de arcanis naturae esse nonnulli coniecerunt) *in vitam reuocauit; nomine magis quam re notum.* III. *Atheorum dicta retulit; notata vt caueas.* IV. *Leuiter iis respondit, tumore vulgi, calumnia aduersariorum.* V. *Christi humanitatem execrabatur; quod noua quaerenti antiqua nota viderentur.* VI. *Virginem Mariam dicebat iniisse virum; quae sunt fabulae nugaeque.* VII. *Naturam habuit Deam; nam et digni viri assimilantur diis.* VIII. *De angelis differentes Scholasticos reprehendit; dum alia ex aliis retulit.* IX. *De daemonum natura naturales poscit rationes; quod vulgari sententiae non leues subsint superstitiones.* X. *Immortalitatem animae negauit; nullo in loco.* XI. *Fuit astrologus; lepide, ergo atheus.* XII. *Negauit conflagrationem; suo modo.* XIII. *Fatum probauit; prouidentiam diuinam.* XIV. *Literas in coelo fingit; superstitiose.* XV. *Cardanum et Haly delirantes non impugnat; quia non fetebat.* XVI. *Misit sacra; quae sacra non erant.* XVII. *Reiecere monachi;*

g) l. c. h) l. c.
i) Conf. quos laudat REIMMANNVS Hist. Atheismi l. c.
k) Not. ad Pufendorf. de fede Rom. p. 287. Cautel. c. 12. §. vlt. p. 195.
l) Hist. Eccl. Tom. II. c. 17. p. 16. §. 9. seqq. p. 775. seqq.
m) l. c. n) l. c.
o) Fer. aestiu. l. c.

nachi; ne reiiceretur e coelo: XVIII. *Damnatus tamen; vt multi innocentes.* Ita quidem Arpius. Tertiam ab his sententiam pronuntiauit acutissimus HEVMANNVS p. Monet is: „Vaninum, cum memoria „abunde polleret, et imaginationis ardore flagraret, iudicio caruisse, am„bitionis oestro vero percitum credidisse se solum sapere. Hoc stultitiae „charactere vestitum quadrata rotundis, summa imis, bona malis miscu„isse. Et atheum quidem perfectum non fuisse, at incertum tamen de „existentia DEI fluctuasse, ingenii ferocientis lasciuia innumeras in „vtramque partem rationes suggerente, quas ponderare et pro meliori caus„sa decernere iudicii paupertas non permiserit. Et hoc quidem pacto, „mox certissimum de Dei existentia fuisse, mox incertissimum putat, ita „tamen, vt dici nequeat, qua ex parte animus Vanini in mortis hora affe„ctus fuerit, cuius arbitrium penes Dei sit omniscientiam.

Quid de Vanini atheismo statuendum.

§. VI. Difficile est in hoc doctorum virorum dissensu arbitri partes suscipere, eo quod ipsa, quam Vaninus adhibuit dialogistica methodus incertam et haerentem faciat sententiam, et quae vera auctoris mens fuerit, occultet magis quam reuelet. Accedit fluctuans Vanini animus, et dubia philosophandi ratio, in vtramque partem argumenta versans, et de numero magis eorum, quam pondere sollicita, quae vbi a scriptore adhibetur, artis rationalis praesidiis non suffulto, facile fieri potest, vt pro optima caussa ineptissimae rationes colligantur, et tamen, qui ita ratiocinari suscepit, plurimum se vicisse putet. Qualem sedisse haud raro Vanino animum, iactabundae illae disputationes nobis persuadent, quas se cum insigni victoriae gloria atheis oppositisse scribit. Ex his enim quae supra notauimus, locis, abiecto praeconceptae de Vanini atheismo opinione colligimus, ineptissimum homuncionem magna quidem sui fiducia elatum at deliro ingenio in chao confusae eruditionis iactatum, tum cum vanas et ficulneas copias aduersus impietatis patronos in aciem produceret, nescio quas strages a se editas somniauisse. Nemo id temere negauerit, qui ad characterem ingenii Vanini paulo curatius attenderit. Ita enim imaginationis aestu abreptus, excussis habenis per vanissimarum naeniarum deuia interdum vagatus, vt Phaëthontis instar palaretur, incertus quid diceret, quid statueret, sic vt dictionis quoque thrasonismo fere puerili ad ineptias dilaberetur. Cuius si quis exemplum cupit, eum vel vnam *Dialogorum de arcanis naturae dedicationem* legere iubemus q, certi, nostrae eum sententiae non inuitum subscripturum esse. Extendisse vero se haec ingenii phantastici deliria etiam ad ipsa dogmata, ex nugis, quas passim prodidit, est apertissimum, quae emoto eum fuisse cerebro, nec sibi satis constante, satis euincunt. Nam quis non febricitantium somnia sibi enarrari credat, vbi audit statuentem: religionum omnium ortum certo sideri deberi, et influxui astrorum, fata earum a stellarum irradiatione pendere, Christianae fidei ortum Iouis cum sole coalitioni esse tribuendum,

p) Act. phil. Vol. I. p. 600. q) Exhibet ex ea haud pauca LA CROZE l. c.

buendum, prodigia quaeuis ex phantasiae vi et magia posse explicari, etc. Quis non largiter rideat, de natura et materia coeli, de aeternitate et figura coeli rotunda, de loco nec dextro nec siniſtro in coelo, de non colorato coelo, de vnica eius forma, et motu a formis procedente, nec sibi contrario, de sole per se non per accidens calefaciente, de luna sole non calefacta, et sic porro de plerisque meteoris causſisque physicis secundum Peripateticos, Cabbaliſtas, Magicos, ineptis et puerilibus rationibus disputantem, audiens, et tamen admirabundum videns Alexandrum discipulum exclamare: *O vtinam magiſtrum Ariſtotelem non excepiſſes, quia non dubito, quin fortiorem ſapientiae arcem exaedificaſſes.* Qualia et similia plurima, quae in famoso libro afferuntur, dum ordine recenset PARCKERVS [r], recte exclamauit: *Attendite, atque an quauis aetate aut gente vixerit homo ſtultior, iudicate!* Quo loco cum nugae Vanianae collectae sint, et quam miserabili et tamen ambitioſa ratiocinatione insaniam suam Vaninus prodiderit, sit manifesto declaratum, elegantem facundiſſimi scriptoris dissertationem ipsam Lectorem adire iubemus, vt character Vaniniani ingenii dispaleſcat. Superſtitioni itaque, enthusiasmo, et inani de rebus nihili morologiae ſtultiſſimum Vanini se addixiſſe ingenium, eo minus dubitandum est, quo minus paucae illae clarioris lucis scintillae, quae hic inde emicant, superare iſtas tenebras potuerunt. Aſt his se iunxerat inepta ambitio, qua se veteris et recentioris aeui heroibus tanta eruditionis iactantia praeferebat, vt risum tenere legentes nequeant. Quod multis exemplis declarabit, quem colloquentem introducit, discipulum eius Alexander, cuius vt vnum habeas, lector, en inter alia ita de Caesare suo Alexander: *Non ego Thomae Mori exemplum imitabor, qui cum Eraſmum ignoto habitu acutiſſime differentem excepiſſet, ita dixit: vel daemones vel Eraſmus, vel ita de tua ſapientia eloquar, vel Deus es, vel Vaninus?* Ad quae respondit Iulius Caesar: *Hic ſum.* Sufficere haec pauca, ex multis diligenter a laudatis viris collectis possunt, vt intelligamus, Antycyris opus habuiſſe cerebrum Vanini, et extremae ſtultitiae notam suſtinere. Quae infelicitas exorbitantis sine regente iudicio imaginationis, non potuit non valde augeri, cum ineptiſſimi illi praeceptores contigiſſent, qui oleum camino addere, quam aqua ignem doloſe latentem extinguere maluerunt, qualis Pomponatii et Cardani libri atque disciplina fuerunt. His totus corruptus Vaninus, quid ſtatueret, de quo certam sententiam figeret ipse ignorauit, et sine mente philoſopha blaterans, bona, mala, recta, iniqua, vera, falsa, ambigua disputandi acie inter se commiſta attulit, non satis gnarus, ita subrui pietatis et veritatis reuelatae moenia. Quicquid igitur vel in philoſophiam, vel in Chriſtianam fidem peccauit Vaninus, peccauiſſe autem leuem futilemque scriptorem plurima fatemur, non tam impietati directae et syſtemati inaedifi-

r) l. c. p. 195. seqq.

inaedificatae, quam extremae dementiae hominis mente capti adscribendum esse putamus, digni qui non flammis sed ergastulo sapere didicissent. Vnde eum hoc quidem sensu ab atheismi culpa liberari facile concedimus, at inopia iudicii et confusione mentis incertae et in vtramque partem friuole disputantis male tamen de theologia naturali et reuelata meruisse censemus.

Scriptores historiae Benedicti de Spinoza.

§. VII. Maiori iudicii apparatu et philosophiae emendatae specie ad impietatem non modo incrustandam, sed, quod credebat, geometrica methodo demonstrandam accessit BENEDICTVS DE SPINOZA. Cuius hominis ex Iudaeorum synagoga egressi conatus tantum strepitum in ciuitate erudita crediderunt, et infaustis philosophematis tot ingenia turbauerunt, vt famosiorem in hoc quidem argumento philosophum, inuenire vix liceat, et Spinozismus lippis et tonsoribus innotuerit. De cuius viri historia enucleanda tradendaque multorum se exercuit industria. Vix enim viuis excesserat Spinoza, cum operum posthumorum editor IARIG IELLIS, cui arctissima cum viuo amicitia intercesserat, vitam eius lingua Belgica conscriptam et a LVDOVICO MAYERO, medico Amstelodamensi Latine redditam praemitteret. Pauca quidem in ea ad vitam eius spectantia sunt, ast, quae doctrinam eius enarrarit, prolixa ita vero descripta, vt a disciplinae Spinozisticae alumno poterant expectari. Porro ex Spinozae assectis, Medicus Hagiensis, LVCAS vitam Benedicti Spinozae Gallica lingua non tam recensuit, quam laudibus, conscripto elogio, cumulauit [s]. Inter eos autem, quibus reprobatum est systema Spinozae, de eius historia omnium maxime meruerunt P. BAYLE et Io. COLERVS, ecclesiae Lutheranae apud Hagienses minister. Et ille quidem in *Dictionario historico-critico* tum vitae Spinozae circumstantias more suo enarrauit, tum placita eius magna subtilitate euertere, totique systemati inuiso neruos incidere fategit. Quo in labore cum egregie esset versatus, ad praecidendas, quas altius agere Spinozismus in Belgio coeperat, radices, a FRANCISCO HALMA Belgico sermone articulus ille expressus, et in vulgus editus est. Colerus autem, cum literalem veritatem dogmatis de resurrectione Christi contra allegoricam, quam Spinoza confinxerat, expositionem oratione sacra vindicasset, eamque typis edere constituisset, vitam famosi philosophi prolixe satis et copiose scriptam Belgica lingua [t] adiecit, quae et postea Hagae Comitum Gallice comparuit. Laudemque meruit scriptor eruditus [u], „non tantum propter subsidia, „quibus instructus ad scribendam Spinozae historiam accessit, sed et pro„pter diligentiam et multarum rerum cognitionem, quae ad hoc argu„mentum pertinent, et imprimis modum, quo vtitur in hoc scriptore ce„lebrando, et scriptis eius reprehendendis. Quamuis praeter candidio„rem lineam et dispositionis meliorem viam, nonnullarum rerum exqui-

sitior

s) Nou. lit. Tom. X. P. I. p. 40. WOLF. Bibl. Hebr. P. III. p. 146.

t) 1706. Amst.

u) Cat. Bibl. Reimmann. p. 1090. seq.

„sitior habitus desideretur, quae ex epistolis Spinozae queant suppleri.“ Et hanc quidem narrationem plerique post hunc, scriptores secuti sunt, totamque recudi fecit, qui *Syllogen scriptorum ad philosophiam Spinozae pertinentium* consilio non quidem optimo, *Bruxellis*, vt titulus habet, *anno* MDCCXXXI. edidit LANGLETVS DV FRESNOY; illi enim vita haec quoque praemissa est, ast dolo malo, ad commendandam latentis veneni pestem intrusa * descriptio characteris Spinozae, in qua in coelum Spinoza extollitur, vt haec ex calamo ministri Lutheranae ecclesiae profecta crederentur, et sine suspicione legerentur. Vnde nonnulla in hac vita Spinozae ab aliena manu adiecta, et falsa quidem esse, non nemo monuit [y]. Tota enim infausta illa collectio, quae praeter pauca quaedam, quae aduersus Systema Spinozae dixerunt RAMVS, FENELONIVS et ISAACVS OROBIO Iudaeus, comprehendit BOVLLAINVILLERII Comitis refutationem, vel verius expositionem systematis Spinozistici; in eum finem typis edita fuisse merito viris doctis visa est, vt, cum abstrusioribus metaphysicae disquisitionis scriptionibus, Lamii Fenelonii, Orobii lectionis gratia desit, dicendi scribendique veneres, quibus commentatio Boullainuillierii abundat, et quibus Spinozismus vim, quam potuit maximam et demonstrationis speciem luculentam accepit, lectorem in castra Spinozae trahant, fessum et pertaesum ea legere, quae metaphysica dicendi et argumentandi subtilitate in fine adiiciuntur [z]. Praeter hos duumuiros complures sunt, qui celebris philosophi et atheorum principis vitam enarrarunt, inter quos eminent et consuli merentur IAEGERVS [a], KORTHOLTVS [b], KETTNERVS [c], IENICHIVS [d], NICERONIVS [e], IAQVELOTIVS [f], et qui apologiam quandam more suo pro Spinoza dixit GODOFREDVS ARNOLDVS [g], quibus addi possunt, qui vel historiam atheismi, vel Iudaismi scripserunt, et inter hos imprimis WOLFIVS, REIMMANNVS [h], SCHVDTIVS [i], BASNAGIVS [k]. Quae vero in *Bibliotheca Bremensi* [l] promissa est, historia critica Spinozismi, num comparuerit, ignoramus.

§. VIII. Genitus est * BENEDICTVS DE SPINOZA, parentibus Iudaeis Lusitanis, modico censu notabilibus [m], natus Amstelo- *Vita B. Spinozae.*

dami

x) p. 77. seq. Vid. Relat. Hamb. 1732. n. 14. p. 114.
y) Journal literaire T. XIX. P. i. art. 10.
z) Bibl. raisonnée T. VII. P. I. p. 136. Act. Erud. 1732. p. 120. MOSHEM. ad Cudworth. p. 1140.
a) Diss. de Vita et doctrina Spinozae.
b) De tribus impostoribus.
c) Diss. de duobus impostoribus B. Spinoza et B. Bekkero.
d) In Hist. Spinozismi Leenhofiani, c. 1.
e) Mem. de Literature T. XIII. p. 94.
f) Vita Spinozae, conf. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 242. P. III. p. 145. P. IV. p. 795.
g) Hist. eccl. P. II. c. 17. §. 16. seqq. conf. DIEFENBACH. in Iudaeo conuerso p. 148.
h) Hist. theol. Iud. L. I. c. 18. §. 38. p. 632.
i) Memorabilia Iudaica, P. I. L. IV. p. 313. seqq.
k) Hist. Iudaic. P. IX. c. 37. p. 1032. add. BENTHEM. Stat. eccles. et schol. Belg. foed. P. II. c. 4. p. 340. et quamplurimi alii.
l) Vol. III. p. 163.
*) Sequimur Colerii narrationem, addimus autem ex aliis quae memorabiliora videntur.
m) Pauperes plerique faciunt, diuites SCHVDTIVS, l. c. honestis opibus viuentes COLERVS l. c.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dami VIII. Cal. Dec. anno MDCXXXII, in circumcisione Baruchi nomen accepit, quod post relictam synagogam in Benedicti conuertit. Nactus a natura ingenium viuido ardore disciplinis aptum, et iudicii vim mature se prodentem, more gentis suae literaturae Hebraicae discendae caussa praeceptoribus traditus est. Qui cum memoria magis rabbinicae lectionis, quam iudicandi acrimonia pollerent, mirum non est Spinozam quindecim annorum adolescentem, tanto acumine obiectiones magistris formasse, vt iis soluendis impares essent, et responsionibus ineptis fluctuantem magis incertum dubiumque redderent. Abiecto itaque auctoritatis praeiudicio, quo totam gentem suam regi videbat, propriis luminibus vti, et sine Iudaicorum magistrorum commentariis legere sacras literas et collectionem iuris iudaici, quam Talmud vocant, constituit. Vidit tum multa alacris animi et acerrimi ingenii iuuenis, quae in opinionibus praeceptorum suorum placere ipsi non poterant: altiore autem eorum meditatione instituta, animo cogitationes suas ita pressit, vt modestia Morteirae, celebri inter Iudaeos viro, quem praeceptorem habebat, valde commendaretur. Et prudenter quidem in tanta contribulium suorum superstitione tacendo sibi prospexerat; at cum ab amicis duobus de Deo, angelis, anima, omnique substantia immateriali sententiam rogaretur, iisque dubia sua depromeret, proditus ab iis, suspectusque apud vulgus Iudaeorum factus est, quod sinistram de auita religione opinionem concepisset. Ideo apud iudices synagogae delatus, et ab eis citatus atque de fidei integritate interrogatus est, indicata, quam fama de eo genuisset, suspicione contemtae legis patriae. Quod cum strenue negaret, prodierunt amici illi laruati, quibus mentem suam aperuerat, et quae conuitia in Iudaeorum gentem, quas blasphemias in legem et fidei dogmata pronuntiasset, enuntiarunt, tanta audientium indignatione, vt anathema ex omni parte clamaretur. Spinoza autem reiecta testium fide, certiora eius accusationis testimonia popposcit. Accurrit Morteira et precibus primo, mox minis frangere constantiam discipuli conatus est; ille cum vanam apellae iram rideret, eo quod de superstitione Iudaica dudum triumphasset, fulmina excommunicationis, quam vocant, sibi intentata risit, imperterrito animo. Ea vero cum tandem Iudaeorum furor vibrare minaretur, de fuga salutari sibi dispexit, laetus occasionem sibi subministrare ineptum magistrorum feruorem, ea, quae dudum animo conceperat perficiendi, et ad Christianos transfugiendi. Ideo nonnullos Christianorum, quos prudentes iudicabat, sibi amicos concilians, asylum sibi parauit. Qui cum ingenio eum acri et eleganti vti, at praeter Hebraicam eruditionem doctrina elegantiori carere viderent, auctores ei fuerunt, vt qui occidentis linguas plerasque teneret, Graecam et Latinam adiiceret. Paruit monitis ardens discendi animus Spinozae, et post prima Latinae linguae rudimenta a Germano quodam hausta, Franciscum van Ende, medicum, qui scholas Graecas et Latinas

Latinas tum Amſtelodami habebat, infami poſtea fato ſublatus [n], praeceptorem nactus eſt. Habuit ille filiam praeter muſicae peritiam, ita eleganter Latine doctam, vt diſcipulos parentis vices ſubitura haud raro erudire poſſet. Quae cum non forma quidem at ingenio valeret, deperire Spinoza magiſtram coepit, quem tamen paulo poſt loco mouit Kerkeringius condiſcipulus, qui eam poſtea vxorem duxit. In hac itaque Schola cum literis Latinis Spinoza ſatis eſſet innutritus, ad theologiam diſcendam animum applicuit, eam autem poſtea iterum dimiſit ad naturalem philoſophiam conuerſus. In qua cum de duce ſibi elegendo diſpiceret, in Carteſii opera incidens, tanto deſiderio philoſophiae diſcendae repletus eſt, vt totus ea deuoraret, et hunc ſibi philoſophiae primum auctorem fuiſſe multoties poſtea fateretur. Maxime autem placuit, quod euidentiam veritatis criterium poſuiſſet, et ad eam in illa inquirenda eſſe attendendum, Carteſius commendauiſſet. Hoc enim canone poſito intelligebat, vana Iudaeorum ſomnia ab homine ſanae mentis admitti non poſſe, eo quod ineptiſſimorum nugatorum auctoritate ſola nitantur, et omni rationis euidentia careant. Indies ergo magis contribulium conſuetudinem fugiens, ipſamque ſynagogam vitans, quotidie ſuſpectior ſuis factus eſt. Qui cum facile intelligerent, quantam ſtragem inter ſuos edere poſſet, annuum mille florenorum ſtipendium ei obtulerunt, ea lege, vt ſacris Iudaicis intereſſe pergeret. Id quod tamen recuſauit, cum ſe vni veritati ſine quaeſtus cupiditate litare affereret. Ad inſidias itaque conuerſi, tollere eum clanculum conati ſunt; euitauit autem Spinoza ictum ſicae, quem Iudaeus quidam illi intentauerat, cumque tutum a periculo vitae ſe Amſtelodami non crederet, de alio loco cogitare coepit, vbi ab inſidiis Iudaeorum ſecurus viueret, et in ſolitudine tranquilla philoſophiae ſtudiis vacare poſſet. Exiit ergo ex communione coetus Iudaici, neque tamen vlli ſe vnquam Chriſtianorum ſectae addixit, nec ſacri lauaminis vnda aſperſus eſt, vel Chriſtianae doctrinae profeſſionem vllam edidit, licet inter Chriſtianos ad vitae finem viueret, et eruditiſſimis viris amicitia innoteſceret [o]. Ita vero indignatio Iudaeorum in rabiem verſa, et anathematis fulmen ſolenni ritu in eum vibratum eſt; id quod totum eum ab omni conſuetudine cum gente ſua eiecit, cum nemo conuerſari, cum excommunicato inter Iudaeos audeat. Mirum itaque non eſt, recutitos magiſtros Spinozam contemtae legis, apoſtaſiae, et blasphemiae, fama per vulgus ſparſa,

n) Vixit hic infelix medicus Amſtelodami, et iuuenturem Graecas Latinasque literas docuit. Cum autem atheiſmi peſte eſſet infectus, inprudentes adoleſcentes illa lue corrumpere conatus eſt, quod fide dignis teſtibus ſe noſſe ait COLERVS l. c. p. 18. vnde factum, vt hunc impietatis primum praeceptorem habuiſſe Spinozam multi dicerent, vid. BASNAGE l. c. p 1032. A Batauis in Galliam ſecedens res nouas moliri, et quod FVANHALMA in Vita Spinoſae p. 5. air, Delphini vitae inſidiari, quod vero alii referunt, rebellionem ciere auſus eſt; vid. COLERVS l. c. p. 21. eo euentu vt captus laqueo ſuſpenſus interierit. Vid. quae ex BASNAGII annalibus Belgicis referunt Act. Erud. Germ. P. CXXXI. p. 815. ſeqq. vbi negato Deo et anima immateriali miſer periiſſe dicitur.

o) COLERVS l. c. interfuiſſe tamen ſacris Chriſtianorum haud raro infra diſcemus.

accusasse, eo quod derelicta gente sancta ad infidelium cohortes concessisset. Spinoza autem, vt tutius lateret, ad medicum Van den Ende, apud quem humanitatis studiis operam dederat, se conuertit, ratus ita ab insidiis Iudaeorum tutum esse se posse; totumque philosophiae se tradidit, et mathematicarum disciplinarum studiis; imprimis opticae studiosissimus, vitrisque ad vsum opticum poliendis intentus, qua in re, cum ingenio acerrimo vsus industriam iunxisset indefessam, ita profecit, vt vndecunque talia vitra ab eo peterentur, haberetque ex hoc quaestu honesto vnde viuere commode posset. Morteira autem et, qui reliqui ex Iudaeis in Spinozae exitium coniurauerant, cum ictus suos euitasse inimicum vidissent, magistratum Amstelodamensem adeunt, deferunt Spinozam blasphemiae nomine, rogant, vrbe proscriberetur, vrgent, instant, omnemque lapidem mouent, et tandem obtinent, vt aliquot mensium exilio mulctaretur. Quod tantum abest, vt terruerit Spinozam, vt potius solitudinis studiorum caussa amantissimus, fugere strepitum atque tumultum vrbis se posse laetatus nullum iuris remedium Iudaeorum persecutioni opponeret, sed in agrum Amstelodamensem ad amicum diuerteret, vitris suis atque studiis maxime intentus; ex quo tamen loco anno MDCLXIV Rhenoburgum, Leidae proximum se contulit. Vbi licet in solitudine viueret, amicos tamen frequentes penes se habuit. Illi cum plerique Cartesiani essent, quoties in philosophia Cartesii difficultas occurrebat, quam solum soluere potuisse magistrum credebant, Spinozae, iam tum omnem auctoritatem humanam etiam in philosophia conculcanti propositum; ast ille, vt ingenio vtebatur acerrimo, et iam tum principium metaphysicum elegerat, Cartesio oppositum, nempe vnam tantum esse substantiam, duabus modificationibus, cogitatione et extensione constantem, quod omnem Cartesii demonstrationem euertit, ita longe aliter philosophari se nosse, et alias difficultatum solutiones dare amicos monuit, nec Cartesium eum esse ostendit, cui vni adhaerendum sit. Quod vbi inter eruditos Belgii foederati innotuit, apud quos tunc maxima erat Cartesii auctoritas, haud exiguum strepitum fecit, et ad arma literaria prouocauit. Praeuertendo itaque bello philosophico intenti Spinozae amici eum rogarunt, vt mentem suam de Cartesio exponeret. Qui cum tranquillitatem pacemque quaereret, vt haberent Cartesii asseclae, quibus impatientis desiderii curam lenirent, edidit anno MDCLXIV. RENATI DES CARTES *principiorum philosophiae P. I. et II. more geometrico demonstratas, accesserunt eiusdem cogitata metaphysica, in quibus difficiliores, quae tam in parte metaphysices generali, quam speciali occurrunt quaestiones breuiter explicantur.* Praemisit libro praefationem LVDOVICVS MEYERVS, ex qua constat, Spinozam iam tum systematis vnius substantiae totum occupatum hunc commentarium Cartesianum non ideo scripsisse, vt Cartesiana placita confirmaret, sed vt Cartesianis satisfaceret, et haberent, qui Cartesianam philosophiam di-

scere

ſcere ab ipſo cupiebant, ex quo intelligerent, quid Carteſius praecepiſſet, a quo tum quidem ob hunc ſcopum propoſitum abeundum ſibi non eſſe credebat. Id quod ex doctrina de intellectu, voluntate, et libertate, ſecundum Spinozam conſiderata, quae a ſe inuicem non diſtingui ſtatuebat, ſecus ac Carteſius docuit, illuſtrat. Falluntur itaque, qui ex hoc commentario Carteſiano concludunt tum quidem orthodoxos adhuc de Deo ſenſus Spinozam ſecutum eſſe, qui iam tum a Carteſio abeundum ſibi eſſe cenſuit. Verum autem eſt, ex hac Carteſianae philoſophiae explicatione occaſionem enatam fuiſſe haud paucis Carteſiano nomini inuidiam conflandi, afferendo Carteſianis hypotheſibus inductum Spinozam in atheiſmi deliria incidiſſe, cum tamen meditationes Carteſii metaphyſicae Spinoziſticis e diametro repugnent. Senſit id facile Spinoza, vt itaque inuidiae tela effugeret, ſolitudinem quaerendo, Woorburgum, quod vno tantum milliari Haga Comitum diſtat, conceſſit anno ſequenti, latere tamen ibi non potuit, anxie quaeſitus ab amicis, quos ei hypotheſis noua et valde grata compararuerat. Qui cum valde inſtarent, vt relicto rure in vrbem quandam migraret, ſedem tandem Hagam tranſtulit. Habebat enim amicos non modo toga ſed et ſago illuſtres viros, qui frequenter ad eum rus confluere ſolebant, vt eum differentem audirent: vnde factum, vt philoſophia Spinozae infauſto ſidere per Belgium foederatum miris ſucceſſibus propagaretur. In vrbem delatus frugaliter vixit, totus ſtudiis ſuis opticis, et philoſophicis intentus, nec ita multis amicis familiariter vſus. Aſt pauci in celeberrimo et frequenti loco viatores aderant peregrini, cuiuscunque axiomatis et dignitatis eſſent, qui cum non adirent, fama commoti, quam ſibi opinionum ſingularitate et ſyſtematis nouitate attraxerat. Aluit autem literarum commercium cum praeſtantiſſimis viris, et philoſophicarum pariter atque mathematicarum rerum peritiſſimis, et ſcribendis libris intentus, reliquum temporis opticae tanto ſtudio tribuit, vt in conficiendis microſcopiis et teleſcopiis parem ſuo tempore non inueniret. Tantaque contentione hiſce inuigilauit, vt licet infirma valetudine vteretur, toto tamen ſaepe trimeſtri domo non prodiret. Vixit autem ſobrie et valde frugaliter, non quod neruo rerum deſtitueretur, erant enim haud pauci, qui abunde quod opus eſſet, ei offerrent, ſed quod natura paucis contentus, nemini grauis eſſe cuperet, vnde ad rationes oeconomicas accurate attendit, ne plus conſumeret, quam acquirere per annum liceret. Id quod eo facilius fiebat, quod coelebs familiam non alebat. Hac itaque frugalitate philoſophica factum, vt cum Simon de Vries, quem amiciſſimum habebat, duo florenorum millia ei donaret, munus is recuſaret, et cum haeredem teſtamento eum ſcribere promitteret, Spinoza conditionem non acciperet, contentus trecentorum florenorum ſingulis annis ſoluendorum ſtipendio, paternam quoque haereditatem ſororibus ſponte cederet, vt alia admirabilis abſtinentiae a φιλαργυρίᾳ exempla taceamus. Sed et reliquam vitam philoſophica virtute ornare ſtuduit. Laudant enim, qui eum nouerunt, conuerſationis

nis honeſtatem et iucunditatem affectuum imperium, animi neque in ſecundis elati, neque in aduerſis depreſſi moderationem, et decori ſtudium. Tum facilitatem morum, et diligentiam familiares hoſpitis ſui ad implenda officia cohortandi, et ſacrorum pariter publicorum atque obſequii parentibus herisque praeſtandi vtilitatem inculcandi, quin explorandi quoque, quid ex ſermonibus ſacris profeciſſent. Ipſe quoque illis interdum adfuit, et Lutherani coetus miniſtro praedicanti applaudit, tranquille autem et modeſte vixit, nemini moleſtus, omnibus facilis et affabilis, ſuaque ſorte magna animi conſtantia et alta pace contentus. Delicias vero, quas quaerebat, in meditationibus philoſophicis quaeſiuit, quibus in valetudine a pueritia infirma dolores vel contemſit vel ſuperauit. Valde autem extollunt, qui Spinozam velut miraculum quoddam virtutis philoſophicae admirantur, vt habeant, quem impietati colorem praetexant [p], animum iuſtitiae, aequitatis, miſericordiae amantiſſimum, patientiam in ferendis aliorum, in ſuis eiiciendis praeiudiciis fortitudinem, ſuperſtitionis odium per totam vitam continuatum, virtutis non quidem Stoicae et inhumanae, verae tamen et ſupra gentis et adoleſcentiae ſuae conditionem exſurgentis cultum, ratiocinandi accurationem, etiam neglecta ſermonis cura, in differendo perſpicuitatem, et eas animi elegantiſſimi dotes, quibus omnes, quotquot cum eo conuerſabantur, in amorem eius raperentur, quos amicitia fideque maiori, quam ab illis accepit, complexus fuiſſe dicitur. Quae an ita ſe habuerint omnia, penes eos fides eſto, qui haec nobis narrant. Illud communi omnium teſtimonio certum eſt, honeſte et tranquille Spinozam vixiſſe [q], nemini moleſtum, multis iucundum, haud paucis admirabilem viſum, quod in ſecretiora philoſophiae myſteria abiectis, quae omnem mundum faſcinare credunt ingenia fortiora et robuſtiora, praeiudiciis penetrauerit. Inter quos fuere magni quoque viri, ſummaeque auctoritatis, et imprimis Condaeus princeps [r], qui eius videndi curioſitate accenſus erat: et cuius patrocinio ſtipendium a Galliarum rege obtinere potuiſſet, ſi inſcribere illi librum quendam voluiſſet. Hinc famam enatam eſſe putamus, quae in MENAGII *Miſcellaneis* [s] traditur, et Pomponium auctorem habere dicitur: Spinozam inuitatum a proceribus nonnullis Galliae eius videndi noſcendique auidis, in hoc regnum conceſſiſſe, proditum autem eſſe, quod capitalis omnis pietatis naturalis et reuelatae hoſtis regni limites intraſſet, delatumque a Pomponio periculum ſubiiſſe carceris Pariſienſis, aſt Minoritae habitu tandem euaſiſſe. Sed inanem fabulam eſſe vidit perſonatus MARVILLIVS [t], et

p) Infarta haec eſſe biographiae Colerianae p. 77. a fautore Spinozae ſupra iam monuimus. Ita vero factum, vt antecedentia et conſequentia, in quibus impietatem Spinozae candide deteſtatur Colerus, cum his non conſpirarent.

q) Conf. KORTHOLT. Praef. tr. de tribus impoſtoribus.

r) Ad eum conueniendum tamen cum Vltraiectum commigraſſet Spinoza, non inuenit, nec vidit, conf. BAYLE l. c. et art. Herrault.

s) T. II. p. 16.

t) Melanges de litter. T. II. p. 357.

et post eum alii [u], quam ex eo natam fuisse verisimile est, quod ad Condaeum principem Vltraiectum semel iter suscepit; quod plebem Batauam magnis iris et suspicionibus in eum armauit, quia prodere velle Gallis patriam coniiceret. Certius est, et extra dubitationem positum, Carolum Ludouicum electorem Palatinum ad docendam philosophiam eum Heidelbergam traducere voluisse; extat enim inter *Opera* Spinozae *posthuma* [x] epistola Ludou. Fabricii, qua electoris nomine cathedram ei philosophicam cum amplissima libertate philosophandi offert: hanc tamen spartam recusauit ornare Spinoza, quod se religionis receptae legibus teneri nolebat, et probe intelligebat, eam principiis, quae sequebatur, philosophicis, euerti. Itaque excusatione honesta, quod otium literarium strepitibus professionis academicae praeferat, praetensa, subtraxit se, fassus, nescire se, quibus limitibus libertas illa philosophica intercludi debeat, ne videatur stabilitam religionem perturbare velle. Priuatus itaque intra musei parietes mansit, cum nec munus, nec diuitias, nec honores affectaret, sanitatis autem parum firmae, et studiorum contentione valde debilitatae ratio eum conclaui haud raro affigeret. Inde mature phthiseos malo tentatus, a viginti annis, tabescere coepit, infirmum corpus vero continentia et sobrietate vtcunque sustentauit. Hinc fatum vltimum nec ipse, nec familiares proximum esse, vt in hoc morbi genere fieri solet, senserunt, illis enim nihil tale expectantibus, solo medico L. M. [y] qui Amstelodamo accesserat, praesente IX. Cal. Mart. anno MDCLXXVII exspirauit. Diuersis mox rumusculis mors viri opinionum singularitate et atheismi philosophici professione famosi per vulgus sparsa est. Quidam enim noluisse eum aegrum quenquam admittere, ne moribundi facies conspiceretur, tradiderunt: alii narrarunt aliquoties eum exclamasse: miserere Deus peccatoris miseri; nonnulli nomen Dei gemebundum inuocasse, et quaesitum de caussa, consuetudinem solam accusasse tradiderunt: quidam mandragorae succum secum habuisse ad inducendum sensibus stuporem et mortis indolentiam, prodiderunt. Fuerunt quoque aliqui, qui petiisse ab hospite, ne ministrum vllum ad se admitteret, vt placide ita mori posset, commenti sunt. Ast falsas esse has narratiunculas omnes, comperit, qui diligenter in earum veritatem inquisiuit, et omnem eius deprehendendae occasionem habuit COLERVS [z], qui nec hospitem Spinozae, nec familiares eius quicquam ex eo audiuisse, nec quenquam ei morienti praeter medicum Amstelodamensem adfuisse, et nunquam lecto affixum decubuisse, sed die emortuali adhuc ex conclaui descendisse; tum

u) BAYLE l. c. not. Z. COLER. l. c. IENICHEN l. c. BASNAGE l. c. p. 1035. DE LA MONNOYE Menag. T. IV. p. 19.

x) Ep. 57. Opp. posth. p. 561. add. Chevraeana T. II. p. 99. 100. Nouv. de la rep. des lettres 1700. Sept. p. 300. BAYLE l. c. not. H. conferendus tamen HEIDEGGERVS in Vita Fabricii pag. 74. STARCKIVS de Vita priuata doctorum c. 2. §. 34. p. 94. 95.

y) Forte is fuit Ludouicus Meyerus.

z) pag. 141.

tum neque hospitis vxori neque domesticis, vt ministrorum ecclesiasticorum aduentum prohiberent, praecepisse, nec de mandragorae succo quicquam vel visum vel in scheda pharmacopolae Amstelodamensis lectum esse testatur. Vnde hae narratiunculae, quibus velut Fabellis Milesiis oneratur hodie historia philosophica et literaria expungendae ex annalibus literariis sunt. Mortuum honeste sepeliri curauit hospes, impensas ferente eo, quem viuo sumtus suppeditasse diximus, vnde falsum est, ita pauperem obiisse, vt sepulturae impensae solui nequiuerint [a]. Tantum enim ex supellectile eius sub hasta vendita rediit, vt sumtus omnes refunderentur, quamuis ea tota vere philosophica esset, vt ab omni ambitione remota.

Scripta Spinozae atheismum pandere visa.

§. IX. Scripsit nonnulla Spinoza, quae viuus edidit, et quibus famam sibi acuminis et philosophiae laudem acquisiuit, ast suspicionem quoque sinistrae de rebus ad Deum et religionem spectantibus opinionis iam tum excitauit; pleraque conscripta inter chartas reliquit, post mortem demum edenda, quae atheismi infamia eius memoriam cumulauerunt. Et post discessum quidem Spinozae ex synagoga apologiam eum edidisse lingua Hispanica typis nunquam editam, inque ea vestigia haud pauca opinionum postea disseminatarum iam prodidisse asserit P. BAYLE [b], nihil autem eius se potuisse detegere, licet familiares eius et amicos de ea interrogasset, fatetur COLERVS [c]. Vulgasse, quoque commentarium in principia Cartesii, ἐξωτερικῶς scriptum, at geometrica tamen methodo, supra iam diximus. Quo specimine prodidit Spinoza, dum principia et assertiones Cartesii, quas falsas esse credebat, geometrice tamen demonstrauit, posse seueriſſimis demonstrationis legibus se ad palliandos errores abuti, vt postea ab eo quoque factum. Prodiit porro anno sequenti LVCII ANTISTII CONSTANTIS *de Iure ecclesiasticorum tractatio Alethopoli apud Caium Valerium Pennatum*, in qua denegato iure, quod ecclesiae sibi vindicant earumque ministri, omnis potestas, etiam quae ad doctrinam pertinet magistratui vindicatur, qualia Hobbesium praecepisse, ex iis, quae supra diximus, constat. Qui libellus cum *Tractatum theologico-politicum Spinozae* praecederet et simili modo, quin et iisdem fere verbis praecepisse videretur, visus est [d] Spinozam parentem agnoscere. Ast negauit eum foetum suum esse Spinoza, et differre tum scribendi tum praecipiendi rationem obseruauit COLERVS [e]: qui verisimiliori coniectura tribui posse Ludouico Meyero, de quo in sequentibus dicemus, monet. Cui facile assentimur; eadem enim impietate infectus fuit Meyerus,

a) Occasio fabulae inde enata est, quia Seplasiarius quidam, a quo medicamenta nonnulla Spinoza acceperat, audita morte eius vt sepultura prohiberetur a magistratu impetrauit, donec debita pecuniae summa solueretur, id quod ab hospite factum, et honeste tumulo Spinoza illatus est.

b) l. c. Eum sequuntur IENICHEN l. c. p. 11. WOLF. Bibl. Ebr. Vol. III. p. 145. c) l. c.

d) Vid. BAYLE l. c. not. L. BASNAGE l. c. p. 1041. WOLFIVS et NICERON. ll. cc. et quos hi laudant. Auctorem quidam esse coniiciunt Ludouicum Meyerum, vid. BASNAGE et COLER. l. c.

e) Pag. 90.

rus, vt ex infausto eius foetu: *Philosophia scripturae interpres*, patet. Equidem eo tempore et Anglia et Belgium eiusmodi hypothesibus personabant, quas semina Hobbesiana genuerant, vnde ab Hobbesianae disciplinae alumno quodam libellum profectum esse, verisimile est. Spinozam autem auctorem verum esse *Tractatus theologico-politici*, *Hamburgi*, vt titulus mentitur, anno MDCLXX. 4. ἀνονύμως editi, nemo est, qui ignorat, et fassus est ipse Spinoza, in epistola ad Oldenburgium *f*. Qui cum mira libertate conscriptus esset, videreturque superstitioni, (ita religionem vocat Spinozistica natio) neruos incidere, dici non potest, quanta auiditate quaesitus lectusque sit ab illis, qui frena religionis pati nequeunt. Inde factum, vt editio aliquoties repeteretur, et foetus irata Lucina editus tum a Ioanne Henrico Glasemachero *g* in Belgicum sermonem, tum a quodam, qui Domini de S. Glain nomen mentiebatur in Gallicam linguam conuerteretur *h*, et variis titulis disseminaretur *i*, quam versionem LVCAM medicum Hagiensem confeciisse, ipsumque Spinozam annotationes quasdam adiecisse, postea compertum est *k*. Tacemus editiones alias *l* ex quibus constat, magno studio Spinozae assecias librum hunc disseminasse, non exiguo ecclesiae malo. Totus enim in eo auctor est, vt vatibus diuinis non adfuisse θεοπνευστίαν, sed vaticinandi donum ex imaginationis foecunditate prouenisse, et attemperauisse eos doctrinas et religionem hominum sui temporis ingenio assereret, hancque, si placet, clauem interpretandae diuinae legis esse, magna fiducia contenderet. Mirum itaque non est, concurrisse ad hoc incendium extinguendum, quotquot religionis amor atque cura occupauerat. Licet enim STVPANVS, notissimus ille satyrae in Batauos, quae titulum gerit: *Religio Hollandica*, auctor, obiecerit Batauis *m*, quod abominabile scriptum mature refutare neglexerint, falsum tamen id esse, et BRAVNIVS in *Apologia Stupano opposita* *n* ostendit, et multae libri noxii refutationes produnt, inter quas eminent, quas mercator quidam Dordracenus, GVILELMVS VAN BLYENBVRG, et alius Roterodamensis Io. BREDENBVRG scripserunt. Ille enim anno MDCLXXIV *Veritatem religionis Christianae* Spinozae blaterationibus opposuit, hic anno sequente edidit *Eneruationem tractatus theologico-politici vna cum demonstratione geometrico ordine dispositа, naturam non esse Deum, cuius effati contrario praedictus tractatus innititur.* Qui omnium luculentissime

f) Ep. 19.

g) Suite de la vie de Philopater p. 231.

h) WOLF. l. c. p. 145.

i) Tribus titulis comparuit: La clef du sanctuaire; Traite des ceremonies superstitieuses; et, Reflexions d'un esprit des interesse, sur les matieres les plus importantes aut salut tant public, que particulier.

k) Vid. Cat. crit. bibl. Reimmann. pag. 1029. conf. Nouv. lit. T. X. P. I. p. 60. BAYLE Lettr. XXVII. p. 119.

l) Continetur quoque in collectione prima operum historicorum, quae HEINSII nomen prae se fert edita 1673. 8. conf. Ven. CYPRIAN. Cat. bibl. suae p. 625.

m) Lettr. III. p. 65.

n) p. 158. Vbi obseruatur, librum, quam primum prodierit, publica auctoritate suppressum esse.

impietatem in hoc libro latentem detexiſſe, et fortiſſime debellauiſſe, plerisque viſus eſt [o], mirantibus omnibus tantam iudicandi aciem homini literis leuiter tincto ineſſe. Quem tamen cum demonſtrationem Spinozae ordine geometrico deſcripſiſſet, non habuiſſe, quid Spinozae reponeret, adeoque ſyſtema eius ſi ductu rationis id faciendum, refutari haud poſſe agnouiſſe, prodiderunt Franciſcus Cuperus, quem plagii inſimulauerat Bredenburgius, et poſt eum eruditus Iudaeus ISAACVS OROBIO et Albertus de Verſe; negante id Bredenburgio. De qua controuerſia cum plura dicere heic non liceat, P. BAYLE [p] videndus eſt. Inter theologos Belgii foederati primus fere oppoſuerunt ſe ſerpenti veneno Lambertus Velthuyſius, et Regnerus a Mansveld, quos ſecuti ſunt alii multi, ex Lutheranorum autem coetu nemo auctioribus telis Spinozae copias profligauit, quam Ioannes Muſaeus. Quorum et complurium librorum aliorum, tractatui theologico-politico oppoſitorum titulos, cum diligenter adduxerint NICERONIVS [q], FABRICIVS [r], IENICHIVS [s], lectorem breuitatis ſtudioſi ad notiſſimos hos libros amandamus. Tectius tamen in eo libro ſyſtematis peſtilentis virus diſſeminauit Spinoza, quam in illis, quos moriens reliquerat, vt poſt fata ederentur. Prodiere itaque eo viuis erepto anno MDCLXXVII Amſtelodami *Opera poſthuma*, auctoris nomine literis tantum initialibus, vt ipſe iuſſerat, deſignato. Quinque in hac collectione tractatus continentur: I. *Ethica*, *more geometrico demonſtrata*, in qua totum ſyſtema atheum, quod ſibi formauit mathematice demonſtrare conatus eſt; II. *Politica*. III. *De emendatione intellectus* [t]. IV. *Epiſtolae et Reſponſiones*. V. *Compendium grammaticae linguae Hebraeae* [u]. Neque vero typographi locique mentio in titulo facta eſt, Amſtelodami autem prodiiſſe, ſatis clare COLERVS [x] demonſtrauit. Obſtupuit religio, virique boni et rectae mentis amantes tantam impudentiam ſophiſmatis velut demonſtrationibus inaedificari mirati et deteſtati ſunt, plaudit impietas, inuentum eſſe, qui methodi geometricae accuratione omnem ex orbe Deum et religionem eiiceret, et reipſa vnam tantum ſubſtantiam eſſe, duabus modificationibus infinitis modis determinatam, euinceret, adeoque omnes religionis leges, omnem numinis reuerentiam proſcriberet, cuncta ad naturae neceſſitatem ineuitabilem reuocando. Quae cum maximam religioni et ciuitati ſacrae ſtragem minarentur, ingens virorum doctorum aceruus prodiit, qui ſophiſmata eius inania, definitiones aequiuocas, demonſtrationem falſam et ineptias omnes detegerent, et argumentationes metaphyſicas infelici metaphyſico opponerent. Nec eſt inter omnes fere Chriſtianorum coetus, qui certa fidei teſſera

o) BAYLE l. c. not. M. COLER. p. 118.
p) l. c. add. COLER. et IENICHEN ll. cc.
q) loc. cit.
r) Syll. Script. de V. R. C. c. 13. p. 355. ſeqq.
s) l. c. p. 59.
t) Ex hoc fonte ſua hauſit ABR. Io. CVFFELERVS in Specimine artis ratiocinandi naturalis et artificialis ad pantoſophiae praecepta manuducente. Hamb. 1684. 8. conf. BVDDEVS Theſ. de Atheiſmo p. 174. WALCH. Parerg. acad. p. 694.
u) Laudat eam WOLF. l. c. Vol. I. p. 241.
x) p. 104.

teſſera inter ſe diſtinguuntur, vnus, ex quo non prodierint impietatis Spinoziſticae oppugnatores. Quos tamen hoc loco adducere non licet, in hiſtoria atheiſmi ſpeciali enarrandos, plerosque nominauere FABRICIVS, IENICHIVS, NICERONIVS [y], alii. Comparent inter eos ex Romana eccleſia, Fenelonius, Fr. Lamyus, P. D. Huetius, ex reformatis, Gerardus de Vries, Chriſtophorus Wittichius, Regnerus a Mansveld, Lambertus Velthuyſen, Petrus van Maſtricht, Aubertus de Verſé, Ruardus Andala, Petrus Bayle, Iſaacus Iaquelotus; ex Lutheranis I. Wolfgangus Iaegerus, Io. Iacobus Weidnerus, Iacobus Stalkopfius, Ioannes Colerus, Chriſtianus Kortholtus, Fridericus Erneſtus Kettnerus, Fridericus Rappoltus, Ioannes Conradus Durrius, Ioannes Franciſcus Buddeus, ex iis qui Bourignoniae partes ſecuti ſunt, Petrus Poiretus, ex Labbadiſtis Yuonius, ex Anglicana eccleſia Henricus Morus, Samuel Clarckius, ex Iudaeis Iſaacus Orobio, et innumeri alii. Omnes enim poſt Spinozae aetatem huc pertinent, qui rationibus metaphyſicis atheiſmum philoſophicum aggreſſi ſunt, cum non celebrius vnquam impietatis ſyſtema emerſerit, Spinoziſtico. Scripſit quoque Spinoza *Commentarium de iride*, qui cum minus nonnullis, quibus eum oſtenderat, placuiſſet, igni ab auctore traditus eſt. Affectam quoque reliquit verſionem Belgicam veteris teſtamenti [z], in qua multam curam adhibuit, ſed et hanc paucis ante obitum diebus, Vulcano tradidit.

§. X. Syſtema, quod de rerum vniuerſitate, quam Deum vocauit, Spinoza commentus eſt, in ſe nouum non eſt, ſed paſſim apud veteres inuenitur: vnde de Spinoziſmo ante Spinozam diſquirere coeperunt viri docti, maxime P. BAYLE [a], quem peculiari diſſertatione ſecutus eſt I. FR. BVDDEVS [b], vt alios taceamus. In quem tamen numerum non omnes eos referendos eſſe, qui Deum eſſe τὸ πᾶν dixerunt alibi oſtendimus, et qua ratione ſchola Eleatica, et Stoica, itemque Cabbaliſtae [c] in Spinozae luto haeſiſſe cenſendi ſint, manifeſtum fecimus. Perfecit autem quod inchoarunt veteres, et quod illi muſſitarunt, aperte elocutus eſt Benedictus de Spinoza, qui abſurdiſſimam propoſitionem, vnam tantum eſſe ſubſtantiam, duabus modificationibus, cogitatione et extenſione infinitis modis variatam et determinatam, et in ſe ſuaque eſſentia neceſſarias mutationis ſuae cauſſas habentem, Geometrico more demonſtrare auſus eſt. Non eſt noſtrae tractationis, totum Spinozae ſyſtema hoc loco deſcribere, et quid in eo reprehenderint philoſophi, quid oppoſuerint, quos dolos, et laruas veritatis, quae ſophiſmata detexerint operoſe deſcribere. Faciunt id illi, qui vel theologiam naturalem tradiderunt, vel naturalis pietatis fundamenta ab obiectionibus atheorum libe-

Summa impietatis Spinoziſticae.

y) locis citatis.

z) BASNAGE l. c. p. 1038. COLER l. c.

a) l. c. not. A.

b) De Spinoziſmo ante Spinozam, quae in Anal. Hiſt. phil. extat.

c) Pertinet huc ex medio aeuo Dauid de Dinanto; quin et Reales huc Baylius retulit, de quibus omnibus ſuo loco dictum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rarunt, et ex Instituto Spinozae impietatem euerterunt. Hinc id modo vt tractationi nostrae ordo suus et integritas constet, obseruamus: *Summam impii systematis eo tandem redire: vnam tantum esse substantiam et non dari substantiam, quae aliam efficere seu creare potuerit, adeoque praeter vniuersi substantiam, nullam aliam dari, sed in ea vna comprehendi omnia, et non nisi modos esse eius vel cogitantis vel extensae.* Huc enim redeunt propositiones istae, quibus velut cardinibus totam philosophiam suam impiam inaedificauit: *Ad naturam substantiae pertinere, existere; eam non posse produci ab alia, atque esse caussam sui, id est ipsius essentiam necessario euoluere existentiam: in rerum natura non posse dari duas aut plures substantias, eiusdem naturae siue attributi*, &c. Ex his enim prona consequentia fluere putat, Deum et mundum vnam tantum esse substantiam; in qua cum modi duo siue attributa conspiciantur, nempe cogitatio et extensio, ex his omnia entia determinari, et in harum modificationum ordine, quo se inuicem sequuntur, necessitatem inesse contendit. Quo pacto sublato omni entium materialium ab immaterialibus discrimine, euersa omni libertate, et intellectus a voluntatis diuersitate, omnia fluere mechanice sequitur. Et multus quidem in eo est Spinoza, vt hanc vnam substantiam, quam Deum vocat, attributis diuinis ornet, et eam caussam esse rerum omnium, hasque ab eo distinguendas esse pronuntiet, ne scilicet in pietatem peccauisse videretur. Ast disertis verbis ad Oldenburgium scripsit: *Deum se rerum omnium caussam immanentem, non vero transeuntem statuere.* Quo pacto detracta simulatae veritati larua tota impietatis abominabilis facies dispalescit, et non modo theologia naturalis, sed moralis quoque sana omnis funditus euertitur. Esse in hoc systemate absurda plurima et tum experientiae, tum notionibus metaphysicis contraria, dudum obseruatum viris doctis est, qui monuerunt, ipsam existentiam extensionis multas substantias inuoluere, cum infinitis partibus gaudeat extensio, quae, cum attributum substantiae sit, in vnaquaque particula substantiam peculiarem necessario requirat. Absurdum porro esse, modificationes e diametro contrarias, quales sunt cogitatio et extensio vni substantiae, velut subiecto suo inesse, et sic modis suis eam se mutuo euertere. Nec minori contradictionis absurditate laborare, quod in immutabili et necessaria substantia infinitae mutationes sibi succedentes ponantur, quodque, cum infinitae res in mundo sint, quae mutuo euertunt, contradictorii simul in vno subiecto consistere posse affirmetur, et infinita substantia vna ex finitis modis istis siue partibus finitis constare supponatur. Tacemus alia, quibus iustitiam, sanctitatem ipsamque infinitatem DEI, et omnem actionum moralium, poenarum et praemiorum rationem hoc systema euertere recte obseruatur. Plura de his omnibus apud eos scriptores quaerenda sunt, quos supra nominauimus. Nos hoc loco, vbi extra oleas vagari non licet, falsa imprimis idea substantiae totum niti systema Spinozisticum modo obseruamus, nempe substantiam non posse produci ab alia, siquidem ad naturam eius pertinet

neat exiſtere, quod inde probat, quia rerum, quae nihil commune inter ſe habent, vna alterius eſſe cauſſa nequeat. Hoc enim ſumit potius quam demonſtrat, illud ſubſtantiam ipſam cum conceptu ſubſtantiae confundit, adeoque ſubſtantiam in abſtracto conſiderando, ſibi ſubſtantiam fingit, quae non niſi in mente noſtra exiſtit, eamque deinde ad ſyſtema phyſicum et metaphyſicum inepte transfert. Quae et alia ἀσύστατα multa ineptum ſyſtema complectitur, quae cum egregiis prorſus commentationibus detexerit, quem honoris et amicitiae cauſſa nominamus cel. Io. CHRISTOPHORVS GOTTSCHEDIVS [d], qui elegantiſſima doctrina hodie Academiam Lipſienſem ornat, lectorem ad eruditas eius obſeruationes ablegamus. Vnde vero hunc errorem hauſerit Spinoza, vel formandi ſyſtematis occaſionem nactus ſit, de eo diuerſa eſt inter viros eruditos opinio. Et ſunt quidem nonnulli viri docti, qui cum noſſent patriarum antiquitatum conſultum fuiſſe Spinozam, intelligerent autem ſyſtema Cabbaliſticum eodem cothurno incedere, cuius Or haënſoph vnica illa ſubſtantia ſit, ex qua innumerae modificationes, vel emanationes potius exortae ſint; Cabbaliſtarum metaphyſicam parentem Spinoziſmi accuſant. Qua in opinione praeter ven. REIMMANNVM maxime verſatur acutiſſimus WACHTERVS. Qui ex eo quoque conſenſu Spinozae cum Cabbaliſtis, (quos prius tamen ideo atheiſmi accuſauerat) pro Spinozae innocentia et ſenſibus purioribus argumentum peti poſſe, non ſine inuidia nomini ſuo conflata contendit. Qua de re cum *Tomo ſecundo* [e] ex inſtituto diſſeruerimus, et quae celeberrimi viri ea de re mens ſit expoſuerimus, actum agere nolumus. Alii vero, quibus innotuit, incidiſſe Spinozam adoleſcentem in Carteſii ſcripta metaphyſica, et initia philoſophandi ab iis coepiſſe, ex Carteſiana philoſophia has ineptias fingendi anſam eum quaeſiuiſſe contendunt. Id quod non abſque inſigni Carteſianae philoſophiae ignominia illi obiecerunt, qui Carteſium Spinoziſmi architectum commenti ſunt, quos in Carteſii hiſtoria tetigimus: et pluribus quoque viſum eſt, licet conceſſerint, ex peruerſa Carteſii mente Spinozam fuiſſe philoſophatum. Vrgent hi definitionem ſubſtantiae a Carteſio allatam, per ſubſtantiam intelligendam eſſe rem, quae ita exiſtit, vt nulla alia re indigeat ad exiſtendum: hanc enim occaſionem dediſſe putant πρῶτον ψεῦδος de vnica ſubſtantia excogitandi. Nobis difficilis et incerta haec quaeſtio, et ſi verum fatendum, inutilis videtur; quod enim ad Cabbaliſtas attinet, veriſimile haud eſt, Spinozam eos adoleſcentem attigiſſe, cum iis aetatis annis Iudaeos reliquerit, quibus Cabbaliſtas manibus terere nondum in gente recutita licet: tacemus aliud eſſe ſyſtema emanationis, aliud Spinozae, aliud emanantia, aliud modificationes [f]. Quae vero de Carteſianiſmo dicuntur, ita tantum

d) Programmatibus ſeptem, in quibus philoſophiam Leibnizianam et Wolfianam ab obiecta impietate Spinoziſtica vindicat. Commendat is imprimis Io. IENSII Examen philoſ. ſextae deſin. P. I. Spinozae.

e) p. 1055.

f) Longius inter ſe diſtant modificationes et emanationes, quam vult cl. Wachterus; modificationes enim ſubſtantiae immanent, emanationes progrediuntur; illud cum Spinoza diſertis verbis agnouerit, fruſtra ſunt, qui eum cum Cabbaliſtis comparant.

tantum possunt admitti, vt Cartesiana principia ansam dedisse dicantur Spinozae, a Cartesio desciscere, et nouam viam quaerere cupienti, diuersum doctrinae metaphysicae aedificium construendi. Ipsam enim Cartesii metaphysicam, quae cogitationem et extensionem duas diuersas et contrarias sibimet substantias ponit, refragari systemati Spinozistico nemo non videt, vt taceamus alia toto coelo a Spinozisticis abeuntia, vt supra iam ex *Praefatione Principiorum Cartesii geometrice a Spinoza demonstratorum* annotatum. Nec magnopere audiendi sunt, qui Spinozisticae hypotheseos parentem esse Hobbesium putant, quia inter ius naturae Hobbesii et Spinozae magna intercedit similitudo. Quamuis enim vterque philosophus, ex necessitate rerum cuncta deriuauerit, sua tamen cuique principia propria sunt. Quare ponderatis omnibus, recogitantes profundo ingenio et metaphysica acie instructo gauisum esse Spinozam verisimile videtur, Spinozam suae meditationi et infelici subtilitati totum istud doctrinae impiae aedificium debere, idque habendum esse pro ἀρχετύπῳ quamuis negare nolimus, Cartesianam philosophandi rationem, accedente consilio ab eo discedendi occasionem ei primam subministrasse, de sophismatis talibus cogitandi.

Spinozistae post Spinozam.

§. XI. Luxuriari infelix lolium prae grauidis aristis, et radices laetissime agere, vt natura docet, ita in humana mente quoque, proh dolor euenit: cui licet naturale sit Deum cogitare ab omni creatura infinito discrimine distinctum, fecit tamen impudentia animi frena reuerentiae summo Numini debitae lubenter excutientis, quo sine rectore liber suique iuris viuat, vt atheismus multoties de acutissimis ingeniis triumphauerit. Cuius non luculentius esse specimen potest, quam successus pudendi, quos habuit impietas Spinozistica. Quae licet ea subtilitate et acuminis metaphysici obscuritate se prodiderit, vt a paucis scripta Spinozae intelligerentur, multis tamen se mire commendauit, et in partes eos pertraxit. Inde haud exiguus disciplinae feralis sectatorum numerus est, quos tamen hoc loco enumerare omnes, nec libet nec licet, quo famosiores Spinozismi patroni tantum considerandi sunt. Et ipse quidem Spinoza a sectae condendae gloria animum continuit. Monuit id, qui *Praefationem operibus posthumis* praefixit, *nomen auctoris in libri fronte et alibi literis duntaxat initialibus indicatum esse non alia de causa, quam quia paulo ante obitum expresse petierit, ne nomen suum ethicae, cuius impressionem mandabat, praefigeretur: cur autem prohibuerit, nullam aliam rationem videri, quam quia noluerit, vt disciplina ex ipso haberet vocabulum. Dicere enim in apendice quartae partis ethicae, quod, qui alios consilio aut re iuuare cupiant, vt simul summo fruantur bono, non studeant, vt disciplina ex ipsis habeat vocabulum, sed insuper in tertia ethices parte affert def. XLIV, vbi, quid sit ambitio, explicetur, eos, qui tale quid patrent, non obscure, vt gloriae cupidos accusare.* Facile vero nobis persuaderi patimur, a concupiscenda sectae conditae gloria

ria Spinozam abfuiſſe, quem ſi non character animi arcuit, certe impediuit metuenda inuidia. Hac tamen eius continentia non obſtante efficit humanae mentis ambitio, religioni, velut praeiudicio cuidam vulgari, inſultans, et ab eius vinculis ſe ideo liberans, vt tota ſibi permittatur, vt haud pauci impietati Spinoziſticae patrocinarentur, praecipue cum ordinis geometrici ſpecies, ſeueritatem methodi et demonſtrationis mathematicae prae ſe ferens, ſuppoſitis callide falſis definitionibus et axiomatibus precariis et aequiuocis, multis imponeret. Fuiſſe autem in Belgio foederato non vnum tantum aliumue Spinozae aſſeclam, ſed multos eum magna fiducia fuiſſe ſecutos, et Batauis obiecit Stupanus, et faſſus eſt ROELLIVS [g], conqueſtus, *Spinozam tota armenta in Belgio ſequi ducem:* nec dubitamus, quin hodie adhuc ſectatoribus gaudeat. Inter aſſeclas autem, qui nomine innotuerunt, primum ſuo merito locum occupant, editores operum eius Iarig Iellis et LVDOVICVS MEYERVS, vt vel ſolae praefationes teſtantur. Et poſteriori quidem, qui morienti Spinozae adfuit, prima diſſeminati veneni Spinoziſtici cauſſa potiſſimum adſcribenda eſt; qui facile omnia ſupprimere potuiſſet, niſi in eodem cum Spinoza luto haeſiſſet. Id quod ex libro, *Philoſophia ſcripturae interpres*, apertum eſt, vt in antecedentibus obſeruatum. Et alterum quoque medicum Hagienſem, Lucam, Spinoziſticae impietati fuiſſe addictiſſimum, tum elogium Spinozae ab eo ſcriptum prodit, tum libellus Gallicus, quo *Tractatum theologico politicum* alia veſte comtum et ornatum prodire iuſſit, vt ſupra iam dictum [h]. Et hos quidem viuos inter diſcipulos numerare Spinoza potuit; poſt mortem haud pauci in eandem ſuſpicionem adducti ſunt. Vbi tamen diſcrimen inter eos ponendum, qui aperta profeſſione doctrinae Spinoziſticae velificati ſunt, et inter eos, qui ea quidem ſuſpicione preſſi, non vero Spinoziſmi legitime conuicti ſunt. In priori claſſe, ſtrepitum maximum fecit, et eccleſiam Batauorum valde turbauit FRIDERICVS VAN LEENHOF eccleſiaſtes Swollenſis. Cuius viri, Spinoziſmum tandem reuocare coacti hiſtoriam et controuerſias inde enatas curioſa et eleganti tractatione enarrauit V. C. GOTTLOB FRIDERICVS IENICHIVS [i], qui cum ex actis et ἀντογράφοις omnia collegerit, dignus eſt, qui ipſe conſulatur. Sparſit autem virus Spinoziſmi Leenhofius in libro vernaculo, cui titulum praefixit; *Coelum in terra, ſiue veri et conſtantis gaudii breuis et luculenta deſcriptio, ſecundum rationes et ſcripturae ductum omnis generis hominibus et omnibus fortunae caſibus attemperata*, cuius prima editio Belgica prodiit MDCCIII, germanica vero anno MDCCVI, cui tamen adiecta epiſtola, in qua ſyſtema Leenhofii neruoſe euertitur. Tota vero doctoris maleſani doctrina hac aſſertionum quaternione comprehenditur. I. Neceſſarium eſſe, vt homo eſſentiam ſuam mutabilem ita perficiat, vt ab iſta mutabilitate,

Fridericus van Leenhof.

g) De Relig. nat. §. 151. p. 166. KRAVSIVS Hiſt. liter. P. II. p. 284.
h) Vid. Cat. bibl. Reimm. pag. 1029. GOTTL. i) In Hiſt. Spinoziſmi Leenhofiani, Lipſ. 1707. 8.

litate, quantum licet, sit immunis, ideoque gaudii et perfectionis gradum eum quaerat, in quo constanti et firma animi tranquillitate in immutabili et aeterna Dei voluntate et ordine fundata et acquiescente fruatur; sic enim fore, vt et viuus et moriens, profunda et rationali pace in ente summo quiescere posset. II. Cuncta certis legibus, ordine, causisque concatenata esse et fluere. III. Deum impropie regem, legislatorem, dominum, iudicem vocari. IV. Omnes actiones essentiales mundi esse effectus causarum proximarum, quae ex aeterno naturae ordine necessario consequantur, et huic immutabili voluntati Dei magna animi tranquillitate et constantia sine murmure vel tristitia se ipsum permittendum esse. Facile intelliget lector, non potuisse non ex his assertis Spinozismi suspicionem oriri. Vt itaque serpenti pesti, etiam ob ecclesiasticam auctoris dignitatem periculosae occurrerent, calamum arripuerunt Florentinus Blomble, Taco Haio van den Honert, Io. Creyghton, Io. d'Outrein theologi Batani, et quae in his thesibus impietas lateat, demonstrauerunt. Non defuit quidem sibi Leenhofius, edita apologia, quam *Denubilationem coeli in terra* appellauit, conquestus, sinistre mentem suam explicari et peruerti; at ne hunc quidem in modum causam suam iuuit, sed magis prodidit. Surrexerunt enim in eum praeter priores aduersarios Franciscus Burmannus, Ioannes Henricus Cocceius, Ioannes Sluiterus, et post hos alii, quin et satyris, vt fieri solet, comoedia acta est. Quae cum tumultu in ecclesiis Batauis omnia misceret, primo quidem a prouinciarum classibus remedium quaesitum, et cum hae nihil profeciissent, res ad synodos delata est. Et his quoque incassum laborantibus tandem supremi magistratus auxilium imploratum est. Cuius iussu et auctoritate libelli Leenhofiani fisco addicti, ipse ad reuocandos errores et deprecandam veniam coactus est. Id quod singulari libello factum, in cuius articulo tertio detestatur errores Spinozae; vnam tantum esse substantiam, quae omne sit in omnibus, esse hanc substantiam infinitis attributis constantem Deum; eamque vt causam internam omnis illius quod essentiam habet, fontem et causam existere, et omnes res velut modificationes eius ad hanc, vt totum suum pertinere: adeoque Deum et naturam vnam eandemque essentiam constituere. Porro, nexum esse infinitum causarum, quae sibi inuicem subordinatae necessario cooperentur, animam et corpus non esse res duas distinctas, sed vnum idemque, diuinitatis partes, nec animam aliquam separatam sine corpore subsistere, multo minus spiritum. In connato statu, naturali nullum esse essentiale per naturam bonum, malum, virtutem, vitium, perfectionem, praemium vel poenam; omnia naturali saltem ratione, non morali, a Deo pendere, nec eum legislatorem esse; res porro omnes esse effectus vel operationes naturae per aeternum et necessarium aliquem ordinem in statu naturae suae constitutas, adeo vt ordo aeternus sit independens et necessarius causarum infinitarum nexus. Per vim naturae omnes homines vi et potestati affectuum esse subie-

ſubiectos; nec hominem libere agere, ſed a vi externarum cauſſarum dependere, quamdiu ordinis naturae conſcius illi ſe emendato intellectu non ſubmittat. Bonum ſummum ſolum eſſe ſenſum purum de aeterno Dei ordine, affectuum domationem et ſui ipſius conſeruationem cum gaudio et laetitia. Mortem plenum homini finem facere, et ſolutum partibus ſuis traducere ad aeternitatem, ſine ſpe reſurrectionis vel metu iudicii, nullam dari religionem naturalem, nec diuinam reuelationem, ſed cultum diuinum dependere a ſuprema poteſtate: gratiam conſiſtere in inclinatione interna ad obedientiam aeterno Dei ordini praeſtandam &c. Quae hic ſtrictim enarrare libuit, vt appareat, in quo Spinoziſmi ſummam conſtare publica eccleſiae Belgicae auctoritas definiuerit.

§. XII. Leenhofio iungimus FRANCISCVM CVPERVM, et is quidem anno MDCLXXVI *Arcana atheiſmi reuelata* edendo, inter aduerſarios Spinozae comparere voluit. Quem cum Io. Bredenburgio contentionis ſerram reciprocauiſſe, eo quod is plagii ipſum inſimularet, et hunc conſpirationis cum Spinoza accuſauiſſe, ſupra iam prodidimus. Aſt eadem, qua Bredenburgium premebat, culpa non vacare, et Spinozae ſplendido reuelatorum arcanorum atheiſmi titulo, frigidam ſuffundere voluiſſe viſum eſt HENRICO MORO [k], et Io. WOLF. IAEGERO [l], quos ſecuti ſunt alii. Ludicram itaque velitationem iniiſſe contra Spinozam laudati viri cenſuerunt, et ſimulatam pugnam oſtentaſſe, vt eo fortius falleret. Cuius rationes afferunt, quod contenderit: ex ſolo lumine naturae non poſſe demonſtrari exiſtentiam Dei, non poſſe concipi eſſentiam extenſionis expertem, absque reuelatione non cognoſci in quo vitium a virtute diſtet. Conqueruntur etiam, argumentis eum pro exiſtentia Dei vti ſtramineis et plumbeis, cum ferrea et aerea adhibere potuiſſet. Nempe ipſum frigus, et imbecillitas in culpae ſpeciem tracta ſunt, quod tamen argumentum non ſemper ſtringit. Addi Cupero ſimulati praelii ſimilitudine poteſt BOVLAINVILLIERIVS comes, cuius *Tentamen refutationis Spinozae* ſupra iam memorauimus, et quem clandeſtinis artibus viſcera religionis Chriſtianae petere voluiſſe, vel vna mendax et fabulis comta *Muhammedis hiſtoria* teſtatur. Non is videri vult, qui impietatem coram omni orbe erudito denudatam et bonis omnibus deteſtabilem refricare et pictam nouis coloribus vendere voluerit; ſed ſe ſeriam pugnam initurum omnes athei copias, quascunque poſſet, produxiſſe in aciem ait, vt eo fortius refelleret. Non hoc negat, in ſumma euidentia poſuiſſe ratiocinationes Spinozae, et comtiores ornatioresque dediſſe, ipſo auctore, tantaque fide in exponendis eius argumentis vſum fuiſſe, vt euidentia quoque ſophiſmata, quibus nixus eſt Spinoza, colore quo potuerit pinxerit, arteque, qua licebat, logica ſuſtentauerit,

Franciſcus Cuperus.

Boulainuillierius.

k) Opp. Phil. T. I. p. 596.

l) Diſſ. Franciſcus Cuperus mala fide, aut ad minimum frigide atheiſmum Spinozae oppugnans. Conf. quos nominat REIMMANN. Hiſt. Atheiſmi S. III. c. 9. §. 18. p. 484.

eo quod crederet, nihil tantopere veritati in aperta luce collocandae prod. eſſe, quam ſi falſa lumina veris opponantur, vt pelli maiori cum gloria veritatis poſſint. Confidere autem ſe, non defuturum vel veritati vel prouidentiae, qui bonam cauſſam agat, et totius ſyſtematis vanitatem demonſtret. Aſt quid tandem dignum tanto promiſſor hiatu praeſtitit? Cupiebat is quidem, hanc ſibi veritatis defenſae, impietatisque euerſae gloriam vindicare; aſt et annorum ingraueſcentium hebetudine et occupationum ingenio ſuo magis conuenientium multitudine doctioribus hanc ſpartam ornandam relinquere coactus eſt, indirecte tamen eam ſe ſuſtinere, orando, vt qui maioribus ingenii neruis vtuntur, ad hanc operam praeſtandam ſe accingant. Quo an peſtilentius et ad deridendam religionem atque pietatem omnem aptius quicquam dici queat, dubii haeremus. Fatemurque ipſo Spinoza deteriorem auctorem, librum venenatiorem videri, quia non ſterili argumentatione metaphyſica, ſed elegantibus orationis luminibus vtitur, et, quod ipſe faſſus eſt, aperta ſophiſmata ad decipiendum lectorem ita occultat, vt non niſi ab exercitato et attento dignoſci queant. Summa autem totius diſſertationis in eo verſatur, vt demonſtret: vnam tantum dari ſubſtantiam, cuius definitione miſere ludit et abutitur, paſſiones omnes fieri mechanice, et neceſſitatem quamdam mechanicam oeconomiam animalem inuoluere. Diu ineditus liber per manus curioſorum, quin et impiorum verſatus eſt, et credi non poteſt, quam inuincibilem ſubtilitatem et conuellendorum fundamentorum religionis naturalis et reuelatae aptitudinem atheiſmi Spinoziſtici patroni in eo praedicauerint. Aſt vbi editus comparuit, apertum mox fuit, nihil ineptius, nihil luculentius, quod cauſſam Spinozae euertat, excogitari potuiſſe. Obſeruatum id acutiſſimo CUDWORTHII [m] interpreti: „Nihil „eo leuius, nihil imbecillius, magnos hiatus, nullam infinitarum rerum, „quarum tamen rationem oporteat eum reddere, cui Deus et religio cul„tusque Dei diſplicet, explicationem, nihil ſimplex, apertum, probabi„le, quod in hominum ſeſe ſapientum animos inſinuare ſuapte virtute „queat. Fabulam ſibi viſum eſſe legere, nec ingenioſe inuentam, nec „ſcite diſpoſitam, nec aptam inter ſe et connexam; viſum eſſe ſibi aliquid „Spinozam, quoties ethicam eius inſpexerit, nam geometrarum leges, „quibus hunc alligauerit librum non modicam eius vitiorum partem oc„cultare. At ingenioſo eius interprete lecto, qui omnem videri velit „caliginem a magiſtri ſui praeceptis abſterſiſſe, ita ipſi ſordere coepiſſe, „vt incredibile dictu ſit. - - Omnia, quae ſigillatim Baylius diſciplinae „Spinozianae exprobrauerit, abſurda et portentoſa conſectaria, tam con„cinne fluere ex ea, quemadmodum exponatur a Boulainuillierio, nihil „vt concinnius inde manare queat. Moleſte tuliſſe amicos Spinozae, „flagitia eius et ſententias mirabiliter foedas tam luculenter et perſpicue „expoſitas et declaratas eſſe, itaque quo famae ſuccurrerent hominis in„ſcitiae

m) pag. 1141.

„ſcitiae ſibi arguendos duxiſſe, qui velum ipſi detraxerint: Dolere ſe ma„gnum et perſpicax Boulainuillierii ingenium, quod multo vtiliora et „grauiora moliri potuiſſet, in nugis difficilibus explicandis, amplificandis „et adornandis tantum ſtudii ac operae conſumſiſſe.“ Nihil in his verbis venerandum virum dediſſe partis ſtudio ipſa libri lectio oſtendet, modo quis Scriptoris veneres et dictionis ambigua iucunditate ab accurata notionum et conceptuum meditatione auocantis illecebras ſeduci ſe non patiatur, nihilque admittat, quod ambiguitate ſua deludere poſſit. Idem de ABRAHAMO KVFAELERO dicendum, qui in *Specimine artis ratiocinandi* non contentus regulas logicas exhibuiſſe, metaphyſicam quoque Spinoziſticam tetigit, ſtatuendo, mundi eſſentiam fuiſſe ab aeterno in eſſentia Dei comprehenſam, et in aeternum in ea comprehenſum iri. Addi his Spinozae aſſeclis ſolet IO. NORRISIVS Anglus [n], qui tamen SOVVERAINIO [o] fanaticiſmi Platonici reus magis viſus eſt, tum infrunitus auctor vitae Philopatri, eiusque continuationis quem fuiſſe Aardum Wolsgryk, bibliopolam Amſtelodamenſem, eiusque impudentiam ergaſtulo correctam eſſe narrat Io. COLERVS [p]. Nam non contentus religionem Chriſtianam et oracula diuina ſannis et cauillis inceſſere, viros quoque eccleſiaſticos inſulſe traducere conſtituerat. His quos nominauimus ex recentiſſimae aetatis ſcriptoribus addi poſſunt Henricus Wirmarſius, quem in libro, quod *Chaos imaginarium, de Ortu mundi ſecundum veteres et recentiores philoſophos*, inſcripſit, et Spinozae, Santuoordio, Deurhofio, Leenhofio, oppoſitum eſſe contendit, reuera religionem naturalem euertere, ideoque gyrgatho concluſum poenas meruiſſe pluribus narrat cel. HEVMANNVS [q]. Adderemus his Petrum Speethium ad Iudaeos deficientem et Cabbaliſticum ſyſtema complexum, quem Spinoziſmi ideo integra tractatione accuſauit eruditiſſimus WACHTERVS [r], niſi ex dictis ſuo loco conſtaret, diſcrimen intercedere inter ſyſtema Spinoziſticum et Cabbaliſticum. Meliori iure huc pertinere cenſentur anonymus auctor *Concordiae rationis et fidei, ſiue harmoniae philoſophiae moralis et religionis Chriſtianae*, quae *Amſtelodami* vel *Berolini* potius *anno* MDCXCII prodiit, quemque fuiſſe FR. GVIL. HOSSIVM qui ab epiſtolis fuit electori Brandenburgico poſtea compertum eſt, cum haud leues motus impius libellus concitaſſet [s]. Non recitabimus deteſtabile chaos ineptorum ac impiorum dogmatum, diſci enim poſſunt a Ven. REIMMANNO [t] qui plura de hoc libello dabit, qui totus ex atheorum diuerſorum quisquiliis compilatus eſt: ſed id tantummodo notamus; auctori Deum ſolum eſſe ſubſtantiam, hominem huius ſubſtantiae modum, mentem eſſe meliorem partem hominis, quae cogitat, conſtantem cere-

Abraham Kufaeler.

Io. Norriſius aliique.

n) Vid. Relat. innoc. 1702. p. 138. 207. ſeq.
o) Platoniſmi detecti P. I. c. 8. p. 75.
p) Vit. Spinozae p. 93.
q) Act. Phil. Vol. II. p. 120. ſeqq.
r) Spinoziſmus in Iudaiſmo, Amſt. 1695.
s) Vid. Rel. innoc. 1707. p. 159.
t) l. c. c. 17. p. 512. Cat. bibl. p. 992.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bro et infinitis organis varie modificatis, affluxu et circulatione materiae subtilis, item diuersimode modificatae tam per organa cerebri, quam impulsu idearum, sensuum, obiectorum, leges naturales et diuinas proprie dictas non dari, Deum precibus non flecti, animam hominis sua natura non esse immortalem etc. Quae habuisse eum ex schola Spinozae, comparatio docebit, proditque, quae atheismi pestis in hoc scripto lateat, quod eum telis theologorum confossum munere deiecit. Huic adiicimus alterum nationis nostrae scriptorem, THEODORVM LVDOVICVM LAV, quondam Curlandiae ducis consiliarium aulicum; is enim anno MDCCXVII. Francofurti vulgauit, *Meditationes philosophicas de Deo, mundo et homine*, et *Freistadii*, vt habet titulus: *Meditationes, theses, dubia philosophica, theologica;* quibus libellis cum Spinozismi suspectus, vrbe Francofurto exire iuberetur, ad tuendam causam suam responsum ordinis ICtorum Halensium petendo, atheismi notam, ab eo, calamum commodante illustri Christiano Thomasio [u] retulit; quam tamen ignominiam alibi declinando, adhaerere se sanae doctrinae peculiari libello testatus est [x]; ex quo colligas, eum sibi interdum non satis constitisse. *Io. Tolandus.* Ex Britannis IOANNEM TOLANDVM, hypothesium paradoxa singularitate et profana nouitate dudum famosum, cuius accuratam vitae enarrationem celeberrimo MOSHEMIO debemus, huc referri mirari quis possit, ipse enim in *Epistolarum ad Serenam*, quarta, virum eruditum summo erga Spinozam eiusue philosophiam amore flagrantem, reuocare, et nihil inesse certitudinis eius opinionibus demonstrare annititur: inque ea eousque processit, vt materiae non minus motum, quam extensionem conuenire, eamque nec vnquam fuisse, nec vllo modo inertem mortuamque aut in perfecto quietis statu esse posse diceret; quam quoque sententiam quinta epistola propugnauit, visus aeternitati mundi fauisse, IACOBO FAYO [y]. Ast effecit, vt albo huic inscriberetur liber, quem suspecta et insolita inscriptione, pantheisticon, insigniuit, profana impudentia plenum, quem Spinozisticae impietatis semina continere, affirmant, qui legerunt: pauca enim exemplaria tantum, more suo excudi curauit, vt hae naeniae carius emerentur, vt in vulganda versione profanae satyrae, quae *Bestiae triumphantis* titulum gerit, similiter fecit. Tandem et Hattemistarum noua apud Batauos secta huc referenda est, cuius notitiam fecit vir celeberrimus THEODORVS HASAEVS [z]. Quo tradente constat Pontianum ab Hattem, cum florenti aetate in academia Salmurienſi versaretur, omnium oculos in se conuertisse, suspicionemque concitauisse Spinozismi, eamque non male fundatam, cum Spinozae scripta nocturna diurnaque manu non contereret solum, sed et ea commilitonibus

u) Vid. THOMASII Cauſſae iuridicae ſeriae P. I. caſ. 24. p. 233. ſeqq.

x) Extat in Collectaneis ad Hiſtoriam criticam linguae Germ. Vol. IV. p. 136. ſeqq.

y) Def. Relig. Iud. P. I. c. 1. p. 4. c. 4. p. 26. c. 17. p. 90. Conf. CLARCKE de l'exiſtence de Dieu P. I. c. 4. p. 35. c. 9. p. 83.

z) Muſ. Brem. Vol. II. P. I. art. 8. p. 145. ſeqq.

nibus suis commendaret impense. Ad ministerium euangelii apud Philippolandios promotum virus suum inter agri istius colonos primo clanculum, deinde apertius disseminare coepisse, Spinozae libros magnis efferendo laudibus, eius dogmata scripturae verbis incrustare gnarum, id tantum dolentem, non illum cum euangelio coepisse. Atque hoc ab eius asseclis in eius laudibus positum fuisse, quod artem, Spinozismum clam iisque non animaduertentibus, animis hominum insinuandi tenuerit. Prodiisse tandem in publicum vulgando catechismum, inque eo pestifera dogmata tradidisse. Examinasse eum et classem istius agri, et theologos Lugdunenses atque Vltraiectenses, indeque factum, vt ad tempus aliquod ministerii functionibus illi interdiceretur. Cum vero egregium simulatorem fucum feciisse theologis Lugdunensibus, vt orthodoxiae testimonio ornaretur, eiusque auctoritate muneri restitueretur, sed pristina dogmata recoquendo, tandem post innumeras admonitiones munere suo exutum esse. Neque tamen sic potuisse compesci hominis proteruiam, sicut opus fuerit, a praepotentibus Belgii et Selandiae ordinibus eius libros, et doctrinae propagationem ac conuenticula prohiberi, quin Medioburgi scripta eius carnificis manu in publico theatro comburi. Eum autem in exercitationibus priuatis, mirifica hominum, etiam primi ordinis affluentia institutis indefessum, voce, literis, et artibus miris sectam condidisse, et ad finem vsque vitae in ea perseueraſſe, qui anno MDCCVI contigit. Nec cum auctore sectam desiisse, sed noua indies incrementa sumsisse. Restitisse tamen et doctorum zelum et magistratuum curam, licet tota extirpari nequiuerit. Tanti scilicet impiae nugae hominibus ineptis, et mentis vanae cupiditates sequentibus vaeneunt!

§. XIII. Restat altera eruditorum classis, quam Spinozismi quidem accusatam, non vero legitime conuictam, et consequentiis magis quam dogmatum professione nefariam doctrinam recepisse visam esse diximus. In qua primo loco ponimus ARNOLDVM GEVLINCXIVM, Belgam. Qui positis Louanii literarum et philosophiae rudimentis summos in philosophia et arte salutari honores nactus est, docendi quoque muneri admotus; postea naufragium passus, cum Lugdunum Batauorum peruenisset, ab Abrahamo Heidano domum suam receptus est, donec publicam philosophiae tradendae prouinciam aegre obtineret, in qua anno MDCLXIV decessit [a]. Famam is eo tempore, quo Cartesianismus in Belgio foederato florebat, sibi comparauit, non tam *Logica fundamentis suis a quibus hactenus collapsa fuerat, restituta*, ea enim licet mathematicorum methodo praecipiat, magis tamen Aristotelica est, quam eclectica [b]: Quam vulgata *Ethica*, quam γνῶθι σεαυτὸν appellauit. Eam *omnibus suis partibus in lucem editam et tam seculi huius, quam atheorum quorundam philosophorum impietati sceleſtisque moribus, quamquam*

Viri eruditi Spinozismi suspecti.

Arnoldus Geulincxius.

a) Vid. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. IV. p. 609.

b) Conf. STOLLIVS Hist. lit. P. II. c. 2. §. 37. p. 459.

quam ſpecioſo vt plurimum virtutis praetextu laruatis oppoſitam denuo edidit PHILARETVS pſeudonymus, adiecto CORNELII BONTEKOE libello *de Paſſionibus animae*, *Amſtelodami* MDCXCVI. Locum celebri et acuto ſcriptori, aſt difficili et obſcuro inter Spinozae aſſeclas, fecit, ſuppoſitum doctrinae morali ſyſtema cauſſarum occaſionalium. In eo enim eſt, vt non ſine ingenio demonſtret; non modo motum in corpore ciere nos non poſſe, ſed et nihil extra nos facere, alium vero animare actionem noſtram, cum extra nos dimanet, et vim ei ac pondus impartiri: eundem terminos poſuiſſe, vltra quos eam efferre non conſtituerit. Eſſe igitur nos nudos ſpeculatores huius machinae, inque ea nihil fingere vel refingere, totum id alterius cuiusdam opus eſſe. Hincque agnoſcendum, nec actionem noſtram ad res huius mundi, nec actiones iſtarum rerum ad nos pertinere, ſed alterius vim et induſtriam ſubeſſe, idque Numen praeſtare, nudos itaque nos huiusce mundi contemplatores eſſe, ſpectatores in hac ſcena, non actores, id quod ſpeciem mundi in nos et mentem noſtram ſubuehat, Numen eſſe; illud nos in hoc ſtatu collocaſſe et huc miſiſſe, iubens hic manere, donec reuocaret [c]. Ex his ſuppoſitis ſequens ſyſtema extruit; I. In hoc mundo nos extra nos nihil agere poſſe. II. Omnem actionem noſtram, quatenus noſtra eſt, intra nos manere. III. Eam vi diuina aliquando extra nos diffundi. IV. Eatenus vero non eſſe noſtram actionem, ſed DEI, V. diffundi autem et quantum Deo videtur, ſecundum leges ab eo liberrime conſtitutas, VI. tantummodo ſpectare nos hunc mundum; VII. ipſum tamen mundum ſe non nobis ſpectandum exhibere, VIII. Solum Deum nobis exhibere id ſpectaculum, IX. idque modo ineffabili, X. poſſe nos ab iſto ſpectaculo euelli, et ex hoc mundo eripi. XI. Illam ereptionem, ſ. mortem nos timere, XII. tum quia aſſueti ſimus rebus corporeis, tum quia ſcimus, rationem, quae reddenda eſt non bene nobis conſtare. Ex hoc ſyſtemate inſpectionis ſui officia ſeu obligationes omnes deriuat, vt euocanti ex vita Deo lubentes pareamus, non euocati iniuſſu de ſtatione non decedamus, ſi enim nos interficiamus, non nos facere ſed Deum abigentem nos hinc non quo volumus, ſed quo ille nefarios conſtituit: vt reficiamus corpus moderate, addiſcamus artem, eique vacemus, multa faciamus, multa patiamur, quo vitae curſum ſeruemus, remittamus interdum animum; nauitatem noſtram non deteſtemur, &c. et haec ita complectitur omnia, vt iubeat firmiter animum noſtrum inducere, eorum quae agimus, aut agere omittimus, ad felicitatem noſtram nihil, ad obligationem omnia referre: ac ita ſuſtinere animum et refrenare, ita coërcere intra gyrum ſuarum obligationum, vt tranſilire et efferre ſe in deſideria ac vota ſuae gloriae felicitatisque non poſſit, ſicque nihil faciendum eſſe ob beatitudinem noſtram, ſed ob obedientiam Deo praeſtandam, &c. Haec fabula illa eſt, quam miro artificio inſtruit nectitque Geulincxius. Valde illa diſplicuit theologis et philo-

c) p. 139. ſeq.

philoſophis, cum nec agere nos quicquam, et abſolutae rigidaeque Dei voluntati neceſſario parendum, nec felicitatem ſperandam quaerendamue fuiſſe inter prima principia referatur. Ita enim Spinozam quoque praecepiſſe, et amice haec cum eo conſpirare contenderunt. Quo in cuneo vrgendo induſtriam ſuam exercuit RVARDVS ANDALA. Is enim non modo inter Carteſianiſmi corruptores Geulincxium quoque ob ſyſtema cauſſarum occaſionalium retulit, ſed et Spinoziſmi ſuſpectum reddere conniſus eſt, edito *Examine ethicae Geulincxii*, in quam ſententiam quoque conceſſit CHR. THOMASIVS [d]. Idem itaque Geulincxio accidit, quod Mallebranchio, quem Spinoziſtarum catalogum auxiſſe ob idem ſyſtema electum, et aſſertam extenſionem intelligibilem in Deo, ſupra memorauimus. Fallimur autem, aut iniuria fit Geulincxio. Licet enim ſatis paradoxum, et, ſi verum dicendum, nec veriſimile, nec ſatis pium eius ſyſtema videatur, nondum tamen Spinozae conciniſſe dici ideo poteſt, qui inter Deum et mundum et animam, eſſentiale diſcrimen agnoſcit. Valde autem eius ethica ſimilis eſt Stoicae, quam tamen vehementer contemnit [e], forte, ne pateat, vnde ſua hauſerit. Quae itaque de Stoicis Spinoziſmi ſuſpectis dici poſſunt, vel non poſſunt, quod ſuo loco notatum, etiam ad Geulincxium pertinet.

§. XIV. Auxiſſe indicem Spinozae aſſeclarum, non tamen eius conuictum Ioannem Bredenburgium, ſupra diximus. Quae enim contra eum diſputat Orobio, ex male intellectis eius aſſertionibus videntur profluxiſſe. Sed et Balthaſarem Bekkerum in hunc cenſum veniſſe, infra dicemus. Idem fatum contigit GVILELMO DEVRHOFIO; qui tamen acerrime et fortiſſime Spinozae contradixiſſe COLERO [f] viſus eſt. Nempe arguebat Deurhofius Reformatos Spinoziſmi ob decretum abſolutum; cum autem ſtatueret, vnicum tantummodo eſſe intellectum, ſiue ſubſtantiam intelligentem, in omnibus hominibus, adeoque animas Petri, Paulique, non vt ſpiritus ſpeciales, ſed vt modos vniuerſalis animae cogitantis conſiderandas eſſe, Spinoziſmi quoque eum Taco Haio van den Honert poſtulauit. Quae theſis, modo ita intellexerit Deurhofius, non Spinozae eſt, ſed Ariſtotelis, Auerrois, aliorumque, qui intellectum vniuerſalem incruſtarunt. Eandem dicam ſibi ſcribi expertus eſt FRANCISCVS BVRMANNVS, eum enim Spinoziſmi reum eſſe contendit PHILIPPVS LIMBORCHIVS [g]. Quem cum defendiſſet Io. VAN DER WAYEN [h], iterata ſcriptione accuſationem hanc ille repetiit, Wayeno in ſuſpicionem criminis [i] adducti. Qui tamen nec tacuit ipſe [k], nec tacere Burmannos paſſus eſt, edidit enim filius *Pietatem Burmannorum*, in qua hanc

Spinoziſmi ſuſpecti alii.

d) Cautel. c. XIV. §. 33. not. y.
e) p. 163. ſeqq. non libertati Stoicae indignatur, ignarus obedientiam ſuam paſſiuam idem ſignificare.
f) loc. cit.
g) Theol. Chriſt. L. II. c. 15. §. 8. p. 39.
h) De λόγῳ adu. Clericum p. 178.
i) In Defenſ. contra crimin. Io. van der Wayen.
k) Pec. diſcuſſione edita.

hanc maculam a parente abſterſit. Cauſſa autem in eo verſabatur, quod Burmannus Spinozae verba exſcripſiſſet. Id quod fieri potuit, vt a Limborchio demonſtratum, licet ſenſus Spinozianos refugeret, nec cum illo faceret. Idem WITTICHIIS, theologis celeberrimis eueniſſe illis ignotum non eſt, qui ſacram, Belgii foederati hiſtoriam norunt. Nam Chriſtophorum Wittichium in Spinoziſmi ſuſpicionem ἔχοντα ἄχοντα adduxit, futilis ſcriptor *Vitae Philopatri*, quem aequior iudex abſoluit, Io. COLERVS, et Iacobum Wittichium philoſophiae et matheſeos profeſſorem in academia Duisburgenſi, ſimiliter nigro lapillo iſto notatum fuiſſe ab Antonio Drieſſenio, theologiae profeſſore Groeningano adductis ſcriptis eriſticis enarrant auctores *Bibliothecae theologicae Bremenſis* [l]. Aſſeruerat enim Wittichius: materiam neceſſario explicari debere per attributum, quod aeternam et infinitam eſſentiam exprimat. Melius autem ſenſiſſe, quam fuiſſe locutum omnino veriſimile eſt. Tandem et his eruditiſſimum Wachterum addimus, cui in Spinoziſmi macula inurenda valde grauis fuit cel. REIMMANNVS [m]. Supra autem, quae mens viri doctiſſimi de Spinoza ſit, cum iam explicuerimus, dicta otioſe non repetimus. Monendum tamen exiſtimamus, id ipſum dogma, quod ex ſcriptis nondum editis illi obiicitur: de Adam Kadmon ſiue primogenito, naturaque inter Deum et mundum media tale eſſe, vt, licet ipſi clariſſimo viro aliter videatur, nunquam cum Spinozae ſyſtemate comparari poſſit; eſt enim totum Cabbaliſticum. Nam Spinoza naturam inter Deum et mundum mediam, et emanatiuum primogenitum ex Deo egreſſum ad producendas emanationes, ſiue mundos, plane ignorat, eſt enim ei Deus cauſſa mundi immanens, non tranſiens, id quod ad primogenitum Cabbaliſtarum non quadrat. Poſſent his addi plures, et imprimis quae recentiſſima aetate Leibnizio et Wolfio obiecta ſunt, niſi alium illa locum poſtularent. Erudite duumuiros hos ab hac labe immunes demonſtrauiſſe cel. Gottſchedium ſupra iam tradidimus.

Pſychologiae recentioris fata.

§. XV. Poſt Deum non nobilius in pneumatologia metaphyſicae iuncta argumentum occurrit, quam quod de anima tractat, et ſpeciali nomine pſychologia dicitur. Et rationibus quidem haud vanis ſtatuendum eſſet, non dari poſſe de eo magnum inter philoſophos diſſenſum, cum anima, ſui ipſius intime conſcia ſit, et ad hanc conſcientiam reflexionis auxilio quemlibet recurrere poſſe ſit manifeſtiſſimum. Aſt in nullo fere argumento luculentius ſe prodit mortalium ignorantia et intellectus noſtri anguſtia [n]; cuius manifeſtiſſima ſpecimina ſunt innumerae quaeſtiones et controuerſiae de animae origine, natura, immortalitate, immaterialitate, propagatione, facultatibus, commercio et vnione cum corpore, actionibus et paſſionibus, ſede, ſtatu, loco, poena et praemio poſt mortem, de

l) Faſc. V. n. 7. p. 550. ſeqq.

m) Hiſt. Atheiſmi l. c. p. 514. ſqq.

n) Conf. Cel. HOLLMANNI Diſſ. de Stupendo naturae myſterio: Anima humana ſibimet ignota.

de anima vniuersali, mundique, de migratione post mortem, et capitibus aliis. Non de his quaestionibus nudius tertius demum disputatum est, sed omnibus fere seculis philosophos ambiguam disputationis materiam suspensos tenuisse, ex enarrata hactenus philosophiae historia constat, in qua, quid de his argumentis statuerint philosophi, diligenter annotauimus. Possent illis multa addi, cum in diuersissimas coniecturas, vt in re obscura fieri solet, discesserint, viri docti, si specialis huius disciplinae historia scribenda esset. Quae cum locum heic non capiat, pauca tantum adducimus, recentiori aetate, praeter ea, quae iam supra copiose enarrata sunt, controuersiis philosophorum agitata. Et primo quidem, licet ingens inter corporis machinam et animae naturam discrimen intercedere intima, quae nobis adest experientia, nostrique conscientia testetur, fuerunt tamen, qui veterem Stratonis sententiam reuocantes, materialem esse animam, vimque atque operationem vitalem, quae materiae inest, constituere, asseruerunt. Hos materialistas dicere, barbaro vocabulo, moris est. Reipsa in his castris militauisse Hobbesium et Spinozam, facile ex supra dictis de eorum systemate constare potest o). Peculiaris tamen scriptionis labore euincere id conatus est GVIL. COWARDVS medicus Londinensis. Is cum omnem spiritum creatum materialem esse statueret p), idem de anima non affirmare non potuit. Edidit itaque q) *Cogitationes posteriores de anima*, in quibus reiecta immaterialitate animae, eam tantum esse subtilem aliquem ignem materialem, eamque cum vita corporis eandem virtutem constituere, magno molimine defendere nititur. Ita vero immortalitatem animae quoque negare oportebat, quia cum vita corporis illa vis necessario cessat, quam in resurrectione cum corporis vita demum adfore iterum statuit. Oppositi inepto dogmati *Psychologiam*, siue *Tractatum de natura animae rationalis* IOANNES BROVGHTONVS, sed defendit id tamen, et aliter sentientes impostura accusauit COWARDVS in *Vindicatione rationis et religionis contra impostura philosophiae*. Neque ab errore pernicioso ab Asshetono, Lesleyo, Menardo aliisque, qui scriptis eum impugnauerunt reuocari potuit, sed postea quoque noua inquisitione veteris dogmatis veritatem se inuenisse videri voluit *). In eundem fere censum referendus esset Henricus Dodwellus, cui ipsi quoque anima mortalis visa est, nisi is, suspectis antiquitatis ecclesiasticae praesidiis quae gentilis philosophia genuit suffultus, immortalitatem ex Spiritu S. in baptismo collato deriuasset, et hoc ipso totam, quae illi ideo mota est controuersiam, ad aliam arenam traduxis-

o) Solent quoque suo modo huc referri, qui statuant, naturae materiae cogitationes non repugnare, quod placuit LOCKIO de Int. human. L. IV. c. 3. §. 6. et in Coll. of the seueral pieces, in Ep. ad Collin. tum P. BAYLE in Ep. ad Ancillon. de 109 rationalibus POIRETI, et olim B. BVDDEI El. Phil. theor. P. I. c. 5. §. 28. P. VI. c. 1. §. 3. RVDIGERO in Cogit. de anima nat. contra Wolf. p. 23. et suo modo SYRBIVS Phil. prim. P. II. c. 1. §. 9. p. m. 361.

p) Conf. GRAEVIVS Theol. rec. controu. P. II. p. 68. q) Londin. 1703.

*) Vid. Rel. innoc. 1703. p. 653. 1704. p. 353. 1707. p. 745. Act. Erud. 1707. Aug. p. 352. BVDDEVS Thes. de Atheismo c. 3. p. 236. GRAEVIVS l. c. c. 4. q. 2. p. 104. seq.

set [r]. Inter Germanos eandem sententiam inter se viri duo docti, quorum ἀνονύμως *Commercium epistolicum familiare, de natura et essentia animae prodiit* [s] reciprocarunt, Bucherus, qui pro immaterialitate animae stetit, et Hocheisenius, qui contrarium assertum iuit. Neque tamen vel hi, vel Cowardus attulisse visi sunt, quod momentum haberet, quodque non contraria multa et se plane euertentia complecteretur. Vnde censuit nonnemo [t], iudicio accurato vsus, *ita eos in hac sententia probanda versatos esse, vt rei istius impossibilitatem lectori non plane rudi, rerumque physicarum ignaro, omnibus suis studiose conquisitis argumentationibus longe facilius, quam qualemcunque eiusdem possibilitatem persuaserint.* Subtiliori et intricatiori disquisitione de facultatibus animae disputatum est, vt ex iis colligere licet, quae inter dogmata Cartesii, Hobbesii, Leibnizii, Thomasii aliorumque de hoc argumento attulimus. Maxime vero de libertate animae, et qua ratione vel intellectui vel voluntati tribui possit, in qua re constet, quae spontaneitatis, quae libertatis externae et internae ratio sit, deque similibus disputatum est, praesertim postquam natura commercii, quod inter animam et corpus intercedit subtilius examinari coepisset. De quo argumento inter Anglos Guilelmus Kingius, et Ioannes Lockius, et nuper Samuel Clarckius, extra Insulam G. G. Leibnizius, Ioannes la Placette, aliique adducti a FABRICIO [u] disputauerunt. Maxime recentissima aetate inter controuersias Wolfianas, de hoc argumento miris animorum commotionibus disputatum est, cum euertere hypotheses Leibnizio-Wolfianas libertatem voluntatis obiiceretur, qua de re quid pro his partibus disputauerint illustris BERN. BVLFINGERVS [x], et ven. FRID. WAGNERVS [y], potissimum expendendum est. Fatendum autem, post tot disceptationes obscuram hactenus et fluctuantem esse philosophorum de libertate mentis cognitionem, etsi dari illam necessario contra Hobbesium fatalem quandam necessitatem introducentem, multi haud infeliciter pugnauerint. Quorum nomina ex parte in historia Hobbesii et Leibnizii allegauimus. Auxerunt has difficultates illi, qui naturalem animo diuinandi facultatem tribuerunt, si verum tamen fatendum, multum contentionis de voce disseminauerunt. Qua de quaestione cum erudita tractatione egerit B. BVDDEVS [z], illius, dissertatio ipsa legenda est. Referri porro huc illi quoque possunt, qui tres hominis partes constituendo, spiritum siue mentem ab anima distinxerunt. Hoc imprimis factum a Platonico-Cabbalisticis, theosophicis, Mosaicis, et qui illorum vestigia premunt, Christiano Thomasio et Andrea

r) Scriptores de hac controuersia fuse enarrat GRAPIVS l. c. p. 105. seqq.

s) Zweyer guten Freunde vertrauter Briefwechsel vom Wesen der Seelen 1713. 1721.

t) HOLLMANNVS Theol. nat. c. 2. §. 40. p. 104.

u) Syll. Script. de V. R. C. p. 397. Conf. Bibl. raisonnée T. IV. P. II. p. 458.

x) In Dilucidat. phil. §. 302. seqq.

y) Pec. tr. vernaculo, de vera notione libertatis voluntatis humanae, Berol. 1730. 8.

z) Diss. an naturali homo polleat vaticinandi facultate.

drea Rudigero. Quos omnes cum suo loco excitauerimus, heic, vbi alia agenda sunt, iterum prouocare nolumus. Difficillimum autem problema, semper philosophi visum est, quod de ortu animae disputat. In quascunque enim partes se philosophi verterunt, insuperabiles difficultates inuentae sunt. Et Scholastici quidem atque Aristotelici, e materia eam educi statuebant; quod cum inepto formarum dogmate nitatur, placere prudentioribus non potuit. Complures autem et hi quidem haud obscurae famae viri, ad parentes ignotum producendae animae opus retulerunt, et propagari animam transmittique cum semine in corpus infantis per traducem quendam statuerunt. Quas partes magna diligentia ornauit schola Sennertiana, et qui ex ea prodiit, et hanc causam acriter defendit Ioannes Sperlingius: quamuis de modo operis occulti inter se in partes discesserint. Ast innumeris obiectionibus et difficultatibus pressi sunt ab aduersariis traducis patroni, qui monuerunt, hoc pacto aut creari liberorum animas a parentibus, aut generari; illud homini impossibile, hoc contradictorium esse, et diuisibilem atque compositam animae naturam inferri. Vnde hi quidem ad creationem animarum confugerunt, et a Deo corporibus in actu generationis immitti statuerunt. Quae sententia ab altera parte ex propagatione peccaminosa, quae animae a conceptione hominis inest, euertitur, cum in sanctitatem creatoris, ipsamque veritatem coelestem in sacris oraculis reuelatam peccet. Et hinc audita seculo XVII in scholis theologorum et philosophorum Traducianorum et Creatianorum nomina, a quibus inducciani distinguebantur, qui e coelis, vel astris alioue ex loco induci in corpora animas statuebant. Inde ad praeexistentiam animarum, in creatione simul conditarum, vel in certo loco existentium, vel in corporum staminibus, aut in animalculis seminalibus latentium alii confugerunt, diuerso tamen omnes sensu, et prius quidem Platonicos sequentibus placuit, et H. Moro [a], posterius Leibnizio [b], vt supra dictum, et suo modo, qui alium animae ortus per praeexistentiam modum excogitauit Io. Andreae Planero [c]. Similis difficultatis aenigma esse vnionem inter animae et corpus intercedentem, et vtriusque commercium ex illis, quae in historia Cartesii et Leibnizii tradidimus, abunde constat. Quibus locis cum ostenderimus, qua ratione vel ex systemate influxus, vel ex systemate assistentiae, itemque causarum occasionalium, vel ex systemate harmoniae praestabilitae difficultates tollere philosophi anniti sint, decantatissimam controuersiam pluribus hoc loco enarrare supersedemus. Quodcunque vero eligamus, semper inextricabilibus difficultatibus implicamur, quae, nisi nos omnia fallunt in re, nobis ex intima conscientia nota, luculenter probant, nebulas nondum esse istis hypothesibus dispulsas, et tutissime agere, qui ad humanae mentis ignorantiam et angustos cognitionis li-

a) Opp. phil. T. II. p. 365.
b) Conf. Hamsch. Princ. Phil. Leibn. p. 176.
c) In noua de animae humanae propagatione sententia, Viteb. 1712. conf. quae de hoc philosopho eiusque opinione diximus in Germ. Hist. phil. Opere T. VII. p. 859.

mites confugiunt. Cuius hunc vsum esse posse, recte monet cel. HOLLMANNVS [d], „vt agnoscamus, stupendo conditos nos esse artificio, neque sine potentia, viribus omnibus humanis longe superiori potuisse fieri, vt subiectum eiusmodi cogitans et intelligens, inque infinitarum rerum naturam curatissime inquirens, quale anima quidem nostra est, corporis machinam eiusdemque artus singulos varie, pro arbitrio suo moueat, inflectat dirigatque, motibusque corporeis ita iterum afficiatur, vt res extra se positas varia ratione persentiscat, illarumque imagines intra sinum quasi suum recipiat, nec tamen quomodo vel ipsa corpus afficiat, vel a corpore iterum afficiatur, quomodocunque intelligat." Nempe ita summum et sapientissimum tantorum operum conditorem ex hac animae nostrae de se ipsa ignorantia agnoscere, haud exigua pars sapientiae est. Quam qui sibi metam ponunt, lumine sane inter tenebras vti sunt censendi.

Pneumatologiae specialis fata recentiora.

§. XVI. Restant spiritus separatim existentes et immateriales substantiae: quod argumentum eo intricatius deprehenditur, quo certius est, nihil a priori, quod dicunt, nobis innotescere, licet certum et euidens sit, et posse esse spiritus immateriales separatosque a corpore, et non ab omni plane verisimilitudine, ex regni diuini amplitudine et pulchritudine desumta, id esse remotum. Tota tamen, quae de existentia eorum, versari inter eruditos solet, quaestio ad traditionem et fidem historicam redit, quae ab vltima aetate et canis nascentis fere mundi temporibus orbem peruagata est, et ex omnium fere locorum, temporumque relatione tandem in dogma vbiuis locorum receptum, et inter barbaras et ab omni fictionis artificio remotas gentes non minus, quam inter cultiores populos admissum cessit. Qui vniuersalis consensus, licet pro praeiudicio vniuersali haberi sine manifesta contradictione non possit, adeoque liceat eum pro existentia spirituum separatorum allegari, fatendum tamen, si candide agere velimus, pleraque quae de spiritibus his traduntur, talia esse, vt ex barbararum gentium lacunis hausta, et innumeris erroribus repleta videri queant. Quamuis enim Hebraeae gentis traditio, quae omnium antiquissima est, nonnulla exhibeat sacris paginis comprehensa, pauca tamen ea sunt, et quae aliae gentes affuerunt, innumera, et ita se habentia, vt qui nasum habent, facile illis suboleat, multa ignorantiam rerum naturalium, multa sensuum imbecillitatem, multa timorem et superstitionem, multa fraudes quoque hominum vafrorum, et simplicitate plebis ad augendam auctoritatem et vtilitatem suam abutentium, nonnulla methodum allegoricam orientalis philosophiae, haud pauca quoque systema emanatiuum, per omnem Orientem, Aegyptumque diffusum genuisse. Quae vbi probe ponderantur, facile nobis non monentibus cautus et attentus quilibet intelligit, quanta sobrietate et praeiudiciorum antiquitatis, auctoritatis, hypotheseos, praecipitantiae, superstitionis et similium eiu-

ratione

d) l. c. p. 177.

ratione opus sit, si in hoc argumento feliciter versari quis velit. Vnde non sine insigni intellectus humani emolumento optandum esset, vt vir quidam doctus, et ad haec, quae obiter tetigimus argumenta, sine vllo partis studio attentus, in origines huius traditionis, variamque propagationem et augmenta ex variis caussis inter omnes populos inquireret, vt inde turbidae, quae hactenus de hoc argumento apparuerunt lacunae ad limpidiores fontes deducerentur, haberetque intellectus humanus, ex quo de verisimilitudine veritatisque certitudine, vel falsitate speciosо titulo imponente esset statuendum. Quae enim de hoc argumento scripta sunt, licet sint innumera, et varia eruditione referta, ordine tamen carent et luminibus atque ratiocinatione iusta, adeoque nec pro asserenda hac doctrina nec ad eam refellendam ita adhiberi possunt, vt intellectui, ex vtraque parte a peccando sibi cauenti fiat satis. Quae itaque recentiori aetate de angelis eorumque apparitione, de spectris, de sagis et incantationibus, de pacto cum infernali genio et similibus quaestionibus vehementer disputata sunt, hoc loco recensere non licet, nec etiam libet, eo quod incerta et ambigua disputationis arena ita de hoc argumento pugnatum est, vt quid potissimum definiendum sit, adhibitis legitimae ratiocinationis regulis, anceps haereat cautus animus. Legendi autem sunt, qui pro experientia omnium locorum, temporum, hominum, infinitis fere exemplis in medium adductis pugnauerunt, inter quos eminent, Ludouici Lauateri, Lamberti Danaei, Ioannis Bodini, Mart. Ant. Delrionis, Iosephi Glanuili, Theophili Spizelii, Richardi Baxteri, Petri Goldschmidii, Erasmi Franciſci, Ioannis Beaumontii aliorumque nomina, et cum his comparandi, qui innumeras fallacias, imposturas, fraudes, artificia, praecipitantias, errores, in his exemplis inuenerunt atque detexerunt, in quo saxo voluendo post Pomponatium eiusque scholam, non minoribus tamen ineptiis desipientem, et Ioannem Wierum, recentissima aetate Ioannes Wagstaffius, Ioannes Websterus, Antonius van Dale, Fr. Hutchinsonius, Christianus Thomasius, et anonymi haud pauci ex huius schola progressi, multum desudarunt. Qui quoque origines harum traditionum detegere conati, in diuersas sententias abierunt, hoc loco non enarrandas. Id itaque vnum notamus, systema orientale, quod ex Zoroastriano enatum, se deinde ad varias gentes diffudit, maxime vero in Aegypto nouam philosophiam genuit, de spiritibus ex summo fonte emanantibus valde sollicitum, haud pauca huius traditionis capita genuisse, quae cum ab Alexandrinis ob caussas suo loco proditas essent intra philosophiae Graecanicae sequioris cancellos recepta, tandem in ecclesiam Christianam irrepserunt, et vetustissimae gentis Hebraeae traditioni, simplici et purae, innumera assuerunt impura et ineptias olentia. Quae castigare, remque omnem ad suos fontes reuocare nemo maiori eruditionis apparatu et euentus atque fatorum strepitu conatus est, quam Balthasar Bekkerus, cuius controuersia ideo strictim enarranda est.

§. XVII.

Vita et controuersia Balth. Bekkeri.

§. XVII. Editus est in lucem BALTHASAR BEKKERVS XIII. Cal. April. anni MDCXXXIV, in agro Frisiae occidentalis, patre pastore pagi Metslawier [e]. Qui cum in filio ingenium studiis aptissimum et mature hauriendis feliciter disciplinarum seminibus commodissimum obseruasset, omni cura in id incubuit, vt agrum natura fertilem propria industria excoleret. Itaque non rudimentis tantum Graecae et Latinae linguae sed humanitatis etiam studiis a patre initiatus, et ad decimum sextum aetatis annum magna cura institutus est. Ita praeparatum literis propaedeumaticis anno MDCL in academiam Franequeranam dimisit, vt seueriorum scientiarum stadium ingrederetur. Quo loco cum praeter alios mathematicarum disciplinarum peritia excelleret Bernardus Fullenius, isque imprimis sideralis scientiae amore flagraret, egregie sub hoc doctore profecit. Tum ad academiam Groeninganam conuersus Samuelem Maresium et Iacobum Altingium praeceptores nactus est, cumque hic non institutione modo, sed et conuersatione inter interiores admissionis discipulos illi locum faceret, eius eruditione philologica, qua eminebat, in linguarum orientalium studio profectus nactus est laetissimos. Inualescere tum in academiis Batauis coeperat philosophia Cartesiana, quae cum magnam admirationem esset consecuta, haud perfunctorie in ea versatus est. Nondum autem curriculum studiorum academicorum absoluerat, cum ad subeundam ministerii ecclesiastici prouinciam in agro Franequerano anno MDCLV vocaretur, quo tempore iam primas de infernalis spiritus operatione cogitationes concepisse dicitur. Decennium in eo munere versatus anno MDCLXV in academia Franequerana summos in theologia honores, et quidem magno eruditorum applausu ob eximiam doctrinam consecutus est. Et tum praeceptoris sui, Fullenii filiam vnicam vxorem duxit, quae eum binis natabus, filio vno, Io. Henrico, paternae postea eruditionis haerede, parentem fecit. Magnis animorum motibus et inaudito feruore tum agitabantur in Belgio foederato controuersiae Cartesianae, et impietatis atque horrendorum errorum insimulabantur theologi, Cartesiana placita sequentes. His litibus licet se miscere nollet Bekkerus, ita vt partem eligeret, pati tamen non potuit, iniquis criminationibus animos fratrum disiungi, cum crederet, non tam malam esse philosophiam Cartesianam, quam eius aduersarii clamarent. Vt ergo meliora eos edoceret, edidit *Candidam et sinceram admonitionem de philosophia Cartesiana,*

e) Vitam et historiam Bekkeri maxime illustrauerunt V. Cel. MICH. LILIENTHAL, cuius inter Selecta literaria, extat art. II. obseruatio de Balthasare Bekkero, in qua ex *αὐτογράφοις* eius historia vsque ad Mundi fascinati editionem enarratur. Alteram vero partem exsecutus est, qui etiam Regiomontum ornauit GVIL. HENRICVS BECKHERVS, in schediasmate critico literario, de Controuersiis praecipuis Balthasari Bekkero ob librum, cui titulum fecit, *Die bezauberte Welt*, quondam motis, adiecta in fine farragine auctorum, qui vel Bekkeri scriptum refutarunt, vel asseclarum more illud asseruerunt. In qua eleganti tractatione ex fontibus genuinis cuncta copiose enarrata sunt. Ceterum res eius multi quoque alii tetigerunt, praecipue BENTHEM. in Statu Eccl. et Schol. Bat. P. II. c. 1. p. 114. BVDDEVS Isag. p. 281. KETTNER. Diss. de duobus impostoribus B. de Spinoza et B. Bekkero, et qui vitam eius luculenter enarrauit NICERON. Memoires de literat. T. XXX. p. 175.

ſiana, ita moderate ſcriptam, vt non diſpliceret Mareſio, licet vehementer ei infenſo. Nec tamen id ferendum eſſe iudicauit Ioannes van der Wayen, tum quidem Anti-Carteſianorum partibus adhuc addictus, quas tamen poſtea ipſe reliquit *f*, ideoque admonitioni illi more ſuo reſpondit. Quae prima animorum contra Bekkerum exulceratio mox alteram peperit, cuius occaſionem dedit vulgata a Bekkero *Explicatio catechiſmi Heidelbergenſis*. Hoc enim ſchediaſmate diſſidiis odiisque, quae inter Mareſium et Altingium flagrabant, implicitus eſt. Equidem Mareſius, cui libellus valde diſplicuit, concitatis in Bekkerum aliis, Claſſem Groeningenſem ſua auctoritate permouit, vt pro ſuſpecto errorum et doctrinae non in omnibus ſanae libellum haberent declararentque, effecit quoque vt in Friſiae ſynodo liber reprehenſionem et emendationem pateretur. Conſpirauerunt quoque in eo obelo theologico confodiendo facultates, quas vocant theologicae academiarum Franequeranae, Harderouicianae, et Vltraiectinae. Et a Carteſianis quidem theologis liber valde laudatus eſt: aſt ſuſpectorum laudes parum diſſentientes commouerunt. Ipſe Bekkerus ſcripta apologia Mareſio maſcule, ſe oppoſuit, quod ita in furorem egit feruidi ingenii virum, vt et fiſco addici publico eam apologiam curaret, et magna vehementia refutaret, nec deſeruerunt Mareſium alii huius factionis theologi, quibus modeſte quidem aſt magno animo et non ſine acumine Bekkerus reſpondit. Tandem ſynodo fruſtra in hoc negotio laborante, illud ad praepotentes Belgii foederati ordines delatum, et horum auctoritate ſonante campana publicaque praeconis voce liber Bekkerianus proſcriptus eſt, ipſo auctoris affine, conſule Franequerano ſententiam ordinum exſequente. Qua ſeueritate ita fractus eſt Bekkeri animus, vt muneri Franequerano ſe abdicaret, et aliud ruſticanum in vico Loenen, vaſtato tum a Gallis, qui prope Amſtelodamo aberat, adiret, ratus in hoc angulo tutius ſe a perſecutione latere poſſe. Biennio poſt tamen, Veſpam, quod oppidum eſt, Amſtelodamo vicinum, vocatus eſt, ſpesque erat, fore, vt mature miniſterio Amſtelodamenſi adſcriberetur: quod tamen impediuit ex eius membris Laurentius Homma, ſuſpectum eum eſſe heterodoxiae cauſſatus. Fauentibus vero et pro eo rem vrgentibus nonnullis Cocceianis, inſtitutoque colloquio inter Bekkerum et Hommam, quo ille ſuam fidei integritatem et puritatem demonſtrauit, anno MDCLXXIX Amſtelodamum ad ſubeunda eccleſiaſtae miniſteria vocatus eſt. Quo loco etſi, tot aduerſitatibus iam iactatus, caute agere debuiſſet, ne pacem atque tranquillitatem ſuam noua ſuſpicionum occaſione turbaret, philoſophiae amor tamen peruicit, vt anno MDCLXXX, quo inſignis magnitudinis cometa apparuit, ſchediaſmate philoſophico demonſtraret, nihil ab eo, velut naturali corpore, mali metuendum eſſe. Qua commen-

f) Meretur hic conferri Ven. LILIENTHAL l. c. p. 30. not. 18. lucem enim quandam controuerſiis Carteſianis affert.

commentatione cum temeritatem atque leuitatem quandam fouere voluisse videretur, aliquot inde libelli eristici enati sunt. Nec destitit tunc Cartesianorum et Cocceianorum partes iuuare, edita *Epistola de* SPANHEMII *Schediasmate epistolico, de nouissimis circa res sacras in Belgio dissidiis* [ff]. HORNII quoque *Historiae ecclesiasticae* tunc supplementum adiecit [g], et in Danielem commentatus est, quo labore suscepto se primas fascinati mundi cogitationes concepisse fatetur, in quo tamen commentario vestigium eius rei nullum comparere testatur, Ven. LILIENTHALIVS [h]. Postquam autem diu foetum hunc, quem mature concepit, parturiuerat, tandem exclusit, licet timidiuscule. Prodiit enim lingua Belgica: *Mundus fascinatus, siue accuratum examen superstitionis vniuersalis, quoad modum, vires, potentiam et operationem satanae malorumque spirituum in homines, et quid hi per illorum virtutem et communionem possint.* Cuius famosi libri pars prior anno MDCXC Leouardiae, et emendatior anno MDCXCI Amstelodami, posterior eadem in vrbe MDCXCIII, et tum ambae iunctim, prodiere. Cuius libri summam cum et ipse auctor operi praefixerit, et eam Ephemerides aliquot enarrauerint [i], in eo describendo prolixi esse nolumus. Scopus vero auctoris hic est, mundum inani et ludicro praeiudicio de operationibus spirituum fascinatum, erroris conuincere, et ab his nugis liberare, demonstrando spiritum sine corpore in corpus agere non posse, adeoque omnes de spiritibus, eorum apparitionibus, operationibus, spectris, magis, sagis, etc. narrationes inter otiosorum ingeniorum nugas et commenta esse referendas: Satanam vero post lapsum suum catenis tenebrarum vinctum tartaroque alligatum esse, adeoque, quaecunque de eius in terra operationibus iactari solent, vel praeiudicium esse praecipitantiae, et antiquitatis, vel fallacias sensuum, vel fraudes hominum malitiosorum. Quod vt demonstret, et ipsam diuinorum oraculorum interpretationem suae hypothesi attemperat, et philosophiae Cartesianae principiis ad eam confirmandam vtitur, et per omnem antiquitatem currendo non sine eruditionis multaeque lectionis apparatu in gentium barbararum, Graecae, aliarumque opiniones de spiritibus et magia inquirit, et quae memorabilia apparitionum et operationum spirituum exempla enarrari solent, suae hypothesi non obstare, et causas alias, quam spiritus habere, demonstrare nititur. Πρῶτον ψεῦδος auctoris autem ipse *capite septimo libri secundi* detexit, vbi magna subtilitate demonstrandum sibi sumsit, omnem operationem in corpus oriri ab immediato ordine Dei, adeoque ab eo ad spiritus, vel ab animae nostrae operatione metaphysica in corpus, ad spiritus reliquos consequentiam non valere. Quo modo reuera omnem spiritus in corpus operationem negat, et eam ad Deum refert, id quod proximum syste-

ff) Vid. Boekzaal van Europe 1692. p. 34. Act. Erud. T. II. Suppl. p. 425. seqq. ANDR. CAROLI Memorab. eccl. T. II. P. II. p. 609. seq.

g) Korte Begrif van Kerkelike Historien.

h) l. c. p. 52.

i) Act. Erud. 1692. p. 19. 1694. p. 241. Bibl. vniu. Tom. XXI. p. 122. seq. Relat. innoc. 1702. p. 901.

ſyſtemati cauſſarum occaſionalium eſt, quod dudum iam ſchola Carteſiana pepererat. Et excuſat quidem Bekkerus philoſophiam ſuam, quod non niſi indirecte eam ad hypotheſin ſuam probandam aduocauerit: at id inuidiae tantum declinandae cauſſa fieri, nemo non intelligit, qui ad ratiocinationes Bekkerianas attendit. Cunctis enim et ſcripturae teſtimoniis, et veterum ſcriptorum narrationibus ideo machinas admouet, vt torqueat, quia impoſſibile eſſe iudicat, vt ſpiritus corporis expers agere in corpus poſſit. Hinc enata, quamprimum paradoxo libro controuerſia mota eſt, quaeſtio, vnde hanc ſuam hypotheſin Bekkerus hauſerit? Et Carteſianiſmi aduerſarii quidem magnis clamoribus conqueſti ſunt, mali corui malum hoc ouum eſſe, et ex venenato Carteſianae philoſophiae fonte errorem hunc non modo vniuerſi orbis teſtimonio, ſed praecipue quoque Scripturae ſacrae effatis reluctantem progenitum fuiſſe. Quod cum magna inuidia Carteſianos cumularet, et ipſe Bekkerus in praefatione iteratae editionis de iniuria hac conqueſtus eſt, et prodierunt ex antagoniſtis duo miniſtri Belgici Ioannes Aalſtius et Paulus Steenwinckelius, qui ab hoc opprobrio Carteſianam philoſophiam liberare conati ſunt. Et fatendum quoque ipſum Carteſium, nunquam aſſeruiſſe, nullum ſpiritum corpus mouere poſſe; recte enim obſeruatum cel. HOLLMANNO [k], philoſophum ad Henricum Morum ſcripſiſſe [l]: *Vt non dedecet hominem philoſophum putare, Deum poſſe corpus mouere, quamuis non putet, Deum eſſe corporeum: ita eum non dedecet aliquid ſimile de aliis ſubſtantiis incorporeis iudicare.* Aſt reuera tamen ſectatores in hanc ſententiam conceſſerunt, quamuis nuda confeſſione id non aſſeruerint; cuius, niſi fallimur, ſyſtema cauſſarum occaſionalium exemplum luculentum eſt, quod non elegiſſent Carteſiani, ſi immediatam ſpiritus in corpus operationem realem agnouiſſent. Ipſe vero Bekkerus, cum videret haec potiſſimum ab aduerſariis ad conflandam Carteſianae philoſophiae inuidiam allegari, multis verbis proteſtatus eſt, hoc fundamentum ab ipſo non allegari, ſed aliud agendo ſe ex Carteſianae philoſophiae principiis tantum demonſtrare, quia in cogitando ſpiritus eſſentia ponatur, non poſſe motum corporis mechanicum et corporalem tribui ſpiritui, adeoque ſe κατ' ἄνθρωπον tantum diſputare. Aſt dicis tantum gratia haec Bekkerum allegare, adductus ſupra locus, niſi omnia nos fallunt, euidenter demonſtrat: in eo enim non conſtare de operatione ſpirituum aliter, quam ex animae experientia et exemplo ſtatuit, inque eo occaſione motuum corporis oriri perceptiones animae, et occaſione cogitationum oriri motus corporis, ex voluntate et diſpoſitione Dei aſſerit, indeque concludit: ſpiritum alium, praeter animam noſtram corpori a Deo ita coniunctam, vt ad cogitationes animae ſequantur corporis motus, non poſſe mouere corpora, eo quod a Deo aſſiſtentiam corporis ad eum motum non acceperit. Quo ipſo non potentiam quidem agendi in corpus abſolute, aſt in actu tamen negauit,

k) Pneumatol. p. 96. l) Epp. P. I. Ep. 69. p. 191.

quia motus omnes occasione animae cogitantis Deus producit. Ex quo patet Bekkero, licet conquerenti, iniuriam non fieri, quamuis id nuper quoque viro cuidam doctissimo [m] visum sit. Ast hoc semel principio admisso facile erat, alias causas fingere vel adducere, cum essent eo tempore quidam, qui de quaestione facti disputantes materiam abunde Bekkero suppeditabant, ea, quae natura sua impossibilia a priori demonstrare cupiebat, a posteriori quoque falsa esse comprobandi. Prodierat enim iam anno MDCLXV REGINALDI SCOTI *Detectio artis magicae*, lingua Anglica, quam Belgicam fecerat et anno MDCLXXX ediderat THOMAS BASSO: in quo libro tanta fiducia omnis magia, et quae reliqua huc referri solent, negantur, et inter fraudes et imposturas otioforum hominum referuntur, vt indignationem publicam meruerit, et vltricibus flammis deletus fuerit. Quo tamen fato deterreri se passus haud est ORCHARDVS, quo minus spirituum malorum operationem in tractatu *de Doctrina diabolorum*, Anglice anno MDCLXXVI edito, et a GVIL. SEWEL Belgico idiomate *Amstelodami anno* MDCXCI vulgato, negaret. Id quod aduersariis Bekkeri occasionem dedit, eum accusandi, quod ab hoc auctore potissimam noui dogmatis partem accepisset. Comparuit quoque eodem tempore ex Gallis exulibus DALLONIVS quidam [n], qui in *Examine oppressionis reformatorum Gallorum, in quo innocentia religionis eorum defenditur* [o], vnum tantum esse diabolum statuit, et loca scripturae longe alio sensu, quam solet fieri in ecclesia, explicat: quem se consuluisse, haud obscure prodidit Bekkerus [p]. Aduersarii quoque Bekkeri Hobbesianismum et Spinozismum inter causas hypotheseos Bekkerianae retulerunt, eo quod ex illorum principiis ea sponte sua consequatur. Nonnulli Antonium van Dalen, ante Bekkerum oraculorum gentilium veritatem impugnantem, eaque ad imposturas sacerdotum referentem accusarunt [q]: quibusdam [r] Mallebranchius huc trahendus visus est. Quod tamen, licet systema causarum occasionalium celeberrimo philosopho placuerit, inuita fit veritate. „Is enim quamuis se credere profi„teatur, veros magos esse rarissimos, quaeque de satanae commercio di„cuntur, esse somnia, rectequefieri, quod actiones in sagas et venefi„cos a tribunalibus omittantur, fatetur tamen, minime sibi dubium videri, „quin dentur magi et sagae, possitque interdum diabolus, permittente et „dispensante Deo, ob mirabiles causas malitiam suam in homines exer„cere [s].“ Nobis inutilis quaestio videtur; quamuis enim ex his omnibus occasionem de hac hypothesi cogitandi Bekkerum hausisse a verisimili non abludat, et probabile sit, tum Cartesianum systema vnionis inter corpus et animam, (siue assistentiae, siue causarum occasionalium Bekkero arrisisse

m) loc. cit.
n) Videndus de eo BAYLE T. II. Lettr. p. 454.
o) Amstel. 1687. 12.
p) Vid. L. II. c. 9. §. 3. p. m. 52. Vers. Germ. Conf. BAYLE l. c. T. I. p. 360.
q) Conf. BENTHEM. l. c. p. 114.
r) POIRET. Ver. method. inu. verum. P. III. §. 27. p. m. 224. THOMASIVS de Crim. mag. §. 3.
s) De Inq. verit. L. II. c. 6. p. m. 287.

ſiſſe dicamus) eum permouiſſe vt crederet, nullum ſpiritum actionem quandam in corpus edere poſſe, niſi peculiari Dei conſilio et operatione corpori eum finem iunctus ſit, tum eos, qui Scripturae et gentium teſtimonia in alios ſenſus rapuerunt, ei, perſuaſiſſe, ipſam huius traditionis veritatem poſſe in dubium vocari; apparet tamen ex ipſa Bekkeri tractatione, ipſum ſyſtema nouum eum ſuo ingenio debuiſſe, idque ideo eum commentum eſſe, quod contrariam ſententiam nec fide teſtimonii, nec claritate rationis conſtare crederet. Totum enim ſingulare quid ſpirat, et ab aliorum opinionibus diſtinctum, nam, quaecunque operoſe, et obſcura haud raro ſubtilitate diſputat, eo, ſi ſummatim complecti velimus, redeunt: vnum tantum eſſe angelum, qui peccauerit; qui, cum protoplaſtos permittente Deo ad peccatum, ignoto nobis et incerto modo, ſeduxiſſet, tartari vinculis alligatus et in tenebrarum barathrum demiſſus ſit, ex quo colligit, operationes, quas tot ſecula Satanae tribuerunt, ad eum non pertinere, nec ab eo editas eſſe, ſed ſuperſtitioni et impoſturis eorum, qui ſuperſtitioſorum credulitate callide vtebantur, originem debere. Et hoc quidem a gentibus barbaris ad Iudaeos et ab his ad Chriſtianos tranſiiſſe, ſaluatore, cum in his terris comparuiſſet, praeiudicium, quod eradicari ex animis non poterat, ferente, et ſe illi cum ſcriptoribus ſacris attemperante. Oracula itaque diuina, de poteſtate angelorum malorum praecipientia, de peccato et hominibus nefariis eſſe intelligenda; nec eiusmodi operationes ad ſpiritus bonos eſſe trahendas. Hoc vero modo rectius Deum et creaturas diſtingui, et ſincerius Deum coli timerique, cum contraria de diabolo opinio in Deum grauiſſime peccet, illumque reapſe Deum faciat. Haec inſigni, qua pollebat eruditionis et lectionis apparatu, ingenii quoque elegantiſſimi foecunditate, quae Bekkero denegari nequeunt, ita incruſtauit, vt infinitos ſibi lectores compararet, et haud paucis praeiudicium tot ſeculorum vnus feliciſſime proſtrauiſſe crederetur. Quin et illi, qui ab ipſa hypotheſi, et imprimis a modo Scripturae S. teſtimonia in hanc ſententiam detorquendo abhorrebant, nouitate paradoxae opinionis, et fiducia hypotheſin omnium gentium temporumque opinioni contrariam afferendi commoti, auide in libri huius lectionem inuolarunt, et hinc non modo inter Batauos, magna cupiditate lectus, ſed a Gallis quoque, Italis, Germanis auidiſſime emtus eſt, ſic vt tradente TENZELIO [t] in bimeſtri ſpatio quatuor exemplarium millia venderentur, nec Amſtelodami vnum tum amplius reperiretur. Nec ſolum in vernacula vbique diſſeminatus, ſed in alias quoque linguas, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Germanicam liber translatus eſt, quarum verſionum Germanica ineptiſſima, Gallica elegantiſſima et Belgico exemplari comparanda viſa eſt [u]. Ita vero dum certatim in plauſus auctoris ruit orbis

t) Colloq. menſtr. 1692. p. 109.

u) Cat. crit. Reimmann. p. 782. ſeq. BAYLE l. c. T. I. p. 349. Prodiit Germanica 1693. 4. quam enim REIMMANNVS Hiſt. atheiſmi S. III. p. 486. narrat in 12. quatuor tomis comprehenſam, dubitamus an extet.

eruditus, isque de vulgari opinione iamiam triumphat, adeo vt numis quoque cusis *, velut alter Hercules monstrum superstitionis enecasse praedicaretur, tandem excitata est collegarum Bekkeri vigilantia, vt publica actione cum eo agere constituerent, curam adhibituri, ne ex audaci sacrorum oraculorum corruptione detrimenti aliquid accipiat respublica Christiana. Primum itaque senatus ecclesiasticus Amstelodamensis minor cum Bekkero per delegatos egit, et quinque membris, nempe ministris tribus, et senioribus ecclesiae duobus in mandatis dedit, vt quid in hoc libro potissimum reprehendendum sit, ipsi exponerent. Quamuis enim multa in editione altera Bekkerus mutasset, aut audacius dicta, aut sarcasmis inuidiam ciere apta, rem tamen ipsam tantum abest, vt mutauerit, vt potius noua eam luce collustrare summis viribus sit conisus. Delegati ecclesiastici senatus nomine haec tria potissimum Bekkero capita obelo digna exponunt. I. Blaspheme eum de ecclesia loqui, et peruersa atque profana audacia Scripturam Sacram interpretari. II. Inconsiderate scribere de operatione spirituum. III. Temerarie illudere confessioni fidei publicae, cui ipse non minus, ac alii verbi ministri, subscripserit. Excepit contra has accusationes Bekkerus, male mentem suam eos assecutos fuisse, et mala fide hypothesin retulisse. Vt itaque iuste se agere velle senatus ecclesiasticus ostenderet, iussit Bekkerum ipsum libri et hypothesium compendium conscribere, vt de certa eius mente constet. Quo oblato cum recte delegatos de libro ipso retulisse, appareret, cunctorum suffragiis ille damnatus, auctor autem reprehensus est, quod sine censura eum edidisset. Ille ad doctoris theologi iura sibi collata et ad synodum Edamensem breui futuram prouocauit, nec tamen locum inuenit, eo quod male libertate ista vsus fuisset. Ideo oblati sunt illi articuli tredecim mense Augusto anni MDCXCI, illisque subscribere iussus est; additis minis, nisi intra sex hebdomadum spatium resipuerit, munere vel interdictum, vel plane priuatum iri. Inter eos articulos primus fuit, vt confiteretur, animam hominis in corpus agere, idque non necessitate naturae Deo operante; neque animam modum corporis esse: ex quo constat, ad Spinozisticum systema ex Cartesianismo male adhibito enatum Bekkerianam hypothesin theologos Amstelodamenses retulisse. Non tamen ad haec attendit Bekkerus, causamque ad synodum Edamensem retulit: in qua cum accusationes pristinae obiicerentur, et imprimis a confessione ecclesiae publica et synodi Dordracenae decretis, quibus subscripserit, discedere diceretur, frigide respondit, se ad tenenda confessionis verba omnia, et tuendam versionum biblicarum fidem nunquam se sacramento obstrinxisse, sed ad dogmata capitalia hanc tantum fidem pertinere. Male id synodum habuit, cuius auctoritatem Bekkerus reiiciebat; libri itaque eius fisco addicti sunt, ipse intentata auferendi muneris poena resipiscere iussus est: at ille nullam in se potestatem synodum hanc habere protestatus sententiaeque latae syngrapham

x) Exhibet ectypum talem BECKHER in fronte Diss. cit.

grapham postulans, irrito conatu discessit. Res itaque ad senatum ecclesiasticum ecclesiae Amstelodamensis maiorem, Classem inter Batauos vocant, reducta est, quae decreto illi iniunxit, vt ad capita accusationis tredecim illi oblata responderet; elapsoque mense aut reuocaret emendaretque sententiam, aut munere se abdicaret. Obtulit Bekkerus articulos satisfactorios sex, quibus mentem suam tolerabilius declarari perhibebat, rogans Classem, vt patienter ea ferret, quae non nisi problematice in posterum, proponere constituisset, animum enim sibi non esse religionis capita vlla laedere. Concessit id precibus eius Classis Amstelodamensis, et munere sacro porro fungi illi permisit, at indignantibus reliquis synedriis ecclesiarum, quae hanc Amstelodamensium lenitatem et tolerantiam aegerrime ferebant, et scriptis quoque literis circularibus detestabantur. Classis itaque dictos articulos auxit et amplificauit, et postulauit a Bekkero, vt subscriptione promitteret, se hypotheses suas sibi seruaturum, neque amplius voce vel scripto disseminaturum esse. Qua in re cum beneuolentissimos iudices expertus esset, maluit tamen hypothesin electam defendere, vnde factum, vt mense Ian. anni MDCXCII, ad XI hebdomades suspensionis quam vocant poenam subire cogeretur. Ille interea temporis, cum a munere sacro vacandum erat, Frisiam salutauit, vt libros residuos maiori cura absolueret, emendaretque, at cum literis encyclicis caussam hanc a Classibus iugulari intellexisset, breui Amstelodamum reuersus est, moxque innotuit ad dicendam caussam in synodo Alckmarienſi eum inuitatum esse. Quae cum reiectis articulis eius reuocationem vrgeret, ipsi libello singulari, se illius synodi auctoritate nec iure nec facto stringi, demonstrare conatus est. Non accepit tamen illum libellum synodus, sed proposito errorum elencho poenitentiam, veniae deprecationem, mentis et opinionis emendationem poposcit. Quod cum renueret, et aliam processus formam Bekkerus expeteret, iterum a munere, et s. synaxis quoque vsu decreto synodi exclusus est, ipso protestante, quod nec debito assessorum numero constitisset synodus, nec audientiam ipsi feciſſet, sicque sine vllo effectu iuris egisset. Et haec quidem a classibus atque synodis acta sunt [y]. Ex altera parte theologi ad restinguendum hoc incendium vndique accurrerunt, tantusque libellorum Antibekkerianorum aceruus prodiit, vt quadrigis conuehi potuissent, testeturque P. BAYLE [z] centum florenis eos vix coëmi posse, quorum recensionem ipse Bekkerus edidit [a]. Inter quos imprimis innotuerunt Florentinus Costerus, Simon de Vries, Henricus Brinck, Melchior Leydekkerus, Petrus Hamerus, Iacobus Koelman, Euerhardus van der Hooght, Ioannes Verryn, Ioannes Molinaeus, Henricus Groenewegen, Ioannes van der Wayen, Ioannes Aalstius, Paulus Steenwinckel, Petrus van Mastricht, Petrus Poiretus, de quibus praeter BECKHERVM

y) Scripta huc pertinentia, ex quibus acta colligi possunt, diligenter enarrat BECKHERVS l. c. §. 15. p. 22. seqq. conf. BENTHEM. l. c. P. II. c. 1. p. 114.

z) l. c. T. II. p. 375.

a) Franeq. 1692. 4.

HERVM [b] videndi. BENTHEMIVS [c] atque BVDDEVS [d]. Neque a satyra abstinuerunt eius aduersarii, poëmatis, inscriptionibus, imaginibus nouam hypothesin eiusque parentem traducentes; quamuis non defuerint, qui simili ratione eum in coelum extollerent. Cuius generis scriptiunculorum ex vtraque parte editarum collectio iam anno MDCXCI prodiit [e]. Ipse vero Bekkerus, qui audaci animo vtebatur, sibi non defuit, institutaque *Enarratione scriptorum ipsi oppositorum* ostendere satagit, quam iniquis modis aduersarii cum eo egissent: prudenter autem a controuersiae serra cum his scriptoribus reciprocanda abstinuit, quod sexcentis eum molestiis certissime cumulauisset. Vni tamen Euerardo van der Hooght respondit, reliquos magno animo contemsit. Id quod haud pauci eo traxerunt, quod non habuerit, quod honestis titulis reponeret. Maxime quae P. Poiretus contra eum monuerat, talia amicis Bekkeri visa sunt, vt nisi quaedam opponeret, opinioni nouae magnum detrimentum allatura sint [f]. Illi itaque atque Leiddekkero et P. van Mastricht, qui Latino sermone contra eum scripserant, eodem idiomate respondere promisit, sed non praestitit, incertum vtrum, conscientiae malae caussa; an metu, ne multitudine obrueretur. Neque tamen censendum assectas et προμάχους Bekkero defuisse. Cum enim ingens iam tum eorum esset numerus, qui Hobbesianis et Spinozianis principiis imbuti theologos contemnebant, rati inueniisse se, non quod pueri in faba, acerbis satyris aduersarios Bekkeri momorderunt. Peculiaribus scriptis autem hypothesin eam defendere susceperunt LVCAS VAN GIVNST [g], et IOANNES PELL [h], quibus addenda controuersia epistolaris inter GVIL. VAN BLYENBERGH et GVIL. DEVRHOFIVM, tum inter hunc et HENRICVM BRINCK agitata [i], qua de natura et operationibus animae humanae, angelorum et diabolorum disputatum est, de quibus scriptis omnino consulendus, quem aliquoties laudauimus BECKHERVS [k]. Quia vero mundus fascinatus in omnem fere terram exierat, et haud paucos admiratores sibi comparauerat, aliarum quoque regionum theologi hanc παραδοξολογίαν eneruare et ineptias Bekkerianas profligare coeperunt; quorum indicem videsis, apud BECKHERVM * et GRAPIVM [l]. Non permittit loci et instituti huius ratio, vt quid hypothesi Bekkerianae opposuerint viri docti et philosophiae gnari (theologorum enim, qui Scripturae testimonia vindicarunt heic in censum non veniunt) prolixe enarremus. Possunt autem ea, quae maxime neruum intendisse iudicata sunt, omnium rectissime ex P. PORETI [m], obseruationibus disci, qui maxime philosophicis telis caussam Bekkerianam confodit. Obseruatis, nedum spiritus in corpora agere nequeant,

b) In fine Diss. cit.
c) l. c. p. 114. 139.
d) Isag. p. 281.
e) Cat. crit. bibl. Reimmann. p. 782.
f) Conf. STOLL. Hist. lit. l. c. p. 510.
g) Der gefallen Engel wanlos, Amst. 1692. 4.
h) Wonderdaden des Allerhoogsten, Amst. 1693.
i) Amst. 1692. 1693.
k) §. 22. p. 36.
*) l. c. p. 38. 39.
l) Theol. rec. controu. P. II. p. 81. 82.
m) l. c. p. 215.

ant, ipſa potius corpora neque eſſe neque agere in ſe poſſe, niſi per Spiritus. Non concipi enim poſſe, qui corpus moueat corpus motusque vno ex corpore in aliud tranſeat, niſi concipiatur vis omnino ſpiritualis, certa quadam conatus menſura ſeſe veluti in materiam diffundens, inque eius partes modo in has modo in illas ſucceſſiue agens. Mentes porro ſiue ſpiritus eſſe Dei progeniem, eiusdemque cum Deo naturae, adeoque eius imaginem in eo quoque referre, quod eorum deſiderium, ad ſimilitudinem deſiderii Dei, efficax, hoc eſt, agens et potens fuerit, virtute a Deo impreſſa. Deo, vt repraeſentaret in ſpiritibus vim, qua pollet mouendi corpora, perinde fuiſſe, vtrum eis daret corpus aliquod ſpeciale et proprium, quo intercedente in alia corpora agerent, an vero ſtatueret, eos ſolis ſuis deſideriis in materiam acturos eamque directuros, neque enim alterum altero eſſe difficilius. Si creati nonnulli ſpiritus a Deo defecerint corpoream materiam, cui regendae praefuerint, non poſſe non euadere inordinatam, tenebroſam, corruptam, et in hoc ideo elemento corrupto et tenebroſo poſſe ſuam potentiam eos exercere: mirum itaque non eſſe, ſi homo a Deo deficiat, quod potenter in eum mali ſpiritus agant. Cauſſam itaque non eſſe, cur intellectus hiſtrionicus in eneruanda Scriptura ſacra tantopere deſudet. Aliorum obiectiones breuitatis cauſſa non adducemus, ea autem legi a lectore cupimus, quae pro eneruando Bekkerianiſmo ex philoſophia attulit B. Io. Fr. Byddevs [n]. Sed vt finem narrationis de fabula Bekkeriana faciamus, ad palinodiam canendam is tandem, iubente et cogente ſenatu Amſtelodamenſi, coactus eſt, ita tamen id facere tentauit, ne retractaſſe videretur. Quod cum mire proceribus diſpliceret, tandem ſuſpenſio prorogata, et cum ſic quoque cedere pertinaciter recuſaret, munere pariter atque communione eccleſiae reformatae priuatus eſt menſe Auguſto anno MDCXCII. Vacauit tamen locus eius in miniſterio vsque ad mortem eius, ipſe integrum ſtipendium accepit, habebat enim inter proceres, qui eum tuebantur. Ita in ſententia perſtitit vsque ad obitum, qui III. Id. Iun. anno MDCXCVIII contigit, qui enim morti proximum reſipuiſſe tradunt, a filio, qui obitus parentis hiſtoriam [o] edidit, refutantur. Vtrum autem eorum coniectura vera ſit [p], qui omnem eum ſpiritum defectorem neuagiſſe coniecerunt, rati, dicis tantum cauſſa et ad leuandam inuidiam eum ſcenam hunc in modum inſtruxiſſe, difficile definire licet. Ipſe enim aperte huic coniecturae contradixit; hypotheſeos argumenta autem ab eo allata talia ſunt, quae facile id nobis nec ſine veriſimilitudine perſuadeant. Tutiſſimum ergo eſt in eo ἀπέχεσθαι.

n) Phil. theor. P. VI. c. 2.
o) Amſtel. 1698. 8.
p) Benthem. l. c. p. 113. Thomasius de Crimine magiae §. 6.

* *

CAPVT QVARTVM.

DE EMENDATIONE PHILOSOPHIAE MORALIS RECENTIORIS AETATIS.

§. I.

Conditio moralis philosophiae recentiori aetate.

A theoreticis disciplinis ad practicas progrediendo, quid in iis reformandis, emendandis et ornatiori vultu fingendis praestiterit aetas recentior, iam porro enarrabimus. Tripartitam autem voluerunt philosophiam Practicam Peripatetici, ethicam nimirum, politicam et oeconomicam, quae distributio partium disciplinae moralis vsque ad Grotii tempora et exspirantem fere Peripateticismum obtinuit. Ille enim cum si non omnium primus, certe praecipuus esset, qui doctrinam de officiis olim Stoicis non neglectam amplificandam et ad omne ius diuinum, et humanum, quatenus rationi innotescit, extendendam esse, elegantissimo specimine ostendisset, quem post Hobbesium secutus est Pufendorfius, noua inde philosophiae moralis pars accessit, quae ius naturae et gentium dicta est, quae tamen tantum abest, vt ab ethica separari debeat, vt non nisi vtraque parte sustentata consistere posse censenda sit, quamuis rectissime illi faciunt, qui de emendatione voluntatis, et fine, quo potiri cupit prius philosophantur, et his iuris omnis naturalis fundamenta atque regulas tum demum subiiciunt. Cuius ab ethica parte distincte historiam qui speciali tractatione enarrauerint supra indicauimus: et in antecedente quoque libro Hobbesii et Thomasii philosophiam delineando, vtriusque philosophi placita ius naturale concernentia iam copiose attulimus. Animus itaque hoc loco, vbi specialem scientiarum philosophicarum historiam non condimus, nobis non est, enarrare ea omnia, quae in ethica, iureque naturae praecipienda esse recentior aetas monuit. Sed instituto inhaerentes, et viam diu iam tritam prosequentes ad ea hoc capite respiciemus, in quibus noua dare et eclectice philosophari de rebus ad mores siue internos siue externos, id est, ad ethicam et ius naturae spectantibus aetas coepit recentior. Id quidem maturius in morali doctrina, quam in reliquis philosophiae partibus factum esse, ex scriptis moralibus Fr. Petrarchae, Petri Pauli Vergerii, Hieronymi Cardani, aliorumque constare potest. Primus tamen, qui eclectice doctrinam moralem integro libro proponere, relicta via sectaria ausus est, fuit Michaël Montanus, cuius *Tentamina moralia* certam nobis epocham doctrinae moralis eclectice traditae aperiunt, quamuis iustum sibi systema non formauerit: quod curatiori diligentia tentauit, qui ex eius disciplina processit Petrus Charondas [a], de cuius tamen rebus et scriptis in *antecedente huius Tomi parte* iam

a) Charron.

iam differuimus. Inter Germanos autem circa idem, quo inter Gallos vterque scriptor floruit tempus, Abrahamus Scultetus doctrinam moralem eclectice tradere coepit. A quo tempore glisscere magis igniculi latentes visi sunt, quam erupisse in flammam. Verulamio autem in hac quoque philosophiae parte lumina prorsus noua accendente, et Grotio ius naturae seorsim tractante, tandem nouus morali doctrinae sol illuxit, et ab eo tempore haud pauci in eo campo diligenter versati sunt. Quod qua ratione fecerint Hobbesius, et Cartesii assectae, tum recentiori aetate Christianus Thomasius in praecedentibus fuse explicuimus. In praesentia vero eos strictim tangemus, quibus potissimum cultum eclecticum debet philosophia moralis, et tum demum enarrabimus, qua ratione Grotius et Pufendorfius, facto discrimine inter honestum, iustum et decorum, inter virtutis et officia in molienda noua iuris naturalis disciplina versati sint, quid susceperint effecerintque.

§. II. Ducendum esse initium philosophiae moralis eclecticae a MICHAELE MONTANO, comparatio scriptorum eius cum libris ethicis philosophorum, qui ante eum vixere, facile docere potest. Eius itaque hoc loco memoriam non praeteriri fas est, quae ex *Tentaminibus* siue *Periculis moralibus* collecta nonnullis editionibus praefixa est. Natus est in regione Petricorienſi anno MDXXXIII, generoso stemmate genitus. Parens, cum laboris et molestiarum patientiam, parsimoniam quoque et conuersationis cum humilioribus facilitatem ingenerari illi cuperet, inter huius conditionis homines eum educari curauit. Cumque consuetum modum ex grammaticorum praeceptis tradendi Latinae linguae cognitionem fastidiret, quod longum et taediosum iter esse crederet, aliam viam tenendam ratus, vsu et exercitatione illius facultatem comparare filio stategit. Quem in finem infantem adhuc et vix balbutientem, educationi docti cuiusdam Germani, qui postea medicae artis notitia clarus in Gallia obiit, commisit, qui, licet Gallicam linguam ignoraret, Latinam apte commodeque erat doctus, hisque alios duos iunxit, in eadem lingua satis versatos, qui prima loquendi conamina Latinis vocibus in filio adiuuarent, nec aliud verbum, quam quod e Latio profectum esset, illius auribus illabi paterentur, parentibus et familiaribus non nisi Latina vocabula, quae ideo memoriae mandauerant, coram puero pronuntiantibus. Ita factum, vt in praedio Montani Latium habitare videretur, ipse vero sexennis Gallicam quidem linguam plane ignoraret, Latinae vsum autem ita exercitatione quotidiana teneret, vt, qui disciplinae gratia illi postea admoti sunt viri docti Nicolaus Gruchius, Guilelmus Guerentus, philosophus Peripateticus, Georgius Buchananus et Marcus Antonius Muretus, alloqui eum Latine vix auderent. Graecae porro linguae notitiam ludendo illi comparare simili diligentia pater studuit. Sexennis puer ad haurienda scientiarum praecepta in gymnasium Burdega- *Michael Montanus.*

lenſe miſſus eſt; in quo licet ſupremis claſſibus mox admoueretur, nec intermitterent praeceptores, quibus augeri doctiſſimi pueri lumina poſſe intelligerent, fecit tamen diuerſa inſtitutionis ratio, a parentis methodo, ludendo et ſponte inſtillando cuncta tradens, vt Montanus corrumperetur magis, quam ſcientiis emendaretur. Adoleſcentiam porro licentioſius eum egiſſe, ex eo intelligi poteſt, quod metuebatur, ne matrimonii vinculis alligari ſe firmiter recuſaret: aſt coniugio inito in virili aetate, tanta caſtimonia in eo vixit, vt ſupra ſpem omnem eſſet. Poſt parentis obitum terras paternas haereditate accepit, quas ne ſumtibus exhauriret, pater timuerat, qui tamen metus eum fefellit. Vixit enim ex earum reditibus commode, cum munus nullum affectaret, vnde poſſet diteſcere. Equitis S. Michaëlis axiomate autem ſine emolumento gauiſus eſt, et ciuitatis Romanae ius in itinere diplomate ſcripto, non ſine inſigni gaudio accepit. Burdegalenſis quoque ciuitas eum ſibi praetorem elegit, inuitum et reluctantem, quem magiſtratum non niſi regis mandato coactus accepit, et biennio cum laude geſſit. Reliquum temporis ſibi ſeruauit, et ſtudiis ſuis, quibus vnice delectabatur, liberi enim, praeter filiam vnicam, mature illi fato ſubducti ſunt. Vſus temperamento ſanguineo-cholerico, ſcribendi quoque et philoſophandi rationem ex hac corporis animique diſpoſitione formatam tenuit. Valetudine autem vſus eſt firma, licet a medicorum conſiliis abhorreret, tandem calculi et colicae doloribus exhauſtus, vel quod PASQVIERIVS [b] refert, linguae vlcere enecatus menſe Septembri anno MDXCII, ſexagenarius obiit. Aeternitatem nominis vero ſibi parauit immortali *Tentaminum* ſiue *Periculorum moralium* opere, quod non ſui tantum aeui admirationem ſed noſtri quoque temporis laudes meruit, dignumque viſum eſt, quod obſeruationibus auctum in Britannia, Gallia, Belgio recuderetur [c]. Argumenta in iſtis tentaminibus moralia ſibi auctor ingenioſiſſimus ſelegerat, aſt nec principiis certis, nec ſyſtematis ordini alligata, ſed quodcunque ipſi occurrerat, in eo meditationis acumen figens, poſthabito omni diſciplinae fixae et ad certam normam exactae ſeueritate libere diſſeruit, ingenii quod amoeniſſimum habebat, ductum et propenſionem vnice ſecutus. Vnde non errant, qui eum eclectica ratione de morali doctrina diſputauiſſe aſſerunt, modo cum philoſophis ſyſtematicis non confundatur. Diligenter tamen Plutarchum et Senecam legit, ac haud raro expreſſit, illius πολυϊστορίαν, huius acumina imitatus, quin ſententias eorum ita apte ſuis innectens, vt enatae apud eum videri poſſint. Ingenio autem foecundo et imaginibus ſupra modum abundante vſus, vitam et colorem meditationibus ſuis ſcribendo, ita attulit, vt licet dictio antiquatis vocibus et Vaſconum duritie diſpliceat, cogitationum tamen iucunditas innumeris varietatibus delectans politiſſimi ſeculi noſtri laudes et admirationem meruerit. Nullibi autem pedem figit, nec certum iter tenet, ſed

b) Lettres T. II. L. 18. let. 1.
c) Lond. 1723. IV. Vol. 4. cum notis Coſtei. Paris 1725. 4. Hagae Com. IV. Vol. 12.

ſed hos hortos ingreſſum lectorem mox ad deuia digreſſionibus deducit, at ita iucunda et virentia, vt erroris minime poeniteat: quo pacto dum imaginationis lumina miris viciſſitudinibus ornat, excitat, auget, inſatiabilem lectorem dimittit. Semper enim nouum aliquid et inexpectatum affert, quod lectorem detineat et admiratione repleat, tanta felicitate, vt ordinis neglectus et dicendi quaedam temeritas atque ſententiarum nouitas virtutis laudem meruiſſe videri poſſit. Cuius teſtes ſunt viri ſummi et accurato elegantiarum moralium ſenſu praediti, qui certatim laudibus opus ingenioſiſſimum extulerunt. Thuano enim immortale audit, Perrionio breuiarium ingeniorum elegantium, Lipſio auctor Thales Gallicus, Mezeraeo et Naudaeo Seneca Chriſtianus, Schurzfleiſchio Socrates Gallicus dicitur, et innumeris hae diſſertationes extolluntur elogiis. Quae cum collegerint THOMAS POPE-BLOVNTIVS * et TEISSIERIVS [d], heic, vbi breuitas ſectanda eſt, lectorem ad hos fontes dimittimus. Aſt qui tantas laudes meruerat, acerbiſſimis quoque a ciuibus ſuis cenſuris reprehenſus eſt. Quidam enim libertatem dicendi Epicuri gregie tantum dignam caſtisque auribus grauem obiecerunt; nonnulli axiomata moralia deprehenderunt corrumpendis moribus nutriendaeque vitae licentiae aptiſſima; multi ordinis neglectum errantemque per recta, obliqua, certa, incerta, ſumma, ima, calamum culparunt, diſplicuit quoque quibusdam imaginationis nullis iudicii legibus coërcitae furor, inſigni morbi contagio lectorem corrumpens: iactantia autem de ſe ipſo intolerabilis et paedagogica, ad nauſeam vsque lectori moleſta aliquibus viſa eſt. Ipſa tandem philoſophandi ratio incerta, dubia, et ſcepticiſmo fouendo aptiſſima, et principia quaedam impietatem nutrire et firmare apta execrabile nomen Montani nonnullis fecerunt, maxime illis, qui ex diſciplina portus regii prodierunt, vt ex auctoris *Artis cogitandi* [e], et MALLEBRANCHII [f] cenſuris, valde ſeueris et in confodiendo hoc ſcriptore acerrimis conſtat, quibus addi poſſunt, quae ab HVETIO [g] aliisque ſcriptoribus Gallis [h] in eo ſolent culpari, quibus haud parum de priſtina gloria Montanus amiſit. A qua tamen cenſorum iniquitate, maxime vero Mallebranchii, qui denudaſſe Montanum et ingenii caſtigati laudem ei recte dubiam feciſſe haud paucis viſus eſt, liberare illuſtrem ſcriptorem anniſus eſt FONTEVIVANVS, edita *Apologia pro Montano contra iniurias ſcriptorum portus regii et Mallebranchii* [i]: ſimilem operam contra *Artem cogitandi*, athe-

*) Cenſ. cel. auct. p. 819.

d) Eloges des hommes ſavans T. IV. p. 167. ſeqq. Addendus his, qui ex illuſtris BOVSSIERII Memoriis de Vita et ſcriptis Michaëlis Montani pluſcula expoſuit IOLYVS in Elogiis nonnullorum Scriptorum Gallicorum, Diuioni nuper editis.

e) L. III. c. 20. p. 410. ſeq.

f) De Inquir. verit. Tom. I. L. II. c. 5. p. m. 271. ſeqq.

g) De rebus ad eum pertinentibus p. m. 178.

h) ESPRIT de la fauſſeté des vertus humaines P. II. c. 3. p. 26. MARVILLE Melanges T. I. p. m. 164. T. II. p. 32. T. III. p. 109. TEISSIER. l. c. et quos excerpſit.

i) Hiſt. des Ouvrages des ſavans 1700. p. 132. conf. D'ARGENS, philoſophie du bons ſens, Diſſ. prel. §. 6. p. 19. cui miſerandum iudicium tuliſſe Mallebranchius, iisdemque, quos in Montano reprehendit naeuis ſcatere dicitur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

iſmi notam ſcriptori celeberrimo inurentem praeſtante CHRISTIANO THOMASIO *. Tacemus alia ex vtraque parte dudum in medium adducta, quae SORELIVS / cumulauit. Nobis accuratae quidem philoſophiae laudem, miſcellanea haec non mereri, omnino concedendum eſſe videtur. Cum enim nec principiis certis auctor vtatur, nec legitima ratiocinatione concluſiones deducat, ſed innumeris ingenii laſciuientis ſaltibus diſcurrat, nullibi ſedem figens, et intentum animi oculum adhibens, certam inde et ſolidam moralis doctrinae rationem exoriri non potuiſſe, quilibet, philoſophandi methodum edoctus, facile intelligit. Nocuit quoque ſcriptori igneo et cogitationum vbertate emicanti imaginationis ferocia et ardor, quo ad genuinam rerum ad animi mores pertinentium indolem ſine fuco et phaleris adhibitis attendere impeditus eſt. Lectionis autem in veterum ſcriptis verſatae affectata oſtentatio haud parum noſtri ſeculi ſenſui moribusque contraria, non poteſt non paedagogica illis videri, qui ad noſtri temporis morem ſcriptorem duobus fere ſeculis antiquiorem exigunt, vel philoſophemata accurata, et nexu ſuo iuncta in eo quaerunt. Negare quoque auſus non eſt P. BAYLE m, (quem tamen librum iſtum in iuuentute prae omnibus aliis deperiiſſe et Pyrrhoniſmi praeceptorem habuiſſe, in eius vita ſupra monuimus) eſſe haud pauca a ſcriptore illuſtri dicta, quae vel Scepticiſmum nutrire, vel animi caſtimoniam corrumpere apta videri poſſint. Tacemus alia, haud facile excuſanda. Aſt nec ideo vel laude omni indignus, nec ex ſcriptorum illuſtrium, deque philoſophia morali bene merentium numero expungendus eſſe recte cenſetur. Vt enim taceamus, Montanum non aliis, ſed ſibi ſcripſiſſe, nec voluiſſe inter doctores morales comparere, hocque pacto negligentiam illam, et mentionem de ſe ipſo frequenter factam, poſſe excuſari; quaedam deteriora videri, quam ex auctoris ſententia dicta ſunt; nonnulla temperamento luxurianti et nullis diſciplinae iuſtae repagulis coërcito adſcribenda et condonanda eſſe; fatendum etiam eſt, artes et dolos animi ſibi ipſi ſaepe ignoti et affectibus ducti eum haud raro feliciter detexiſſe, et magna ſinceritate deſcripſiſſe n; veterumque obſeruationibus in ſuos vſus miro et natiuo artificio traductis adiutum praeclara multa eleganter monuiſſe, et inter haud pauca, quae naeuo et offenſione non carent, vtiliſſima quoque quam plurima et a prudenti lectore non negligenda attuliſſe. Ipſi porro morbi eius aliquid habent, quod eos gratos faciat: negare enim non potuit Mallebranchius, naeuos eius aliquid boni admixtum habere, et falſas quoque notiones et axiomata luce quadam radiare: ſermones methodi legibus carentes argumenti tamen animo concepti elegantia ſe commendare, natiuamque ſolertiam, et lumen quoddam per totum librum coru-

k) Diſſ. de Praeiudiciis T. III. Cauſ. Iurid. mixt. conf. Colloq. menſtr. 1689. p. 678. 998.
l) In Bibl. Gallica p. 80. ſeq.
m) Lettr. T. I. p. m. 5. Eclairciſſ. du Diction. T. IV. p. m. 655.
n) Conf. MARVILLE l. c. T. II. p. 32. qui in eo excel-

coruscans summopere delectare. Ita vero exscriptorem agere, vt e proprio penu desumsisse videatur *. Qui autem Atheismum, Epicureismum, Libertinismum et similia flagitia ei obiiciunt, mirati, tam diu per leges licuisse orbem libro venenato obambulare, omniumque passim manibus teri, illos eleganter monuit ven. REIMMANNVS o, *dandum aliquid esse in censum eruditorum nunquam relato, et suum hunc foetum pro immaturo habenti, et lectoris submittenti iudicio: et si quae liberius scripta sint, interdum ea vel commoda interpretatione temperanda, vel obelo notanda; neque ob maculas nonnullas vniuersum corpus repudiandum, imprimis cum manifesta atheismi vestigia in eo non deprehendantur.* Alia pro Montano hac de re adduxere SORELIVS et THOMASIVS p, qui consulendi. Fatemur tamen, prudentem et cautum lectorem, et accurate in morali doctrina versatum, librum hunc poscere, ne differendi nouitate et insolenti audacia atque elegantibus et dulcibus his vitiis inescatus, pretiosum a vili, rectum ab obliquo, verum a falso discernere impediatur. Mirum autem est, in tot naeuis a viris doctis reprehensis librum tamen vbique lectum, commendatum, nec censura publica notatum, Charondam, qui complura ex his scaturiginibus in latifundia sua deduxit, ast ordine scripsit, impietatis accusatum esse. Quod ideo eueniisse coniecit P. BAYLE †, quia in diffusa nulloque ordine constricta tractatione Montani latens venenum non facile detegi possit, Charondas autem, qui iustum doctrinae aedificium ex hac materia disiecta exstruxit, periculosas assertiones manifestas fecerit. Nobis verisimilius est inuidiam, quae Charondam eloquentiae laude in aula et vrbe frequentissima florentem pressit, accusari posse, quae Montanum rure sibi viuentem persequendi caussam non habuit.

Abrahamus Scultetus eclectice de moribus scribere conatus.

§. III. Quod inter Gallos eo tempore Montanus, et iusto philosophiae habitu Charondas in doctrina morali moliti sunt, inter Germanos tum tentare aggressus est ABRAHAMVS SCVLTETVS, theologus Heidelbergensis, variis ingenii monumentis clarus, et nonnullis momentis in historia belli ciuilis, quae superiori seculo Germaniam vastauit, memorabilis, de cuius vitae circumstantiis praeter alios videndi REIMMANNVS q et FREHERVS r. Is enim rogatu duorum equitum Silesiacorum anno MDXCIII Lugduni Batauorum duos ethicorum libros edidit, in quibus arida Aristotelis deserta vitauit, et amoeniores campos eclectica libertate ingressus est. Is totum doctrinae moralis ambitum duobus capitibus absoluit, quorum prius de vita recta, posterius de vita felici agit. Et in priori quidem tractatione finem hominis definiendo eiusque partes explicando, virtutem ad vitam rectam necessariam ita enarrat, vt quae

excelluisse Montanum putat. Conf. STOLLIVS Hist. lit. P. III. c. 1. §. 55. p. 613 seqq.

*) Conf. Menagiana T. I. p. 305.

o) Hist. Atheismi S. III. c. 5. §. 15 p. 404. add. BVDDEVS Thes. de Atheismo c. 1. §. 25.

p) locis citatis.

†) l. c. p. 655.

q) Hist. lit. Germ. P. IV. p. 598.

r) Theatr. p. 424.

quae eius cauſſa ſit procreans, quae pietatis, quae probitatis ratio, et quomodo, illa virtutes Deum reſpicientes abſoluat, haec recte viuendi regulas tum erga nos ipſos, tum erga alios ſuppeditet, exponat: quo pacto plerasque virtutes indice, eo quem Stagirita dedit, longe pleniori deſcribit, et eas quoque adducit, quas Peripatetici omittere ſolent, patientiam, parſimoniam, humilitatem, innocentiam, gratum animum, iuſtitiam propriam. Poſteriori parte felicitatem gaudio animi, corporis ſanitate, famae integritate, et vitae ſuſtentatione abſolui contendit. Ex quo intelligitur, eum officia ſimul cum virtutibus eſſe in ea tractatione complexum. Laudandus quoque in eo eſt, quod doctrinam moralem philoſophicam cum Chriſtiana comparauerit; quamuis multa deeſſe quae ad philoſophiam moralem requiruntur, ob temporis illius conditionem non ſit mirandum. Dignus itaque libellus viſus eſt MARCO FRID. WENDELINO, cuius ductum in condendis *Philoſophiae moralis commentariis* ſequeretur. Qui ſi more Sculteti ab inutilibus quaeſtionibus abſtinuiſſet, felicius hos paſſus ſecutus fuiſſe iudicari poſſet; quamuis diligentiae et lectionis multae laudem ei denegandam haud eſſe cenſeat cel. STOLLIVS [s].

Incrementa philoſophiae moralis eclecticae.

§. IV. Aurora tamen haec modo fuit, diei inſtantis praenuntia, nondum enim plena lux exorta tum fuit: quam, ſi verum fatendum, illuſtriſſimo Verulamio debemus, qui in morali quoque argumento deſipere philoſophos, et elegantiores veritates ſequi in *Sermonibus fidelibus* bonae frugis plenis docuit. Cuius conatus et conſilia cum ſupra in eius vita deſcripſerimus, hoc loco actum non agemus. Non id volumus, ante Verulamium nihil in morali argumento nouum tentaſſe philoſophos; illius enim contrarium innumerae tractationes morales teſtantur, quae relicta ſterili aretologia Peripatetica, alia via animum morum praeceptis inſtruere ſategerunt. Quem campum ingreſſi ſunt, qui apologis, (quibus fabulae Mileſiae et Romanenſes, quas vocant, addi poſſunt,) ſatyris, characteribus et notationibus, praeceptis et παραινέσεσι, aphoriſmis, gnomis, adagiis, apophthegmatibus, ſymbolis, emblematibus, hieroglyphicis, aenigmatibus, inſcriptionibus, paradigmatibus aliisque, quae ad exotericam docendi rationem referri ſolent, methodi generibus emendationem voluntatis morumque formationem iuuare ſtuduerunt. Quorum conamina cum erudita tractatione delineauerit, et cum veterum ea in re induſtria comparauerit doctiſſimus PASCHIVS [t], eum ab illis legi velimus, qui haec pluribus noſſe cupiunt, certi haud exiguam lucem eius lectionem in hiſtoria philoſophiae moralis eſſe allaturam. Sed hoc nobis loco de iis potiſſimum ſermo eſt, qui iuſta methodo emendare philoſophiam moralem ſunt aggreſſi. Quorum tamen nomina hoc loco, vbi bibliothecam ſcriptorum philoſophicorum non ſcribimus, excitare opus haud eſt, cum ex virorum praeſtantiſſimorum REIMMANNI, STRVVII,

s) l. c. P. III. c. 1. §. 56. p. 619.

t) De variis modis tradendi moralia. Kilon. 1707. 4.

VII, STOLLII indicibus in libris notissimis suppeditatis, nobis non monentibus, ea hauriri queant. Praeterea nos quoque in antecedente tractatione haud pauca, quae huc pertinent, iam delibauimus, et quae theosophici nonnulli in hoc argumento praestiterint, itemque Vayerius, Gassendus, Hobbesius, Thomasius, Buddeus, Geulincxius, Gundlingius, Rudigerus, aliique annotauimus, quae hoc loco repetenda sunt. Addi his possent plures, si specialis ethicae historia enarranda esset, et imprimis memoranda merita sociorum portus regii, de doctrina morali, inter quos in hoc argumento maxime eminuit elegantissimus Nicollii [u] calamus. Sed haec prolixiora sunt, quam quae locum hic capiant. Non tacendum tamen, quod opportune monet cel. STOLLIVS [x], VINCENTIVM PLACCIVM, qui ex celeberrimorum virorum Ioachimi Iungii (quem inter eclecticos numerat LEIBNIZIVS [y]) Petri Lambecii, Michaelis Kurstenii, Io. Christophori Schraderi aliorumque disciplina, quam in Academiis, Helmstadiensi, Lipsiensi, Patauina hausit, ad philosophiae moralis professionem in gymnasio Hamburgensi processit, primum fuisse, qui ethicam systematicam eclectico vultu habituque inter Germanos prodire iusserit. Quamuis enim a Peripateticis philosophiam didicerit, relicto tamen Aristotele in physicis Cartesium secutus est, in argumento morali, dicis caussa Aristotelem non plane ex scholis ethicis exterminans, eclecticam methodum adhibuit. Visum autem viro doctissimo, medicorum filios imitandos esse, voluntatemque, quam aegram esse, et cui medicinam a philosophia morali parari sciebat, ita considerandam, vt explorata eius natura et facultatibus morbi detegerentur, et ad quem sanitatis gradum, quibusue remediis perduci possit, describeretur. Quae methodus medica non ignota quidem fuit veteribus, vt alibi iam a nobis notatum, ast neglecta plane, donec Placcius eam haud infeliciter in vsum deduceret. Factum id edito *Typo accessionum moralium seu institutionum medicinae moralis desideratorum eius scientiae, cumprimis vero praeceptorum emendandi semetipsum elementa pariter proponente, Hamburgi* MDCLXXV, qui liber vernacula quoque postea prodiit. Quae medendi methodus cum valde commoda visa esset B. BVDDEO, eam in *Philosophiae practicae parte prima* sequendam esse statuit. Sed et aliis meditationibus moralem disciplinam iuuare Placcius sategit. Debemus enim ei *Philo-*

u) Conf. BAYLE Dict. T. III. art. Nicolle p. 501. qui eius tentamina moralia inter optimos libros numerat.

x) l. c. c. 4. §. 22. p. 677.

y) Epp. Vol. IV. p. 188. Patriam habuit Lubecam, 1587. Ramaeam logicam Giessae docuit, et postea metaphysicam et mathemata: tum arti salutari se tradidit, Patauii med. D. creatus. Postea Rostochii et Helmstadii docens, is visus est, qui Gymnasio Hamburgensi Rector et Professor physicae et logicae praeficeretur, denatus 1657. m. Sept. Valde extollunt eius eruditionem et doctrinam, maxime in physicis, viri docti vid. Leibniziana p. 414. et in Epistolis passim, BOECLER. Bibliogr. crit. p. 590. Parum placuit ei Aristoteles, licet diligenter eum legisset, conf. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 9. p. 57. L. II. P. I. c. 12. p. 217. eclectice autem philosophatum fuisse ex eius doxoscopia physica patet, quam edidit MAR. FOGELIVS 1662. Conf. cel. A SELEN Athenae Lubecenses.

Philosophiae moralis plenioris fructum praecipuum, qui est eius ope philosophiam non sufficere beatitati solidae vlli constituendae, nedum acquirendae: reuelationem vero diuinam ei necessariam certisque signis, in sola religione Christiana deprehendendis, a falsa qualibet superstitione distinctam, non posse non existere, Helmstadii MDCLXXVII. Tacemus scripta moralia alia, partim edita, partim nondum vulgata, de quibus et vitae atque scriptorum Placcii historia consulendus est, qui *Biographiam eius theatro pseudonymorum et anonymorum* praemisit Io. Alb. Fabricivs. Ceterum neque hoc praetermittendum, fuisse Placcium si non primum, certe inter primos, qui ethicam a iure naturae distinxerit, et suos cuique limites definiuerit. Factum id in *Accessionibus ethicae, iuris naturalis et rhetoricae ex triplici maiori systemate elaborato per vitam omnem et porro in dies elaborando excerptis.* Quin et methodum medicam ad *Iurisprudentiam naturalem, publicam, et priuatam* transferendo, iuris naturae emendationem promouere studuit. In quo tamen saxo voluendo omnium lumina extinxerunt Hugo Grotius et Samuel Pufendorfius, qui duumuiri cum insignibus accessionibus moralem doctrinam, quae de officiis et iure tractat, locupletauerint, digni omnino sunt, quorum paulo plenior enarretur philosophica historia.

Scriptores historiae H. Grotii.

§. V. Valde commendauit famam Hvgonis Grotii et immortale eius nomen fecit singularis prorsus et praestantissima eruditio, qua meruit vniuersi orbis eruditi consensu inter principes viros doctos referri [z]. Inde factum, vt a multis res ad eius historiam literariam pertinentes tangerentur. Et ipse quidem in *Apologetico* haud contemnendam eorum partem, quae ad ipsum pertinent, quaeque ob remonstrantium partes susceptas pertulit, enarrauit [a], in *Epistolis* vero [b], quae pleraeque ad familiares scriptae sunt, haud pauca tetigit, quae historiam vitae eius mire illustrare possunt. Ex his aliisque fontibus hauserunt narrationem suam anonymus in *vita Grotii*, Io. Iac. Schvdtivs, in *vita Hugonis Grotii, succincte enarrata, variisque rerum memorabilium annotationibus illustrata* [c], P. Bayle, in vita Grotii *Dictionario Critico* inserta; et postea scriptis Grotii quoque praefixa [d], et *Versioni* quoque *Germanicae libri de I. B. et P.* praemissa a Schvzio, tum scriptores historiae literariae Frehervs [e], Mevrsivs [f], Battesivs [g], Witte [h], Reimmannvs [i], Niceronivs [k], Clarmvndvs [l], vt eos taceamus, qui annales ecclesiasticos et ciuiles recentioris aetatis condiderunt, et Arminianae

z) Bayle l. citando, Pope-Blovnt. Cens. cel. auct. p. 995. Vindiciae Grotianae P. II. pag. 596. seqq.
a) Conf. Cat. bibl. Reimmann. p. 676.
b) Amstelod. 1687. 1700. fol. editis.
c) Francof. ad Moen. 1722. 8.
d) Vid. Nov. lit. Lipf. Vol. I. p. 169.
e) In Theatro vir. cl. p. 1103.
f) In Athenis Batauis.
g) In Vitis selectis p. 240.
h) Memor. philos. p. 554.
i) Hist. lit. Germ. P. VI. p. 6.
k) Mem. de lit.
l) Vit. P. III. c. 12. addi his potest cel. Ioach. Langivs qui libro Grotii de Satisfactione Christi recuso vitam eius quoque praefixit.

minianae sectae historiam tetigerunt *. Maxime vero in accurate enarrandis rebus ad Grotium pertinentibus eminuit diligentia duorum virorum doctissimorum, Belgae et Germani. Et in Belgio quidem, doctissimus ex Remonstrantium coetu scriptor CASPAR BRAND vitam Grotii vernaculo sermone prolixe enarrare coepit, affectam ad finem perduxit, qui in eodem coetu doctoris munere functus est V. C. HADRIANVS CATTENBVRGIVS, quae biographia ita viris doctis placuit, vt recuderetur †. Inter Germanos autem, anonymus quidam, vulgauit anno MDCCXXVII Delphis Batauorum, quod titulus quidem habet, *Hugonis Grotii, Belgarum phoenicis manes ab iniquis obtrectationibus vindicatos, accedit scriptorum eius tam editorum, quam ineditorum conspectus triplex.* In quo eleganti libro historia Grotii accurate traditur, cunctaque ex monumentis fide dignis enarrantur, multa vero insperguntur, quae ad historiam temporis quo Grotius vixit, pertinent. Nec historia tantum Grotii in hoc commentario recensetur, sed character animi, librorum catalogus, eruditorum censurae, quaeque alia ad notitiam Grotii literariam facere possunt, pulchre et concinne exponuntur. Nos digitum potissimum ad ea intendemus, quae tractationi nostrae propria sunt, quaeque sufficere possunt, vt intelligamus, quid philosophia moralis Grotio debeat. Reliqua strictim, quantum scilicet ad noscendam eius vitae historiam erit necessarium, tangemus.

§. VI. Vitalem auram primo hausit illustris HVGO GROTIVS Delphis Batauorum in ipso Paschatos festo anno MDLXXXIII, parentibus satus Ioanne Grotio I. V. D. et consule eius ciuitatis, academiae Leidensis curatore, et comitibus Hohenloicis a consiliis, matre editus Alida ab Ouerschin, familia ex vtroque parente nobili [m]. Auus enim Grotiorum, id est magnorum, nomen primus familiae Cornetsiorum, (hoc enim auitum nomen fuit) intulit, pater viris inter eruditos summis I. LIPSIO [n], IANO DOVSAE aliisque ob doctrinae laudem fuit commendatissimus. Admodum puer diuini, quod nactus erat ingenii specimina singularia prorsus et inusitata prodidit, quae comouere parentem, vt maxima industria illud coleret, omnemque in id curam conuerteret, vt mature disciplinarum elegantiorum cultura formaretur. Quam tanta auiditate puer admisit, tantaque felicitate praeceptis disciplinarum humanitatis se imbui passus est, vt nouem vix annos natus, elegantes versiculos faceret, quin tragoediam scribere aggrederetur, eaque pangendi carminis facilitas, et artis fingendi praestantia illi ineffet, quae maximos in arte poëtica viros, Vrbanum VIII. P. M. Danielem Heinsium, Dominicum Baudium, Ianum Dousam admiratores haberet [o]. Ita cum

H. Grotii vita.

*) Add. LOVIS AVERRY DE MAVRIER Memoires pour servir a l'histoire de Hollande, Obs. Hal. T. VII. p. 330. Io. FABRIC. Hist. bibl. suae T. I. p. 316. LE VASSOR Hist. Ludou. XIII. L. 12. alii.

†) Dordraci 1732. II. Vol. fol.

m) Stemmatis Grotiani tabulam exhibet Grotius vindicatus p. 3. seqq.

n) Vid. Cent. I. ep. misc. p. 22.

o) Exempla habes l. c. p. 9. seqq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

praematura seges messem omnium spe atque votis superiorem promitteret, ad augendas animi dotes et maturandam doctrinam praestantissimam adolescens nondum duodecennis in academiam Leidensem missus est. Quod artium et disciplinarum stadium magna alacritate ingressus, tanto ardore absoluere studuit, vt in theologiae, iurisprudentiae, matheseos aliarumque scientiarum cursu alios longissime anteuerteret. Cumque in ea academia theologiam tum doceret Ioannes Vytenbogardus, cuius celeberrimum postea inter Remonstrantes nomen fuit, ei potissimum in discenda doctrina sacra adhaesit, indeque Arminii partibus fauere coepit [p]. Eruditionem philologicam autem, vsus doctore illarum literarum magno Scaligero ita roborauit, vt quindecim annorum adolescens MARTIANVM CAPELLAM notis et obseruationibus suis illustratum, edere posset, ea ingenii felicitate vsus, vt non tantum sui temporis criticis ex asse satisfaceret, sed et libellus ad nostra tempora aetatem ferret [q]. Eodem aetatis anno, qui fuit aerae Christianae MDXCVIII, cum legato Batauo Ioanne Oldenbarneueld in Galliam profectus, summos iurisprudentiae honores accepit, virisque doctis valde charus, ipsique regi Henrico magno acceptissimus fuit, qui gratiosum eum apud ipsum esse torque aureo testatus est [r]. Annis vero adhuc immaturus cum ingenii maturitate et iudicii atque doctrinae praestantia viros superaret, scilicet annorum XVII iuuenis aduocatus fisci cum salarii augmento constitutus, et anno MDCXIII, aetatis XXX, reipublicae Roterodamensis syndicus et consiliarius, Eliae Oldenbarneueldio successor datus est [s]. Quod munus grauissimum humeris quidem suis imponi passus est, ast ea conditione, vt pellere locoque moueri eum non liceret, eo quod turbas Arminianas iam tum satis praeuideret. Ediderat autem iam anno MDCIX libellum *de Mari libero* inque eo caussam Batauorum defenderat [t], libro quoque *de Antiquitatibus reipublicae Batauae* praeclare de patria meruerat. Dignus itaque visus est, qui litibus inter Britannos et foederati Belgii ciues de nauigationibus Indicis hoc anno valde efferuescentibus componendis reipublicae nomine legatus ad magnae Britanniae regem mitteretur. Quam illustrem spartam ita in aula Iacobi I. ornauit, vt non modo commercii Indici iura ciuibus suis strenue vindicaret, sed et regis sapientissimi et viris doctis egregie fauentis beneuolentiam prorsus singularem consequeretur. Inque ista apud Britannos mora occasionem nactus est amicitiae familiaritatem cum Isaaco Casaubono ineundi. Redux ex Anglia Grotius patriae statum

p) Apologet. p. 29. Conf. Epp. Remonstrant. p. 340. seqq. ex quo loco constare potest, quanta familiaritate hoc theologo Grotius vsus fuerit.

q) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. III. c. 15. §. 4. p. 640.

r) Grot. vind. p. 18.

s) Ita vero assessor quoque ordinum Hollandiae, et postea foederatorum delegatorum factus est.

t) Respondit Grotio Io. SELDENVS, Grotio valde aemulus, in mari clauso, siue de dominio maris libris duobus, Lond. 1635. pro Grotio contra hunc pugnantibus Theodoro Graswinckelio, Isaaco Pontano, aliisque, vid. Bibl. iur. imperant. c. 3. pos. 1. §. 3. 4. p. 233. Inter Lusitanos quoque NICOLAVS FERNATIVS ei oppositus, Mare non liberum, seu demonstrationem iuris Lusitanici ad Oceanum et commercium Indicum; quod tamen ineditum mansit, itemque SERAPHINVS DE FREITAS, de iusto imperio Lusitanorum Asiatico aduersus Grotii Mare liberum, vid. STRVVII Bibl. philos. c. 8. §. 10. Bibl. Grotiana in Grot. vind. p. 727.

ſtatum prorſus immutatum et periculis plenum deprehendit. Coeperant enim latentes hactenus controuerſiarum Arminianarum igniculi in apertam flammam indies magis erumpere; eo vero loco inque eo munere poſitus erat Grotius, quo huic incendio reſtinguendo ſubtrahere ſe non poſſet. Non eſt huius loci, acerbas lites et inſignes turbas, quae non eccleſias modo ſed rempublicam quoque Belgii foederati tum repleuerunt, et haud parum calamitatum excitarunt, enarrare, quaeque inter Remonſtrantes ſiue Arminianos et Contra-Remonſtrantes, ſiue Gomariſtas eo tempore magnis animorum diſſidiis et minime laetis ciuium tumultibus acta ſunt exponere, ea enim ex annalibus eccleſiaſticis illisque fontibus, quibus notitia Arminianiſmi naſcentis et adoleſcentis enarrari ſolet, diſcenda, et ſcripta BRANTII [u], LIMBORCHII [v], HALESII [w], GROTII [x], itemque *Epiſtolae Remonſtrantium*, quaeque contra illos eo tempore edita fuerunt, conſulenda ſunt [y]: ſufficit enim ob narrationis ſeriem annotauiſſe, ita reipublicae rebus ſe immiſcuiſſe turbas has eccleſiaſticas, vt magni inde in ciuitate motus orirentur. Mauritius enim princeps, qui videbat plebem, maxime Gomari factioni acerbae et inquietae, adhaerere, has ſibi partes eligendas firmandasque eſſe cenſuit, quod ita auctoritatem et potentiam ſuam mire ſuſtentari poſſe intelligeret, Oldenbarneueldius autem, qui funeſtas has lites fore reipublicae praeſenſerat, temperandum feruorem Gomariſtarum, et iuuandam cauſſam Remonſtrantium, conciliata tolerantia ratus, plurimum mouerat, vt violentia omnis abeſſet, pertraxeratque alios ſummos in ciuitate viros in has partes, vt cauturi, ne quid detrimenti respublica et libertas ciuium caperet, Arminii partes tuerentur. Eandem itaque rationem ſibi tenendam eſſe ratus Grotius, conſilia pacifica, et extinguendo incendio, quod iamiam mire ardebat, apta ſuggerere, iram tantis animis conceptam frangere, paci, tranquillitati libertati publicae adeſſe, et rempublicam a periculis, quae ex infelici hac controuerſia imminebant, defendere omnibus viribus ſategit. Magno id Grotii malo euenit, cui patriae libertatis amor libertatem patriamque abſtulit. Valde irritauerat Grotius iam ante Gomarum impotentis animi virum ſcripto eleganti carmine in mortem Iacobi Arminii [z]. Mauritii autem indignationem, partes Oldenbarneueldii ſecutus, meruerat. Qui princeps cum auctoritate ſua praepotentes Belgii foederati ordines permouiſſet, vt factionem illam vi extinguere conſtituerent, rebus omnibus ad tumultum ſpectantibus, potentiſſima Arminianae partis capita capi, Oldenbarneueldio capitis ſententiam dici, Grotio carceris ad dies vitae poenam irrogari, placuit, et Arminiana factio in ſynodo Dordracena valde oppreſſa eſt. Qua mire fracta, Oldenbarne-

u) In Vita Iac. Arminii cum notis I. L. MOSHEMII recuſa Brunſu. 1725. 8.

v) In Hiſtoria vitae Simonis Epiſcopii, Amſt. 1701. 8. edita, libro rariſſimo.

w) In Hiſtoria conc. Dordrac. cum Obſ. MOSHEMII, Hamb. 1724. 8.

x) In Apologetico.

y) Acta publica huc pertinentia enarrat bibl. Grot. l. c. p. 702.

z) Vid. BRANT. l. c. p. 205.

barneueldius capite plexus, Grotio lis mota et iniquis rationibus promota est. Quamuis autem et ordines Hollandiae se violentiae huic opponerent, et legatus Galliae Benedictus Auberius Maurerius regis sui nomine intercederet, euitare tamen sententiam Grotius non potuit, eo quod veniam deprecari, nullius sibi sceleris conscius detrectaret. In arcem itaque Lupensteniensem captiuus anno MDCXIX abductus, carceribus perpetuis damnatus est, bona fisco publico addicta sunt *. Multa et grauia in eo carcere contra ius fasque pertulit Grotius, et fortunae iniquitatem non sine graui calamitate sensit. Ast cum iustam sibi caussam esse intelligeret, et tum pietatis tum philosophiae praeceptis pectus muniuisset, vere philosophum et Christianum in hac aduersitate se praestitit. Tempus enim non irae et vindictae cogitatione, sed cogitationibus piis et meditationibus sanctis, tum literarum studiis, in quibus iam tum egregie erat versatus, fefellit, cuius specimen dedit non modo *Eclogis Stobaeanis* † elegantiori Latino habitu donatus, sed et staminibus aurei libelli de veritate religionis Christianae tum inceptis. Cum enim ista rerum suarum aduersitate mire ad religionis Christianae praestantiam agnoscendam perduceretur, rem otio suo et argumenti diuinitate dignam reputauit, si eius veritatem demonstrare susciperet. Nobilissimum itaque argumentum primo versiculis Belgicis comprehendit, vt haberent nautae ad infidelium terras discedentes, quod et facile memoria tenerent, et ad capiendos infidelium animos feliciter adhiberent: postea vero cum Parisiis degeret, Latino carmine expressit, et tandem refictum, prosaque expressum ac annotationibus illustratum in vulgus exire passus est. Quae meditationes carcerales tanto omnium bene reipublicae Christianae cupientium applausu exceptae sunt, vt in Gallicam, Germanicam, Anglicam, Danicam, Suecicam, Belgicam, Graecam, Arabicam [a], Persicam, Indicam et Sinensem linguam conuerterentur. Cuius tamen praestantissimi libelli historiam prolixiorem hoc loco tradere non licet: vnde rogamus lectorem vt ven. KOECHERI [b], cui elegantem praestantissimae tractationis editionem debemus, historiam huius libelli adeat, in qua cuncta pulchre prolixeque enarrata sunt. His intentus totusque diuinorum oraculorum et philosophiae studiis immersus dum de libertate tantum non desperat, prouidentia diuina de eius liberatione sollicita pietatem vxoris Mariae Reigersbergiae excitauit, vt ausu plus quam virili, et pietate aeternam nominis gloriam promittente, de liberando marito cogitaret. Postquam enim vltra sesquiannum in carceris squalore delituerat, agitatis consiliis variis, tandem

*) Historia carceris Grotiani discenda ex Apologetico, LIMBORCHIO l. c. p. 116. Grotio vindicato P. I. p. 25. 128. seqq. 173. 193. ex epistolis Grotii aliisque l. c. laudatis.

†) Vid. Biblioth. Grot. l. c. p. 659.

a) Ex hac versione a POCOCKIO facta enata Iacobo Sponio et Georgio Whelero, qui eam in Oriente viderunt, occasio Grotium accusandi, quod ex Arabico libellum descripsisset. Conf. FABRIC. Syllab. de V. R. C. c. 30 p. 551. seqq.

b) In Anal. siue Diss. Epist. historiam libelli Grotiani de V. R. C. complectente conf. Grotian. bibl. p. 800. FABRIC. l. c. p. 549. Cat. Reimmann. p. 1065. Hist. bibl. Fabric. P. I. p. 294.

tandem arcae, quae ad deportandam supellectilem hactenus multoties adhibita fuerat, inclusus ab vxore, sicque ex carceris latibulis, velut librorum farrago quaedam exportatus, vxore in carcere remanente, Gorichemum vicinam delatus est, anno MDCXXI, XI. Cal. April. Vbi aperta arca prodiens Grotius induto coementerii cuiusdam habitu apprehensaque manibus trulla oppido elabitur, et Valouicum primum in Brabantia, deinde Antwerpiam dilapsus est, quo tamen loco occultus quoque vixit [c]. Dici satis non potest, quantum ex hac mirabili liberatione gaudium conceperint, non modo Arminianae factionis assectae, sed et viri passim docti, qui certatim et epistolis et carminibus disciplinarum fortunae gratulati sunt, quod tantum illis decus esset conseruatum, vt ex iis, quae luserunt in Grotium [d] eiusque coniugem Erycius Puteanus, Caspar Barlaeus, Petrus Ianninus aliique non sine iucunditate intelligi potest. Ita liberatus memorabili coniugis fide, quae maritum aegrotare finxerat, et in custodia remanserat, libera tamen postea non sine ingenti editi facinoris gloria dimissa est, commendatus a Maurerio Lutetiam per deuia tendit Grotius, postquam de diuina liberatione epistola ad Ordines Belgii foederati data perscripsisset, et ne sic quoque ex amore patriae quicquam sibi decedere se passurum esse, significauisset. Lutetiam delatus de sede tuta sibi, vxori et liberis dispiciens, a cancellario regni Guilelmo du Vair ad regem perductus et ab eo beneuole exceptus et annuo donatiuo honoratus est. Nicolaus Peirescius autem, quem non Moecenatem modo, sed parentem eruditi tum nacti erant, in deuinciendo sibi Grotio beneficiis certauit: ipse insigni gaudio vxorem lectissimam liberosque et supellectilem tandem recepit. In Gallia iam sede fixa ad pristina literarum studia se recepit, neque erga ciues suos atque patriam quicquam ex pietate studioque remisit, consilioque et auxilio administrorum quorundam regis vsus, eum pro partis oppressae auxilio et solatio est deprecatus. Id quod tamen tanta animi continentia fecit, vt dixisse feratur rex Galliae: mirari se virtutem hominis, qui tam male in patria habitus, non desineret tamen ei subditisque eius bene velle, immo quocunque etiam posset modo, benefacere. Et illi quidem, qui res foederati Belgii in aula regis curabant, nihil intentatum reliquere, quo infestum ei regis animum redderent: ast, et satis nota erat persecutio, quam Grotius perpessus erat, et ita rem omnem edito *Apologetico* [e] manifestam fecerat, vt, qui non omni rerum sensu destituebantur, facile intelligerent, quam iniquis modis ille habitus fuisset. Quamuis autem in Gallia securus latibulum inueniisset, non defuerunt tamen

c) Historiam liberationis suae ipse narrat in Apologetico c. 18. p. 302. cuncta eleganter enarrantur in Grotio vindicato p. 207.

d) Vid. Epp. Remonstrantium 387. seqq. pag. 653. seqq.

e) Apologeticus eorum, qui Hollandiae, Westfrisiaeque et vicinis quibusdam nationibus ex legibus praefuerunt ante mutationem anni 1618. quo ea referuntur, quae aduersus H. Grotium et alios facta iudicataue fuerunt, Paris 1622. 8. et saepius. conf. Bibl. Grot. p. 714. seqq. Etiam Belgice liber prodiit, qui proceres Belgii foederati valde irritauit.

tamen, quae animum deprimerent. Nam et fama, quod veniam ordines Belgiae foederati deprecatus esset, eum mordebat, ad quam ne in carcere quidem, vt libertatem redimeret, induci potuerat; cui dicto Apologetico occurrere statuit, quod ita vulnerauit partem aduersam, vt edicto publico vendi prohiberetur: et insidiati illi sunt aduersarii certatim, in id coniurantes, vt molestiis eum afficerent: et vxoris ac liberorum morbi in aëre peregrino valde eum afflixerunt, et congiarium regium, inuidorum calumniis et Richelii cardinalis indignatione illi subtractum est, et synodus Charentonensis eum communione ecclesiae reformatae excluſit, eo quod Arminianos secutus Dordracenae synodi decretis subscribere noluisset. Ast qui carceris molestiam et infamiae publicae contemtum mira patientia tolerauerat, in his quoque ferendis non philosophum modo, sed Christianum quoque se demonstrauit, et legendo atque scribendo fortunae iniquitatem et vicissitudines leuauit, immo fregit. Tum enim versiculos de V. R. C. Latinos fecit, et in aliis, quae ad philosophiam et elegantiores literas iuuandas spectabant, laboribus fuit diligentissimus.

Historia libri de iure B. et P.

§. VII. Et huic quidem morae immortale Grotii opus debemus, quod *de Iure belli et pacis* inscripsit, quodque aeternam auctori suo inter philosophos nominis gloriam peperit. Quod cum rationem nobis suppeditauerit, cur in historiae philosophicae theatro Grotium comparere voluerimus, paulo curatius enarrandum est *f*. Operis autem huius condendi auctorem et suasorem primum Grotius habuit Peirescium; qui cum videret nobilissimum, quod de iure gentium praecipere debet, argumentum, incertissimis hactenus scholasticorum philosophorum nonnullorum disputationibus corruptum magis quam illustratum, a plerisque autem miro contemtu et ignorantia neglectum esse, nosset autem et eius dignitatem atque necessitatem, et lumina Grotii per vniuersae philosophiae angulos perreptantis; auctor ei extitit, vt derelictam ab aliis prouinciam occuparet, nobilissimam disciplinam ex puluere et squalore scholasticarum ineptiarum protraheret, controuersias ad ius naturae et gentium legibus ciuilibus non circumscriptum respicientes extricaret, et ita doctrinae moralis partem nobilissimam emendaret, augeret, vel, si dicendum, quod res est, restitueret, ciuilium quaestionum autem fundamenta alia et meliora quam quae hactenus suppetebant, poneret *g*. Paruit tam salubri consilio Grotius, cumque et otio tum polleret et doctrina, Peirescius autem omnem, qua desiderabat supellectilem librariam suppeditaret, ad eiusmodi opus pariendum ingenii vires applicuit, tandemque laudatissimum librum, quem commendationis gratia maluit de iure belli et pacis, quam de iure naturae et

f) Conf. Boecler. et Barbayrac. in proleg. ad h. l. Bayle l. c. not. O. Obs. Hal. T. VII. Obs. 15. Obs. misc. T. I. p. 953. Fabricius Hist. bibl. suae T. IV. p. 125. et Scriptores historiae I. N. Thomasius, Buddeus, Ludouicus, Grotius vindicatus P. I. p. 266. seqq.

g) Vid. Grotii Ep. ad Gallos Ep. LXXVI. p. 177.

et gentium inscribere, libertate vsus eclectica perfecit, et quodcunque in vasta scriptorum veterum et recentiorum lectione occurrerat, ad hoc argumentum spectans eleganti ordine iustaque methodo digessit. Egit autem in praestantissimo opere id potissimum Grotius, vt ius naturae, quatenus ad societatem ciuilem spectat, quae maiestate imperantium regitur, ex principiis purioribus et rectioribus, quam hucusque factum erat, deduceret, vnde non errant, qui in eo institutiones iuris naturae et gentium tradi asserunt, id enim ipse haud obscure significat [h]. *De iure belli et pacis* autem, suspendendae vino vendibili hederae caussa appellauit, quod controuersias illustres, eas praecipue, quae de belli et pacis iure inter gentes integras earumque imperantes agitantur, simul tetigerit, ratus ita auidius a viris politicis et in republica administranda versantibus lectum iri. Toti autem, quod ingenio maximo exstruere coepit, aedificio fundamentum, quod a Stoicis transsumsit, supponit, societatis custodiam humano intellectui conuenientem, exque hoc principio morali iuris naturae praecepta deriuat, tum ab eo ius gentium distinguit, idque ex consensu omnium vel plerarumque ciuitatum hauriendum esse statuit, quamobrem officia naturalia ab iis, quae ex constituto peragi solent, distinguit. Et libro quidem primo de iuris origine disputans, quid ad legitimum bellum, quid ad imperium requiratur, quid sint subditi, disquirit, libro autem secundo explorat caussas belli, quid res communes, quid propriae sint, quid ius sibi velit, itemque dominium, obligatio, pactum, contractus, foedus, iusiurandum, damnum, legatio. Libro tertio de eo quod in bello licet tractans, pacem simul et conuentiones belli considerat. Et haec quidem omnia ex principiis certis, et axiomatibus ab omnibus concessis, notionibusque et definitionibus iustis ita deducit, vt ex omni antiquitate testes adducat, et philosophorum consensum in partes vocet, inter quos primum quidem locum Aristoteli cedit, dolet autem inepta eius adoratione veritatem esse suppressam. Vnde animo se esse eclectico haud obscure prodit, fassus inter alia: *se et hic et alibi veterum Christianorum sequi libertatem, qui in nullam sectam iurauerint, non quod eis assentirentur, qui nihil percipi posse dicebant, quo nihil est stultius; sed quod nullam esse sectam putarent, quae omne verum vidisset, et nullam, quae non aliquid ex vero: itaque veritatem sparsam per singulos per sectasque dissusam in corpus colligere, id vero existimauerint nihil esse aliud, quam vere Christianam tradere disciplinam.* Et eodem quoque animo affectus veteris ecclesiae doctores in partes vocat, quin et Scholasticos admittit, quibus ingenii sublimitatem concedit, eorumque modestiam laudat, et raro errare, vbi omnes consentiant, statuit, dolet autem, quod in infelicia tempora inciderint. Quae scripsit sine dubio vir re et nomine magnus, partim

p. 177. conf. GASSENDVS in Vita Peirescii L. IV. Opp. T. V. p. 294. s.

h) Vid. Prolegom. et Epist. ad Gallos 66. pag. 178.

partim quod a pueritia in eorum notitia esset versatus, partim quod crabrones eo tempore, quo periculosum id erat, irritare nollet. Cumque in Romano iure esset versatissimus, ex eo quoque tractationi suae lucem petit, et historiarum annales in partes vocat, quae causa est, cur lectorem liber eruditissimus postulet non nudius tertius in disciplinis versatum, sed veteris literaturae probe gnarum. Insigni vero plausu et approbatione doctissimorum virorum liber ille exceptus est, quorum laudes immortalis operis cum editores et commentatores eius, aliique supra nominati, itemque POPE-BLOVNTIVS collegerint, eos lectorem consulere iubemus. Notamus tantum, vt de insigni pretio constet, quod ei positum est, ex fide BOECLERI [i], „in plerisque aulis et curiis numera„ri viros dignatione generis, munerum meritorumque inter praesidia et „ornamenta seculi praedicandos, qui huius operis abstrusas opes familiari„ter norint, eiusque doctrinam non capiant modo, sed vbi res poscat, „inter instrumenta tractandae reipublicae expediant, denique obtrectato„res tam bonarum rerum in bonis viris, certe doctis, nunquam habendos „esse, arbitrentur.“ Neque hoc tacendum, reges summosque principes insigne pretium nobilissimo operi posuisse. Lectum enim est studiose a duobus Sueciae regibus Gustauo Adolpho et Carolo Gustauo, illiusque iussu in Suecicam linguam est conuersum. Carolo Ludouico autem, electori Palatino, ita placuit, vt condendae nouae iuris naturae professionis in academia Heidelbergensi consilium inde caperet. Testes quoque esse possunt innumerae editiones, post primam Parisiensem anno MDCXXV, et eam anno sequente in Germania Francofurti ad Moenum repetitam excusae, quot lectores, etiam summae dignitatis viros liber habuerit. Hinc emendatum opus et annotationibus auctum iterata vice Grotius anno MDCXLII edidit, cui suas obseruationes postea adiecit IO. FRIDERICVS GRONOVIVS, emissas in vulgus anno MDCLXXX. Hoc autem seculo vir elegantissimae doctrinae IO. BARBAYRACIVS opus recognouit, cuncta ordine digessit, emendauit, sicque nitidam editionem anno MDCCXX exire iussit. Lectus autem et quaesitus tanta auiditate est commentarius hic iuris naturae et gentium, vt necesse esset, eum in linguas Belgicam, Suecicam, Anglicam, Gallicam et Germanicam vertere [k]; et Gallicas quidem versiones duas orbis literatus accepit, vnam a COVRTINO [l], alteram a BARBAYRACIO, qui obseruationes suas adiecit, et *anno* MDCCXXIV *Amstelodami* edidit; vtramque vero non inutiliter posse cum altera adhiberi, non nemo monuit [m]. Germanicam fecit SCHVZIVS, praefante CHRIST. THOMASIO, editam *Lipsiae anno* MDCCVII. Et hoc quidem incomparabili opere gloriam emendatae iurisprudentiae naturalis primam Grotius iure suo meruit: quamuis nec omnia, (vt in reformandis dogmatibus fieri solet, quae non nisi successiuis conatibus perficiuntur) sustulerit, et emendauerit, quae emendatione opus habebant, et haud paucos oblocutores

i) loc. cit.
k) Vid. Biblioth. Grot. l. c. p. 745.
l) Paris 1687. 4.
m) Biblioth. iuris imperant. c. 1. pof. 2. §. 6. p. 15.

tores et aduersarios habuerit. Et Romae quidem nigrum illi theta ab inquisitionis officio praefixum fuisse, nemo magnopere mirabitur; ast inuentum fuisse iureconsultum Helmstadiensem, qui errores enormes singulis se paginis ostendere posse gloriatus est, et innumera reprehendisse commentatorum gregem, Grotio multis modis inferiorem, contemtumque fuisse librum prorsus egregium, id sane aequo lectori mirum certe iniquum videbitur. Quo commotus IOANNES ARNDIVS Rostochii *Prodromum maioris operis de Hugone Grotio, a commentatoribus iuris belli et pacis aliisque immerito vapulante* [n], exire in vulgus passus est. Non negamus tamen, extare in opere Grotiano naeuos quosdam, vt supra humanam conditionem est, in via ab aliis nondum calcata, vno operis conamine argumentum nouum et innumeris difficultatibus septum, absoluere et perficere. Vnde enata occasio illustri THOMASIO [o] „in eo re„prehendendi, obscuritatem, quae subinde interpretibus occasionem de„derit, multa cum cura in verborum Grotii sensum genuinum inquiren„di: tum, quod ipse Grotius in fundamentalem propositionem iuris natu„rae non inquisiuerit cum debita diligentia, sed nimis superficiarie hoc „thema tractauerit: forte, ne Scholasticos irritaret. Saepe etiam nimis „sollicitus sit, in conquirendis Graecorum et Latinorum Scriptorum testi„moniis, dum aliquid iuris naturae vel gentium esse voluerit; nec legis „homonymiam sustulerit, lumen vero reuelatum et naturale vbique fere „misceat, ac in explicatione textuum scripturae, Rabbinorum et Sociniа„norum traditiones et interpretationes nimis aestimet, vnde occasionem „sumserint theologi, variis stricturis doctrinam Grotii notandi. Tandem „quod ius gentium non debita diligentia exposuerit, supponendo saltem, „ius gentium esse speciem iuris voluntarii.“ Quae et alia, tum ab illo [p], tum ab aliis viris doctis culpata, non tamen obstant, quo minus pulcherrime de hac disciplina iuris naturae, tum quidem in puluere et squalore iacente meruisse dici possit, et gloria vindicatae et emendatae iurisprudentiae naturalis, ei debeatur. Quanquam enim ante Grotium nonnulli fuerunt, qui de restituenda hac disciplina, cuius partem olim tetigerant Stoici de officiis disputantes, cogitarunt, quod praeter Scholasticos nonnullos [q] primus fere conatus est NICOLAVS HEMMINGIVS, edita *Apodictica methodo de lege naturae* [r], decennio quoque ante Grotium BENEDICTVS WINCKLERVS, Soltquellensis, *Libros quinque principiorum iuris* edidit, in quorum primo de lege omnium primo mouente ac gubernante, in secundo de iure primo et proprie dicto, in tertio de iure naturali, in quarto de iure gentium, in quinto de iure positiuo seu ciuili egit, obseruatum tamen viris doctis, qui historiam iuris naturalis

n) Conf. Hist. bibl. Fabric. P. IV. p. 124.
o) Hist. iur. natur. c. VI. §. 2. p. 69. conf. REIMMANN. l. c. p. 31.
p) Conf. Progr. Iurisprud. diu. praefix. p. 76.
q) Conf. nominatos in Vind. Grot. P. II. p. 619.
r) Viteberg. 1562. BAYLE Dict. Tom. II. art. Hemmingius. STOLL. Hist. lit. P. III. c. 2. §. 4. p. 629.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

enarrarunt, tentasse eos magis aliquid, quam perfeciſſe, et tam obſcure et confuſe in hoc argumento verſatos eſſe, vt parum vel nihil plane ad reſtituendam vtiliſſimam diſciplinam attuliſſe cenſendi ſint. Hemmingius enim decalogum cum principiis iuris naturae confudit, Wincklerus in generalibus verſatus Platonem quam rationem conſulere maluit [r]. Recte itaque reformationem et reſtitutionem iurisprudentiae naturalis Grotio deberi aſſerimus.

Commentatores et epitomatores operis Grotiani de I. B. et P.

§. VIII. Fecit operis noui praeſtantia et eruditio, vt philoſophi pariter atque iureconſulti certatim illud ſibi hodegi inſtar eligerent, ſecundum cuius ductum et iuuentuti ſtudia literarum aemulanti ius naturae traderent, et diſciplinam nobiliſſimam commentariis illuſtrarent, et, quae diffuſa et difficili tractatione Grotius differuerat, in compendium mitterent. Hinc enatus magnus commentatorum et epitomatorum numerus, quos omnes hoc loco recenſere, limitibus arctioribus conſtrictis non licet, diſci autem ab hiſtoriae iuris naturalis enarratoribus, maxime vero a cel. BARBAYRACIO poſſunt [s], qui de ſingulis accurate iudicauit. Nobis illi tantum hoc loco memorandi ſunt, qui nominis famam aliquam in eo argumento ſunt conſecuti. Primus autem, qui annotationes in Grotium ſcripſit, fuit IOANNES A FELDEN, iureconſultus Helmſtadienſis, cuius alio quoque loco mentionem fecimus [t]. Is cum inſigni Peripateticae philoſophiae cognitione gauderet, ferre autem non poſſet, Grotium, licet magnis encomiis Ariſtotelem cumulaſſet, ab eo in haud paucis diſceſſiſſe, caſtigare Grotium, et ad diſciplinam Peripateticam emendare conſtituit. Hunc enim ſibi ſcopum in *Annotationibus in Grotium Amſtelodami anno* MDCLIII editis conſtituit, quae ſtricturas et vindicias Ariſtotelicas continent. A cuius cenſura liberare Grotium voluit THEODORVS GRASWINCKELIVS, iureconſultus Delphicus editis *ſtricturis ad cenſuram Ioannis a Felden ad libros Grotii de iure belli et pacis* [u], aſt inuita Minerua in eis vindiciis eſt verſatus. Habebat enim aduerſarium non philoſophiae quidem eclecticae, aſt diſciplinae tamen Peripateticae exacte peritum, dubiisque ferendis et diſputationi acriori aptiſſimum, cuius ictus excipere et retundere ſatis Granswinckelius non nouerat, vnde Feldenius in iterata ſcripti ſui editione [x], qui reſponſiones ad ſtricturas Graswinckelii inſeruit, ita eum depexum dedit, vt reſpondere amplius nollet. Poſt hunc Frater Hugonis, GVILELMVS GROTIVS prodiit, qui *Enchiridion de principiis iuris naturae* edidit [y] aliquoties recuſum, qui tamen ideo ſcripſiſſe iudicari poteſt, vt conſtaret, quid inter vtrumque fratrem recti et ſiniſtri, docti et vulgaris atque inepti interſit, adeo fratris

s) Conf. BEIERI Notit. auct. iurid. Spec. I. n. 2. THOMAS. l. c. p. 68.

t) In Praef. Grot. vindic. p. 626. Bibl. Grot. p. 749. Bibl. iuris imp. l. c. Io. GROENINGII Bibl. iur. gent. Europ. p. 231.

u) Conf. de eo bibl. iuris imperant. c. 1. ſect. 3. §. 1. 2. p. 16.

x) Lugd. Bat. 1654. 12.

y) Ienae 1663. 12. Conf. Grot. vind. P. II. p. 631 THOMAS. l. c. p. 70. Bibl. iur. imper. l. c. p. 17.

z) Hag. Com. 1667. Ienae 1669.

tris elegantiam et doctrinam non attigit. Meliori fortuna hoc stadium ingressus est Io. HENRICVS BOECLERVS, is cum primus esset, qui in Academiis Grotii librum praelegere iuuentuti coepisset, licet haud leui inuidia professorum academiae Argentoratensis ideo premeretur [a]; commentationes suas tandem cum viris doctis communicare statuit. Prodiit itaque *Commentarius eius ad Grotium Argentorati anno* MDCLXIII, saepius postea recusus. Qui Grotii commentator, cum vltra nugas Scholasticorum sapere, raro eius aetatis exemplo auderet, doctrinae autem philologicae elegantia emineret, et in Graecorum atque Latinorum auctorum lectione esset versatissimus, non illotis manibus ad haec sacra tractanda accessisse tum visus est, licet caput tantum septimum *Libri secundi* commentando attigisset: valdeque se viris doctis; maxime illustrissimo Boineburgio, qui ad hunc laborem suscipiendum cum Forstnero eum exitauerat, commendauit. Insurrexit tamen postea in eum ficto Sarcmasii nomine SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS, qui primo quidem stili elegantiam et historiarum, praecipue Romanarum notitiam, et antiquitatum studium in eo laudauit, sed magis ex commentariis, quam ex ex ingenio sapere, frigide de rebus moralibus scribere, iuris naturalis et gentium controuersias perplexe definire, ac dubitanter decidere obseruauit: postea vero, cum censuram hanc aegre Boeclerus tulisset, stili quoque asperitatem, orationis tumorem et inaequalitatem, antiquitatum Germanicarum ignorantiam, iudicium frigidum, praeceps, ieiunum, loquentiae plurimum, sapientiae parum, hiatus, compilationes, et in iure publico infantiam iracundo ei calamo obiecit. Quae licet negari pertinaciter nequeant, parcius tamen exprobrari poterant, nisi Boeclerus acre et praeseruidum Schurzfleischii ingenium prouocauisset. Nempe imparatus erat Boeclerus a philosophiae et iuris prudentiae cognitione intimiore, et in philologia profana tantum excellebat; mirum itaque haud est, impares huic oneri ferendo humeros illum suppossuisse. His autem praesidiis rite instructus, ad scribendas in Grotii *librum de I. B. et P. Animaduersiones* [b] accessit CASPAR ZIEGLERVS, ICtus Vitebergensis, vir suae aetatis longe doctissimus. Is breuibus quidem annotationibus multam tamen lucem libro Grotiano obscuro in haud paucis et difficili intulit, et modeste multa, praesertim quae ad doctrinam sacram pertinent, reprehendit, emendauitque [c]: vnde factum, vt haud pauci animaduersiones has Zieglerianas laudarent commendarentque: Displicuit autem Boecleriana disciplinae alumnis, praeferri a SCHVRZFLEISCHIO Zieglerum Boeclero, neruosa scribendi breuitate, insigni et prope admirabili diuinarum humanarumque rerum notitia, vnde non frigide modo ea, quae in theologicis annotauit Zieglerus laudarunt, sed intra paucos dies talia a

a) Multis id narrat THOMAS. l. c. p. 72. Specim. iurisp. iud. c. 6. §. 4. p. 62. Bibl. iur. imp. p. 18. Grot. vindic. P. II. p. 627.

b) Viteb. 1666. 8.

c) THOMAS. l. c. p. 76.

mediocris eruditionis homine scribi posse iudicarunt, eo quod antiquae literaturae supellectilem a Zieglero perspicuitati litanti, non afferri viderent. Qui licet exasciatam se operam praestitisse ipse non gloriaretur, ostendit tamen, quid facere potuisset, si secundis curis praemeditata perficere potuisset. Effecit autem istis annotationibus Zieglerus, vt ordinis iureconsultorum apud Vitebergenses membra, aequius de iure naturae cogitare inciperent, quibus ideo Moralistarum nomen haesisse obseruat CHR. THOMASIVS [d]. Tertius his ex iurisperitorum numero accessit vir illustris HENRICVS DE HENNINGES; tum quidem adhuc iuuenis, postea vero summis in aula Berolinensi muneribus admotus. Is enim lecto aliquoties opere Grotiano, *Obseruationes politicas et morales*, tentandi ingenii caussa adiecit, easque postea *Solisbaci anno* MDCLXXIII exire in publicum passus est. *Inueniri in iis*, pronuntiat THOMASIVS [e] *quemlibet, ab affectu vacuum, quae multum faciunt ad intelligendum aut etiam emendandum Grotium, et quae variam viri lectionem, diligentiam et iudicium spirent, vt vix concipere liceat, quomodo illo tempore iuuenis, qui Ienae et Altdorfii, vbi tum ICti iurisprudentiam naturalem negligebant, studiis incubuerat, ad lectionem optimorum auctorum et iudicium ferendum de sententiis communiter receptis, et auctoritate famigeratissimorum ICtorum munitis peruenire potuerit.* At hoc non obstante non neglectus modo liber est, quamuis libere satis, nec sine stili acrimonia quadam a receptis sententiis, discederet, sed fuerunt quoque [f], qui iudicarent, *in philosophia morali non videri admodum fuisse versatum, indeque titubanter illos attingere locos, qui explicandi essent e philosophia practica, et vbi digressionem facere possit, id non intermittere, quaestionesque politicas infercire, quibus opus haud sit, annotationes eius nihil habere vtilitatis, tractare etiam multa aliena et ad interpretationem Grotii nihil facientia, et voluisse sua dicta velut oracula venditare.* In quo virorum doctorum dissensu arbitrii partes lectori relinquimus, id modo monentes, iuuenem has annotationes scripsisse, at ingenio praeclaro et ad res magnas nato praeditum. Adiici his posset IO. ADAM OSIANDER, theologus Tubingensis, qui et ipse *Obseruationes in Grotium* [g] edidit, nisi is hunc sibi scopum constituisset, vt Scholasticorum placita contra Grotium vindicaret, et theologiae puritatem a Grotio interdum turbatam assereret. Inde factum, vt in illo Scholasticum ageret, in hoc Zieglerum plerumque sequeretur. Ex quo de meritis eius in iurisprudentiam naturalem, quam etiam edito *Typo legis naturalis contra Hobbesium* [h] ornare studuit, statuendum, et quid in eo excusari possit, dispiciendum est. Addi his potest haud exigua caterua commentatorum, inter quos innotuerunt nomina Ioannis Georgii Simonis, Ioannis Tesmari, Valentini Velthemii, Vlrici Obrechti, God. Spinaei, Io. Wolfgangi Iaegeri, Christfridi Waechtleri, Cyriaci Lentuli, Iusti

d) l. c. e) l. c. p. 77. f) Vind. Grot. p. 634. Bibl. iur. imp. §. 5. p. 18.
g) Tub. 1671. h) Tub. 1673.

Iusti Christophori Boehmeri, et qui omnium prolixissimus fuit Gerardi van der Muelen, de quibus tamen prolixiora cupientibus historiae iuris naturalis, vel etiam Grotianae scriptores adeundi sunt. Inter epitomatores Grotii autem eminent Io. Georgii Kvlpisii [i], Io. Reinhardi Vitriarii [k], Io. Schefferi [l], scripta, vt tabulas a Io. Pavlino Olivekranzio in hoc opus de I. B. et P. confectas taceamus [m].

Reliqua vitae Grotianae.

§. IX. Patet ex hactenus dictis, quid philosophia moralis Grotio debeat, et quae noua ab eius aetate et labore ab eo suscepto periodus iurisprudentiae naturalis inchoanda sit. Nisi enim Grotius viam aperuisset, non haberemus forte, quod Pufendorsio, Thomasio reliquisque iuris naturalis restauratoribus deberemus. Iam ad eius historiam redeundum, et quo pacto reliquum vitae curriculum absoluerit, paucis enarrandum est. Nempe coëgerunt fata, et inimicitiae in Belgio foederato durantes, quibus Remonstrantium partes mire premebantur, Grotium vndecim annorum moram in Gallia facere, quo tempore maximorum in republica virorum fauore et amicitia vsus est, qui eius in iurisprudentia rebusque gerendis experientiam haud raro in consilium vocauerunt. Sed et ipsi Arausionensium principi Henrico acceptissimus, virisque eruditionis gloria celeberrimis familiaris et longe gratissimus fuit, id quod ex *Epistolis ad Gallos* constat; in quibus leguntur nomina, Iacobi Augusti Thuani, Nicolai Fabri, Petri Ianini, Beniamini Auberii Maurerii, Ioannis Hotmanni, Villerii, Puteanorum fratrum, Nicolai Peirescii, Guilelmi Vairii, Claudii Sarrauii, Hieronymi Bignonii, Petri Gassendi, Io. Cordesii, Ludouici Cappelli, Claudii Salmasii aliorumque. Quorum vel conuersatione vel commercio literario plurimum recreatus longiorem sine dubio in eo regno moram fecisset, nisi congiarium, quod a rege hactenus acceperat, anno MDCXXXI a cardinale Richelio ei iterum fuisset subtractum, vt supra iam monuimus. Cepit ideo consilium reuertendi in patriam, quam licet hactenus ingratam esset expertus, odia tamen et persecutiones, quas nil tale meritus hactenus pertulerat, eius amorem extinguere non potuerunt. Praeterea spem alebat fore, vt principe Arausionensium Henrico Friderico, summae rerum praefecto, qui ipsi amplissime fauebat, mitiora fata subire possit. Vxor quoque patriae desiderio languens vehementer eum instigabat. Media igitur hieme anni MDCXXXI Amstelodamum cum familia successit; quo loco expertus est, non carere se quidem Roterodami, Delphis et Amstelodami amicis et fautoribus, at potentiorem tamen maioremque esse aduersariorum numerum. Quibus non quiescentibus omnemque lapidem mouentibus perpetuo exilio multatus patria excedere iussus est, non dissentiente ob rationes ciuiles principe, certe non impediente. Ita patria eiectus, cum nosset Suecos eius ministerium cupere, Hamburgum se contulit, hospitem ibi nactus mercatorem quendam

i) In Collegio Grotiano.
k) In Instit. I. N. et G. ad methodum H. G. Hal. 1695. 8.
l) In Grotio enucleato.
m) Conf. Stolle. l. c. P. III. c. 2. §. 6. p. 631.

quendam haud illiteratum. Qua in vrbe exilium ei leuauit et loci amoenitas atque frequentia, et popularium suorum veterum atque nouorum turba, qua circumfluebat. Manſit itaque in ea vrbe vsque ad menſem Maium anni MDCXXXIV, tanta animi tranquillitate, vt cum ſemel iterumque ad munia ſplendida obeunda a rege Daniae, duce Holſatiae, rege Poloniarum, et rege Hiſpaniae inuitatus eſſet, dubitaret, annon toties fortunae reflantis procellis iactato tutius eſſet, in hoc portu latenter quieſcere? certe diu deliberandum ſibi eſſe vidit de eo, quod ſemel tantum ſtatui poſſe nouerat. Tandem vt certam familiae ſedem deligeret, deſtinatus iam olim a Sueonum rege Guſtauo Adolpho legationis obeundae muneri, eo quod mirifice illi opus de I. B. et P. placuiſſet, quod ob mortem regis ſucceſſum tum non habuit, regni cancellario Oxenſtiernae vocanti paruit, et legati vices ad regem Galliae regni Suecici nomine ſubiit. Quo axiomate auctus cum anno MDCXXXV, Lutetiam veniſſet, ingratus eius aduentus, ſummo rerum adminiſtro Richelio cardinali fuit, qui, incaſſum tamen loco iſto eum pellere conatus eſt. Omnem enim diligentiam atque fidem adhibuit Grotius, vt eo tempore, quo Galli Suecique praecipui fatorum publicorum arbitri habebantur, in maximi momenti rebus vtiliſſimum ſe atque commodiſſimum Sueciae regno praeſtaret. De quo tamen, cum ad noſtrum inſtitutum id non pertineat, plura non addemus, ſed commentarios publicos hiſtoriae ciuilis eius aetatis praecipue quos PVFENDORFIVS ſcripſit, lectorem conſulere iubemus. Neque tamen ita publicis negotiis occupatus, Muſarum conſuetudini ſe ſubtraxit, ſed virorum eruditione ſummorum conſortio, commercioque literario, lectioni porro, et elaborationi ſcriptorum exaſciatorum, quae aetatem tulerunt, et gloriae aeternitatem conſecuta ſunt, otia ſua tribuit. Debemus enim huic apud Gallos morae Grotii ſecundae, praeſtantiſſimos libros, quorum catalogum elegantiſſimus *Vindiciarum Grotianarum* [n] auctor ſuppeditat. Inter quos ſunt imprimis eruditiſſimi Commentarii in Scripturam ſacram, in quibus licet a typo ſanorum verborum diſceſſiſſe haud raro iudicatus ſit, virilem tamen eruditionem in interpretatione veterum ſcriptorum ad miraculum verſatam prodidit. Quae vero omnia hoc loco, vbi hiſtoriam literariam non ſcribimus, omittenda, et alibi enarranda ſunt. Aſt ita muſeo magis, quam aulae curiaeue ſe tradere, et negotia publica negligentius tractare videri coepit, id quod ex epiſtolis, de rebus ad rempublicam pertinentibus, pauca quae momentum habebant, ad ſenatores regni et imprimis ad cancellarium referentibus haud obſcure conſtabat. Ex eo enim ſatis colligi poterat, legatum viuentium commercio ſeſe ſubtraxiſſe, integrosque dies, et noctium partem quandam libris ſcribendis impendere. Id quod ipſe haud obſcure praefagiuit, ſcribens ad Guilelmum Luſſonium, curiae monetariae apud Pariſienſes praefidem primarium: *Suecici regni cancellarium*

n) In Bibliotheca Grotiana, in fine adiecta.

cellarium se in vmbra literaria delitescentem in lucem resque magnas velle protrahere, se vero nihil magis metuere, quam ne opera sua tanti viri conceptae de se spei minus respondeat. Oxenstierna itaque alium in Galliam mittebat, qui aulae negotiis susceptis, nihil cum Grotio communicauit, contemtimque eum habuit. Quam indignitatem, cum Grotius legati axiomate ornatus pati amplius non posset, missionem honestam petiit, et haud difficulter obtinuit, reuocatus in Sueciam, a Christina, quae iam sceptra paterna capessere coeperat; vt rationem administrationis redderet, quamuis clementer illa sibi operam eius placere, declararet. Rediturus itaque in Sueciam, et per Hollandiam iter faciens pristinas Roterodami sedes inuisit, plaudentibus amicis inimicis frendentibus, et incassum laborantibus, vt transitus per Belgium foederatum illi interdiceretur. Tum Hamburgi, Lubecae, Vismariae, honorifice exceptus et ab architalasso Sueciae, Vrangelio comite Holmiam in naui bellica deductus est. Ibi expositis reginae legationis suae rationibus, missionem denuo honestis precibus orauit, probe gnarus, multos se in ea aula inimicos habere, forte otii quoque literarii, quam lucis aulicae, tum quidem amantior. Fuerunt autem quidam, qui apud reginam minus eum gratiosum fuisse, contenderunt. Nihil tamen huius ex reginae voluntate Grotio declarata apparuit; collaudatus enim a regina impense duodecim mille imperialibus * donatus est. Quod non potuit non iucundissimum Grotio euenire, cum et valetudinis decrementa in aëre grauiori et coelo inclementiore sentiret, et magno desiderio teneretur, suos visendi. Soluit itaque ex portu Dalerensi Lubecam transfretaturus; ast tempestate subito oborta misere in mari iactatus et naufragio proximus ad oram Cassubiae in Pomerania vlteriori reiectus est. Ibi rustico, quod aegre nactus erat, vehiculo, animo non minus quam corpore aeger, per ventos et imbres, continuato per octiduum itinere, cum viribus deficeret, Rostochium peruenit, et viribus exhaustus lecto affixus est. Aduocatus medicus ex spiritibus aegri corporis fractis summum imminere periculum ostendit, et sudore frigido instante, actum esse de vita pronuntiauit. Grotius itaque, qui maximum vitae momentum adesse videbat, praesentiam Ioannis Quistorpii, qui tunc cathedram theologicam in ea academia ornabat, et ecclesiae praeerat, expetiit. Qui cum illico comparuisset, de quaerenda peccatorum remissione per Dei filium, Iesum Christum apud Deum patrem serio Grotium cohortatus, ad preces se conuertit, Grotio submissa voce complicatis manibus illum verba praeeuntem sequente, et filio Dei θεαν-θρώπῳ animam commendante, nec multo post eam placide efflante, anno aetatis LXII, Christi MDCXLV, XV Cal. Septembr. Et varii quidem de morte eius rumusculi disseminati sunt †, parum memoriae Grotia-

*) Hoc de moneta Sueciae cuprea intelligendum est.

†) Vid. Menagiana T. I. p. 409. T. II. p. 322. Vind. Grot. p. 493. 503.

Grotianae honorifici, eo quod de religione eius haud pauci minus beneuole sentirent. Quamuis enim reformatae ecclesiae communionem esset secutus, Arminii partibus licet fauentissimus, Socinianis tamen, quos prius edito egregio libro *de Satisfactione Christi* fortiter prostrauerat, in commentariis biblicis frigidam suffundere voluisse, videbatur. Accedebat, quod ecclesia Carentonensis in Gallia eum admittere noluerat, ipse quoque Petauio familiariter vsus in suspicionem venerat, non abhorruisse ab ecclesiae Romanae confessione amplectenda; quodque pro tolerandis dissentientium sectis, edito *Voto pro pace ecclesiastica*, scripserat, ob quod cum Andrea Riueto litem aluit. Nec negari potest, Grotium non in philosophia modo, sed quoque in religionis negotio eclectice fuisse versatum, quamuis Lutetiae ecclesiam domesticam Reformatorum sacris addictam fouisset. Et hinc factum, vt mox Pontificiis fauisse, mox Socinianos iuuisse, mox atheis se beneuolum praebuisse, hic inde narraretur, et fabellae atque rumusculi inanes de fine vitae eius disseminarentur. Qui tamen ex vna *Epistola Quistorpii ad Calouium* [o], vt plerique volunt, scripta de vltimis Grotii horis, euerti possunt, cum is morienti Grotio adfuerit, et testis minime suspectus sit; is enim Grotium, et peccatorem se publicanum esse, et in solo Christo omnem spem suam habere repositam, fassum esse sicque decessisse testatus est. Cadauer medicis traditum; intestina lebeti aheneo imposita et in templo primario loco honoratissimo condita sunt, cadauer Delphis maiorum tumulis illatum est, et qui viuus exul patria vixerat, defunctus in patriae telluris gremio, cessante inuidia, quietem inuenit, relictis filiis tribus, filia vnica, famaque immortali, quae etiam numis post mortem fuit conseruata.

Character Grotii.

§. X. Fuit Grotius forma corporis satis eleganti et venusta, animo supra communem hominum conditionem diuinis ingenii dotibus emergente. Intellectus acies tanta ei adfuit, vt in intimos veritatis recessus, accurata ratiocinationis serie plerumque penetraret, vis imaginationis tanta tamque amoena, vt elegantissime tum prosa tum ligata oratione scriberet, et incomparabilem dicendi virtutem ostenderet. Amplissimae autem doctrinae copia omnes fere scientiarum partes ita attigerat, vt cunctas non modo perfunctorie teneret, sed vim earum totam possideret. Linguis vsus est praeter vernaculam Anglica, Gallica, Etrusca, cum autem Latinae, Graecaeque et orientalium linguarum vsum sibi comparauerat, quo aliis exemplum commendari posset. Nihilque magis admirationem mereri aptum est, quam quod ab ineunte aetate per totam fere vitam negotiis reipublicae, implicatus, lectionem tamen immensam in veterum et recentiorum scriptorum libris versatam possederit, quae non rudem illi indigestamque molem suppeditauit, sed elegantissimae et recti vsus doctrinae materiam largissime exhibuit. Adiuuabat eum in his memoria

o) Epist. Remonstrant. p. m. 828. ed. rec. Vindic. Grot. P. II. p. 482. seqq.

moria fidiſſima, vt, quae ſemel legiſſet, eorum haud facile obliuiſceretur. Tantam autem in ſtudiorum contentione diligentiam adhibuit, vt ferream patientiam corpusque laboribus vix exhauriendum habuiſſe, ſuſpicari quis poſſit. Praeterea eloquentiae, viribus inſtructus, perſpicue et ſupra modum nitide atque caſtigate dicere ſcribereque conſueuit, vnde euenit, vt quae Latina edidit, veterum elegantiam et caſtitatem mira arte referrent. His multorum tandem annorum exercitatio, in maximi momenti negotiis verſata acceſſit, vnde ampliſſima illi experientia enata eſt. Mirandum itaque haud eſt, phoenicem Belgicum ob rariſſimas ingenii diuini dotes eum appellatum, et inter illuſtriſſima ſui aeui ſidera in coelo literario connumeratum, ab omnium regionum viris doctis vero velut commune oraculum aliquod fuiſſe conſultum. His ingenii diuitiis acceſſerunt virtutes animi praeclariſſimae, et nunquam ſatis laudandae, humanitas et beneuolentia erga quoscunque, animus vindictae cupiditate ſuperior, et in ingratam patriam ad vltimos vsque vitae anhelitus pius: tum inſeruiendi promtitudo, continentia animi a ſorditie et αἰσχροκερδία longiſſime remoti, tandem laudabilis zelus pro veritate religionis Chriſtianae et pace eccleſiae. Quae omnia cum in Grotio manifeſtiſſimis ſpeciminibus emicuerint, talia ſunt, vt non nomine magis, quam re Magnum fuiſſe concedendum ſit. Sunt tamen, qui eum reprehendunt, quod ciuilibus negotiis ſtudia priuata et eruditionis cultum praeferendo, negligentius, quam par erat, in hac arena verſatus ſit, ſenio autem propior, diffidere amicis coeperit, incertus quoque in eligenda inter Chriſtianos diſſentientes ſententia haeſerit. De quibus, ſi vera ſunt, moderate tamen iudicare, et humanae fragilitatis recordari fas eſt; cum magnis quoque et pulcherrimis corporibus naeui ſui inſint. Illud certiſſimum eſſe, nemo inficias ibitur, immortalibus meritis philoſophantium choros ſibi deuinxiſſe Grotium, quod diſciplinam, ad tuendam ſocietatis humanae felicitatem tot nominibus neceſſariam, et rerumpublicarum ſaluti deſtinatam, turpiterque tamen prius neglectam et contemtam inſignibus conatibus in lucem protraxerit, iisque luminibus inſtruxerit, vt in vnius ſeculi decurſu plus in ea praeſtare philoſophi potuerint, quam per omnem orbis viuentis et philoſophantis aetatem, non modo factum haud eſt, ſed et fieri nequiuit. Quibus forte careremus, niſi Grotio vſa eſſet diuina prouidentia, ad id iter recludendum, quod poſt eum tot praeſtantiſſimi viri, magna felicitate ingreſſi ſunt, coepta a Grotio feliciter perficientes.

§. XI. Nempe excitauit exemplum Grotii tanta felicitate in iurisprudentia naturali colenda verſati viros alios, doctrinae laude non minus fulgentes, vt paria audere, et de hac gloria certare cum Grotio, vel eius quoque veſtigia ſequi auderent. Et prius quidem inſigni eruditionis apparatu aggreſſus eſt IOANNES SELDENVS, magnum olim Angliae *Ioannes Seldenus.*

ornamentum. Natus [p] ille est Saluingtoni in Suſſexiae prouincia, VI cal. Ian. anni MDLXXXVII. Is cum praeclaris ingeniis a natura conceſſi dotibus frueretur, in academia Oxonienſi, iurisprudentiae, philoſophiae et antiquitatum, maxime orientalium ſtudiis tanta induſtria, tantisque eruditionis ſtupendae profectibus ſe tradidit, vt inuidendum magni dictatoris doctrinae nationis Anglicae nomen conſequeretur. Valde autem iuris Anglicani notitiam tenuit, cumque eloquentia valeret, magna eius in iudiciis auctoritas fuit. Ad *Hiſtoriam decimarum* praefatus ita clerum Anglicanum in ſe irritauit, vt coram iudicio delegatorum agnoſcere culpam coactus ſit, id quod implacabili eum odio in ordinem eccleſiaſticum armauit. Vtebatur enim magna ſentiendi dicendique libertate, maxime in comitiis procerum regni, qua anno MDCXVIII carceris animaduerſionem meruit. Doctrinae autem incomparabilis praeſtantia, iudicio acerrimo iuncta, maximis eum regni muneribus admouit; anno MDCXLIII enim tabularii regni, quod in arce Londinenſi eſt, ſumma ei cura et biennio poſt, rerum maritimarum cognitio demandata eſt. Vnde opibus affluens librorum, etiam mſc. copiam ſibi praeſtantiſſimam et abundantiſſimam comparauit, maiorem eruditionis partem autem in philologiae orientalis ſtudio demonſtrauit, in cuius monumentis ad miraculum erat verſatus. Cuius ſpecimina per ciuiatem eruditam immortali gloria conſpicua ſunt, *liber de diis Syris, origines eccleſiae Alexandrinae; marmora Arundelliana, libri de ſucceſſionibus in bona defuncti, et de ſucceſſione in pontificatu ſecundum leges Hebraeorum: vxor Hebraea, ſiue de nuptiis et diuortiis; de anno ciuili et calendario Iudaico*, quae maximis laudibus cumulare viri docti ſolent [q]. Quibus ingenii monumentis, iuuandisque etiam aliorum ſtudiis [r], intentus prid. cal. Dec. anno MDCLIV mortalium fato conceſſit. Locum autem hic maxime poſtulat ob *Ius naturae et gentium ſecundum diſciplinam Hebraeorum;* de quo dubium non eſt, quin gloriae Grotii aemulus hoc argumentum tractandum elegerit. In eo ſeptem praecepta Noachitica, quibus nihil celebrius eſt in hiſtoria iuris Iudaici, fundamenti loco elegit, et ad ea omnia retulit, quae vaſta et exercitata in orientalium ſcriptis lectio illi ſuppeditabat adeo, vt nimia literaturae orientalis copia grauata tractatio, ſyſtema illud quod de iure naturae ſibi auctor conſtruxerat, recondat magis, quam in apricum producat. Id quod permouit B. Io. Fr. Buddeum, vt omiſſis iis, quae ex abundantiſſimae eruditionis penu ad hoc argumentum illuſtrandum auctor attulerat, *Synopſin iuris naturae et gentium iuxta diſciplinam Hebraeorum ex Seldeno extractam* ederet, repetita vice cum Vitriarii *Inſtitutionibus iuris naturae et gentium* [s] editam. Et copiam

p) Vitam illuſtris viri Operibus eius anno 1726. iunctim editis praefixit David. Wilkinsius, conf. Act. Erud. 1726. Nou. art. 1.

q) Conf. Pope-Blount. Cenſ. cel. auct. pag. 990. ſeq. Bibl. iur. imp. c. 1. poſ. VII. p. 66.

r) Pocockio haud exiguam partem Mſc. Arabicorum tradidit, quae is edidit, de quo praef. eius in Eutychii Annales meretur conferri.

s) Halae Sax. 1695. 8. 1701. Lugd. Bat. 1705. 8. Francof. 1717. 8.

piam quidem lectionis atque antiquitatum Iudaicarum de hoc argumento collectarum laude sua dignam et prorsus in hoc libro admirabilem esse, eruditi tantum non omnes confessi sunt, doluerunt autem, quod de iure naturali ad vniuersum humanum genus spectante disputaturus, ad traditiones Hebraeorum parum philosophice confugere, quam rem ex domesticis principiis haurire maluerit. „Recteque obseruatum SAMVELI PV„FENDORFIO [t], opus hoc cetera eruditissimum et quantiuis pretii vocan„ti, obstare momenta haud pauca, cur attemperati ad captum omnium „populorum systematis in iure naturali vicem subire nequeat. Nempe ibi „non satis exposita esse ea, quae ad paediam iuris naturalis pertineant, „velut illa praecognita, quae ad praecepta legis naturalis, earumque ra„tiones plene et distincte intelligendas requirantur, et quidem quae velut „domestica sint huic iuri, nec ex aliis disciplinis mutuo sumantur. Dein„de Seldenum legem naturalem non deducere ex tali aliquo principio aut „hypothesi, cuius euidentiam omnes nationes agnoscant; aut ad quam „agnoscendam argumentis ex rationis lumine petitis adduci queant. Nam „fundamenti loco substernere septem illa praecepta Noachidarum, de quo„rum auctoritate non constet, an ex diuina informatione vel propria ra„tiocinatione innotuerint; praecipue cum nec αὐθεντία earum probaue„rit, nec ex conuenientia cum natura humana deriuauerit. Denique et „illud tantum agere Seldenum, vt quid doctores Hebraeorum senserint, „exponat; quam accurate autem istorum sententia cum sana ratione con„gruat, parum examinet &c.“ Quae rectissime moneri, ostendit CHR. THOMASIVS [u] praeclare addens, librum hunc magis ad historiam iuris diuini positiui vniuersalis pertinere. Et hoc quidem nomine in philosophiae Iudaicae historia vtilem operam praestat, ita tamen, vt lectore accurato et iudicii lima instructo opus habeat, ad quam ea exigenda sunt, quae cumulauit magis, quam digessit Seldenus. Reliqua, quae *de Mari clauso* cum Grotio disputauit, supra tetigimus, quibus valde se in aula Britanniae regis commendauit, oppugnatus autem est a Petro Baptista Burgo, cui *Vindicias existimationis suae de scripto mari clauso* opposuit. Secuti vestigia Grotii et Seldeni sunt, sed impari gressu Io. Ioachimus Zentgrauius, Io. Wolfgangus Textor, Dauid Meuius aliique, quorum tamen opera nihil iurisprudentia naturalis promota est. Eos igitur non moramur, sed lectorem ad historiae I. N. scriptores ablegamus.

§. XII. Relicta itaque gloria, ea quae in condendo iurisprudentiae naturalis aedificio Grotius inchoauerat, absoluendi, et ad iustam maturitatem perducendi, fuit SAMVELI PVFENDORFIO, viro non nominis modo dignitate, sed et immortalibus de iure N. et G. meritis et *Samuelis Pufendorfii vita.*

t) Erid. Scand. p. 200. conf. GROENINGII Bibl. iuris gent. Europ. L. III. c. 8. p. 267.
u) Hist. I. N. c. 6. §. 13. p. 88.

elegantissimis commentariis historicis illustri, cuius historiam ea, quam meretur diligentia nondum conscriptam fuisse dolemus. Quamuis enim eiusmodi biographiam [x] anonymus quidam adiecerit libro Pufendorfii, quem sub Monzambani nomine, vulgauit, multa tamen ei narrationi deesse ἀνέκδοτα et aliunde supplenda, recte obseruatum cel. HEVMANNO [y]. Vnde laudanda illustris THOMASII industria, qui plerasque arcanas circumstantias ad controuersias Pufendorfianas pertinentes collegit, et non sine acri iudicio in *Historia iuris naturae* [z] adduxit. Nostro nos hoc loco modulo et pede metiemur, et quantum licet, memorabilia omnia strictim complectemur. Vidit prima vice lucem Samuel Pufendorfius, cum fratre Esaia ingenii quoque operibus celeberrimo non confundendus, in vico Fleh, vno tantum miliari Chemnitio distante anno MDCXXXI, genitus patre Elia Pufendorfio, qui sacro in eo loco munere, a maioribus accepto fungebatur. Qui cum opibus parum affluueret, coactus est filius Samuel, iactis in schola Grimmensi disciplinarum fundamentis, panem sibi institutione puerorum, parare. Absoluto studiorum scholasticorum curriculo, academicum apud Lipsienses stadium ingressus, Hulsemannum sibi ductorem doctoremque praecipuum elegit, et philosophiae atque literis sanctioribus se tradidit. Tum ad Musas Salanas conuersus, in aedes Erhardi Weigelii, quem philosophiae et mathematicarum artium peritia tum extulerat, receptus, celeberrimi viri disciplinae se tradidit, qui cum igneam vim animi, et ingenii excelsi vires in eo obseruauisset, amare eum vehementer, atque literarum arcanis innutrire coepit, et ad capiendum in philosophia excolenda animum vehementer cohortatus est. Ipse cum philosophiam certiori methodo tractari posse crederet, et imprimis moralem doctrinam mathematici ordinis accuratione atque legibus tradere tentauisset, edita *Delineatione arithmetica philosophiae moralis;* secundum methodum ab Euclide adhibitam adornare ethicae institutiones aggressus est, quas *Ethicam Euclideam* inscripsit, affectam autem perficere non potuit. Is cum alacrem et ad meliora audenda promtissimum videret Pufendorfii animum, auctor ei extitit, vt in hoc argumento aliquid conaretur, quem in finem ethicam istam Euclideam illi concessit, vt cogitata inde perficeret. Vnde ad hunc consiliorum suorum de emendanda hac doctrinae moralis parte auctorem ipse PVFENDORFIVS [a] prouocat. In hac ergo disciplina Weigeliana, duo capita didicit, quae in scientiarum circulo maximi momenti esse recte censentur, quaeque fundamentum fuere, cui noui aedificii moralis summam Pufendorfius inaedificauit. Nempe praestantissimum esse eum, qui seueritate laudabili adhibetur, geometrarum ordinem atque demonstrandi leges, etiam in argumento philoso-

phico,

x) Denckwürdige Lebens-Memoire des Herrn Samuels von Pufendorf. Conf. Bibl. iur. imp. c. 1. pos. V. §. 2. p. 31.

y) Act. phil. Vol. III. p. 642.

z) l. c. §. 15. seqq. p. 90. seqq.

a) Praef. Element. iurisprud. vniuers. conf. THOMASIVS l. c. p. 91.

phico, et hanc methodum ad id adhibendam esse, vt ex definitionibus certis et perspicuis, exque axiomatibus atque principiis a nemine in dubium vocandis, consequentiae deducantur actionumque humanarum moralitas hoc pacto exploretur, et quae natura sit atque indoles entium moralium, inde certissima luce pateſcat. Deinde didicit quoque a Weigelio, detestabilem esse errorem scholae Peripateticae, moralia non cadere sub demonstrationem. Quem tamen iam ante Pufendorfium vidit et detexit HERMANNVS CONRINGIVS [b], locumque esse etiam in morali argumento demonstrationi euicit, vt illustri CHR. THOMASIO [c] obseruatum. Qui recte aliquoties monuit, plurimum nocuisse hunc errorem scientiae morali, ipsique veritati, fontem autem eius verum esse putauit, emolumentum cleri, vt ita laici adigerentur determinationem actionum iustarum et iniustarum ab ipso clero et scholasticis petere. In quo fefellit virum summum suspicio, clero iniquior, et errores cunctos ad eorum ambitionem et dominationem tantum referens. Longe enim antiquior est, et incrementa doctrinae moralis maturius retardauit, quam aetas scholasticorum, et barbaries, quae literis, moribus, ipsique conscientiae pessimis artibus aeuo medio imperauit, inualuerunt. Origines enim huius dogmatis ex Pythagorica et Platonica philosophia petendae sunt; quas hoc loco verbo tangere et velut in transitu, ideo non abs re erit, vt quid Pufendorfium aliosque viros doctos permouerit, vt ad demonstrationes in morali philosophia quaerendas, relictis nugis Graecanicis et Scholasticis, digrederentur, intelligatur. Scholae scilicet Italicae et Platonicae ex veteri et barbarica philosophia decretum certum atque fixum erat, materiam nihil reale et per se subsistens esse, sed fluere eam semper, neque vel momento eandem manere, vt alio loco demonstrauimus. Ast scientiae locum non esse posse statuentes, nisi de subiecto certo, aeterno et immutabili, entia immutabilia, aeterna, per se subsistentia, numeros puta, ideas, formas, archetypa excogitauerunt, inque his solis scientiam versari circa τὰ ὄντως ὄντα dixerunt, vt alibi ex instituto dictum [d]. Haec principia aeterna cum iungi materiae dicerent, ad ea sola scientiam respicere posse putauerunt. Vnde de rebus physicis et metaphysicis maximam sibi scientiae certitudinem arrogauit schola Platonica. Vidit Aristoteles risitque entia eiusmodi extra materiae sinum excogitari, quae non constare tamen possent sine materia, vnde emendaturus systema praeceptoris formas rerum materiae esse immensas statuit. Ex quo errore semel admisso necesse erat fluere: de rebus physicis dari scientiam, cumque principia materiae insint, locum quoque esse posse demonstrationi. In moralibus autem cum formas eiusmodi immutabiles rebus non inesse Aristoteles cerneret, de scientiae atque demonstrationis subiecto desperans, morali

Origo opinionis, moralia non cadere sub demonstrationem.

b) Vid. eius epistola praemissa VIOTTI libro de demonstratione, aliaque de opere Pufendorfii, quae extat in THOMASII l. c. p. 176.

c) pag. 91.

d) In Hist. phil. de ideis sect. I. §. 27.

morali disciplinae demonstrationis certitudinem denegauit, ratus principia moralia ex hominum populorumque indole, legum statutis, morum varietate valde variare, nec ad certitudinem physicam posse reuocari [e]. Ideo virtutem definiuit, esse medium vitiorum et vtrinque reductum, et decori rationem mire inter homines moratiores diuersam et dissentientem ad virtutum definitionem respicere iussit. Quo pacto omnino verum erat, in moralibus, sc. Peripateticis, non dari demonstrationem. Acceperunt hoc assertum cum reliquis scholastici, qui cum inepto formarum dogmate essent toti occupati, videre certitudinem in disciplina morali, isto praeiudicio occoecati non potuerunt. Neque multum illis desudandum visum est, inquirendo, vtrum recte se haec omnia haberent, cum et sacrosancta Aristotelis auctoritas illis esset, et prona consequentia ex hoc errore flueret, ad tenendam rerum moralium certitudinem alio auctore et iudice opus esse, qui θεοπνευστίᾳ quadam instructus, quid rectum, iniquum, bonum malum sit, auctoritate summa decernere possit. Quem cum in Romano pontifice se inuenisse crederent, infinitis quidem disputationum anfractibus incertitudinem moralem confirmarunt, vt autem aliam certitudinis moralis normam suis consiliis conuenientiorem haberent, ius canonicum, velut mirum dogmatum moralium chaos conflarunt, et hoc pacto de recti honestique regula atque ratione se solos decernere posse commenti sunt. Vidit id, vt acerrimo iudicio vtebatur, Lutherus, et quam pestem in moralem doctrinam intulisset ethica Aristotelica atque ius canonicum magnis vocibus denunciauit. Ast comtius et placidius tractaturus Melanchthon, locum tamen esse posse ethicae Aristotelicae ad honestatem morum ciuilem, sed ex aliis simul fontibus emendandae augendaeque, censuit. Cuius auctoritas cum inter innumeros discipulos maxima in philosophia esset, expurgari error turpis et ineptus non potuit. Donec seculo XVII pauci viri docti perspicerent, demonstrationis certitudinem et necessitatem non ex subiecti certitudine physica, sed ex principiorum et axiomatum veritate necessaria et aeterna originem habere. Quod cum ad morales notiones siue entia, quae vocat, adhibuisset Pufendorfius, ex emendata hac demonstrationis moralis indole certius moralis doctrinae systema condere aggressus est.

Studium Pufendorfii iurisprudentiam naturalem emendandi.

§. XIII. Sed vt ab hoc diuerticulo in viam et ad Pufendorfii historiam redeamus, fundamentis moralibus certioribus ita positis ad docendam philosophiam animum is adiecit, eiusque facultatem, acceptis iuribus et honoribus in philosophia summis ab ordine philosophico academiae Ienensis nactus est. Id quod ineptissimo scommate ei obiecit Becmannus [f] eo quod iurisprudentiae honores non suscepisset, cum ad tradendam iurisprudentiam naturalem istis quidem philosophiae iuribus et priuilegiis satis esset ornatus

e) Conf. quae luculenter disserit NELDELIVS de vsu Org. Arist. P. III. c. 4. p. 75.

f) Vid. Act. phil. Vol. III. p. 650. vbi extat epistola Pufendorfii ad Klingerum.

natus et instructus. Ostendit autem more in academiis recepto, specimi-nibus publicis, quantum in doctrina solidiori ipsaque philosophia castius seruanda colendaque profeciſſet. Idque etiam Lipsiam redux demonstrauit, ex qua Musarum sede ad legatum Suecicum Coyetum in aula Hafniensi commorantem vocatus est, vt filiis eius disciplinarum elementa traderet [g]. Vix autem mensem vnum atque alterum eo in loco atque statione commoratus, fortunae insidias valde timendas expertus est. Oborto enim inter Suecos Danosque bello, cum legatus Sueciae, in cuius familia Pufendorfius tum viuebat, patriam repeteret, succeſſori Stenoni Bielkio Pufendorfium reliquit. Hafnia autem a Suecis obsessa captus est cum aliis Suecorum ministris Pufendorfius, vna cum fratre Esaia, durauitque ista captiuitas octo menses, quibus praeter reliqua vitae incommoda et eruditorum societate atque conuersatione, et libris omnibus caruit. Cum itaque lectione tempus fallere non posset, ad meditationem confugit, cumque Hobbesii et Grotii cogitata subinde animo recoleret, quid in illis rectum, quid falsum vel suspectum esset, expendere coepit. Attentus autem ad ea, quae a Weigelio didicerat, repetensque memoria, demonstratiuam dari moralis doctrinae methodum, eamque haud infeliciter Weigelium in ethica Euclidea iniisse, abiicere incerta Scholasticae et Peripateticae ethicae principia et ineptias varias relinquere, nouamque atque certiorem viam sternere constituit, qua ad ipsam rerum moralium naturam atque indolem attento indubitata ac euidentia philosophiae moralis principia patescere possent. His cogitationibus intentus pestilenti febre, quam petechialem vocant, corripitur, et ancipiti duplicique malo premitur. Verum et sanitatem ei restituit, et ex custodia Danorum liberum eduxit diuina prouidentia. Dimissus itaque in Sueciam vicinam anno MDCLIX, cum fratre transfretauit, et Soranam academiam paucos dies inuisit [h]. Postea cum heri sui filiis Hagam Comitum abiit, quo loco prima futurae promotionis fundamenta Pufendorfius posuit. Frater enim Esaias eo tempore in ministerio Ottonis Guilelmi comitis Koenigsmarckii erat, et comes ei in itinere Anglicano adhaerebat, cum per biennium studiis eius formandis in Germania esset adhibitus. Qui cum plurimum in aula Holmiensi valeret, illi Lugduni Batauorum commoratus Pufendorfius Io. MEVRSII *Miscellanea Laconica* dedicauit. Acceperat enim non hunc modo libellum posthumum, sed et alios, *Themidem Atticam*, *Ceramicum geminum*, *Cretam*, *Rhodum*, *Cyprum*, *Theseа*, itemque LAVRENBERGII *Graeciam veterem* a Petro iulio Coyeto, et has optimae notae scriptiunculas in Belgio versatus edere coeperat, reliqua iam ministerio Suecico addictus Io. Georgio Graeuio edenda postea commisit [i]. Et hoc quidem pacto cum prima tentandae inter eruditos famae conamina feciſſet, ea quae de iurisprudentia naturali certiori fundamento et methodo

g) Erid. Scand. p. 126. h) Ibid. p. 127. i) Vid. Praef. miscell. Lacon.

do veriori demonstranda meditatus erat in chartam coniecit, sicque Hagae Comitum anno MDCLX *Elementa iurisprudentiae vniuersalis* edidit, recusa postea Ienae MDCLXIX [k], et *Sphaera morali* aucta. In quo opusculo geometrarum morem imitatus, libro primo definitiones viginti et vnam rerum moralium affert, iisque libro secundo axiomata duo et obseruationes quinque subiungit. Quia tamen ἀνενύμως prodiit, nonnulli eum foetum Pufendorfio tribuerunt, sed perperam. Placuit quidem liber ob accurationem nonnullis, plerique autem eo quod mathematice scriptus esset, contemserunt, et hinc forte ratio deriuanda est, quod, licet iam in eo noua iurisprudentiae naturalis principia Pufendorfius attulisset, nemo tamen illi controuersiam mouerit. Patuitque anno MDCLXIII demum, quod de hoc opusculo virorum doctorum iudicium esset. Cum enim illustris Boineburgius, iuuandis augendisque literis valde intentus, viris in scientia ciuili excellentibus Forstnero, Conringio, Boeclero et Pufendorfio auctor esset, vt ad scribendam historiam recessuum imperii, corpusque legum naturalium conficiendum animum adiicerent, Pufendorfius suam de doctrina iuris naturae et gentium sententiam libere aperuit; qua epistola communicata, opinionem quoque suam dicere de ea re Conringium et Boeclerum Boineburgius iussit. Ille igitur, vt erat ἀκριβείας iudex haud contemnendus pleraque sibi, maxime demonstrationem mathematicae aemulam perplacere, professus est, cumque luculenter Pufendorfius in ea epistola [l], qua ratione doctrina moralis iuuari possit, ostendisset, Boineburgium Conringius excitauit, vt illum vrgeret, quo pergeret spretis vulgi vocibus, et a tam praeclaro instituto ne desisteret, se enim non dubitare, ab illo nihil non eximium expectari, non in morali tantum, sed in politica etiam philosophia, vbi ad illam animum aliquando appulerit. Boeclerus autem valde abiecte de Pufendorfio iudicauit, et ingenium quidem habile, promptum ad magna iturum, si magistram modestiam asciuerit, se amare in eo et aestimare fassus est, ast iactantiam illi, Grotium exscriptum, veteris philosophiae ignorantiam; dubitationes relictas et similia alia exprobrauit: nempe cathedrario fastu nihil ferens, quod non ex sua disciplina processisset, quo nomine recte censuram THOMASII meruit. Aliter autem visum magno literarum ea aetate statori, Carolo Ludouico, electori Palatino, cui literis praeclare fauenti, virosque doctos ad eas iuuandas auctoritate et praemiis excitanti libellum illum Pufendorfius inscripserat. Epistola itaque sua manu scripta [m], princeps humanissimus ei gratias egit, et quam mire sibi disciplinae vtilissimae cultura placuisset, testatus de beneuolentia sua certum eum esse iussit. Commendauisse se vero Pufendorfium laudato et in partes suas pertracto, Hobbesio, auctor est LEIBNIZIVS,

k) Cantabrig. 1672. 8. Francof. 1680. 1694. 8. Conf. Bibl. iuris imp. l. c. p. 30.

l) l. c. App. p. 156. vbi istae epistolae cum eius annotationibus ex HABERKORNII sole resplendescente iurisprud. Iustinianeae repetitae sunt. Extant quoque in Io. GROENINGII Bibliotheca iuris gent. Europ. L. III. c. 9. p. 276.

m) Extat apud GROENING. l. c. p. 307. et LUDOVICI Hist. I. N. p. 28.

NIZIVS [n], at non immerito de eo dubitat Cl. STOLLIVS [o]. Certius autem et extra dubitationem positum videtur, principem optimum, et de disciplinis philosophicis magna accuratione iudicantem, vtilitatem et necessitatem huius disciplinae, et amorem philosophiae impulisse, vt tam egregio fauore conatus Pufendorfii exciperet: simili enim desiderio instinctum Spinozam quoque ob philosophiae peritiam Heidelbergam vocare voluisse, ex supra dictis constat [p]. Sensit etiam Pufendorfius, non verbis tantum ipsi electorem fauere: princeps enim sapientissimus, cum nouam ei philosophiae moralis circa ius naturae et gentium versantis cathedram constituere placuisset, primum in ea nouae disciplinae doctorem Pufendorfium esse iussit. Concessit itaque Heidelbergam, in qua schola, cum tanta industria in scientiis versaretur, vt obiicere Beckmanno ipsi insultanti potuerit: *Se vno anno Heidelbergae plures libros legisse, quam Becmannus per totam vitam inspexerit* [q], non modo insignem literaturae veteris cognitionem adeptus est, qua postea opus *de I. N. et G.* ornauit, sed et magnum iuuenum, studiis inuigilantium aceruum ab ore suo pendentem circa se habuit. Ipse quoque prodidit [r], nobilem illam iuuentutem, quae se disciplinae eius tradidit, tantam ei inuidiam peperisse, vt eidem a se alienandae conspiratio iniretur. Nihil autem praeclare magis testatur, quo loco tunc Pufendorfius habitus sit, quam quod sereniſſimus Elector filium illi suum primigenitum doctrina philosophica imbuendum tradiderit, cumque iam de eo in Sueciam euocando decretum esset, filio huic suo certum aliquod pensum extra ordinem explicare eum iusserit, quod intra tres menses aestiuos fuit absolutum. Quod cum ab ipso electore, principe diuinarum atque humanarum rerum callentissimo ipsi iniunctum fuerit, recte ad testimonium vitae et doctrinae retulit Pufendorfius. Quem vehementer quidem electori displicuisse mentitus est Becmannus, contrarium autem ex insigni, quo eum honorauit elector, munere constat, qui etiam post illius ex Palatina aula discessum gratiae ei testimonia, et verbis et re ipsa haud vna vice testatus est [s]. Factum id anno MDCLXVII, quo fama Pufendorfii et praeclara de literis merita valde augeri et ad exteros perferri coeperunt. Cuius luculentum specimen est, quod regni Suecici cancellarius ad fratrem Pufendorfii, tunc Parisiis residentem scripserit, eumque rogauerit, vt ipsi persuaderet, ne vocationem Suecicam renueret. Cuius suasu tandem professionem iuris naturae in academia Londinensi, in Scania, honestissimo stipendio, concessoque loco primario accepit, illuc anno MDCLXVIII profectus. Quam spartam vt in schola recens excitata rite ornaret, post iacta disciplinae eius, quam tradendam acceperat, fundamenta, ius naturae, iusto tandem systemate complectendum esse, seruatoque ordine accurato abiecta taediosa παιδείας

n) Leibniziana, p. 181.
o) Hist. lit. P. III. c. 2. §. 11. p. 637.
p) Vtebatur autem elector erga Pufendorfium quoque interprete Io. Lud. Fabricio, vid. Er. Scand. p. 122.
q) Act. phil. Vol. III. p. 656. Er. Scand. l. c.
r) l. c. s) ll. cc.

mathematicae aemulatione, iuris naturalis praecepta explicanda ſtatuit. Quamquam enim doctrinae ciuili quoque ſe tradiderat, eiusque arcana mira animi ſagacitate erat aſſecutus, cuius ſpecimen eſſe poteſt elegantiſſimus, quem adſcititio SEVERINI DE MONZAMBANO nomine Heidelbergae in vulgus emiſit tractatus, *de Statu imperii Germanici* [t], (quem miris contradictionibus, refutationibus fiſcique publici vexationibus preſſum, ſummorum tamen virorum KVLPISII et THOMASII commentationibus dignum viſum eſſe, in hiſtoria critica et literaria iuris publici Germanici exponendum eſt) nulla tamen in re magis vim ingenii diuinam, elegantiſſimae doctrinae innutritam demonſtrauit, quam in nouo illo I. N. et G. opere, cuius hiſtoriam, ob inſtituti rationes paulo plenius trademus.

Pufendorfii ius naturae et gentium.

§. XIV. Sumſit Pufendorfius occaſionem extruendi noui aedificii I. N. et G. partim ab adhortationibus illuſtriſſimi Boineburgii, ſupra iam tactis, quibus eum ad formandam legum naturalium collectionem inſtigauerat, et quibus obſequi ſe velle, in luculenta, qua rationem modumque conſilii ſui expoſuit, epiſtola promiſerat; partim quod iuuenilem iurisprudentiae diuinae laborem, emendare et maturiori aliquo ſcripto illius immaturitatem veluti publice deprecari vellet. Accedebat, quod ab electore Palatino primus iuris naturae ac gentium profeſſor conſtitutus, in eo ſibi elaborandum eſſe crederet, vt ad eam diſciplinam excolendam aliquid conferret, quae primo ipſo interprete in cathedras aſcendiſſet. Et quamuis Grotium, Hobbeſium, Seldenum laude ſua priuandos eſſe minime duceret, ratus tamen, eſſe haud pauca, quae adiici, nonnulla, quae mutari emendarique poſſent, manum ipſe operi admouere, eoque, qui commodiſſimus ipſi viſus fuerat ordine digerere, obſeruationes ſuas ad ius naturae et gentium ſpectantes conſtituit, id laboraturus, vt omnia ſolidis et perſpicuis rationibus, quantum fieri poſſet, confirmaret, et illa, in quibus ante eum alii impegerant, declinaret, bona fide ſuum cuique reſtituens, neque tamen in eiusmodi materia, in qua ſuo iure ratio regnat, vllius hominis auctoritatem tanti faciens, quin id potius amplecteretur, quo grauiores rationes ducerent. Fundamentum itaque in principio aliquo communi, primo, certo atque perſpicuo, ex quo hominum inter ſe officia et obligationem (de quibus ſolis ſibi ſtatuendum in hoc opere ſumſit) luculenter deriuare poſſit, quaerens, ſtudioſe ſibi cauendum exiſtimauit, ne reuelationis et rationis lumina miſceret atque confunderet. Illud autem principium in ſocialitate hominis cum Stoicis, Grotio, Cumberlandioque inueniri credidit, quod nullum aliud principium deprehenderet, ad quod admittendum, ipſa mortalium conditione ſuffragante, adigi poſſent omnes homines, quamcunque demum perſuaſionem circa diuina haberent. Religionem vero, quae officia erga Deum praeſcribit, ita conſiderandam hoc loco putauit, quatenus illa ſocietatibus hominum effica-

t) Conf. Biographia Pufendorfii laudata p. 740.

efficaciſſimum vinculum praebeat, eaque quae aduerſus ſe ipſum homini obſeruanda ſunt, eandem vtique ſocietati commodiorem reddant. Huic itaque fundamento totum, quod magna induſtria condidit, iuris naturalis aedificium inaedificauit, ita in hoc labore verſatus, vt definitiones primo iuſtas rerum notionumque moralium, quas entia moralia commode vocat, daret, videbat enim ex illis neglectis nebulas lectoribus hactenus eſſe offuſas. Sunt autem entia moralia modi quidam, rebus aut motibus phyſicis ſuperadditi ab entibus intelligentibus, ad dirigendam potiſſimum et temperandam libertatem actuum hominis voluntariorum, et ad ordinem aliquem ac decorem vitae humanae conciliandum. Horum autem entium moralium dari certam notitiam, maleque diſciplinis moralibus certitudinem apodicticam abiudicari, ante omnia eleganter et perſpicue demonſtrat Pufendorfius, ratione a mathematicis petita, quos demonſtrare nemo negat. Viditque recte vir acutiſſimus originem erroris potiſſimum inde oriri, quod ſubiectum demonſtrationis neceſſarium requirendo, id de ente neceſſario exiſtente intellectum ſit; cum ſubiectum demonſtrationis non ſit ſimplex aliquis terminus, ſed integra enunciatio, cuius neceſſaria veritas ex certis principiis ſyllogiſtice deducatur; et ſufficiat, ſi poſita exiſtentia certas ipſi affectiones neceſſario competere, ex indubitatis principiis oſtendi queat. Nec indifferentes eſſe actus morales, recte obſeruat, quia intrinſecam habeant vim ad ſocialitatem, licet reſpectu exiſtentiae a libertate voluntatis dependentis dicantur contingentes. His ſuppoſitis ante omnia actionum moralium principia et affectiones, tum qua ratione per imputationem cum homine veluti moraliter connecti intelligantur, conſiderat, indeque quid intellectus, eiusque operatio circa moralia, quid conſcientia, ignorantia errorque theoreticus et practicus ſit, diſpicit, et voluntatem, eiusque tendentiam in bonum, libertatem, et affectiones intuetur; et tum, quae ex harum facultatum natura atque indole exoriantur actiones morales, declarat, quidque ad actionem moralem, cauſſamque vt imputari vel non imputari poſſit, requiratur, definit, et qua ratione imputatio ſe habeat, luculenter explicat. Deinde actionum moralium normam, ſeu legem, intuetur, deſcribendo, quid conſilium, pactum, ius, lex, obligatio ſit, et quid ad obligationem legis requiratur etc. hisque ſubiungit actionum moralium qualitates, quidque actio neceſſaria, licita, bona, mala, iuſta, iniuſta, quid iuſtitia, quid iniuria ſit, exponit, imputationis quoque et meriti naturam contemplatur. Ita actionibus moralibus in genere conſideratis, libro ſecundo naturam hominis reſpectu ad legem expendit, demonſtrans, hominis naturae non congruere, vt viuat exlex, nec tamen ſtatum naturalem Hobbeſii, naturae humanae conuenire, ſed lege opus fuiſſe, ad quam creaturae rationales ſe componere tenerentur. Hinc de iure naturali diſputationem exorſus, eius obiectum non eſſe neceſſarium ante legem contendit, nec niti conſenſu gentium vel vtilitate, nec ex dictamine conſcientiae colligi poſſe, ſed genuinum fundamentum ex conditione hominis petere aſſerit. Quibus praeſuppoſitis, quae

ex hac natura atque conditione hominis officia et praestationes erga se ipsum exoriantur, tradit, et defensionis naturam illustrat, quodque ius, quem fauorem necessitas habeat, eleganter delineat. Tertio autem libro leges naturales ad alios respicientes prolixe exponit, quae sunt: vt nemo laedatur, et, si quod damnum fuit datum, reparetur; vt omnes homines pro aequalibus habeantur, vt promiscua officia humanitatis ad promouenda alterius commoda exerceantur, vt seruetur pactorum fides et obligatio, cuius naturam hoc loco describit, et quae indoles pactorum et promissorum in genere sit, qualis consensus circa promissa et pacta sit adhibendus, quae possint promitti vel pacto iniri, quae conditiones eorum adiici queant, quibus ministris ad ea vti liceat, copiose prosequitur. Libro quarto officia legumque obligationem circa sermonem considerat, et tum sermonis obligationem in genere, veritatem, eiusque opposita, mendacium, falsum, simulationem, ambiguitatem morali contemplatione impendit, tum in specie ad iusiurandum respicit. Sequitur facultas humani generis in res, dominii origo, obiectum, occupatio, adquisitiones accessionum, ius in res alienas, translatio dominii, testamentum, successio ab intestato, vsucapio, obligationes quae ex dominio rerum per se oriuntur. Libro quinto tractat de pretio, de contractibus, quae pretia rerum supponunt, de aequalitate in contractibus onerosis seruanda, de contractibus beneficis, de permutatione, emtione et venditione, de locatione et conductione, de societate, de pactis accessoriis, de modis soluendi obligationes ex pactis, de interpretatione, de modo litigandi in libertate naturali. Ita considerato toto statu naturali, ad rimandam originem et naturam imperii humani conuertitur libro sexto, hincque quid matrimonium sit, quae eius indoles moralis, quae leges et officia inde resultantia explicat, similique modo versatur circa potestatem patriam, herilemque; tum ad imperium ciuile libro septimo delatus, in causam impulsiuam constituendae ciuitatis inquirit, et internam ciuitatis structuram, generationem summi imperii ciuilis seu maiestatis, partes summi imperii earumque naturalem connexionem, formas rerumpublicarum, affectiones summi imperii, modum acquirendi imperii, imprimis monarchici, sanctitatem summi imperii ciuilis, officia summorum imperantium, curioso et attento perlustrat oculo. In libro octauo, in euoluendis quaestionibus praecipuis, quae circa singulas partes summi imperii mouentur occupatus, in indolem legum ciuilium inquirit, tum de potestate summi imperii in vitam ciuium ex occasione defendendae ciuitatis, et ex caussa delicti, de potestate summi imperii circa definiendum valorem ciuium, circa bona tam publica, quam priuatorum, et in specie de iure belli, de pactis bellicis, de pactis pacem reducentibus, de foederibus, de pactis regum promiscuis, prolixe docteque differit, et quibus modis ciuis esse quis desinat, docet, mutationem quoque et interitum ciuitatum considerando, amplissimae tractationi finem imponit. Non est huius loci, quid de his capitibus omnibus visum sit Pufendorfio, speciatim exponere, hoc enim ad specialem iuris naturae historiam pertinet, et paucis explica-

ri

ri non poteſt, neque eo magnopere opus putamus, cum non tantum ipſum praeſtantiſſimum opus de I. N. et G. in plerorumque manibus ſit, ſed et elegans et luculentum eius compendium ipſe Pufendorfius in libello *de Officio hominis et ciuis* dederit, qui cum in iuuentutis quoque ſtudioſae manibus vbique locorum verſetur, facile ex eo piloſophemata Pufendorfiana cognoſci poſſunt. Id vnum notamus, Pufendorfium a notionibus metaphyſicis valde abhorrentem, veterem doctrinam de moralitate actionum antecedenter ad legem, ſiue voluntatem imperantis adeoque ipſius Dei reieciſſe, quamuis internam actionum honeſtatem, et habitum ad ſocialitatem non negaret: ratus, moralis actionis veram et natiuam faciem, niſi a lege deriuetur, concipi non poſſe. Quo de argumento vehementer poſtea contra eum, et quem veſtigia Pufendorfiana ſecutum eſſe ſupra obſeruauimus, Chriſtianum Thomaſium diſputatum eſt, vt ſuo loco dictum. Valde placuit viris eruditis opus eruditione diffuſum, ingenio iucundum, iudicio limatum, quod et natiua cogitandi ſeries et facilitas quaedam, et ordo praeſtantiſſimus, et dictio luculenta atque caſtigata, et lectio in ſcriptis veterum et recentiorum haud perfunctorie verſata, et imprimis ipſa ſyſtematis nouitas et vtilitas vehementer commendauit. Id quod ex iteratis editionibus, quae poſt primam Londinenſem in Scania anno MDCLXXII editam comparuerunt, colligi poteſt. Repetita enim vice prodiit *Francofurti anno* MDCLXXXIV, MDCXCIV, MDCCVI cum Annotationibus Io. Nicolai Hertii, nec non *ibid.* MDCCXLIII, cum eiusdem Hertii, Io. Barbayracii et illuſtris Gottfridi Mascovii Annotationibus. *Amſtelodami* MDCCXV. Germanis legendum vernacula dedit Immanvel Webervs *Francofurti* MDCCXI, maxime vero verſione Gallica comta et ornata, et eruditiſſima praefatione auctum edidit praeſtantiſſimus Barbayracivs, *Amſtelodami* MDCCVI, MDCCXII. Anglica quoque lingua aliquoties, nitidiſſime vero *Oxonii* MDCCX comparuit. Longum vero eſſet, teſtimonia virorum doctorum colligere, qui ſelectum, ordinem, perſpicuitatem, ſoliditatem et elegantiſſimae eruditionis copiam in hoc opere laudauerunt, indicabunt potiora Stollivs [u], Fabricivs [x], Reimmannvs [y], alii [z], maxime hiſtoriae iuris naturae ſcriptores notiſſimi. Nobis Pufendorfium Grotio in haud paucis praeferendum eſſe, adeo manifeſtum videtur, vt dubitationi locus de eo non ſit, quamuis nonnulla acutius viderit Grotius. Maxime mathematicorum leges et ordo cogitandi atque ratiocinandi Pufendorfio plurimum profuit, cuncta enim natiua ſerie ſe ſequuntur, nec vnquam ita dimittit ex oculis primum, quod ſtabiliuit, principium, vt non conſectaria inde fluant apte et naturaliter cohaerentia, id quod non potuit non perſpicuitatem tractationi huic admirabilem conciliare, quae tamen maior, et ipſa ſcriptio prolixitate minus moleſta fuiſſet, ſi in cumulanda lectionis in veterum ſcriptis verſatae copia parcior auctor

u) l. c. p. 638.
x) Hiſt. bibl. ſuae T. IV. p. 131.
y) Hiſt. lit. Germ. P. VI. p. 41.
z) Bibl. iuris imp. l. c. p. 32.

auctor fuiſſet. Quod tamen non Pufendorfio imputandum eſt, ſed genio iſtius ſeculi, quod eruditionem ex lectione copioſa iudicabat, vnde cum aduerſarii eius ignorantiam Pufendorfio obiicerent, monente Boineburgio iſtis deliciis diſſertationem longiſſimam et maxime ſeriam condiuit temperauitque. Quamuis autem viri eruditiſſimi et philoſophi acutiſſimi perſonam in hoc opere ſuſtineret Pufendorfius, dici tamen vix poteſt, quot et quantas contradictiones id paſſum ſit, quot rixas excitauerit, quantis litibus anſam dederit, quas in ſequentibus narrabimus. Hoc loco vnum modo notamus, ex quo de ceteris iudicium ferri poteſt, Ieſuitas Viennenſes, auguſtiſſimi imperatoris, theologos Lipſienſes electoris Saxoniae auctoritatem imploratam interpoſuiſſe, effeciſſeque, vt vendi prohiberetur [a]. Quod apud nonnullos librum quidem ſuſpectum fecit, multo tamen ſuſpectiores apud plerosque Pufendorfii aduerſarios, quod his artibus auctorem aggrederentur, vnde factum, vt eo ardentius legeretur. Nec tacendum, viros etiam cordatos et cetera ingenuos Pufendorfii laudatores paſſim quaedam in eo reprehendiſſe. Non repetemus ea, quae cenſura Leibnizii in hoc opere notauit, cum iam ſupra diligenter eam depinxerimus, ſed ad vnum CHRISTIANVM THOMASIVM [b] prouocamus, quem inter προμάχους Pufendorfii primo loco ſtetiſſe, et maximum in hac arena puluerem excitaſſe ſupra narrauimus. „Is enim in Pufendorfio reprehendit te„ſtimonia ſcriptorum nimis cumulata, licet moneat, Pufendorfium neceſ„ſitate coactum id feciſſe, inuidis obiicientibus, quod veteres ſcriptores „non legiſſet; nec placet, quod hominis naturam magis in aliorum opi„nionibus, quam propria experientia quaeſiuerit, ideoque intellectui in „voluntatem imperium conceſſerit, putaueritque homines aeque eiusdem „eſſe naturae: culpat etiam, quod in multis adhuc nimis opponat moralia „naturalibus, et in definiendis entibus moralibus nimium impoſitioni tri„buat, legisque homonymiam non ſatis ſecreuerit, et diuinam cum hu„mana eſſe vniuocam crediderit. &c.“ Quae quem locum mereantur, ex comparatione I. N. Pufendorfiani et Thomaſiani diſci debet.

Reliqua vitae Pufendorfii.

§. XV. Incredibile fere eſt, quantis inimicitiis ob hoc praeclarum opus Pufendorfius petitus, quam moleſtis ab eo tempore litibus implicitus, quibus odiis et calumniis exagitatus fuerit. Quae omnia cum mire cohaereant, vna ſerie in ſequentibus narrabimus. Hoc loco ſufficit annotaſſe, vt acerbitas et ignominia iſtarum litium intelligatur, imprudentiſſime aduerſarios Pufendorfii in eius famam nomenque fuiſſe debacchatos. Traduxerunt enim eum velut iuuentutis ſeductorem, hominem gentiliſmo deteſtabilem, atheum, in ſummos principes, ipſiusque auguſtiſſimi imperatoris maieſtatem iniurium, profani Epicureiſmi fautorem, ſcortatorem, adulterum, Machiauelli diſcipulum, ſodomiae ſuſpectum, magum, infami Fauſto haud meliorem, et quae alia horrenda ei crimina obiiciebantur. Id quod ex famoſo libello Becmanni intelligi poteſt,

a) Er. Scand. p. 208. Specim. controu. c. 1. b) Fundam. I. N. et G. p. 5. conf. REIMMANN. p. 41.

est, cuius historiam postea tangemus, quem tamen mascule et non sine sale nigro aspersо retudit ipse Pufendorfius. Nec contenti calumniatores orbi literato eum velut pestem quandam et carcinoma ferro igneque resecandum et extinguendum denuntiasse, apud summos quoque principes et in aulis famam eius aperte arrodere et mendaciis atque calumniis, inquinare non erubuerunt. Sed dispulit has nubes, licet crassissimas et atra nocte cinctas, velut exortus aethereus sol, Pufendorfii innocentia et constantia, ita per vulgus nota, et vbique locorum agnita, vt et celebritate in ciuitate erudita nomen eius quotidie crescceret, et in aulis indies gratiosum magis fieret. Cuius exemplum esse potest, quod Holmiae, quo se exorto bello inter Suecos Danosque, contulerat, axiomate regii consiliarii, et historiographi auctus a secretioribus chartis regi regnoque, post Loccenii mortem, esse iussus sit. Cui muneri splendido, et industriae, quam illi rite ornando impendit Pufendorfius, debemus splendidos commentarios *de Rebus Suecicis sub Gustauo Adolpho vsque ad abdicationem reginae Christinae, et de Rebus a Carolo Gustauo gestis.* Qui fortunae fauores non retuderunt quidem inimicos Pufendorfii, quo minus pugna indecora eum subinde aggrederentur, et latratibus impugnarent, at addiderunt ingentem Pufendorfio animum, eos contemnendi. Ita vero in historia Suecica versatus est, vt in aula quoque Brandenburgica magna ex ea diligentia, ipsius existimatio enascceretur; vnde factum, vt Berolinum ad scribendam magni principis, Friderici Guilelmi, electoris Brandenburgici historiam vocaretur, sanctiori consilio adscriptus. Quem laborem quoque suscepit, et, regnante Friderico I. Borussiae rege feliciter absoluit, de quibus tamen eius operibus hoc loco plura dicere institutum vetat *. In illustri hoc theatro positus, cum haud raro consiliis aulae interesse iuberetur, litium pertaesus, cum hostibus, qui supererant, satis iam debellatis pacem iniit. Sentiens autem, in religionis negotio se suspectum haberi scripsit *Ius feciale diuinum*, quod tamen morte praeuentus edere non potuit, iussit autem vulgari [c]. Cuius libri elegantis, et de auctoris sui peritia in argumento quoque theologico testantis examen suscepit B. Wolfg. Iaegervs, edito *Iure Dei foederali* [d], cui satisfacere studuit I. B. Ettenhvsivs in *Epistola ad Rechenbergium*, quo nomine illustrem iureconsultum Io. Balthasarem von Wernher latere dicunt [e]: qui ideo cum Iaegero controuersiae serram reciprocauit, de qua alibi [f] dicendum. Apud Suecos autem tanta eius nominis existimatio perdurauit, vt non modo a Suecorum rege anno MDCXCIV, in baronum ordinem extolleretur, sed sint quoque, qui asserant, reuocandum

*) Conf. Christ. Gryphivs de Historicis Sec. XVII. p. 70. Struvii Biblioth. hist. p. 542. Vogt. Cat. libr. rar. p. 484.

c) Lubec. 1695. 8. d) Tubingae 1698. 8.

e) Bibl. iuris imperant. l. c. §. 16. p. 45.

f) Conf. Buddeus Isag. Lib. II. c. 1. p. 429. Pfaff. Hist. lit. theol. T. II. L. III. p. 186. Clericvs Bibl. choisie T. VII. art. 11. p. 391.

dum fuisse in Sueciam, Historiam quoque belli Turcici describere ab aula Viennensi iussum esse testatur CHRISTIANVS GRYPHIVS [g], alii vitam Leopoldi magni conscribendam illi commendatam fuisse afferunt. His autem omnibus interceptus est ab hora suprema, quae illum eo anno VI Cal. Nou. anno aetatis climacterico rebus mortalium subduxit. Statura erat breui, quod vitilitigatori Becmanno occasionem dedit, eum velut homuncionem traducendi, at ingenio magno, excelso, ardente et cum iudicii acrimonia tum imaginandi virtute valde vigente. Quod, si alia specimina deessent, in eo vno potissimum demonstrauit, quod errores scriptorum eorumque causas profunde inspexerit. Cuius exemplum esse potest, historia iuris naturae ab eo scripta, quae primo loco in *Specimine controuersiarum* extat, et accurate pariter atque eleganter de scriptoribus iuris naturae iudicat. Istis vero naturae muneribus instructus, et doctrinae atque lectionis copia adiutus, mirum non est, plurimum eum in condendo nouo iuris naturae et gentium systemate profeciisse, et qui ante eum scripserunt, anteuertisse. Laudanda quoque in eo est dicendi ratio castigata quidem et ab elegantia non destituta, at aperta tamen, simplex, et a fuco adscititio aliena, et vigore quodam naturali se lectoris animo insinuans. Plurimum vir summus legerat, et non modo innumera memoria recolebat, sed et iudicio interposito excutiebat et examinabat, vnde deriuandum est, quod non nudae contemplationi libri eius destinati sint, sed formando iudicio practico scripti, et hoc quoque nomine quam maxime commendari mereantur. Cuius generis scripta eius historica sunt, supra enumerata, quibus incomparabilis *Introductio in historiam*, variis ob praestantiam linguis expressa, itemque tractatio *de Sede Romana*, BASILII HYPERETAE nomine edita merito addi debet. Ipsum quoque opus *de I. B. et P.* non tam scholae quam vitae adaptatum esse, attentus lector facile deprehendet. Idem de eleganti, quod ex eo contraxit compendio, cui titulum *de Officio hominis et ciuis* praefixit, dicendum, quod Londini Scandiae MDCLXXIII. 8. prodiit, et tum saepissime recusum, Anglorum quoque lingua, et Gallorum a doctissimo BARBAYRACIO cum annotationibus ab IMMANVELE PROELEO autem Germanico idiomate expressum est. Tacemus editiones cum annotationibus WEBERI, TITII, WALDKIRCHII, TREVERI, KEMMERICHII, HOCHSTETTERI vulgatas. Quamuis enim mire displicere sibi hunc libellum ἐξωτερικῶς tantum scriptum testatus sit peculiari epistola illustris Leibnizius, non defuerunt tamen, qui ad eius censuram responderent, suo loco indicati. Ipse quoque libellus multoties fundamenti loco in praelectionibus academicis adhibitus est, vnde commentationes nonnullae in eum enatae sunt, de quibus videsis doctissimum STOLLIVM [h]. Commendauit quoque iudicii maturitatem Pufendorfius in tractatu *de Habitu religionis Christianae ad rempublicam*, in qua eleganti dissertatione euicit,

g) l. c. p. 72. h) l. c. p. 641. seqq.

euicit, ecclesiam non esse statum in statu independentem, sed collegium aliquod, hancque veram iurium imperantium circa res ecclesiasticas originem fontemque esse [i]. Ceterum quae moribus eius obiecerunt aduersarii, calumnias esse, satis compertum est, et ab ipso indubitatis innocentiae et sanctitatis morum testimoniis euictum. Vnam scribendi respondendique aduersariis rationem acrem et subiratam forte reprehenderis, quam tamen furor hostium, nec famae nec vitae eius parcens facile excusat.

Controuersiarum Pufendorfianarum fontes historici.

§. XVI. Et haec quidem magni viri, Samuelis Pufendorfii vitae historia est: quae tamen cum maxime litibus ob ius naturae et gentium editis valde memorabilem locum in historia doctrinae moralis occupet, paulo plenius harum quoque controuersiarum enarratio, rite cohaerens iam danda est. Cuius haut contemnenda pars ex *Eride Scandica* ab ipso Pufendorfio edita [k] disci potest, in ea enim scriptorum apologeticorum syllogen quandam exhibuit; optandum autem, vt etiam aduersariorum libelli eristici collecti extarent, vt comparari cum illis possent, plerique enim ob futilitatem suam tantum non interierunt. Vnde omnino grates referendae sunt cel. HEVMANNO [l], qui monumenta nonnulla ad historiam controuersiarum Pufendorfianarum pertinentia vulgauit; tum illustri CHRISTIANO THOMASIO, quod loca in recentioribus *Eridis Scandicae* editionibus omissa, ne viuentium famam laederent, indicauerit et suppleuerit [m]. Ex his actis et αὐτογεάφοις autem cum cura collectis et inter se collatis hanc historiae Pufendorfianae partem enarrauerunt scriptores historiae iuris naturae BVDDEVS, GROENINGIVS, LVDOVICVS, THOMASIVS, quorum vltimus omnium plenissime has lites exposuit. Quas iam strictim narratione persequemur.

Litium Pufendorfianarum de I. N. et G. origines.

§. XVII. Vocatum fuisse Pufendorfium ob nominis claritatem et doctrinae famam in academiam Carolinam, non ita pridem Londini Scandiae vrbe excitatam, supra diximus. Ea in schola cum iuris naturae explicandi munus accepisset, primo loco inter professores esse, et nonnullis praerogatiuis aliis gaudere ab aula Suecica, in qua fautores potentes habebat, iussus est. Ob quam auctoritatem, qua aliis praeponebatur, adussit nonnullos inuidia, vt cum hominem peregrinum sibi praeferri indignarentur, eius euertendi consilia agitarent. Cuius finis obtinendi medium aptius non videbatur, quam si haereticae prauitatis veneno infectum Pufendorfium suspecta dogmata erroresque pestilentes fouere disseminarent: subministrauit insidiis materiam opus de iure naturae ac gentium, cuius adhuc folia typis madebant. Coniurarunt inter se de exitio Pufendorfio contrahendo Nicolaus Becmannus, professor iuris Londinensis, Iosua

i) Extat etiam eius politica inculpata, quae dissertationes politicas complectitur, Lond. Scan. 1679.

k) Francof. ad Moen. 1686. 4.

l) Act. phil. Vol. III. p. 641. 770. seqq.

m) In paulo pleniori historia I. N.

Schwarzius, professor theologiae et Christianus Fossius, quamuis antea frigida illis amicitia vel simultas potius quaedam interceſſiſſet, qui Petrum Winstrupium quoque in partes suas pertraxerunt. Hi aduersarii Pufendorfii quales fuerint, scire, historiae Pufendorfianae interest, ipse, quos se praebuissent, lectorem non ignorare voluit n). Nicolaus Becmannus Heida apud Dithmarsos erat oriundus, studiorum rudimenta in academia Regiomontana posuit, et flagrante tum bello Polonico in familiam Gustaui comitis Oxenstiernae imperatoris exercitus Suecici receptus est, vt filio eius prima literarum elementa traderet. Ibi sex annos moratus, amore puellae cuiusdam lotricis non nimis bonae famae correptus, matrimonium ei promisit. Deinde Marpurgum abiit, et se ipso praeceptore iuris Romani studium aggressus est, eo successu, vt in Galliam postea delatus *Medullam Iustinianeam* ederet, quam tamen exsurrepto professori cuidam collegio msc. pandectarum doctrinam explicante eum descripsisse, eique interpolandi tantum laboris insumsisse, ait Pufendorfius, vt icterum contraheret. Hoc se a studiosis Marpurgensibus accepisse refert. Aureliis gradum doctoris iuris praesente pecunia redemit, ex quo magni illi spiritus enati sunt. Commendatione comitis, cui seruiuerat, in academia Carolina professoris iuris spartam obtinuit. Animi autem impotentis homo, cum nullum Professorum aeque ferre posset, et turbas quotidie aleret, anno MDCLXX numero professorum, aula Suecica iubente, exclusus est. Inde Holmiam profectus, precibus tandem obtinuit, vt professoris honorarii titulum obtineret, sed sine stipendio. Is ferre non poterat, loco ordineque ipsi praeferri Pufendorfium, ideoque prius omnem lapidem mouerat, ne in academiam istam vocaretur. Quod cum non effeciſſet, videretque stipendium illi sesquialterum a rege datum, et primarium locum assignatum, qui tamen doctor iuris non esset, indignaretur autem, confluere ad Pufendorfium nobilem iuuentutem ipso neglecto, de eo loco callide mouendo consilia iniit. Et primo quidem, cum per sex septimanas eius domo vsus esset Pufendorfius amicitiam simulans, aures ei obtudit, vt de largiori statione Holmiae sibi dispiceret; cumque hoc pacto nihil promouisset, tacite principia Pufendorfiana carpere coepit. Accessit inuidiae nutrimentum, cum Pufendorfianum de I. N. et G. opus carceribus typothetarum proxime liberandum esset, ipse vero commentario ad instituta, illud, prout optabat, praeuertere haud posset. Totus igitur, ira et inuidia aestuans, cum reliquis, quos diximus, conspirationis societatem in Pufendorfium iniit, et quae nouitatis suspecta videbantur, ab illis in iudicem relata, de quo in sequentibus dicemus, clam subduxit Gieſſaeque imprimi curauit. Quod cum inquisitione facta, ab eo esse profectum comperisset Pufendorfius, Becmannus animaduertens se deprehensum Holmiam aduolauit, vt missionem suam obtineret, ratus ita eludendi fori praetextum se obtenturum. Sed dilatus, cum iam praesto essent lictores, qui

n) Erid. Scand. p. III. seqq. Act. philos. l. c. p. 647.

qui eum comprehenderent, nocte concubia aufugit Holmia, in itinere comitis personam mentitus, vt equi eo citius praesto essent. Sicque licet ad regni portus sistendus ex mandato regis esset, attamen in Selandiam euasit: et inde Hafniae literis Pufendorfium ad μονομαχίαν prouocans, libellum illi famosum minatus est, aeterna persecutione iurata. Processu autem contra illum instituto cum citatus aliquoties non comparuisset, a senatu academico sententia dicitur, regique transmittitur. Is veniam daturum promittit, si culpam fatendo, apud Pufendorfium ea de re precibus egisset. Ast illo ferocius per epistolam instante, frustra renitentibus partis eius sociis, sententia executioni data, et per praeconem in foro publice vulgata, index publice per carnificem combustus mense Aprili anni MDCLXXV Beckmannus cum infamia relegatus est, Pufendorfius in apologia edita vt hominem huius commatis decebat, depexum dedit. Quibus fatis in rabiem atque desperationem actus Becmannus, eiurata religione Lutherana Romanam in Stiria amplexus, et quod alii volunt, a cardinali Baadensi aegre sustentatus est; insidias autem Pufendorfio struere et vindictam spirare perrexit; immisso in irruptione Danorum in Scandia milite, qui Pufendorfium sustulisset, nisi is prius Malmogiam se subduxisset [o], vnde ad calumniam conuersus, libellum σηλυτευτικὸν in Pufendorfium, Veridici Constantis nomen mentitus emisit, de quo in sequentibus dicemus. Et haec quidem de Becmanno. Iosuam Schwarzium vero, qui proximus a Becmanno fabulae huius actor fuit, „Pufendorfius refert, statim post „absolutam pedibus peregrinationem, in patriam reuersum obtentu zeli „id turbarum dedisse, vt ni Gedanum profugisset, capitis supplicium subitu„rus fuisset, quod totum negotium in Pomerania electorali notum esse ait. „Deinde Holmiam petiisse, et Teutonici concionatoris munus frustra am„biuisse, iussum tamen esse, cum de instituenda academia Carolina agita„retur, vt importunum flagitatorem aliquo extruderent, concionatorem „Teutonicum Londini agere, adiuncto extraordinarii professoris titulo. „Sed postea cum qui vocatus erat, celebris theologus, accedere abnuisset, vi„ro, qui tunc gratia quorundam regni procerum florebat, adulando adrepsis„se, eoque procurante professoris theologiae vocabulo potitum, rixositatis „famam acquisiuisse, in plerisque disciplinis sacris hospitem plane; et in„super ingenio infelici, huncque ideo de macula ipsi inurenda cogitauis„se, vt inde nomen praetextu zeli theologici acquireret. Sed et prius „cum Petro Winstrupio [p], Scaniae episcopo, atrocissimis litibus collisum „fuisse, quae in eius exitium exire visae sint, nisi sua opera compositae „fuissent.“ Hoc itaque classicum canente turbae Pufendorfianae initium sumserunt, Schwarzio tum e suggestu sacro, tum ex cathedra theologica

o) Ibid. p. 196. THOMAS. l. c. p. 108. Bibl. iur. imp. l. c. §. 4. p. 33. seqq.

p) Erat is episcopus Scandiae, et canonicus Londinensis, nobilitatis iure donatus, vnde magna inter suos auctoritate vixit, denatus, feruentibus his litibus 1675. Quae ratio fuit, cur in hanc societatem pertractus sit.

Pufendorfium, dissimulato quidem nomine, saepius insultante. Is postea cum in bello inter Suecos Danosque oborto, Scandiae incolas esset hortatus, vt Daniae regi homagium praestarent, et vectigal soluerent, Suecia aufugere coactus, in Daniam concessit, inque ea rebus sacris et ecclesiarum Slesuicensium ephoriae praefectus est. Et haec quidem de aduersariis suis refert Pufendorfius, qui licet, irritatus et vehementer offensus ea scripserit, patet tamen ex conatibus aduersariorum, malo animo artibusque minime laudandis illos in eum coniurauisse, nihilque esse in hac narratione, quod magnopere a verisimilitudine abeat, et fidem non mereatur, nisi in circumstantiis nonnullis exagerandis aliquid affectui dedisse Pufendorfium contendere quis velit.

Series controuersiarum Pufendorfianarum.

§. XVIII. His actoribus scena hunc in modum instructa est. Nondum totum emerserat ex tenebris opus Pufendorfii, cum auide in foliorum quae nanciscí poterant lectionem inuolarent, et clandestino consilio expenderent, quid in iis notari posset. Libro autem integro prodeunte, quem censura regia iam roborauerat, scripserunt Holmiam, eum suspectum reddituri petentesque, vt periculis ex hoc libro enascendis prospiceretur, et censurae theologorum traderetur. Responsum ad haec leniter et humaniter, quieścerent, et rerum suarum satagerent, librum politicum enim ad theologos non spectare, et regis censuram passum iam esse. Quae cum illis non arriderent, loca quaedam suspecta cum literis Holmiam ad theologum quendam miserunt, vt ex illis aulae regnique proceres errorum Pufendorfianorum specimen caperent. Ea vero cum ne sic quidem euentum, quem cupiebant, sortita essent, de construendo errorum in opere de I. B. et P. occurrentium catalogo dispicere coeperunt; conscripsit ideo Schwarzius indicem nouitatum, in quo per omnes compendiorum theologicorum articulos eundo periculosas nouitates sparsisse Pufendorfium demonstrare voluit. Exhibet integrum indicem hunc ipse Pufendorfius, ex quo non sine admiratione et indignatione impudentiae lector colliget, quantis machinis verba viri celeberrimi torserit auctor, vt ex illis ἑτεροδοξίαν exsculperet. Hunc indicem theologicae facultati exhibuit Schwarzius [r], quae cum conuenisset, vt de ea re dispiceret, in partes itum, seniore cum Schwarzio conspirante, reliquis dissensum testantibus. Intellexit id Pufendorfius; qui cum inter proceres regni et aulae potentes amicos haberet, inter quos eminuit Koenigsmarckius comes [r], ita in aula rem egit, vt literae regiae ad academiam mitterentur [s], quibus iniunctum, vt si quis contra Pufendorfii librum monendi aliquod ius habere crederet, priuatim cum eo conferret, eiusque sententiam et declarationem audiret; sique haec non sufficerent, ad senatum academicum referret, qui cognosceret,

q) In Apol. Er. Scand. p. 71. seqq.

r) Obiecit id Pufendorfio Becmannus, vid. Act. phil. l. c. p. 773. vbi Cneium Pompeium ei fauere ait, quem Koenigsmarckium esse, ex dedicatione Miscellaneorum Laconicorum intelligi potest.

s) Apol. l. c. p. 68. seq.

ret, vtrum digna cauſſa eſſet, quae ad illuſtriſſimum academiae cancellarium remitteretur, omnia tamen placide et ſine turbis agerentur. Acceſſit vicinae prouinciae praeſes ad hoc incendium reſtinguendum, auditoque auctore indicis, quem ſcripto exhiberi iuſſit, Pufendorfium paucis reſpondere iubet. Vtrumque ſcriptum in aulam transmittitur, ex quo cum de vanitate querelarum iſtarum apertiſſime conſtaret, aliis regis literis ſilentium aduerſariis Pufendorfii iniungitur, et ne quis litem ob eum librum porro auctori moueat, ſeuere interdicitur, graui comminatione addita. Quae cum ferociam aduerſariorum nondum compeſcuiſſent, tertiae adueniunt, quibus Schwarzio denuntiatur, meritum eum eſſe, vt ſeuere in ipſum animaduertatur, hac tamen vice adhuc clementiae locum eſſe, ea lege, vt caueret ea in poſterum abuti. Pufendorfio vero, vt actionem contra eum omittat iniungitur. Quam aulae fauorem erga Pufendorfium mirandum magnopere non eſſe, ex eo conſtat, quod non tantum potentibus, vti dictum fautoribus fruebatur, ſed liber quoque eius regia cenſura et priuilegio munitus in vulgus exierat, Index nouitatum autem aperta inuidiae et calumniae ſpecimina prae ſe ferebat, et intelligi facile poterat, quibus turbis excitandis eiusmodi lites inſeruire poſſent. His itaque repreſſus Schwarzius a vulgando Indice nouitatum deſtitit. Eum autem, vt Schwarzius aſſeuerabat, ipſi ſubtraxit Becmannus, et Gieſſae anno MDCLXXIII typis clam edi curauit. Quae ſcriptionis impudentis diuulgatio, non Pufendorfium modo, ſed et regni Suecici ſenatores, qui priuilegio librum Pufendorfii muniuerant, quique inſcitiae hoc modo et negligentiae ſupinae accuſabantur, peſſime habuit. Actionem itaque contra Becmannum inſtituit Pufendorfius, qui cum inquiſitione facta apud eum mſc. illius indicis deprehendiſſet, poſt variam actionem, quam §. praecedente iam deſcripſimus, et fugam Becmanni, ita peruicit, vt Index nouitatum carnificis manu in foro Lundinenſi, nequicquam repugnante Winſtrupio et Schwarzio, flammis deleretur, et Becmannus cum infamia Sueciae regno proſcriberetur, vt in antecedentibus relatum. Schwarzius autem, ne ad hos ignes digitos adureret, inuito ſibi, et inſcio nefarie iſtum indicem ſubtractum eſſe conqueſtus eſt, quin et interpolatum fuiſſe, eſt cauſſatus; totus tamen quieſcere non potuit, ſed diſputationibus duabus de *Notis veri falſique doctoris* arrodere Pufendorfium, et atro carbone notare, licet non nominatum perrexit. Aſt Pufendorfius cum prius opponentis munus ſubire conſtituiſſet, re altius penſitata breuem refutationem imprimi, eamque inter diſputationis auditores, illa finita diſtribui curauit, eam quoque diſſertationi epiſtolicae ad Wildſchuzium poſtea adiecit. Becmannus in furias actus, infami libello famam Pufendorfii aggreſſus eſt, cui qua ratione ille ſe oppoſuerit, poſtea narrabimus. Noua enim interim ſe fabulae huius Pufendorfianae ſcena aperuit, quae iam, vt cuncta ordine tradamus, porro eſt enarranda.

§. XIX.

Controuerſiae Pufendorfii cum eruditis in Saxonia.

§. XIX. Prodierat circa hoc tempus, quo Pufendorfii ius naturae et gentium comparuerat, in ſcenam controuerſia de polygamia ſimultanea, cuius, antequam Pufendorfius opus ſuum edidiſſet, occaſionem praebuit BALTHASARIS MENZERI *Epiſtola ſuper diuortio*, quam ipſo inſcio eccleſiaſtes quidam typis vulgauerat. Illi oppoſuit pſeudonymus quidam adſcito SINCERI WAHRENBERGII nomine, *Dialogum de polygamia;* qui cum valde *παράδοξος* eſſet, plurimos in republica literaria motus excitauit. Et variae quidem de auctore huius dialogi opiniones diſſeminatae ſunt. Magna enim audacia et impudentia polygamiam ſimultaneam circa annum MDCLXXVI et ſequentes defendere coeperat, infelix Ioannes Lyſerus [t], qui cum inter Suecos paradoxam opinionem magno ſuo malo patefacere coepiſſet, ſub Wahrenbergii nomine iam tum latitaſſe nonnullis viſus eſt, at exigua veriſimilitudine; Wahrenbergii ſcriptum enim vetuſtius eſt, ſatisque certo ex collatione intelligi poteſt, Lyſerum hunc pariter atque Pufendorfium exſcripſiſſe. Ipſe PVFENDORFIVS, medicum quendam Suecicum auctorem eſſe, ſe comperiſſe ait [u]; ſi vero SEVERINO WALTHERO SLVTERO, theologo et eccleſiaſtae aulico regis Daniae credendum, qui id ex Leyſeri ore hauſit, quidam comiti Koenigsmarckio ab epiſtolis iſtum dialogum parturiuit, quem Balthaſar Menzerus refutauerit. In tanta incertitudine de auctore ſcripti paradoxi, enata nonnullis ſuſpicio, Pufendorfios, vel Eſaiam, vel Samuelem eius parentes eſſe, cuius veriſimilitudinem huius opinionis fautores hauſerunt ex aſſertis Pufendorfii hominem in ſocietate tantum ſtatuque naturali conſiderantibus, et a reuelatione abſtrahentibus. Quae coniectura mox diſſeminata fuit, vehementer indignante Pufendorfio, qui Ioannem Adamum Scherzerum, theologum Lipſienſem, primum fuiſſe ſemper ſuſpicatus eſt, qui hunc rumorem de ſe ſparſiſſet. Quem cum pro vero haberet Fridericus Geſenius, eccleſiae Garlebienſis Ephorus, in refutatione Wahrenbergiani ſchediaſmatis, quam adſcito CHRISTIANI VIGILIS nomine polygamiae triumphatrici oppoſuit, haud obſcuris verbis ea propter Pufendorfium petiit [x]. Is cum hac non minus ſcriptione quam Indice

t) Famoſa eſt infelicis hominis controuerſia, de qua vid. Nouv. de la rep. des lettres 1685. Avr. p. 370. ſq. BAYLE Dict. T. III. art. Lamech, not. A. p. 40. art. Lyſerus p. 127. LVDOVICI Hiſt. iur. nat. p. 35. Bibl. iur. imp. p. 56. BVDDEVS Theol. mor. P. II. c. 3. ſ. 6. c. 9. p. 553. STRVVIVS Bibl. iurid. c. 13. §. 45. aliique multi. Habebat parentem magnum Vitebergenſium theologum Guil. Lyſerum, ſcholaeque Portenſi erat praefectus. In Sueciam delatum, a comite Koenigsmarckio, coniugis ſuae Vrangeliae pertaeſo ad defendendam polygamiam inuitatum eſſe refert REIMMANNVS Cat. crit. T. I. p. 696. Illud certum, edidiſſe eum vernacula apologiam polygamiae, titulo: *Das koenigliche Marck aller Laender*, Frib. 1676. vid. PLACCIVS Theatr. p. 471. et Pſeud. p. 28. 88. Hunc inuenuſtum pullum poſtea ornatiorem Latine edidit, titulo THEOPH. ALETHAEI Diſcurſus politicus de Polygamia, Frib. 1674. et cum notis ATHAN. VINCENTII Londini Scan. 1682. 4. Qua ſcriptione ita vxores Holmienſes irritauit, vt facta turba coram aedibus eius eum ad necem poſtularent, cogeretur-que magiſtratus iubere libellum famoſum eo in vinculis inſpiciente per carnificem comburi. Sed inter Danos quoque, vbi eccleſiaſtae caſtrenſis munere fungebatur, a Chriſtiano V. proſcriptus, et a multis theologis telis confoſſus eſt. Tandem ad Pariſienſes delatus ſumma paupertate et miſeria enecatus 1685. obiit. Conf. LAVTERBACH. Hiſt. Sociniſm. c. 2. p. 148.

u) In Diſſ. epiſt. ad Seu. Wildſchuzium.

x) In Cog. theologicis de Polygamia adu. Lyſerum, Roſtochii 1677. 8. vernacula editis p. 63.

Indice nouitatum nomen suum suspectum et exosum per Germaniam fieri iudicaret, non tacendum ratus, ne innocentia a calumnia opprimeretur, apologiam anno MDCLXXIV edidit, in qua ad calumnias Becmanni fuse, Vigili personato, paucis ast satis acerbe respondit. Regessit quaedam eodem anno GESENIVS, edita: *Samuelis Pufendorfii contra I. N. iniquitate, inque illius scrutinio infelicitate;* quocum controuersiae serram reciprocandam haud esse ratus Pufendorfius, *Apologiam ad Ioannem Adamum Scherzerum* habitu epistolico exarauit [y], eo quod hunc illius rumoris auctorem esse crederet, et suspicaretur, eo instigante Gesenium contra ipsum in aciem processisse; nosset etiam Scherzerum male in ipsum affectum negotium ipsi Lipsiae et Dresdae facessiuisse. Relatum enim erat Pufendorfio, Scherzerum Indicem nouitatum supremi senatus ecclesiastici Dresdensis praesidi ostendisse, monentem, caueret, ne respublica Christiana ex libro Pufendorfii detrimentum caperet, et studiosa iuuentus, quae auide eum legeret, a pestilentibus erroribus corrumperetur: praesidem Dresdam reuersum, de eo in senatu ecclesiastico egisse, et tum facultatis theologicae in academia Lipsiensi sententiam fuisse requisitam, eam autem, in qua Scherzerus primum locum occupabat, responsionis loco Indicem nouitatum transmisisse, et Geierum quidem rem in medio relinquendam esse suasisse, vrsisse vero reliquos, vt electoris nomine academia moneretur, caueret, ne iuuentus studiis inuigilans Pufendorfianis erroribus perderetur. Praeuidit Scherzerus cum aculeato hoste esse congrediendum, ideoque a disputatione abstinuit, quod vt honeste pugnam deprecari posset, a senatu ecclesiastico Dresdensi ipsi iniunctum erat. Ipse vero Christianus Vigil loco Scherzeri in scenam progressus, Pufendorfio *Christianam benedictionem aduersus impiam et immanem maledicentiam eius in epistola ad Scherzerum adhibitam opposuit.* In qua scriptiuncula, ex scripto Monzambani, cuius auctorem se esse tunc negabat Pufendorfius, ea omnia congessit, quae inuidiam Pufendorfio conflare et suspectum eum facere poterant, poenitentiam ei et mentis emendationem precatus. Nouus autem in Ienensi academia surrexit Pufendorfii aduersarius, Valentinus Velthemius, qui concoquere non poterat, Pufendorfium principium moralitatis Scholasticorum, de actionibus bonis vel malis antecedenter ad voluntatem Dei, reiecisse, ideoque tum in oratione *de Laudibus Scholasticorum* Pufendorfium pupugerat, tum duabus disputationibus [z] receptam Scholasticorum sententiam defenderat, in quibus, licet modestiam et placidam disquisitionem prae se ferret, amaris tamen subinde verbis Pufendorfium sugillauit. Aperta pugna cum hoste, quem contemnebat, non congrediendum ratus Pufendorfius, dissertationibus decem anno MDCLXXVII,

y) Er. Scand. p. 77. seqq.
z) Titulus illis praefixus: Vera ac genuina fundamenta I. N. contra Pufendorfium, Ienae 1674.

MDCLXXVII, iunctim editis appendicem adiecit, in qua ad obiectiones Velthemii paucis, more suo respondit, at doctrinam, de moralitate antecedenter ad legem, multa luce perfudit. Non est huius loci argumenta Pufendorfii omnia allegare, quibus Velthemianas acies profligauit, monendum autem esse putamus, valde perspicue Pufendorfium suam de moralitate actionum humanarum a voluntate diuina pendentium, eo loco explicuisse. Facto enim discrimine inter id quod in actione physicum, et quod morale est, itemque inter vocabula, quae nudum motum physicum notant, et quae integram actionem moralem, siue motum physicum moralitate iunctum exprimunt, obseruat, moralitatem actioni physicae inde superuenire, quod insit interna quaedam necessitas, seu obligatio, actionem certo modo et ad certam normam dirigendi. In ea norma constituenda ad Deum esse recurrendum, qui creaturam rationalem istis dotibus instruxerit, et legibus muniuerit, quae suae bonitati et sapientiae placuissent. Obligationem itaque ex eodem, quo homo, fonte deriuandam esse. Nec tamen fingendum esse, Deum potuisse hominem non socialem condere, etsi liberrime eum condiderit: sed vt quaelibet creatura a Deo habeat, quod talis condita sit, ita in homine obligationem ad obseruandam legem, et ipsam legem non ex diuerso principio esse deriuandas, quam ex beneplacito Dei cum sapientia et bonitate coniuncto. Nec hanc Dei voluntatem vagam et desultoriam cogitandam esse, sed ad quem finem semel eadem se determinauerit, ad eum assequendum pro eiusdem bonitate et sapientia constituta media, non minore, quam ipse finis, firmitate gaudere. Quae licet alias notiones de moralitate actionum suppeditent, quam quas Scholastici fouent, nisi tamen egregie fallimur, dum voluntatem Dei in sapientiae et bonitatis eius finibus fundatam supponunt, reipsa non procul a pristina sententia abeunt, quae in intellectu diuino moralitatis origines quaerit, vt alio loco iam notauimus. Nam voluntatem Dei in bonitate et perfectione firmitatem habere, adeoque immutabilem esse, ipse Pufendorfius fatetur, et ambabus se manibus concedere ait, dari actus, qui per se Deo non conueniant, seu qui salua eius perfectione et citra contradictionem in eum cadere non possint, dari quoque actus per se honestos et turpes homini, id est, qui non possint non posita tali conditioni hominis congruere vel non congruere: sed ad beneplacitum Dei se ideo tantum referre, quia actus hominis voluntatem DEI, vt talis existeret, non anteuertant. Et hoc quidem primarium argumentum fuit, de quo inter Velthemium et Pufendorfium disputatum fuit, in quo haud parum contentionis de verbis fuisse, supra iam obseruauimus. Quamuis autem in ista appendice satis clare mentem suam Pufendorfius declarauisset, non cedendum tamen acquiescendumque esse Velthemius ratus est, eo quod crederet, Pufendorfium in quaestionibus metaphysicis et scholasticis rudem esse, idque aut ignauiae aut fastidio delicatiori eius esse imputandum. Vnde iterum ad eius monita quaedam in *Introductione*

in

in Grotium regessit. Interim nouus contra Pufendorfium in scenam processit antagonista, VALENTINVS ALBERTI, professor Lipsiensis, cuius cum Christiano Thomasio controuersias supra enarrauimus. Is in *Compendio iuris naturae orthodoxae theologiae conformato* moralitatem quidem obiectiuam, quam vocant, deseruerat, et eum in locum conuenientiam cum statu integritatis surrogauerat, socialitatem autem a Pufendorfio pro fundamento admissam variis modis lacessere et obiectionibus hypotheses Pufendorfianas premere coeperat. Quae res nouam his litibus scenam aperuit, quae ad finem vsque fabulae totius miris vicissitudinibus durauit, quas in sequentibus tangemus. Haec dum in Saxonia geruntur, alio loco furebat contra Pufendorfium Becmannus, iam tum ex Scania proscriptus; vt enim minis suis pondus adderet, libellum famosum contra eum emisit hoc titulo: *De magistri Samuelis Pufendorfii, professoris philosophiae in Carolina Scanorum execrabili iuris doctrina, horrendo atheismi, peruersis moribus et belluina vita breuissime sed verissime scribit Seuerini de Monzambano et Tenebrionis Asinii iustus censor* VERIDICVS CONSTANS, *qui eo fine id facit, vt omnes literati ore, corde et calamo pestiferam ficti huius Seuerini siue Tenebrionis Asinii, hoc est Pufendorfii doctrinam exstirpare conentur. In academia Catoniana, calumniis et risui Pufendorfio contraria.* Dedit famosi libelli specimen cel. HEVMANNVS [a], ex quo patet, quanta calumniarum atrocitate et impudentia Becmannus Pufendorfium aggressus sit. Ait enim, ex infernalis genii schola eum prodiisse, euertere decalogum, turbare S. R. imperium, profiteri religionem gentilem, negare resurrectionem mortuorum, diabolum et spectra, asserere aeternitatem mundi, negligere cultum diuinum et traducere, vitam agere profanam, infamem esse Sodomiae crimine, adulteriis, scortationibus, comessationibus, electoris Palatini principi Machiauelli artes tradidisse, ideoque eiectum esse, adeoque inter atheos illustres esse referendum. Apologiam Pufendorfii scriptum vocat, quo nihil turpius, nihil a pietate remotius, nihil scurra ac carnifice dignius scribi, typis mandari et vulgari potuerit, adeoque eum inter magos Fausto famoso loco non cedere contendit. Obiicit facinora horrenda alia, eaque vera omnia esse testatur, sicut Deus viuit, et ipse regni coelorum particeps fieri desideret. Hunc libellum famosum vna cum literis ad academiam Lipsiensem, Ienensem, et Vitebergensem misit; itemque ad Gesenium, quarum vltimae in manus Pufendorfii inciderunt: integras autem edidit cel. HEVMANNVS [b]. Tacere ad tam atroces calumnias Pufendorfius non potuit. Oppositit itaque nigerrimo scripto *Epistolam ad amicos* *, in qua Becmannum iis, quos supra retulimus, coloribus viuum depinxit, calumnias dispulit, vitae innocentiam demonstrauit, et quantis mendaciis Alastor, (hoc enim nomine Becmannum notat) mundo

a) loc. cit. p. 778. b) Act. phil. l. c. p. 780. *) Er. Scand. p. 111.

imponat, luculenter ostendit, Scherzerum quoque, qui in lectionibus academicis subinde Pufendorfium reprehendebat, passim pupugit. Quae tamen in Scherzerum dicta in editione secunda huius epistolae, quae in *Eride Scandica* comparuit, omissa sunt, in quibus se alios ex Lipsiensium doctorum collegiis non petere, monuit. Ad hanc epistolam non siluisse furibundum et ardentem vindicta Becmanni calamum, magnopere mirandum haud est: eius enim intererat, videri veritatem dixisse, Pufendorfium fuisse mentitum. Nouam itaque eructauit apologiam hoc rubro, ex quo de genio totius scriptionis coniectura fieri potest, praefixo: *Legitima defensio contra M. Samuelis Pufendorfii execrabiles fictitias calumnias, quibus illum contra omnem veritatem et iustitiam, vt carnatus diabolus et singularis mendaciorum artifex, per futilia entia sua moralia (diabolica puto) toti honesto et erudito orbi malitiose ac ignominiose imponere voluit.* Quem libellum tot insulsis ac ridiculis sui ipsius encomiis, tot horrendis calumniis in Pufendorfium a capite ad calcem repletum esse, testatur THOMASIVS [c], vt nescias, an homini irasci, an vero ex misericordia ipsi helleborum et catenas commendare debeas. In tanta itaque controuersiae indignitate turpe sibi et indecorum ratus cum execrabili aduersario palam congredi Pufendorfius, adscita PETRI DVNAEI *p. t. in academia Carolina pedelli secundarii persona, epistolam edidit ad virum famosissimum, Nicolaum Becmannum, totius Germaniae conuitiatorem et calumniatorem longe impudentissimum* [d]: ipsum enim Pufendorfium auctorem esse, facile ex dicendi genere falso, acri, et satyram sapiente colligitur. In quo cateruam scelerum lippis et tonsoribus Londini notorum ei obiicit, et inter alia addit: *metum carnificis eum Suecia expulisse, non defectum pietatis, cum ob frustum panis, et vt mentiendi theatrum haberet, religionem abiurauerit, nec defectum iustitiae, quam mox tergo fuisset sensurus.* Et his similia multa cumulat, quae res inter Becmannum et Pufendorfium Londini actas mire illustrant. Sed et alius Pufendorfii πρόμαχος in arenam tum processit, qui IOANNIS ROLLETI nomen effinxerat, quemque fuisse iuuenem quendam studiis iurisprudentiae addictum, nomine Godofredum Klingerum, eo tempore in academia Ienensi versatum, qui fratri Pufendorfii, Esaiae, postea ab epistolis fuit, in eius familia tandem denatus, compertum est [e]. Is non modo diligenter, quae priuatis animorum motibus Ienae agebantur, ad Pufendorfium scripsit, vnde multa ἀνέκδοτα in huius libellis eristicis occurrunt, quae ex eius narratione hausta sunt, itemque Pufendorfii libellum *de Officio hominis et ciuis* iuuenibus explicuit, sed et pro Pufendorfio personatus edidit IO. ROLLETI *Palatini discussionem calumniarum, quas absurdissimas de illustri viro Samuele Pufendorfio relegatus ex Suecia nequam, Nicolaus Becmannus per caussam defendendae famae non ita pridem in vulgus sparsit* [f]. In quo

c) l. c. §. 26. p. 104.
d) Er. Scand. p. 139. seqq.
e) Vid. Act. phil. l. c. p. 643. seqq.
f) Er. Scand. p. 154.

quo libello apologetico, non minus acriter, quam ipse Pufendorfius Becmanni calumnias retundit, adeo, vt hunc esse auctorem scripti pseudonymi haud pauci coniicerent [g], eo quod phrases, iis, quibus Pufendorfius vsus erat, similes adhibuisset. Quod tamen inde deriuandum est, quia Pufendorfius rem omnem ad Klingerum perscripsit, vt ex eius epistolis a cel. HEVMANNO [h] vulgatis patet. Quoniam autem in hoc scripto Velthemium quoque pupugerat, malam sibi rem suo iumento accersiuit: Furens enim Velthemius, quod iuuenis ausus esset, sacramento academiae violato in publicum doctorem inuehere, patres conscriptos eius academiae ita irritauit aduersus Klingerum, vt instituta inquisitione carceri mandaretur, in quo inclementer se habitum et iniquissime tractatum esse, in literis supplicibus ad ducem Saxoniae conqueritur. Vixque manibus persecutorum implorato sereniſſimorum academiae nutritorum auxilio ereptus est. Vidit Pufendorfius, nullo plane modo scientiarum emolumentum istis litibus promoueri, et conuitiis rem agi inauditis, multos ex ignorantia opinionum et hypothesium suarum ipsi contradicere, nec bellorum finem ita futurum esse. Vt itaque tandem, quod exoptabat, pugnam ad exitum perduceret, edidit *Specimen controuersiarum circa ius naturale ipsi motarum*, cui appositе illud PROPERTII praefixit: *maxima de nihilo nascitur historia* [i]. Illud inscripsit Ioanni Baazio archiepiscopo Vpsalienſi, vt causae fiduciam, ad eum velut arbitrum prouocando, ostenderet. Praemisit epistolam ad lectorem, in qua Nicolaum Becmannum obiter tangit, hoc modo narrans, eum in nupera Danorum in Scaniam irruptione affinem suum cohortis optionem subornasse, vt ipsum cum vxore et liberis trucidaret. Eumque sanguinem ipsius sitientem cum manipulo sicariorum Londinum aduolasse, et cum eum ibi non inueniſſet: Malmogia capta facinus sese exsecuturum frenduisse; ast sceleris irritum Lundense praelium extinxisse. Schwarzium autem nigris coloribus depingit, nonnulla ad Scherzerum pertinentia, aculeata addit, quae tamen deinde in Eride Scandica omissa sunt [k]. In hac ergo scriptione totam controuersiam ita exponere satagit, „vt se cordatum lectorem „nihil amplius desideraturum esse sperare dicat, quod vel ad depellendas „aduersariorum criminationes, vel illustrandam suam sententiam faciat, „ita vt eo posthac minus sollicito sibi esse liceat, si quis nugari et calu„mniari desinere non velit; cum semel ita perspicue formato controuer„siae statu, quae ex aduerso afferri possunt, vltro collabantur, et sibi pa„rum decorum futurum sit, quibusuis ieiunis schedis peculiari scripto oc„currere." Cuncta itaque breui quidem at neruis minime carente compendio complexus est, praemissaque historia disciplinae iuris naturalis, de nouitatibus philosophicis, de statu hominum naturali, de fundamentali propositione legis naturalis, de origine moralitatis et indifferentia motus physici in actione humana, de examine doctrinarum luculenter disserit, et Schwarzii, Scherzeri, Alberti, Velthemii, Gesenii aliorumque obiectio-

g) Act. phil. l. c. p. 646.
h) loc. cit.
i) Er. Scand. p. 193. seqq.
k) Recusa ea dedit THOMASIVS l. c.

nes diluit, ratus ita certaminum finem se affecutum esse. Aſt vehementer eum fefellit ſpes iſta atque opinio. Nouus enim poſt hanc reſponſionem enatus eſt Pufendorfio antagoniſta, Ioannes Ioachimus Zentgrauius, profeſſor moralis doctrinae in academia Argentoratenſi, qui cum iurisnaturalis diſciplinam eiusque hiſtoriam illuſtrare conſtituiſſet, aliquot diſſertationes academicas de hoc argumento conſcripſit, quae vno faſciculo Argentorati anno MDCLXXVIII prodierunt, ornatae hoc titulo [l]: *De origine, veritate, et immutabili rectitudine iuris naturalis ſecundum diſciplinam Chriſtianorum.* In quibus diſſertationibus principia Pufendorfiana, maxime ſocialitatem, refutare aggreſſus eſt. Valentinus Alberti quoque lectis iis, quae Pufendorfius in *Specimine controuerſiarum* regeſſerat, acquieſcere ſe minime poſſe credens, *Specimen vindiciarum* anno MDCLXXVIII illis oppoſuit, de quo conſulendus THOMASIVS [m], quem tamen, Alberti indolem depingentem, ex eius aduerſariis fuiſſe, cogitandum eſt. Acceſſit tertius antagoniſta anno ſequente SAMVEL STRIMESIVS, qui cum in *Praxeologia apodictica ſeu philoſophia morali demonſtratiua, pythanologiae Hobbeſianae oppoſita*, nonnulla in hypotheſibus Pufendorfianis notauiſſet, ea quae dixerat in *Originibus moralibus* [n] roborare multis ſtuduit. Vidit Pufendorfius, ſilere ſe, vti prius ſtatuerat, non poſſe, ideo *Spicilegium controuerſiarum edidit*, in quo difficultates a Zentgrauio, Alberti et Strimeſio motas diluit. Qui tamen et ipſi nondum obmutuerunt: reſpondit enim primus, in *Vindiciis originum iuris naturalis*, ſecundus in *Paraeneſi ad ſtudioſam iuuentutem*, tertius in *Epicriſi in ſpicilegium Pufendorfianum*, in quo Pufendorfium cum Carteſianis et Poireto eandem tibiam inflando afferere contendit, veritates rerum a ſola Dei voluntate dependere [o]. Confugit iterum ad laruas Pufendorfius, vt liberius reſpondere poſſet, ediditque ficto IVLII RONDINI nomine *diſſertationem epiſtolicam*, in qua obiectionibus his ſatisfacere connititur. Ita vero reſpondit Pufendorfius, vt ſilere ſe poſſe Strimeſius et Zentgrauius crederent, noua vero ex Alberti pharetra tela depromerentur. Quae non aliter retudit, quam in praefatione collectionis librorum eriſticorum hactenus a ſe editorum, cui *Eridis Scandicae* [p] nomen praefixit, paucis at ſtricte illi reſpondendo. Quoniam vero in *Statu reipublicae Chriſtianae* nonnulla Pufendorfiana tetigerat vir illuſtris VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIVS, monens, *ſe methodum illam, quae a principiis reuelatis abſtrahit, in ſe reiicere nolle, nec Pufendorfii hypotheſin eandem cum Hobbeſiana iudicare, multo minus aculeatis diſputationibus, quae inde ſurrexerunt, ſe ingerere cupere; ſe tamen pro modico ingenio ſuo tantam vtilitatem, e ſeparatione principiorum naturalium a iure diuino reuelato, ſeu decalogo, perſpicere non poſſe, quanta prima fronte videatur* [q]. Valde id diſplicuit Pufendorfio, rato

l) Conf. Bibl. iur. imp. l. c. §. 30. p. 39. 40. vbi etiam reliqua eius ſcripta nominantur.
m) §. 31. p. 111. ſeq.
n) Bibl. iur. imp. §. 11. p. 40.
o) THOMASIVS l. c. §. 32. p. 112. G. BRIER. Specim. bibl. iur. III. n. 7.
p) Er. Scand. p. 591.
q) In vernacula Delineatione iuris nat. vid. THOMAS. Prooem. ad iurisprud. diu. p. 70. ſeqq.

rato ex hoc iudicio viri inter suos non exiguae auctoritatis Alberti ingenio non modicos spiritus accessuros, quapropter monitis Seckendorfianis in ista praefatione quoque satisfacere voluit. Nec a verisimili alienum est, Seckendorfium ideo quoque displicuisse Pufendorfio, quia prius socialitatis principium ipse admiserat, idque in gratiam Alberti abiecisse videbatur. Non constitit dissensus duorum magnorum virorum intra has paginas, in quibus satis dictum esse videri poterat, sed imitatus Alberti Pufendorfium, libellos eristicos a se et pro se editos iunctim edendo, titulumque: *Eros Lipsicus*, praefigendo, in praefatione pro Seckendorfio ad responsiones Pufendorfii regessit, idque imprimis illi exprobrauit, quod parum Christiane primum hominem miserrimum finxisset. Indignationem Pufendorfii *Eros Lipsicus*, meruit, eo quod videret, Alberti cristas Seckendorfii fiducia altius erigi, audissetque ab amicis, Seckendorfium eum per literas instigauisse, ne litem hanc aliquando intermori pateretur, sed ipsi porro molestias crearet. Itaque vindicaturus se ab his insultibus anno MDCLXXXVIII prodire iussit, *Commentationem super inuenusto Veneris Lipsicae pullo, Valentini Alberti calumniis et ineptiis oppositam*, in qua acerba querimonia iniuriam sibi fieri, demonstrabat, quaedam autem dura et Seckendorfio indigna admiscebat, feruore, vt fieri solet, disputationis abreptus, et indignatione, quod impia ipsi praeter veritatem sententia tribuatur commotus. Praestat enim fateri, in his se hominem demonstrauisse Pufendorfium, quam hanc animi impotentiam cum THOMASIO probare. Ideo nonnemo [r], virulento, vt ait Thomasius, scripto Pufendorfium modestiae admonuit. Nec tacuit Alberti, sed edidit anno MDCLXXXVIII *Epistolam ad Seckendorfium, commentum Pufendorfii de inuenusto Veneris Lipsicae pullo refutantem*, in qua laudibus elato Seckendorfio in Pufendorfium velut apertum calumniatorem agit. Ita controuersiis his in Saxonia feruentibus, dum de Suecia nemo cogitauit, prodierat inopinato Iosua Schwarzius, iam Slesuicensi ephoriae a Danorum rege praefectus, cum cathedram Londinensem deserere ob caussam supra dictam esset coactus. Hoc enim loco positus, cum libere magis se scribere posse putaret, priuigni sui SEVERINI WILDSCHVZII nomine edidit *Discussionem calumniarum Samuelis Pufendorfii*, anno MDCLXXXI. In qua scriptione praeter ineptas sui laudes et aperta mendacia in Pufendorfium nihil reperiri testatur CHR. THOMASIVS [s]. Eum itaque, pro merito depexum dare constituit GERARDVS GOTTLIEB TITIVS [t], sed ludrico et ad risum concitandum apto dicendi genere, epistola nempe gratulatoria Becmanni nomine ad Wildschuzium data; de deuicto et triumphato Pufendorfio, ita lepide, teste THOMASIO, genium Becmanni eiusque stilum exprimente, ita stultitiam scripti Wildschuziani aliud agendo delineante, et naeuos in academiis regnantes sale et pipere condita satyra exagitante, vt multi fassi sint, Erasmi encomium Moriae, et Hutteni epistolas obscurorum virorum nihil

r) Tobiam de Sartagine esse, indicat TITIVS in Epist. grat. Becmanni ad Wildschuzium. Hoc vero nomine latet Tobias Pfannerus. s) l. c. p. 120. t) ib. §. 41.

hil esse ad istum Parmenontis suem. Ipse quoque Pufendorfius episodium comoediae additurus adscito Iosuae Schwarzii nomine *Dissertationem epistolicam ad eundem Wildschuzium* vulgauit, in qua multas circumstantias ad vitam Schwarzii et sociorum eius historiam pertinentes narrauit, inuita tamen Minerua aliam personam effinxit, et elegantiae gratiam natiuumque colorem, qui in eius scriptis splendet, aliquantum amisit. Rogatur in hac epistola Seckendorfius, quem cum Pufendorfio reconciliare amici tentabant, vt certamine hoc exesse velit, Tobiae autem Pfannero, quem Sibotham Napferum vocat, ob modestiae admonitionem respondetur, et Sleuogtus Ienensis, qui in *Iudiciis sapientum ex Parnasso* Pufendorfium momorderat, retunditur, vt alia taceamus, aculeata satyra aduersariis Pufendorfii obiecta. Vltimus in scena comparuit, Alberti foetus, anno MDCLXXXVIII, *quo iudicium de nupero scripto Pufendorfiano, quod dissertatio epistolica D. Iosuae Schwarzii ad priuignum suum, inscribitur, exhibetur.* Quod tamen scriptum valde displicuisse Seckendorfio, huncque illi esse indignatum, quod animaduersiones suas in Pufendorfii scriptum se inuito imprimi curasset, ideoque illi infensiorem factum esse; gratum autem habuisse, quod amici communes litem hanc componere tentarent, ait THOMASIVS [u]. Qui et hoc addit, Seckendorfio Halam vocato, vt academiae nouae cancellarius esset, amicos maiori effectu pacem et amnestiam inter vtrumque conciliasse. Sed ex fragmento epistolae, quod produxit HEVMANNVS [x] patet, Pufendorfium ipsum, interuenientibus amicis amnestiam petiisse, facileque a Seckendorfio obtinuisse; sibi enim, scribit, licet maior irae caussae subsit, quam Pufendorfio, facile tamen esse iniurias remittere et vlcisci, vt sibi ignoscere Deum cupiat. His tamen pacis conditionibus Alberti quoque reconciliatio concluса est, quam longinquarum litium, et indecorae pugnae pertaesus, facile admisit Pufendorfius, quin rogatu Alberti carmen gratulatorium in nuptias filiarum eius scripsit, quod licet satyricum esset, imprimi tamen is curauit, quod postea Christiano Thomasio occasionem dedit, eum deridendi [y], cum is hanc contentionis serram cum eo reciprocare coepisset, vt supra narratum. Et hanc tandem catastrophen longa fabula Pufendorfiana habuit, quae memorabilibus speciminibus probat, quid valeant praeiudicia scholae, quid inuidia, quid artes malae et picta pietas, ad quam inhumanitatis et impudentiae audaciam excurrat humanus animus, vbi semel in praeceps vindictae cupiditate agitur. At docet etiam, viros prudentes et philosophiae praeceptis subactos, laesos et vlceratos interdum ad indignas philosophis satyras delabi, sicque Iliacos intra muros peccari et extra. Successit Pufendorfio Thomasius, qui ius eius naturae et gentium auxit, poliuit, acerrime defendit, et contra Praschium quoque aliosque quibus Pufendorfiana principia displicuerunt, assertum iuit. Quae cum fuse in eius vita enarrauerimus, nihil his, quod addamus, habemus.

CAPVT

u) l. c. §. 47. p. 123. x) l. c. y) Cog. menstr. 1689. p. 1057. seqq.

* *

CAPVT QVINTVM.

DE EMENDATA RECENTIORI AETATE PHILOSOPHIA CIVILI.

§. I.

Vidimus hactenus fata disciplinarum fere omnium, quibus philosophiae ambitus absoluitur, quaeque recentiori aetate auctae et emendatae sunt, restat vna pars, eaque ciuilis, quae vitam hominis in societate tum ciuitatis tum familiae viuentis prudenter regere docet atque praecipit. Non neglecta fuit elegans haec philosophiae pars a veteribus, et imprimis a schola Aristotelis, quae in eo genere plurimum laborauit, ipso Aristotele praeclaram, si verum fatendum, operam in eo praestante. Educatus enim in aula Philippi Stagirita, in qua eo tempore prudentia ciuilis sedem fixerat, et facinoribus magnis et stupendis emicabat, non potuit non ad optima exempla formari, et regulis vtilissimis imbui. Vbi autem ipse philosophiam arripuerat, non in Lycei vmbris otiosis speculationibus deditus, more Platonis, quem praeceptorem habuerat, imaginariam rempublicam, legesque in societate ciuili inutiles excogitauit, sed ipsam imperii et ciuitatis naturam experientia et exemplis intuitus est. Gratiosus autem et intimae admissionis cum esset apud Philippum, Alexandrum M. Antipatrum et Antiochum, qui tunc, magni orbis habitabilis parti imperare coeperant, ea, qua vtebatur, insigni animi perspicacia probe intellexit, quibus neruis prudentia ciuilis staret, quibusque rationibus exerceri possit, et arcana imperiorum miro acumine inspexit. Huic itaque vitae ciuili, tum ethicam suam, vt suo loco iam obseruatum [a], attemperauit, tum politicam inaedificauit, immo de societate quoque familiae, in oeconomicis praecepit. In quibus multa eum praeclara monuisse, quaeque reipublicae expediant, intellexisse, attendisse quoque ad imperantium sophismata et arcanas, quibus respublicas moderantur artes, suo loco monuimus. Et hinc factum, vt, qui recentiori aetate in Peripatetica Schola in Politica Aristotelis commentati sunt, (inter quos eminere Petrum Victorium, Hermannum Conringium, et Michaëlem Piccartum, suis locis indicauimus) multa egregia et laude digna ad scientiam politicam attulerint, hocque nomine non male de philosophia ciuili recentiori aetate meruerint. Quos tamen hoc loco enumerare nihil attinet, quia alia agimus. Ast, licet haec ita se habeant, negari tamen nequit, nec omnia vidisse Aristotelem, nec nostris temporibus omnia eius praecepta iuuare rempublicam posse.

De ciuili prudentia meruit schola Aristotelis, non tamen perfecit.

a) Tom. I. p. 804. 893.

posse. Quemadmodum enim institutiones suas ciuiles genio temporis, imperiorum in quibus viuebat, et quorum arcana ipse ex parte consiliis suis moderabatur, indoli modoque, quam nationum inclinationi et circumstantiis aliis, quae maximi momenti in imperandi prudentia et regenda ciuitate esse solent, accommodauit, ita historiae ciuilis non imperitus ignorare non potest, insignes mutationes respublicas esse passas, aliasque regulas aliam prudentiam haud raro poscere. Et hinc vera caussa deriuanda est, cur nulla philosophiae pars ab ipsis Peripateticis magis emendata, aucta, suppleta sit, quam quae de ciuili prudentia agit, curque infinitus fere scriptorum politicorum numerus extiterit, qui omnes fere artes regnandi variis modis explicuerunt. Inter hos nonnulli systematicum ordinem secuti sunt, plerique methodo liberiori prudentiae ciuilis regulas exposuerunt, et obseruationes, digressiones, dissertationes, discursus, animaduersiones historico-politicas scripserunt. Quorum nomina excitare hoc loco nec libet nec licet, cum ad literariam huius scientiae partem id pertineat, quam diligenter excoluit recentior virorum doctorum industria.

Scriptores historiae literariae doctrinae ciuilis.

Inter quos primo loco nominandus GABRIEL NAVDAEVS, vir castigatae eruditionis, cui debemus *Bibliographiam politicam*, aliquoties editam [b], licet partium studio virum doctissimum interdum aliquid dedisse, dudum viris doctis [c] sit annotatum. Naudaeo merito iungimus IOANNEM ANDREAM BOSIVM, qui in dissertatione *de Comparanda prudentia ciuili* bonae frugis plena scriptores quoque huc pertinentes adduxit. Prolixiori commentatione in hoc stadio cucurrit CAROLVS ARNDIVS, cui debemus *Bibliothecam politico-heraldicam selectam*, et *Bibliothecam aulico-politicam*. Qui si tantum accurationis et attentionis in his indicibus construendis attulisset, quantum lectionis et diligentiae, non haberemus, quod in eo culpandum esset. Ast in hoc scribendi genere ἀνεξίβεκαν ei deesse obseruauerunt alii [d]. Tacemus Ioannis Caluini, Iusti Gerardi Rinckii, Cornelii a Beughem, G. Io. Iochii aliorumque labores huc referendos, de quibus videndus cel. STOLLIVS [e], qui ipse in hoc argumento pulchre versatus, et omnino consulendus est. Cui si iungatur STRVVII *Bibliotheca philosophica* [f], virorum eruditorum cura insigniter aucta, vix omittetur scriptor paulo memorabilis, qui de philosophia ciuili aliquid tradidit. Dolendum autem, plerosque de prudentia certo obiecto, maxime reipublicae affixa, praecepisse, de prudentia in genere autem considerata, plerosque siluisse. Vnde laudanda recentissimae aetatis industria est, quae huic defectui medendo, multa de prudentia in genere monuit. Qua in re THOMASIVM atque BVDDEVM aliis exemplo suo lumina accendisse, ex iis, quae de his viris summis tradidimus, notum

b) Ediderunt libellum AVG. BVCHNERVS Witteb. 1640. H. CONRINGIVS in C. SCIOPPII Paedia politices Fr. 1673. Batavi in scriptoribus de methodo p. 19. seqq. Coll. Elzevir. CRENIVS in Script. meth. 1692.

c) BOSIVS de Comp. prud. ciu. §. 84. p. 37.

d) Biblioth. imperant. c. 2. pos. 3. §. 9. p. 101.

e) Hist. liter. P. III. c. 5. §. 5. p. 693.

f) c. 8. add. Bibliotheca imperantium.

notum est. Nos ex his fontibus recentiorum politicorum praecepta lectorem discere iubemus, et speciminis loco ex politicis recentioribus trigam tantum virorum celeberrimorum in medium adducemus, qui in hac arena magna cum laude desudarunt, Ioannem Bodinum, Balthasarem Gracianum et Traianum Boccalinum. Tum sectas politicorum duas explorabimus, Machiauellisticam et Monarchomachorum, quae vtraque in extrema cucurrisse, et corrupisse magis, quam emendauisse philosophiam politicam visa est.

Ioannes Bodinus.

§. II. Magnam inter eruditos seculi XVI nominis celebritatem, fama pariter et infamia nobilitatam consecutus est IOANNES BODINVS, systematicorum scriptorum, qui de republica egerunt, facile princeps: cuius res literarias praeter notissimos scriptores historiae literariae generales, Teissierium, Popeblountium, Sammarthanos, Baylium, Niceronium, aliosque tetigere ex instituto POLYCARPVS LYSERVS [g], Io. DIECMANNVS [h], et alii [i], qui ab iis consulendi sunt, qui integram famosi scriptoris historiam scire cupiunt: eam enim strictim tantum, et per summa capita attingere nobis licet. Natus est Andegaui, parentibus, quod plerique contendunt, Crypto-Iudaeis, cuius testis CAPELLANVS [k] produci solet, quo auctore additur, secundum decreta religionis Iudaeorum eum esse educatum. Quod tamen fatemur, melioribus testimoniis adhuc opus habet. Illud certum THVANI [l] testimonio, puerum fere in sodalitio Carmelitarum religionem fuisse professum: voto autem, quod rationis impotens inierat, solutum, iurisprudentiae se in academia Tolosana tradidisse. Quamuis ingenio vasto et memoria valde capaci instructus, non in hoc solo stadio sibi currendum esse statuerit, sed linguarum notitiam admirabilem adeptus, omnium fere scientiarum campos perlustrandos ingressus sit. Accepta tiara doctoris iuris, ad causas in foro superiori Parisiensi, siue Curia prouinciae agendas traductus est, strepitum autem forensem et varias litigationes pertaesus, elegantiori literaturae industriam suam locauit, cui commentarium in OPPIANVM *de Venatione* debemus, oppido doctum, at quem exscripsisse nonnullis visus est. Maxime vero ad historiarum studium, earumque ad ciuilem prudentiam applicationem conuersus, quid in hoc genere valeat, edita *Methodo ad facilem historiarum cognitionem*, itemque *Libris sex de Republica*, plaudente orbe literato ostendit. Neque tamen reipublicae muniis se totum subtraxisse, inde intelligitur, quia ipso auctore constat, Pictauii quoque eum vixisse substitutum procuratori regio, conuentibus Galliae Narbonensis interfuisse, procurationem regis Caroli IX gessisse in caussa agrorum publicorum contra

g) Diss. de Vita et scriptis Bodini selecta exhibente, Witeb. 1715. et in Appar. liter. Coll. II. Spec. 16. p. 327.
h) Sched. de Naturalismo Bodini.
i) COLOMES. Gall. Orient. p. 74. REIMMANN. Hist. lit. Germ. Vol. V. p. 42. Bibl. imper. p. 95.
k) Ep. ad Conring. Apparat. lit. Witteb. T. I. p. 66. seqq.
l) Ad ann. 1596. Conf. TEISSIER. Tom. IV. p. 265.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

prouinciam Normannorum, a Franciſco Alenzonum duce libellorum magiſtrum et conſiliorum particeps factum, interfuiſſe comitiis Bleſenſibus nomine Veromanduorum praefecturae, delegatum pro plebeio ordine, inque iis magna auctoritate eminuiſſe: porro legationis ergo pro Franciſco Andium duce ſuſceptae in Angliam traieciſſe, apud Laodunenſes aduocatum fiſci fuiſſe, vt ex THVANI relatione, et locis a LYSERO ex ipſis Bodini ſcriptis adductis conſtat. Plurimum auctoritatis ei tribuit Henricus II. rex Galliarum, literarum amantiſſimus, quem aliquoties colloquutum cum Bodino eſſe, eo euentu, vt illuſtris appareret eius eruditio, praeclara rerum memorabilium cognitione inſtructa, teſtatur Thuanus. Inde factum, vt Io. Serranus ſcripto acri Bodinum arroſurus a rege edere illud prohiberetur. Tandem regis gratia excidens ad Franciſcum Alenzonum ducem tranſiit, ab eo muneribus, vti dictum, admotus, et in Angliam traductus. In qua cum libros de Republica legi cerneret, eos Latinos fecit. Tandem anno MDXCVI peſte correptus obiit, relicta dubia de vita atque pietate ſua fama, quae CVIACIVM [m] permouit, vt ex nomine eius Ioannes Bodinus, literarum tranſpoſitione efformaret: *Andius ſine bono.* Nonnullis enim Iudaicam incredulitatem, cum lacte matris hauſtam per omnem vitam ſeruauiſſe dicitur, id quod peculiari obſeruatione demonſtrare aggreſſus eſt WOLDEBRANDVS VOGTIVS [n]. Hi ad vitae eius finem prouocant, in quo conſtitutus, ne verbulum quidem de IESV mundi ſeruatore protulerit; maxime vero famoſiſſimum eius *Colloquium heptaplomeres*, ſiue *Dialogum de abditis rerum ſublimium arcanis*, qui hodienum in mſc. deliteſcit, in partes vocant, in quo inſtituta religionum in orbe obtinentium comparatione ſemper vincitur Chriſtiana religio, vincit vel Naturaliſmus vel Iudaiſmus de quo tamen dialogo nihil quod valde admirandum vel magnopere metuendum ſit, praeter raritatem habente alibi dicendum [o]. Aliis nulli religioni addictus ſine vero Dei cultu vixiſſe atque obiiſſe, et inter Naturaliſtas numerandus viſus eſt [p]. Patet id ex ANTONII POSSEVINI *Iudicio de la Noue militis Galli*, *Ioannis Bodini*, *Mornaei et Machiauelli quibusdam ſcriptis*, quod ex mandato Innocentii IX, P. M. Romae MDXCII edidit, et magnam poſtea partem *Apparatui ſacro inſeruit:* in quo plurimi illi errores tribuuntur. Et hinc enata occaſio eruditiſſimo DIECMANNO *de Naturaliſmo Bodini* docte commentandi. Quidam magiae pactique cum malis geniis expliciti ſuſpectum habuerunt [q]: cuius occaſio enata eſt ex *Daemonomania* eius, quae Gallice primum, poſtea Latine et Germanice prodiit, et in qua miris rationibus pro ſtupendis magiae operationibus, ſagarum incantationibus, lycanthropia et ſimilibus

m) Obſ. Lib. XVIII. c. 38. Erat autem is ex infenſiſſimis Bodini aduerſariis.

n) App. lit. T. I. l. c.

o) Vid. STRVV. Introd. in Hiſt. lit. c. 9. §. 4. Obſ. miſcell. T. III. p. 271. alii.

p) DIECMANN. l. c.

q) TEISSIER. l. c. p. 265. PATINIANA p. 3. WAGNER Diſſ. de Eruditis colloquii cum ſpiritibus familiaribus falſo poſtulatis §. 6. NAVDAEVS de Magiae accuſatis c. 7. p. 83.

milibus pugnat; merito ideo MARTINO DEL RIONI [r], GABRIELI NAVDAEO [s] aliisque [t] notatus, et ideo indici librorum prohibitorum adscriptus; quamuis laudari meruerit ab HENR. MORO [u]. Plagii autem conuinci posse post Scaligerum, monuerunt COLOMESIVS [x], BAILLETVS [y], THOMASIVS [z]. Quae singula hoc loco excutere, non licet, et facile ex inspectis Bodini libris ab ipso Lectore paulo curiosiori et attento cognosci possunt. Scripsit etiam *Theatrum vniuersae naturae*, in quo eruditio et lectionis copia cum superstitione pugnat [a]. Ex quibus recte colligitur, in argumento physico et pneumatologico Bodinum parum valuisse. Ast aliter de scriptis eius ad historiam, maxime vero ad ciuilem philosophiam spectantibus pronuntiandum esse, viri docti censuerunt. Non enarrabimus historiam libri *de Republica*, quod factum ab aliis [b]; sed obseruamus, maxime se eum commendauisse viris in ciuili prudentia versatissimis, GABR. NAVDAEO [c], Io. CASELIO [d], IAC. BONGARSIO [e] aliisque laudatis a THOMA POPEBLOVNTIO [f], POLYC. LYSERO, COLOMESIO *. Nam licet esse in hoc opere haud pauca obelo digna fassi sint, digressiones quoque inutiles et molestae merito displiceant; recte tamen obseruauerunt, varia illud multiplicique eruditione et stupenda exemplorum varietate refertum esse, THVANVS quoque, qui tamen non omnino ab ostentationis innato gentis vitio vacuum eum se probauisse ait, monuit, in illo omni scientiarum genere non tincti sed imbuti ingenii fidem Bodinum fecisse. Tacemus Naudaei iudicium, qui regnorum quotquot in mundo constituta fuerunt, species, leges, instituta, arcana denique et virtutes ac vitia in ordinem reduxisse Bodinum affirmat, opusque hoc elaboratum ingenio, expolitum industria, perfectum iudicio et ita numeris omnibus absolutum vocat, vt qui ab ipso discesserit, errasse et incerta secutus fuisse dicendus sit. Quae sententia quidem nimia videri potest, cum nec ordinem satis obseruauerit, nec παιδείας curiosus satis sit, verum tamen est, innumera eum collegisse, quae amplam satis lucem prudentiae ciuili accendere possunt, quamuis rerum eum quam verborum studiosiorem fuisse, et in historiis ac testimoniis citandis a vero interdum abire, neglectu magis quam dolo, concedi GROTIO [ff] possit. Ex his vero iudicari potest, quid de turba eorum statuendum sit, qui libros de republica hostilibus armis aggressi sunt, quod fecerunt Augerius Ferrerius, Fabius Albergatus, Antonius Possevinus, Dominicus Arumaeus, alii, quorum loca copiosa adduxit POLYC. LYSERVS [g]. Ipse enim contra Renatum Herpinum apologiam pro republica scripsit, inque ea Serrano, Ostato Vasconi, Andreae Franckenbergero, Petro Ostalio, Ferrerioque respon-

r) Disq. Mag. T. I. p. 58. s) l. c.
t) VOSSIVS de Orig. idol. p. 489.
u) In Antidoto adu. Atheismum L. III. c. 9. Opp. T. II. p. 122. x) l. c.
y) Jugement des savans T. II. P. II. p. 475.
z) De Plag. lit. n. 373. p. 164.
a) COLOMES. l. c. LYSER. l. c. p. 345. et quos laudat.
b) Bibl. iur. imperant. p. 96. c) l. c. p. 23.
d) In Aristot. de Optimo reip. statu prooem.
e) Vid. COLOMES. l. c. f) p. 744. *) ll. cc.
ff) Ep. ad Gallos Ep. 1. g) l. c.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

respondit. Certe non minus peccant, qui, cum errores in hoc opere vident, illud omne reiiciunt, pulchraque innumera negligunt, quam qui cum Naudaeo, iaculum nunquam extra metam expediuisse Bodinum statuunt [b].

Balthasar Gratianus.

§. III. Alter, qui inter scriptores politicos acumen ingenii non systematico quidem ordine, at obseruationibus elegantissimis demonstrando magnam nominis famam meruit, BALTHASAR GRATIANVS est, societatis Iesu theologus, et collegii Tarasonensis rector, in quo anno MDCLVIII, annos natus LIV obiit, de cuius vita ALEGAMBIVS [i] consulendus. Is cum ingenii supra modum sublimis et acuti elegantia innumeras obseruationes pulcherrimas ad prudentiam pertinentes meditatione et lectione collegisset, eas tandem libellis aliquot, cum orbe literario et politico, vsus tamen nomine fratris Laurentii, communicauit. Legitur enim eius *Oraculum manuale; Heros; Criticon; Discretus*, aliaque lingua Hispanica scripta, sed Gallis quoque, Italis et Germanis legenda suo idiomate exhibita, quarum versionum historiam alibi tetigimus [k]. Et in primo quidem hominem aulicum regulis instruit, in Heroë hominis magni animum format, in Critico vitia hominum reprehendit et emendat, in Discreto virum in omni genere perfectum et aptum depingit. In quibus licet quendam scribendi tumorem ex innato gentis vitio [l], et meteora orationis deprehendere liceat, quae ad ipsa quoque morum viuendique praecepta et prudentiam interdum extenduntur, quaeque ostentationem magis subtilissimi ingenii, et verborum delectum atque affectatam obscuritatem, quam rerum curam et pondera exacta produnt [m], fassi tamen sunt viri summi, et accurati in hoc argumento arbitri [n], prudentiae viuendi summam, et animam quasi acutissimum scriptorem exhibuisse, nec facile tantum acumen, tantam sententiarum elegantiam, tantam morum animi humani notitiam, tantam meditationum sublimitatem scriptorem vllum demonstrauisse. Poscit autem lectorem et cothurnato sermoni adsuetum, et meditationis profundioris atque lectionis cum attentione iteratae molestiam non pertaesum, cunctaque ad circumstantias praesentes ita traducentem, vt si non omnia accurate tetigisse videri possit, quod ab homine, verborum sublimitate a recta cogitationum et ratiociniorum semita interdum in deuia abrepto expectari non potest, insolita tamen felicitate vberrimos fontes aperuisse censendus sit, ex quibus, qui iudicio, attentione atque vsu non caret, iucundissimos in vita prudenter instituenda fructus haurire possit.

§. IV.

h) Plura de Bodino sitientibus haurienda dabit P. BAYLE Dict. T. I. art. Bodin. p. 388. seqq. qui multa erudite et curiose cumulauit.

i) In Bibl. Societatis Iesu h. n.

k) In Praef. Vers. Germanicae Discreti, siue potius, hominis perfecti, quam emendatiorem dare, fauente occasione animus est.

l) Conf. Io. BARCLAII Icon. animorum, c. 7. p. m. 480.

m) Vid. Bibl. Franc. 1726. M. Nou. art. 10. STOLL. Hist. lit. P. III. c. 5. §. 17.

n) BAYLE Rep. des lettr. 1684. Juil. art. 7. RVDIGER. Instit. erudit.

§. IV. Tertium nominauimus TRAIANVM BOCCALINVM Romanum, cuius ingenium, mores, eruditionem eleganter depinxit IANVS NICIVS ERYTHRAEVS [o]. Is elegans atque amoenus cum ingenio esset, et acri atque perspicaci iudicio vteretur, ad iocandum cum aliquo maledicto facetus, omnique doctrinae pulchritudine ornatus, ad scribendam satyram se transtulit, ad quam natus videri poterat. Inde festiuo et ingenioso eius calamo *Relationes ex Parnasso* debemus, opus iucundum, doctrinae varietate, grauique morum censura, dicendi vero ornatu commendatissimum, in quibus sententiis Apollinis fictis, vitia designantur, quibus flagrabat eo tempore ciuitas, supplicia poenaeque fraudis et improbitatis, praemia virtutis explicantur, mores seculi perditissimi in contemtum adducuntur. In qua satyra tamen Boccalinum adiutores sociosque nobilissimos habuisse auctor est ERYTHRAEVS. Vnde nonnulli ad Caietanum cardinalem, Boccalini persona et opera vtentem eas relationes retulerunt [p]. Qui si in reprehendendis in genere hominum moribus ridendisque vitiis constitisset, et tectis illis ac iucundis ambagibus libertatem in illos modo exercuisset, quos carpere impune licet, quorumque mores exagitare minus nefas habetur, melius sibi consuluisset. Ast commouit eum ingenii acies, vt ad imperiorum reprehensiones, et vitia regnantium respiceret, et imprimis regni Hispanici errores, infirmitates, et arcana detegendo, acumen ingenii ad verberandam magni regis maiestatem conuerteret, edito *Lapide Lydio politico* [q]. Quo libello quidem meruit, vt inter optimae notae scriptores politicos numeraretur, isque in alias quoque linguas conuersus auideque lectus plerorumque admirationem mereretur: at exitialis auctori suo fuit. Cum enim aegerrime aula Hispanica ferret, scripsisse audacissimum scriptorem, regis opes ac vires non esse ita magnas, vt hominum ferret opinio, sed facile deleri posse, si quis alius rex ad eas infringendas accedat, rationem quoque eius aperuisse: Venetiis die quodam ab aliquot militibus circumuentus, sacculis arena plenis ita contusus est, vt ex ea verberatione diem supremum obiret. Excelluisse eum in ea arte, scribit ERYTHRAEVS, quae in rebuspublicis et ciuitatibus recte administrandis tota versatur, et in quadam ad Scipionem Cardinalem Burghesium scripta epistola spondere, se commentarios in Cornelium Tacitum editurum, quos pro singulari hominis ingenio omni elegantia doctrinaque refertissimos fuisse, se non ambigere ait; nondum enim tum apparuerant. Verum vbi, post multas latebras, quas per manus virorum principum quaesiuerunt, tandem Geneuae in publicam lucem prorepserunt, expectationi nonnullorum eruditorum minime respondere visi sunt [r]. Maculam autem inurit dicaci satyrico, quod ERYTHRAEVS

Traianus Boccalinus.

o) Pinac. I. p. 272. III. p. 223. CRASSO Elog. P. I. p. 160. seq. BAYLE Dict. T. I. art. Boccalino.

p) Conf. MORHOF. Polyhist. T. I. L. I. c. 9. §. 11. p. 80.

q) Pietro del paragone politico, Venet. 1615.

r) Vid. quos laudat POPE-BLOVNTIVS l. c. p. 927. seq. Conf. tamen Journ. des Savans T. VII. p. 24. vbi laude sua non priuantur.

THRAEVS refert, eum, qui se aliis reipublicae bene gerendae ducem ac magistrum professus sit, in iis oppidis, quorum illi administratio commissa fuerit regendis suis ipsum praeceptis non paruisse, sed multa commisisse, quae ab illorum rationibus essent aliena, ideoque factum esse, vt Romae crebrae de eius iniuriis querimoniae perferrentur, ac locus prouerbio fieret. Quae licet parum nomini eius faueant, ex politicorum scriptorum tamen, qui excelluerunt numero non eximunt.

Scriptores de Machiauello.

§. V. Machiauellistarum secta a Nicolao Machiauello, nomen habet, viro ob artes politicas easque improbandas, quas vel commendauit, vel propalauit, lippis et tonsoribus noto. Cum enim principum potestatem, quibus posset mediis extolleret, eaque siue licita sint siue illicita suis praeceptis insereret, artes quoque tyrannorum viuis coloribus depingeret, effecit, vt, quaecunque insidiae artesque in rebuspublicis tuendis firmandaque potestate suprema a nefariis prudentiae falsae et detestabilis consultatoribus adhibentur, Machiauellismi nomen tueantur. Vitam eius suo modo descriptam versioni Gallicae eius Principis praemisit IACOBVS GOHORY: nec ea plena sunt, quae recentiores historiae literariae scriptores afferunt, qui tamen de eo consulendi sunt, maxime vero PAVLVS IOVIVS [s] audiendus est, quem descripsit PAVL. FREHERVS [f]. Multa quoque notatu digna de eo dabunt P. BAYLE [ff], H. CONRINGIVS [†], I. FR. REIMMANNVS [*]. Anno MDCCXXXI vero V. cl. IO. FRID. CHRISTIVS, libris tribus *de Nicolai Machiauelli vita, scriptis et secta eius, atque in vniuersum de politica nostrorum post instauratas literas temporum, ex parte auctius cusis, ex parte primum editis*, Machiauelli res enarrauit, et quae pro eo excusando afferri possunt, attulit. Nos instituti memores paucis eius res tangemus.

Nicolai Machiauelli vita et philosophandi ratio.

§. VI. Edidit NICOLAVM MACHIAVELLVM Florentia magnorum virorum genetrix atque altrix. Ingenio a natura adeo praestanti donatus est, vt, quod IOVIVS [t] tradit, tantum valeret, vt in nulla vel mediocri Latinarum literarum cognitione ad iustam recte scribendi facultatem peruenire potuerit. Cuius quidem contrarium ex locis scriptorum veterum Graecis et Latinis coniici debebat: ast, si verum est, quod ab ipso se accepisse tradit Iouius, Graecae atque Latinae linguae flores, quos scriptis suis insereret, accepit a Marcello Virgilio [u], qui ineunte Seculo XV Florentinae reipublicae ab epistolis fuit, vnde eius notarius et assecla publici muneris a Iouio dicitur. Quamuis autem concedi forte possit, non tam disciplina et institutione literarum, quam naturae bonitate et iudicii maturitate ingenium Machiauellum excoluisse, magis

s) Elog. c. 87.
f) Theatr. p. 1440.
ff) Dict. T. III. p. 244.
†) Diss. prael. ad principem Machiauelli.
*) Intr. in Hist. lit. German. P. V. p. 32. Add. Bibl. imper. c. 2. pos. 3. p. 109. STOLLIVS Hist. lit. P. III. c. 5. p. 714.
t) l. c.
u) Graece Latineque doctissimum fuisse ex versione et Commentariis in Dioscoridem constat. Conf. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. III. p. 97.

magis tamen mirandum esse videtur, quod eo peruenerit, quo pauci contingunt, et in scriptis acumen et habilitatem tantam demonstrauerit, vt certatim eius eruditionem viri docti laudauerint v). Cuius si non aliud specimen dedisset, imitationes comoediae veteris a Machiauello magna felicitate susceptae satis superque probarent. Tacemus testimonium Iouii, eloquentiam et doctrinam eius ingeniosa elegantia se prodentem valde commendantis. Recte itaque INNOCENTIVS GENTILLETVS, cui *Antimachiauellum* deberi in sequentibus dicemus, ab HERM. CONRINGIO x) desertus est, asserens, iudicii solidi ne vnciam quidem Machiauellum possedisse. Aliud enim scripta eius loquuntur, et inter magna illi ingenia locum tribuunt. Neque audiendi videntur, obtrectatores Machiauelli ἀπαιδευσίαν ei obiicientes, quae si scriptorem acutum occupauisset, non potuisset in eiusmodi argumento versari, quod sine veterum scriptorum lectione, et rerum veterum historia expendi tractarique non potest. Aristophanem autem et Plautum in comoediis, vt diximus, imitatus, scriptorem facetissimorum veneres iocosque tanta felicitate non expressisset, vt Leonis X. P. M. summi et acerrimi eius rei arbitri plausum laudesque mereretur, nisi veteris disciplinae castigatione ingenium emendauisset y). Maxime autem diligentia eius in versandis annalibus historicis summopere enituit, quos non quidem more seculi XVI grammaticis subtilitatibus excussit, at philosophiam moralem ciuilemque ducem secutus, ita explorauit, vt philosophum decebat. Quamuis ergo, qui antiquitatum, linguarum criticaeque artis amore tenebantur, parum in hoc scriptore inuenirent, quod placeret, vnde fabulam de eius in literis ignorantia natam esse coniicere licet, fatendum tamen, magna attentione acutissimum virum ad arcanas imperantium artes, rerumpublicarum vicissitudines, causasque mutationum, et quae alia ciuilis prudentiae mysteria sunt, attendisse, et perspexisse, quibus semitis incedere illi soleant, qui aliorum libertati insidiantur. Id quod non quidem grammaticum, at philosophum demonstrat, quem in Machiauello, de veterum rebus differente recte obseruauit Albericus Gentilis. Itaque iniquus iterum in Machiauellum recte censetur Gentilletus, qui exiguam tantum historiarum notitiam ei tribuit. Ita reipublicae, quam vehementer deperibat, fauentissimus monarchiae vero infensior, aptissimus visus est qui patriae ab epistolis esset, quo loco positus eum rerum magnarum occasio ipsi suppeteret, vsu quoque et excercitatione acumen ingenii perficere potuit, frustra id negante, qui totus eum deprimit, Gentilleto. Plurimum autem apud Caesarem Borgiam quoque valuit, cuius artes ex schola Machia-

v) Vid. Elogia doctorum de Machiauello apud MAGIRVM in Eponymol. crit. p. 545.

x) In Ep. praelim. ad MACHIAVELLI Principem.

y) Conf. IOVIVS l. c. p. 205. VARILLAS Anecdotes de Florence p. 248. BAYLE Dict. T. III, art. Machiavel not. B. p. 244.

chiauelli fuisse enatas, plerique contendunt, sunt tamen qui negent. Mediceorum potentiae infensus [z], et reipublicae quam imperii amantior, illorum odia et persecutiones meruit. Factionem enim Soderinam adiuuasse suspectus factus, perduellionis iudicium incurrit, quae res eum carceri primum inclusit deinde tormentis subiecit [a]. Ast magna fortitudine superato equuleo, perfidiae criminis conuinci non potuit. Liber itaque dimissus, et postea dignus habitus est, cui annuo stipendio designato patriae historiae scribendae labor commendaretur. Quo tamen loco iterum eum excussit fortunae inuidia, et familiae Mediceae suspicio. Nempe cum opprimere libertatem patriae potentissima illa gens haud paucis videretur, in eius perniciem nonnulli coniurauerant, in id consentientes, vt Iulium cardinalem Mediceum, qui postea Clementis VII nomine sedem Romanam tenuit, vita tollerent. Quae coniuratio cum detegeretur, nonnullis mortis, quibusdam exilii causa extitit. His cum amicum se praebuisse Machiauellus crederetur, et suspicio esset, laudatis tum voce tum scriptis Bruto et Cassio, qui maximas res pro republica contra dominatum moliti sunt, accendisse eum ciuium animos, vt pro reipublicae libertate contra potentiam eorum, qui supremam potestatem affectabant, aliquid auderent, conuinci quidem eius rei non potuit, at munus tamen et stipendium amisit: quae res eum in miseriam atque inopiam detrusit. Quacum aliquot annos conflictatus, paulo ante subiecta iterum Caesarianis armis iugo Mediceo colla Florentina, veteresque dominos receptos ex accepto temere pharmaco, quo se aduersus morbos praemuniret, vitae suae, quod scribit Iouius, iocabundus illudens, anno, quod nonnulli volunt MDXXX, vel quod alii contendunt, certioribus rationibus nixi MDXXVII, fato functus est, aetatis XLVIII, relicto filio Luca Machiauello. Parum autem pie obiisse, rumor eo tempore sparserat, narrantibus nonnullis [b], dixisse eum morti vicinum, malle se cum viris magnis in inferno considere, quam cum hominibus simplicibus, Petro, Paulo et mendicis aliis in coelo triumphare. Alii sacramentis ecclesiae illusisse tradunt, alii alia profana eius memoriae affricant. In quibus narratiunculis merito fidem desideres: non enim alio talo constant, quam opinione de Principe eius pessima; nec ornari suspicio et difficilis de Machiauello fama potuisset, nisi, vitae exitum fuisse impium, illi fuisset assutum [c]. Verisimile autem non est, si tantae impietatis reus fuisset Machiauellus, passurum fuisse inquisitionis officium, vt libri eius sine censura in Italia omnium manibus versarentur. Scripsit multa Machiauellus vno fasce vernacula, tum Latina, Anglica, Gallica lingua edita, inter quae praeter scriptiones mino-

z) Eorum tamen fauorem, maxime vbi in curia Romana eminebat vir callidissimus tempori inseruiturus magna cura ambiuit, quod nonnullis persuasit, vt crederent, eum in Principe adulando consilia erigendae tyrannidis illis suppeditare voluisse.

a) VARILLAS l. c. p. 249. BAYLE l. c. not. C.

b) Rumuſculos Hotomanni, H. Wolfii, Spizelii enarrat P. BAYLE l. c. not. C.

c) Conf. STOLLIVS Hiſt. lit. P. III. c. 5. §. 45. p. 715.

minores eminent: *Dissertationes in Liuium*, siue *Disputationum de republica libri tres ad decadem Liuii primam*, quae dissertationes *Venetiis* MDXXX prodierunt, postea saepius [d]. Latine quoque Gallice et Anglice editae [e]: in quibus tectius eadem axiomata tradidisse visus est, quae apertius postea in Principe disseminauit. Tum *Historia Florentina*, diuersis virorum doctorum iudiciis excepta *f*. Maxime autem, fama dicam, an infamia? illustre nomen nactus est, edito, *Principe*; hic enim libri Italilico sermone conscripti et *Venetiis* MDXXXII. 4. editi titulus est, quem Sylvester Telius non satis feliciter Latinum fecit, et multoties recusum vidit orbis literarius. Emendatiorem autem editionem debemus πολιτικωτάτῳ CONRINGII industriae: is enim lectionum politicarum indicem hunc librum esse voluit, eiusque versionem Latinam emendatam, *Helmstadii* MDCLXIII vulgauit, repetitam anno MDCLXXXVI. Praemisit vir eruditissimus, epistolam introductoriam, in qua de Machiauello praeclare iudicauit, adiectis iudiciis Iouii et Possevini, vitaque Castruccii, a Machiauello scripta aliisque. Aliam post hanc versionem Latinam anno MDCXCIX exire in vulgus iussit CASPAR. LANGENHERT, Anglicam ED. DAKES, Londini MDCXL. Gallicam AMELOT DE LA HOVSSAYE, MDCLXXXVI. Sed Germanice quoque lucem vidit Francofurti MDLXXX [g]. Incredibile fere est, quam diuersa fuerint virorum doctorum de famosissimo libello iudicia, eo quod tyrannorum artes viuis coloribus et apertissimis rationibus in eo explicantur, eaque praecepta suggeruntur, quae neque religionis repagula, neque aequitatis et iustitiae honestatem, neque pactorum, legumque vincula considerare principem iubent, si eius emolumenta aliud postulent. Hinc enim pseudo-politiarum omnium, pessimarumque quae in aulis regnare solent, artium magister nequissimus, imperantium pestis, et tyrannorum adulator a plerisque habitus est. Maxime vero displicuere *Caput decimum quintum* et *vigesimum quintum*, in illo enim virtutem infamasse, concedendo principi, scire, qua ratione possit esse non bonus, in hoc prouidentiam diuinam labefactasse, asserendo dari casum cuius caussa dari nequeat, quae tamen fati ferocia frangi seueritate et constantia possit vrsus est. Inde innumera conuicia in Machiauellum iacta sunt, Bodino enim homo audit leuissimus, et nequissimus, Iacobo Thomasio infame Hetruriae monstrum, aliis aliud, quorum opprobria collegit ARNDIVS [h], qui, si plura quis cupiat, adeundus est. Maxime autem POSSEVINI iudicium, quod iubente Innocentio IX. de quatuor scriptoribus eum tulisse supra diximus, infamiam eius, impietatem et detestandas artes detegere nititur. Mirum itaque non est, atheismi notam illi a plerisque, qui haec principia Machiauellistica improbauerunt,

d) Italice Geneu. 1550. 4. Bon. 1680. 4. Latine Gen. 1650. 4. Gallice 1654. Anglice 1675. 1695. Gallice iterum per Henricum Desbordes Amst. 1691. 12. VI. Voll. conf. BAYLE l. c. not. H. itemque Geneuae 1726. II. Voll. 8. conf. LOTTER. ad STRVVII Bibl. phil. c. 7. §. 9. p. 283.

e) Conf. Bibl. imperant. l. c. §. 5. p. 113.

f) Vid. BAYLE l. c. not. K.

g) Editiones allegat Bibl. imper. l. c.

h) l. c. p. 111.

fuisse inustam. Romae quoque etsi Princeps Machiauelli diu sine offendiculo lectus, et non vernacula tantum, sed et in Latina lingua frequenter, nulloque indignante manibus eruditorum versatus est, tandem circa finem seculi condemnationis notam meruit. Fuerunt etiam haud pauci, qui adulando adrepsisse Machiauellum familiae Mediceorum, eorumque tyrannidem scriptis fulcire voluisse contenderunt. Alii vero in contraria prorsus abeunt, nec tam malum scriptorem Machiauellum esse, etsi de argumento malo scripserit afferunt. Et artes quidem imperantium malas et tyrannidis consilia non nudius tertius nata, diu ante Machiauellum obtinuisse, ideamque principis Machiauellisticam innumeris per totum terrarum orbem exemplis expressam esse, nemo historiae adeo ignarus est, vt nescire possit. Ex quo enata scriptoribus nonnullis occasio est, de Machiauellismo ante Machiauellum commentandi [i]. Recte quoque obseruatum viris doctis est, haud pauca obseruata a Machiauello annotauisse iam ARISTOTELEM in politicis [k], exemplisque memorabilibus descripsisse Tacitum. Quod occasionem dedit Gentilleto et, post eum IAC. THOMASIO [l] aliisque Machiauellum plagii reum agendi: perperam quidem, si quid iudicamus. Quamuis enim multa, instituta attenta lectione veterum historicorum, et fortasse Aristotelis quoque, obseruasse Machiauellum negare nolimus, supra tamen iam a nobis monitum est, eum meditationibus philosophicis et examine politico adhibito veterum lectionem in partes vocauisse, adeoque quae alii negligunt, diligentius considerando, in perspiciendis malis his imperantium artibus suis oculis acute vidisse. Tot itaque veterum exempla intuito, cum nec acumen ingenii, nec attentio curiosa, nec latebrarum animi humani exploratio deesset, eo autem, quo viuebat tempore in hoc ille doctrinae genere virorum magnorum consuetudine vteretur, intelligi sine labore potest, quomodo sine plagii crimine ad similia veterum obseruationibus praecepta delatus sit; licet fatendum sit, nihil scripsisse Machiauellum, quod non conditis inter homines imperiis semper exercuerit infrunita ambitio imperandique cupiditas. Haec vero obseruata viris doctis ansam illis dedere de Machiauello iudicandi, produxisse eum tantum ex vmbris conclauium et in aperta luce collocauisse malas dominantium artes, nec docere voluisse, vt obseruatum WIQVEFORTIO [m], quid principi agendum sit, quam quid agat reapse tyrannus, vt nosci et vitari possit. Vnde candide magnus VERVLAMIVS [n]: *Est quod gratias agamus Machiauello, et huiusmodi scriptoribus, qui aperte et indissimulanter proferunt, quod homines facere soleant, non quod debeant.* Aliorum hac de re iudicia, ne nimii

i) CHRISTIAN. HOFMANNVS Diss. Machiauellus ante Machiauellum ex historia Lacedaemoniorum productus Ienae 1668. et Machiauellus sine Machiauello ex historia Sinensi productus, ib. HERM. SAM. REIMMARVS in Sciagraphia tr. de Machiauellismo ante Machiauellum, Witteb. 1619. CONRING. l. c.

k) L. V.

l) De Plagio n. 502. PASCH. de Inu. Nou-Antiqu. c. 4. §. 7. Bibl. imp. p. 110.

m) Conf. MARVILLE Mel. T. II. p. 140. DE LA HOVSSAYE Praef. Princ. BAYLE l. c. not. E.

n) De Augm. scient. L. VII. c. 2.

nimii ſimus, praeterimus o), legenda autem eſt erudita Cl. CHRISTII diſſertatio, qui multa hanc obſeruationem luce perfudit. Quod vbi ſupponitur, tantum abeſſe pergunt, qui pro Machiauello apologiam dicunt, vt culpari poſſit, vt potius inter teſtes veritatis cautos et ſagaces referendus videatur, eo quod prudentiam ciuilem non virginea caſtitate illibatam, ſed aularum furore vitiatam atque proſtitutam in apricum produxerit, vt habeant animae candidiores, quod perhorreſcant, amici principum autem rerumque adminiſtri pulchrius ſapere cupientes, quod vitandum eſſe hero ſuo oſtendant. Id quod pondus inſigne pro Machiauello accipit, ſi verum eſſe ſtatuatur, virum acutiſſimum reipublicae fauentiſſimum, magno, licet clandeſtino, odio oppreſſae a Medicea domo libertatis flagrauiſſe, cumque alia ratione non poſſet, his ambagibus adſcitaque hac larua, natiuos tyrannorum vultus viuis coloribus depingendo ciuibus ſuis oculos aperire, et hortari voluiſſe, vt diſcerent tandem aliquando, quam mala res ſit amiſſa libertate iis dominis parere, qui contemtis legibus, iuſtitia, aequitate, honeſtate et ſanctiſſimis quibuscunque ciuitatum vinculis etiam minime boni eſſe non recuſent, ſi potentiae ſuae expediat, et fulcire tyrannis hoc pacto poſſit. Et magnum, ſi fatendum quod res eſt, pondus haec obſeruatio in hiſtoria Machiauelli habere videtur. Vti enim non inſolens eſt eiusmodi fictis inſtitutionibus malarum artium praecepta et exempla in apertiſſima luce conſtituentibus ſatyram ſcribere, et oculos rerum intelligentibus aperire, vt ſapere tandem aliquando diſcant p): ita falli eos, dubium non eſt, qui Mediceae familiae aſſentiri iſto libro Machiauellum voluiſſe coniiciunt. Hoc enim ſi facere conſtituiſſet, non in foro et turba, ſed in conclaui et adyto haec praecepta politica inſuſurraſſet. Aliter autem animo affectum fuiſſe Machiauellum ea, quae ex illius vitae hiſtoria ſupra adduximus, ſatis probant, et tota hiſtoriae Florentinae ratio ſuadet. Ea enim narrante, artes iſtas, quas tam natiuis coloribus ſcriptor Florentinus deſcribit, iſto tempore mira calliditate exercuit, gemente et exſpirante Florentinae reipublicae libertate, Medicea familia q) quas deteſtatum fuiſſe Machiauellum, ideoque ciues hac ſatyra monere voluiſſe, vel ſola iterata ſuſpicio, quod in exitium eius domus coniurauerit, euincere videtur. Nec vllam veriſimilitudinis ſpeciem habet, eum, qui Bruti et Caſſii exempla ciuibus tantopere praedicauit, ſicque reipublicae liberae amorem mire in iis ſuſtentauit, ſeria commendatione tyrannidis medio tam palpabili inſtitutionum compendia ſuppeditare voluiſſe, quibus ciuitatis libertas euerteretur. Aliquoties etiam in diſſertationibus in Liuium r) prodidit, valde ſe Ariſtocratiae fauere, et monarchiam

o) Vid. ALB. GENTILIS de Leg. L. III. c. 4. SCIOPPIVS in Paedia polit. 10. CHR. BECMANN. Med. polit. c. 1. §. 6. p. 7.

p) Simili inſtituto ſcriptus eſt Homo politicus ſ. Compendium politices nouum, quod ſerie rem egiſſe ratus CHR. PELLERVS in Politico ſceleratо impugnato, refutauit. Eandem nuper ſcenam ingenioſe inſtruxit cel. CROVSAZIVS editis Regulis educationis, quae multis diſplicuerunt, cum non obſeruaſſent, ſatyram virum eruditiſſimum ſcripſiſſe.

q) Conf. VARILLAS l. c.

r) Maxime L. I. c. 10.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

atque imprimis tyrannidem perhorreſcere. Quamuis autem non ſine veri ſpecie obiiciatur, Machiauellum, etiam in aliis libris has artes pſeudo-politicas inculcauiſſe, opponi tamen his poteſt, virum ſagaciſſimum quaerendo exempla eorum, quae tam aperte in principe effuderat, colorem, quo excuſaretur, obſeruationibus ſuis addidiſſe, vt de veteri magis aeuo, quam ſuo tempore loquutus fuiſſe videri poſſit. Quae vero de atheiſmo eius obiiciuntur, infirma eſſe, recte vidit eruditiſſimus REIMMANNVS [s], qui eos nominat, qui in hac macula illi inurenda induſtriam ſuam exercuerunt. Monet enim, ſcripta eius per integrum fere ſeculum eſſe lecta in republica literaria ſine atheiſmi ſuſpicione: id quod verum eſſe ex hiſtoria librorum Machiauelliſticorum patet. Erat enim Alexandro VI commendatus et librum hunc quoque Leonis X fratris filio dedicauerat, minime indignante Leone, ſed eam potius de illo fiduciam nutriente, vt eum arcanam diſſertationem de reformatione reipublicae Florentinae ſcribere iuberet. Clemente VII quoque iubente hiſtoriam Florentinam edidit, beneuole ab eo acceptam, Machiauello autem mortuo typographo Angelo Bladio decennii priuilegium in opera Machiauelli iunctim edita a pontifice conceſſum eſt. Idem fecerunt Paulus III, Iulius III, Marcellus II, Paulus IV, hisque auctoritatibus munita ſcripta Machiauelli, in omnibus fere Europae regionibus diu ſine ſuſpicione atheiſmi lecta ſunt. Primus anno MDLII in Machiauellum inuectus eſt Ambroſius Catharinus, exigua tamen vel curiae Romanae vel ciuitatis literatae attentione. Tandem Antonii Poſſeuini et Thomae Bozii inſtigatione et clamoribus permotus Clemens VIII, demum ſcripta Machiauelli, velut impietatis ſuſpecta prohiberi iuſſit [t]. Addit huic argumento porro Reimmannus, nusquam in ſcriptis Machiauelli vel directe vel indirecte oppugnari numinis exiſtentiam: viros quosdam doctiſſimos eos excuſaſſe, et interdum laudaſſe; iis, a quibus primum atheiſmi ſtigmate notata ſunt Machiauelli opera, ne quidem lecta eſſe, ne dum ea, qua fas eſt diligentia excuſſa: reprehenſione quoque eccleſiae Romanae ſatis acerba hanc dicam eum meruiſſe etc. Quae omnia in vnam ſummam collecta id euincere putant viri illi docti, qui pro Machiauello verba fecerunt, non alia in re eum peccauiſſe, quam quod, monente SCHVPPIO [u] *ſagaciſſimus nequitiae humanae obſeruator, apertiſſimus teſtis, et nimis ingenuus recitator fuerit, et candide ea elocutus fuerit, quae multi alii politici non modo ſentiant, et firmiter credant, ſed et in vniuerſa vita faciant.*

Iudicium de Machiauello.

§. VII. Difficile eſt in tam ambiguo argumento arbitrium ſumere, et de Machiauello ita ſtatuere, vt veriſimilitudinis gradus rite definiantur, habeatque pondus ſuum opinio. Quis enim aperta certitudine de intentione animi ſcriptoris huius definiet? Et verum quidem eſt, ſuſpectum valde videri Machiauellum, non modo quod artes malas nimia perſpicuitate

s) Hiſt. Atheiſmi S. III. c. 4. §. 14. p. 356. ſ. t) Conf. CONRING. l. c. u) In Orat. de Opinione.

tate denudauerit, verum etiam, quod in aliis quoque scriptis eas insperserit, vbi scopus iste satyricus locum habere non potest. Quoniam tamen ea, quae de eius erga rempublicam amore relata supra sunt, iustam caussam praebent credendi, noluisse eum, contra principia regulasque ex animo sibi descriptas agere et scribere, hincque illa loca ideo ab eo allata putanda esse, vt exemplis fidem principi suo faceret: ideo iustae ratiocinationis pondera et momenta maiora eos habere existimamus, qui principem Machiauelli pro satyra habent, laruam tyrannis detrahente, et libertatis amantibus exosum imperium atque dominatum reddente: facileque persuaderi nobis patimur, Mediceos eum clam petiisse, quamuis ad occultandum hunc scopum, inscriptionem libri Mediceae domui sacram esse voluerit. Hac quaestione facti supposita, adeo male, quam plerique clamant, Machiauellus egisse censendus non esse videtur. Vti enim magna et praestantissima tacticorum pars est, ostendere stratagemata, eorumque rationes apertas detegere, sophismata quoque et fallaces strophas delineant artis rationalis scriptores, ita in morali quoque et politico argumento vtilitate minime caret, et haud exigua pars ciuilis prudentiae est, scire quibus modis saeuiat pseudo-politica, peccent artes aulicorum, opprimatur libertas, quaeque pestes ciuitatis eiurandae vitandaeque sint. Quem vsum hunc Machiauelli librum praestare, recte viderunt H. Conringivs [x] et Dan. Clasenivs [y]. Quamuis autem haud immerito quis obiiciat, plus proficere vitiorum ignorationem, quam cognitionem virtutis, quod eleganti Scytharum exemplo illustrat Ivstinvs [z]: putandum tamen haud est, Machiauellismum, quem vocant, siue artes pseudo-politicas ex hoc demum Machiauelli libro exortas esse, cum experientia teste constet, millies eas sine Machiauello exerceri, regnareque in aulis, in curiis, in conclauibus, quin et inter priuatos in foro, in museo, in tabernis, vbi Machiauelli princeps nunquam lectus est [a]. Id vero, nostro quidem iudicio excusari in Machiauello non potest, quod non antidotum veneno valde praesenti adiecerit, inque iis ingeniose exponendis et pingendis industriam suam demonstrauerit, quae exponi sine detestatione non debent, vt alia taceamus, quae profanam in eo mentem, Dei reuerentia non satis munitam prodere videntur. Vnde laudanda est Conringii industria, qui in ea, quam curauit editione medicinam attulit, et remedium locis, quae offensioni esse possunt, parauit.

§. VIII. Ex his autem intelligi potest, non defraudandos illos esse laude, vel inutiliter operam suam collocasse censendos, qui in refutando Machiauello desudarunt. Tanta enim multorum infirmitas est, vt non moniti et aere triplici circa pectus muniti, facile exemplorum huiusmodi *Anti-Machiauelliſtae.*

x) loc. cit.
y) De Relig. polit. c. IX. §. 98.
z) L. II. c. 2.
a) Hinc enata est occasio cel. B. Valentini differendi de Machiauellismo medico Franc. 1711. Lilienthalio de Machiauellismo literario. Edzardo de Machiauellismo pietistico, Chr. Weisio de Machiauellismo rustico etc.

modi pictura decipiantur, et quae cautos reddere debent, incautos faciant et seducant. Causa haec est, cur tot viri docti in confodiendis illis axiomatibus quibus Princeps Machiauelli regitur, industriam exercuerint suam. Quorum indicem satis longum texere liceret, si Bibliotheca philosophica scribenda esset, a qua prolixitate institutum nostrum abhorret. Nominant autem plerosque STRVVIVS [b], REINHARDVS [c], ARNDIVS [d], BVDDEVS [e], alii [f], qui videndi. Nos ex multis, quae heic inseri possent, obseruationibus paucas seligimus. Et I. quidem ex refutantium ordine, nemo maiori infamia cumulasse Machiauellum censendus est, quam Posseuinus et Thomas Bozius; ille, *in Iudicio de quatuor scriptoribus*, supra iam memorato, hic in variis scriptis, contra Machiauellum editis, maxime vero in tractatu *de Imperio virtutis*, *Coloniae Agrippinae anno* MDXCV edito. Ex quo simul tempus patet, quo Machiauellus suspectus fieri, et infamia laborare coepit. II. Maximus vero, qui Machiauello obtigit aduersarius a plerisque iudicatus est, anonymus quidam, cui debentur: *Commentariorum de regno aut quouis principatu rite et tranquille administrando libri tres, de consilio, religione et politia, quas princeps in ditione sua tueri debet aduersus Nic. Machiauellum Lausannae* MDLXXVI editi, et aliquoties editione repetiti, etiam Germanice vulgati [g]. Suppressit auctor nomen suum, nec aliud de se prodidit, quam esse se ex exulum reformatorum Galliae numero, quod occasionem dedit nonnullis coniecturis suis in auctorem inquirendi. Vixit autem eo tempore apud Lausonienses exul Franciscus Hotomannus: quem in hoc scripto euulgando ideo desudasse nonnulli coniecerunt. Ast nec genium nec scribendi rationem ab Hotomanno seruatam prodit scriptum illud. Vnde maiori verisimilitudine VINCENTIO GENTILLETO ICto ex Delphinatu Galliae oriundo tribuitur [h]. III. Exscripserunt hunc Anti-Machiauellum non Posseuinus modo, sed alii quoque, qui contra eum in arenam descenderunt, ast IV. iniquis armis, falsis imputationibus, et commentis ita aggressus est auctor Machiauellum, vt sincerum ex hoc libro iudicium de eo haurire minime liceat [i]. Quem cum ita exscripserint, Anti-Machiauellistae, vt ne quidem comparare eum cum Machiauelli scriptis opus esse iudicauerint, factum inde, vt pueriliter in haud paucis lapsi sint. V. Omnes autem eos, qui Machiauellum refutare aggressi sunt, et augusti, quo fulgere creditur axiomatis splendore, et cogitationum subtilitate, et principiorum atque regularum veritate et nobilitate, et digno auctore suo virtutis habitu longe post se reliquisse, consentiente et plaudente orbe literato iudicatus est, qui nuper *Antimachiauellum* Gallico sermone edidit anony-

b) Bibl. philos. c. 7.
c) In Thearro prudentiae ciuilis.
d) l. c. p. 47.
e) Isagog. Hist. theol. p. 320. Annot. in Hist. phil. p. 504.
f) Biblioth. imperant. l. c. §. 6. p. 113. seqq.
g) Anti-Machiauellus, das ist, Regenten-Spiegel Argent. 1624. 8 perperam enim hunc librum quidam ab altero distinguunt.
h) BAYLE l. c. not. E Bibl. imper. l. c. p. 114. DECKHER. de Script. adeip p. 306.
i) Conf. CONRINGIVS et CHRISTIVS II. cc.

anonymus, curante editionem elegantissimo VOLTAIRIO [k]. Quem librum immortali rarissimi exempli gloria dignum hic recensere, institutum vetat, adeundi autem Ephemeridum scriptores, qui suo merito extulerunt. Supponit is, Machiauellum verisimiliter principem suum ad Caesaris Borgiae exemplum effictum, serio orbi imitandum proposuisse, eumque ideo validissimis arietibus contundit, eiusque quassat moenia: Iam luculenter autem in eo argumento versatur, vt, recte Platonem pronunciasse dicendum sit, beatam tunc fore rempublicam, si aut philosophi imperent, aut reges philosophentur.

Secta Machiauellistica.

§. IX. Ab hoc scriptore politico enata est in nonnullorum commentariis de philosophiae historia, secta Machiauellistica. Somnium hoc fuit GEORGII HORNII [l], ita tradentis: „Exorta quoque est secta politicorum Machiauellistarum, qui statuunt, philosophiam theoreticam „homines reddere ineptos ad prudentiam politicam, trahentes ad se illud „Neoptolemi apud Ciceronem philosophandum, sed paucis.“ In quibus adeo pueriliter potuisse labi Hornium, vt certum sit, ne paginam quidem vnam Machiauelli se legisse merito miramur. Aliis secta Machiauellistica audit, quicquid iniquas principum artes inculcat suadetque, quo pacto innumeras affeclas habere Machiauellum contendunt, at hi sectae nomine abutuntur, quo theoreticorum philosophorum factio intelligi solet. Sensu enim practico omni ante Machiauellum tempore extitisse pseudo-politicos, et obtinuisse axiomata vel sophismata potius politica a Machiauello tradita supra iam obseruauimus. Accuratius agunt, qui eos scriptores huc referunt, qui regnandi prudentiam illis regulis concluserunt, quae vtilitate magis imperantium, quam subditorum atque ciuitatis definiuntur, quaeque despotismum nimis extendunt. Quo nomine vapulare solent Iustus Lipsius, et Thomas Campanella, vt in vtriusque vita dictum, itemque illustrissimi Gallici regni administratores Richelius et Mazarinus. Quibus adiici solet GABRIEL NAVDAEVS, propter *Considerationes politicas super arcana status* [m]. Ast hi quoque scriptores Machiauellistae proprie dici nequeunt, eo quod intra cancellos praeceptionum Machiauelli se non concluserunt. Monarchomachos autem huc inepte refert Cl. ARNDIVS [n], qui in contrarias prorsus partes discesserunt, quos iam propius intuebimur.

Monarchomachi quid sint?

§. X. Nempe in contrarium abit, et diuersissima principia sectatur Monarchomachorum factio, quam indictam hoc loco praeterire non licet. Vt enim plus iusto tribui a Machiauello principum potestati plerique conqueruntur, ita Monarchomachi imperio illimitato maximopere infensi princi-

k) Vid. Bibl. Britann. T. XVI. Novelle letter. publicate in Firenze T. II. p. 600. 619. seqq.
l) Hist. phil. L. VI. c. 12. p. 322.
m) Conf. citati.
n) l. c. p. 56. seqq.

principis auctoritati plus iusto detrahunt. Id vero cum piaculum merito videatur, ipsam philosophiam in auxilium vocari videas, vt recte et ratione imperante id fieri videri queat. Nempe duplex huic factioni maiestas statuitur, vna personalis, realis altera. Et personalem quidem summis imperantibus minime denegant, quos ex collatione a populo facta maiestatis axioma in persona sua gerere asserunt: at realem maiestatem populo inesse, eiusque consensu, electioneque transferri in imperantem contendunt. Qua distinctione, populus et subiectorum et imperantium indole gauisus inepte inducitur, et quid maiestas sit, quaue conditione in personam principis transferatur, mire confunditur. Id quod latius deduxerunt C. THOMASIVS *), H. CONRINGIVS o), CHR. MART. COLERVS p), qui ipsi adeundi. Pernicioſi autem ex huius factionis principio in rempublicam omni tempore errores fluxerunt, seminaque seditionum nunquam non exorta sunt. Sequitur enim ex illo originaliter, maiestatem esse penes populum q), et competere illi ius, non modo in imperantium actiones inquirendi, sed etiam peccantes de throno deiiciendi, immo prorsus e vita tollendi. Ex hac vero Monarchomachorum descriptione manifestum est, non recentiori demum aetate hanc factionem surrexisse, sed ab eo tempore extitisse, quo seditiones in imperiis obortae imperio se opposuerunt. Quo argumento dudum ARISTOTELES Monarchomachos depinxit r), et vetus pariter atque recentior historia. Intelligitur autem ex dictis contrariam prorsus Machiauelliſmo esse Monarchomachiam, etiam simulatam, adeoque contrariis principiis vti, et reuera omnem regum principumque maiestatem, quam ille malis artibus extollit, pessimis rationibus atque mediis euertere. Historiarum annales vero consulentibus ignotum esse non potest, Machiauelliſmum, id est, abusum maiestatis et potestatis supremae Monarchomachiam genuisse, et ex tyrannidis malo aliud illo non minus fuisse prognatum. Cum enim sine legibus, sine pactis, sine religione, sine salutis publicae cura agere se posse, prout libuerit, imperantes coepissent, exasperati populorum animi de tollendo, quod execrabantur, imperio cogitare coeperunt, hincque talia principia excogitarunt, quae ex natura ciuitatis petita, in originem maiestatis inquirunt, et consensu ciuitatis eam in imperantem conferri, pactisque atque legibus definiri atque circumscribi contendunt. Quae cum magnam veri speciem habeant, facile fuit, obtentu naturae ciuitatis pactorumque inuolare in maiestatis iura et non tantum imperantes in ordinem redigere, sed pellere quoque regno, et caedibus plane, iustitiae praetextu et tyrannidis odio, euertere. Mirandum itaque non est, eas, quae Machiauelliſmo solent opponi, rationes in acie Monarchomachorum comparere, et iusto

*) Diss. de Duplici maiestatis subiecto.
o) Diss. de Summae maiestatis subiecto.
p) Diss. de Diuisione maiestatis in personalem et realem.
q) Conf. GROTIVS de I. B. et P. L. I. c. 3.
r) Vid. Polit. Lib. V. et PETRVS VICTORIVS ad h. l. p. 395.

iusto imperio haud raro opponi. Verumque est, quod nonnemo monuit [s], speciosa satis esse, quae pro se, suaque sententia Monarchomachi afferant, argumenta, eaque plerumque in genere considerata veriora esse, quam applicari in specie possint. Ast nec tamen inficiandum, ita in plerisque regnis imperiisque dispositum cautumque esse, vt distinctiones Monarchomachorum locum habere vix possint, cum facilius maiestas in abstracto, quod vocant, quam in concreto a subiecto cui inhaeret, separari queat. Et aliud longe est, peccata regnantium, finem imperiorum et naturam conuellentia redarguere, aliud media suppeditare, quibus salua maiestatis iure et auctoritate in ordinem redigi queant. Quae inter se miscuisse nonnullos, qui Monarchomachorum partibus se addictos professi sunt, certum est: quorum asserta interdum commodam interpretationem admittere, et aequitatem poscere, omnino B. Buddeo [t] eos excusanti concedimus. Verum de his vltra disputare hoc loco non licet, sed in institutionibus philosophiae examinanda atque definienda sunt: nos ad partem huius factionis historicam conuertimur, quam post obseruatorem Halensem [u] tetigerunt Struvius [x], Ackervs [y], Buddeus [z], Arndius [a] auctorque *Bibliothecae imperantium* [b].

§. XI. Quamuis ab antiquissimis temporibus Monarchomachos fuisse, veterum regnorum atque rerumpublicarum, maxime Graecarum historia testis sit locupletissimus, nunquam tamen, quod facto ipso multi exsecuti sunt, scriptis ex instituto defendere, quisquam ausus est. Prima, quae in publicis libellis deprehenduntur, huius rei vestigia, seculo XIV deprehenderunt viri docti: imperante enim Ludouico Bauaro, Marsilius Mainardinus, Patauinus, rector vniuersitatis Viennensis [c], quem impium quidem, sed doctum hominem vocat Nic. Comnenus Papadopoli [d], quique in controuersiis Ludouicianis strenue Occami sectam sententiasque secutus est, Monarchomachis in *Defensore pacis* praelusisse; Seculo XVI ineunte autem, sedente Romae Leone X, Marius Salomonius in libris *de Principatu* eandem iam disseminauisse haeresin visus est. Forte et alii sunt, qui principum potestatem intra cancellos redigere cupientes, et plus vltra progressi in maiestatem ipsam iniurii facti sunt. Nam tempore belli Smalcaldici, quo de oppressa libertate publica querelae grauissimae auditae sunt, nonnullos theologos talia praecepisse non nemo [e] contendit. Non tamen in certi dogmatis neruum res erupit, nisi post lanienam Parisiensem, qua crudelissimum oppressae salutis publicae, exemplum insanorum quorundam audacia exhibuit. Eam enim graues illi motus intestini et ciuilia bella secuta sunt, quibus non ar-

Monarchomachi celebriores.

s) Bibl. iuris imperant. l. c. §. 1. p. 119.
t) In Hist. I. N. p. 78.
u) Obs. Hal. T. VI. Obs. 1.
x) Bibl. phil. c. 7. §. 27.
y) Pec. sched.
z) Hist. phil. p. 508.
a) Bibl. polit. her. p. 62.
b) C. 2. Pos. 2. p. 118. qui omnium plenissimus est.
c) Vid. Fabricius Bibl. Lat. med. Tom. V. p. 102.
d) Hist. Gymnasii Patau. T. II. p. 154.
e) Obs. Hal. l. c.

mis tantum contra regis maiestatem et auctoritatem, sed calamis quoque pugnatum est. Secutae sunt seditiones motusque Anglici et Scotici, qui materiam suppeditarunt, nonnullis in regum principumque potestatem insurgendi. Inter quos primum apud plerosque locum occupat GEORGIVS BVCHANANVS, vir historiarum peritissimus, et condendi carminis felicitate celeberrimus, cuius vitam hoc loco enarrare non licet, praemissam autem Poëmatibus eius, et elegantissimis obseruationibus illustratam legere est apud P. BAYLE *f*, qui adeundus. Is in regia quidem Mariae Stuartae, Scotiae reginae familia fuit, tantumque eius existimatio et eruditionis opinio valuit, vt regni haeredi Iacobo VI, erudiendo adhibitus, innumeris beneuolentiae speciminibus cumularetur. Attamen seductum a factione aulae aduersa, imprimis comite Morrauio, iniquissime de Maria regina in *Historia Scotiae* scripsisse dicitur, quod occasionem nonnullis, maxime Barclaio, dedit, eum perfidiae, ingrati animi, mendaciorum, et quae alia ei scelera obiecta sunt, insimulandi. De qua tamen re non hoc loco tractandum est, sed in historia magnae Britanniae Scotiaeque regni. Potiori autem iure huc referendus esse plerisque visus est, ob dialogum *de Iure regni apud Scotos*, paulo ante obitum, qui anno MDLXXXII, septuagesimum sextum aetatis annum supergresso obtigit, anno MDLXXX Edinburgi editum. Qui cum Latine scriptus esset, mox Anglico quoque sermone, et tum Belgico comparuit, et plerumque historiae Scotiae solet adiungi. Scripserat hunc dialogum occasione motuum a Maria Stuarta excitatorum, adeoque de Scotiae tantum regno in titulo eius se acturum promiserat; in ipsa vero tractatione de regni iure, natura et indole in genere disputat, hincque regni origines, constitutionem primam, et neruum ingeniosa inquisitione explorat, sed libere nimis, parumque accurate et reuerenter. Neque tamen alios, quam tyrannos, regni maiestate atque potestate ad opprimendos sibi subiectos abutentes se petere videri vult; vnde non erubuit dialogum hunc, regum maiestati parum salutarem, et honorificum, ipsi iuueni Scotiae regi, Iacobo VI, inscribere, apud quem maximam gratiam et auctoritatem obtinebat. Quem etsi finem intendere voluisse Buchananum facile quis sibi persuadeat, fatendum tamen, adeo inconsiderate et parum caute scripsisse historicum, vt occasio inde enata calumniandi doctrinam Protestantium *g*, quod maiestati imperantium parum faueat. Qui vero nec Buchanani principia defenderunt, nec dialogi huius apologiam scribere aggressi sunt. Narrat autem CAMDENVS *h*: „Buchananum, „partium studio et Morrauii munificentia abreptum, tum in historia, tum „in libello cui detectio titulum fecit, ita scripsisse, vt falsitatis libri isti da„mnati sint, ab ordinibus regni Scotiae, quorum fidei plus tribuendum: et „ipsum ingemiscentem coram rege, cui fuerit paedagogus, subinde se re„prehendisse, quod tam virulentum calamum in reginam bene meritam strin-

f) Dict. T. I. p. 693. seqq. g) Conf. BAYLE l. c. not. E. h) Annal. ad ann. 1567. p. 110.

„ſtrinxiſſet; morientemque optauiſſe, vt tamdiu ſupereſſet, donec macu„las, quas maledicentia falſo aſperſerat, reuocata veritate vel ſanguine elue„ret, niſi hoc vanum eſſet, cum prae aetate delirare videretur.“ Aſt contrarium docet VARILLASIVS [i], ex annotationibus fratrum Puteanorum ad Thuani hiſtoriam referens, regem quidem Iacobum retractationem a Buchanano moribundo popoſciſſe, at eum renuiſſe, eo quod nihil ſcripſiſſet, quo conſcientia grauaretur. Quae inter ſe ita committi putat, P. Bayle, vt conſiſtere nequeant, Camdeno vero magis credendum eſſe ſtatuit. Aſt cum non in reginam ipſam, ſed in aulae tantum miniſterium calamum Buchananus ſtrinxerit, et non obſtante Scotiae hiſtoria dialogoque iſto rex gratioſum eum apud ipſum eſſe, porro conceſſerit, hypotheſin autem de iure regni tyrannidi tantum oppoſitam eſſe auctor crediderit, dubia certe Camdeni relatio inde exiſtit, et veriſimilius eſt, quod a Scoto quodam nobili ſe audiuiſſe refert Baylius, Buchananum rogatum cum ferali lecto decumberet, annon eorum ipſum poeniteret, quae de regno et regina ſcripſiſſet, reſpondiſſe, abiturum ſe in regionem, vbi reges non imperarent. Eandem cum Buchanano tibiam inflauit perſonatus ſcriptor Galliae, qui STEPHANI IVNII BRVTI perſonam mentitus, *Vindicias contra tyrannos* aſſerturus, *de Principis in populum populique in principem legitima poteſtate* librum edidit, ſine loci indicio anno MDLXXX excuſum, et poſtea aliquoties [k] repetitum, in quo Guiſiorum factioni velificaturus populi arbitrio regiam maieſtatem ſubiecit. Quae mira et periculoſa hypotheſis curioſos viros doctos fecit, vt de auctore inquirerent. Et nonnulli quidem eum librum ad Franciſcum Hotomannum retulerunt, eo quod pro priuilegiis et libertate nationis Gallicae et ſenatus regni in *Franco-Gallia* ſua pugnauiſſet. Aſt alia hypotheſi is vtitur, huic minime affini, id quod ſatis probat, ab eo hunc foetum profectum haud eſſe. Alii Theodorum Bezam [l], quidam Philippum Mornaeum [m] auctorem fuiſſe ſuſpicati ſunt, rationibus tamen deſtituti. Certiſſima ſententia eſt, quam peculiari diſſertatione euicit P. BAYLE [n], enatum eſſe librum iſtum ex ingenio calamoque Huberti Langueti, Burgundionis, qui fama Melanchthonis excitatus in Germaniam conceſſit, et Proteſtantium partes amplexus, inter conſiliarios Auguſti Saxoniae electoris receptus eſt [o]. Suſpectus poſtea factus, quod cum factione Peuceriana faceret, ad Arauſionenſium principem confugit, eiusque miniſterio ſe addixit, in eo anno MDCXXV, denatus. Germanice quoque pars harum Vindiciarum prodiit Magdeburgi anno MDCXV, quo eiusmodi cogitationes valde animos in Germania ſuſpenſos habebant [p].

i) Apud BAYLE l. c.
k) 1589. 8. Paris 1631. 12.
l) Bezae quoque nomine prodiit Amſt. 1660. 12. Ita quoque Miltonus, Philippi, aliique, refutas VOETIVS pec. diſſ.
m) GROTIVS in Apologia contra Riuetum.
n) Dictionario critico adiecta.
o) IDEM l. c. art. Languet T. III. p. 53.
p) Titulum exhibet Bibl. imperant. c. 2. pof. 4. §. 4. p. 123.

Monarchomachi Galli.

§. XII. Maiori animorum contentione de Monarchomachorum dogmate disputatum est, cum res gestae ab Henrico III, Galliarum rege, seditionesque sub eius regno obortae, eum tandem exitum nactae essent, qui in caedem regis desinebat. Tum enim comparuit, quam perniciosis falsae prudentiae regulis illi essent confirmati, qui ne a sanguine quidem sacro manus impias cohibere se debere credebant. Nam idem fatum subiisse successorem quoque Henricum IV, et sacrilegas manus intulisse illi quidem Iacobum Clementem, huic vero post inania tentamina Ioannis Castelli, qui ex Iesuitarum disciplina prodierat, Rauallacium, nemo rerum eo tempore gestarum gnarus nescit. Vt enim infandum regicidii scelus pingeret et excusaret impietas, asserendum erat, competere in regem haereticum atque malum populo eiusmodi potestatem, qua non regno modo abdicari, sed et vita tolli is posset. Collineauit ad detestabile hoc dogma confirmandum IOANNES BOVCHERIVS theologus, doctor Sorbonicus, qui *de Iusta Henrici III abdicatione e Francorum regno libros quatuor, Lugduni* MDXCI edidit: in quibus parum religiose contra maiestatem et sanctitatem principum multa temere effutiit, corrasa maximam partem et male descripta ab aliis. Castello autem indignissimum facinus frustra moliente, et societate ob sceleris conscientiam proscripta idem, si BARCLAIO [q] credendum, vernaculo scripto, FRANCISCI VERONENSIS CONSTANTIS nomine adscito defendere sacrilegium hoc ausus est. Prodiit enim *Francisci de Verone Constantini Iesuita sicarius, seu apologia pro Ioanne Castello Parisiensi mortis supplicio affecto, et pro patribus ac scholasticis e Gallia olim exterminatis, contra edictum Parlamenti Parisiis in illos latum, Lugd.* MDCX, et Latine MDCXI. Eandem tibiam inflauit GVILELMVS RAYNOLDVS, Anglus, et in Anglico collegio apud Rhemenses professor, vir vehemens et seditioni ciendae atque violentiae tuendae aptus, vt ex eius *Turco-Caluinismo* potest intelligi. Est enim ille GVILELMVS ROSSAEVS, qui *Antwerpiae anno* MDXCII edidit librum *de Iusta reipublicae Christianae in reges impios et haereticos auctoritate, animaduersione iustissimaque Catholicorum ad Henricum Nauarraeum et quemcunque haereticum a regno Galliae repellendum confoederatione.* Intelligitur vero ex dictis, maxime Societ. Iesu in suspicionem nefandi dogmatis venisse, quod reges haereseos suspectos interficere liceat, illisque imputata fuisse regicidia in Gallia et Anglia suscepta. Horum enim institutione et praeceptis effectum esse, tunc senatus regni Gallici statuit, vt impiae manus sacratissimo regum suorum sanguine se polluerent. Longum esset ea enarrare, quae post tentatam a Castello regis Henrici IV caedem, contra Societatem acta, et pro eius innocentia ab altera parte scripta sunt, haec enim ad hanc nostram tractationem non pertinent, sed in annalibus ciuilibus atque ecclesiasticis solent enarrari, cuncta quoque post ea quae in compendio eleganter retulit HEIDEGGERVS [r], erudita

Iesuitae Monarchomaniae suspecti.

q) De regno et regali potestate L. V. init. r) In Hist. Papatus Per. VII. §. 101. 105. p. 275. 287.

ta et iucunda dissertatione, more suo exposuit vir illustris CAROLVS STEPHANVS IORDANVS s), qui videndus. Nobis pro instituti ratione sufficit, obseruauisse, IOANNEM MARIANAM, scriptorem inter Iesuitas Hispanos celeberrimum, magnaeque inter suos auctoritatis, primum fere fuisse, qui pestilentis dogmatis semina sparserit in *Libris tribus de Rege et regis institutione ad Philippum III, Hispaniae regem scriptis*, editisque *Toleti anno* MDXCIX, cum censura et priuilegio regis t). Is enim impium Iacobi Clementis facinus admirari non erubuit, talia autem afferta protulit, quae indignationem bonorum omnium iustissimam merentur. Scribit enim inter alia: *Aut in apertam vim prorumpitur, seditione facta armisque publice sumtis, aut maiori cautione, fraude et insidiis pereunt, vno aut paucis in eius caput coniuratis, suoque periculo reipublicae incolumitatem redimere satagentibus. Quod si euaserint, instar magnorum heroum in omni vita suspiciuntur: si secus accidat, grata superis, grata hominibus hostia cadunt, nobili conatu ad omnem posteritatis memoriam illustrati. Itaque aperta vi et armis posse occidi tyrannum, siue impetu in regiam facto, siue aperta pugna, in confesso est. Sed et dolis et insidiis exceptum.* Praeterimus loca alia excerpta et diligenter collecta a P. BAYLIO u), qui nefandam Iesuitae impietatem et audaciam apertissimis testimoniis demonstrauit. Dici non potest, quantam inuidiam conflauerit hoc Marianae dogma Iesuitarum Societati, eo quod his praecipue opinionibus atque hypothesibus animatos regicidas nefarias manus regi inferre ausos fuisse ipse senatus regni exusto eius iussu per carnificem libro x) indignaretur. Id quod permouit Iesuitas, vt Marianae opinionem a Societate non esse receptam, sed potius improbatam et reiectam, publico quoque scripto a Cottono edito declararent, quem tamen inuita veritate hoc negare, tum approbatio operi a censoribus Societatis praefixa euincit, tum a plurimis, etiam Romanae ecclesiae addictis, est demonstratum, de quibus, ne ad alienum argumentum nimis digrediamur, Baylius et Iordanus consulendi sunt. Maxime vero odium, quod ex hoc dogmate Societati enatum est, insignia incrementa cepit, postquam Iacobus Castellus, licet irrito euentu Henrico IV regi cultrum intentasset mortiferum. Cum enim ex Iesuitarum disciplina eum prodiisse constaret, iubens aula illorum collegium explorari, inter chartas Ioannis Guignardi Iesuitae apologiam inuenit Clementis, qui Henricum III trucidauit, in qua actionem istam heroicam, illi a spiritu S. inspiratam, et aequissimis laudibus a theologis celebratam esse scriptum erat. Magno id Societatis malo euenit. Nam non solum Guignardus publice gula laqueo fracta periit, corpusque in cineres redactum, Castellus misere enecatus est: sed et Iesuitae intra triduum vrbe, et intra hebdomades duas regno excedere iussi sunt. Qui causam quidem suam in Senatu regni egerunt, at frustra y), eiecti enim sunt,

s) Recueil de literature p. 69. seqq.
t) Maxime L. I. c. 6. 7. suspecta sunt.
u) Dict. T. III. art. Mariana not. G. p. 329.
x) Factum id anno 1610. Cal. Iun. conf. Bibl. iuris imper. l. c. p. 132. seq.
y) Maxime vrgebant, facinus hoc auctoribus Iesui-

sunt, et infamis dogmatis memoria σηλυτευτικὴ posteritati tradita est [z], quod tamen pestilentissimae doctrinae monumentum Iesuitarum postliminio in regnum Galliae redeuntium diligentia precesque sustulerunt, partes Iesuitarum strenue tum agente Cottono. Eo enim intercedente reditus veniam anno MDCVI impetrarunt. Vix autem serenior Societati fortunae vultus arriserat, cum caedes Henrici IV a Raualliaco perpetrata, nouas contra eam suspiciones infensi in reges eorumque illibate tuendam maiestatem animi ingeneraret, eo quod regicidam hunc Marianae regulis instructum ad tantum scelus suscipiendum accessisse, plerorumque opinio esset. Quod tamen strenue negarunt, Iesuitae, COTTONO *Declarationem*, vti dictum, *de Doctrina Iesuitarum* [a] edente, quam cum refutatione docta et valida aggrederetur anonymus [b], edito *Anti-Cottoniano*, apparuit, alios quoque ex hac sodalitate doctores huiusmodi principia Monarchomachica disseminauisse; licet magnis clamoribus se huic libro opponerent Garassius Richeomius, Eudaemon, Ioannes Gretserus aliique ex Societate ista scriptores a IORDANO [c] nominati. Inter illos vero qui in Iesuitarum Lyceis, dogmatibus Monarchomachicis infames deprehensi sunt, fuit etiam ANTONIVS SANTARELLVS et CAROLVS SCRIBANIVS [d]. Ille enim tractatu *de Haeresi, schismate, et potestate summi pontificis in his delictis puniendis, Romae anno* MDCXXV edito, pontifici Romano auctoritatem atque ius non dirigendorum modo, sed et regno abdicandorum, et mortis supplicio afficiendorum principum imperantium vindicare non erubuit. Qui cum munitus approbatione Aquauiuae, Generalis Societatis apud Romanos prodiisset, adeo offendit ob impium assertum aulam regis Galliarum, vt Curiae regni et Sorbonae sententia vltricibus flammis non sine infamia deleretur. Id quod permouit Iesuitas, vt instrumento publico a Petauio et Cottono scripto testarentur, nihil sibi cum doctrina Sanctarelli commune esse, aduocato Societatis quoque BOVTERAEO in *Gallicinio in aliquot falsas damnatasque Sanctarelli assertiones pro rege Christianissimo* [e] maximis viribus connitente, vt euinceret, doctrinam Societatis de potestate temporali principum cum conciliis et decretis pontificum conspirare: ad cuius tamen apologiam non nemo respondit. Neque tamen conatus hi omnes, quibus ab hac infamia se liberare Societas studuit, efficere potuerunt, vt suspicio, quae alte radices

Iesuitis susceptum esse caussidici, Arnaldus et Dolleus, quibus respondit quidem Cl. Duretus, sed irrito conatu, vid. BVLAEI Hist. acad. Paris T. VI. p. 868. Nec impedire sententiam curiae regni potuit Apologia pro Societate Iesu in Gallia edita a FRANC. MONTANO.

z) Satyris quoque, vt fieri solet, multis exagitata Societas est, vid. IORDAN. l. c. Cabinet Iesuitique, passim.

a) Vid. Perroniana p. 61. IORDAN. l. c. p. 97. seqq. Prodiit COTTONI Declaratio doctrinae Iesuitarum, Parisiis 1610. 8.

b) Anti-Cottonus, ou Refutation de la lettre declaratoire, ex quo libro specimina quaedam excerpsit ill. IORDANVS l. c. p. 109. Auctorem alii faciunt Petrum Molinaeum, IDEM l. c. p. 118. alii Petrum Coignetum, Bibl. imper. l. c. p. 134.

c) l. c. p. 121.

d) In Amphitheatro honoris, quod contra criminationes in Societatem sub ficto Clari Bonarscii nomine 1594. 4. edidit.

e) Paris 1626. In eo instrumentum protestationis quoque legitur.

dices fixerat, ex animis euelleretur, praecipue cum nouam eius materiam Anglia suppeditaret. Notissimum enim coniurationem, quae sulphuraria dicitur, in Iacobum Britanniae regem et regni proceres intentatam, maxime Henricum Garnetum S. I. in Anglia superiorem auctorem habuisse; id quod non modo demonstrauit scriptum cui titulus, *Proditio sulphurea a Iesuitis in Iacobum Britanniae regem et regni proceres intentata Lugd. Bat.* MDCVII, sed etiam EDOARDVS COQVIVS, tunc regii fisci generalis aduocatus, edita *Actione in Henricum Garnetum Societatis Iesuiticae in Anglia superiorem, et ceteros proditores; Anglice* primum, *Londini* MDCCVII, postea Latine vulgata. Cui opposuit quidem ANDREAS EVDAEMON IOANNES S. I. *ad Actionem proditoriam Edoardi Coqui apologiam pro R. P. Henrico Garneto Anglo eiusdem Societatis sacerdote, Col. Agrippinae* MDCX, ast iustam fuisse actionem demonstrauit ROBERTVS ABBOT episcopus Sarisberiensis in *Antilogia contra Apologiam Andreae Eudaemon Ioannis pro H. Garneto Iesuita, Londini* MDCXIII edita, cui alia quoque Anglorum scripta contra regicidas et regicidarum patronos, addi possent, si id ageremus *f*. Garnetum autem audaciae poenam vitae supplicio luisse, quod nec legati Hispanici intercessio, nec oblata magni aeris redemtio auertere potuit, notius est, quam vt hoc loco narrari pluribus opus sit. Tacemus insidias Benedicti Palmii et Edmundi Campiani, Iesuitarum Elisabethae reginae structas, quibus Campianus laqueum meruit. Renouatae sunt querelae de societatis in hoc argumento doctrina morali, cum recentiori aetate ferales inter Molinae et Iansenii asseclas controuersiae feruere coepissent *g*. Quae tamen cum in annalibus ecclesiasticis soleant exponi, explicarique, quid Paschalis, Arnaldus Nicolius aliique aduersarii societatis in notissimis libris illi obiecerint, hoc loco, ne extra oleas vagemur, ea non tangimus breuitati litaturi. Nuper demum idem exprobrauit, qui in media Italia in societatem graui satyra insurgere ausus est, personatus TYMOLEON *.

§. XIII. Neque tamen inter coetus Protestantium sacris addictos defuere scriptores nonnulli, qui monarchomachorum albo merentur adscribi. Et fuerunt quidem, qui omnes Caluini asseclas accusarent, quod regum maiestatem non satis reuerenter habeant; cuius accusationis occasionem suppeditasse videntur acerbae querelae eorum, qui ex hoc coetu miris persecutionibus pressi, iustitiae auxilia frustra implorauerunt. Certe ex illis ansam scribendi arripuisse auctorem famosi scripti, quod *Moniti ad exules Gallos* titulum gerit, quodque P. Baylio non sine caussa adscribi in eius vita demonstrauimus, suo iam loco annotatum est. Circa finem seculi

Monarchomachi inter Protestantes.

f) Conf. Bibl. imper. l. c. p. 136.

g) Vid. Mysteres les plus secrets des Iesuites p. 78. seq.

*) In appendice Menippae satyrae aduersus improbos literarum bonarumque artium osores, de cuius historia vid. Bibl. raisonnée P. XXIII. S. 2. art. 2.

culi antecedentis ea de re non sine acrimonia quadam disputatum est inter HECTOREM GODOFREDVM MASIVM, qui Caluini sectatores in libro, cui titulum praefixit: *Interesse principum circa religionem euangelicam*, suspicione pressit, quod de maiestatis origine, et magistratus auctoritate siniſtre sentirent, et inter Samuelem Andreae, atque imprimis Hubertum Mosanum, id est IOANNEM CHRISTOPHORVM BECMANNVM theologum Viadrinum, qui peculiari dissertatione *Securitatem doctrinae reformatae religionis de Magistratu politico* exhibuit. Inde enim multae scriptiunculae enatae sunt, quibus litibus cum Christianus quoque Thomasius accesserit, vt suo loco dictum, ille quoque earum historiam tetigit [b], qui cum aliis [i] est adeundus. Controuersia enim ex fontibus magis theologicis, quam philosophicis acta est, et hinc, alium enarrationis locum postulat. Maiori autem iure, huc pertinent illi, qui funestum, quod Anglia obstupuit regicidium Caroli I defendere aggressi sunt; hoc enim non nisi electis monarchomachorum partibus fieri poterat. Inter eos agmen ducit IOANNES MILTONVS vir ingenii acutissimi et elegantis, quem et *Defensio populi Anglicani* et celeberrimum poëma, quod, *Paradisus amissus* [k], inscripsit, in ciuitate literata fecit famigeratissimum. Vitam eius descripsit Io. TOLANDVS, eo modo, vt ipse non sine inuidia Monarchomachorum numero adiiceretur [l]. Ex qua memorabilia repetiit suisque obseruationibus auxit P. BAYLE [m]. Eadem opera defuncti quoque sunt, qui laudatum carmen nuper in Britannia recusum dederunt: qui fontes ab illis hauriendi sunt, qui celeberrimae famae virum nosse propius gestiunt. Is post infandam regis caedem nomine *populi Anglicani* scripta *Apologia* eius iustitiam demonstrare et euincere conatus est, licere tyrannos rerumpublicarum euersores interficere. Qua de re controuersiae ferram reciprocauit cum CLAVDIO SALMASIO: Is enim cum iussu Caroli II edidisset *Defensionem regiam pro Carolo I, ad serenissimum magnae Britanniae regem Carolum II, filium natu maiorem, haeredem et successorem legitimum* [n], oppositi ei MILTONVS: *Defensionem pro populo Anglicano contra Claudii Anonymi, alias Salmasii defensionem regiam* [o]. In qua tractatione Monarchomachorum rationes ex philosophia et reuelatione deducuntur. Aderat autem Miltono ignea vis animi, iudicium limatum, dictio elegans ac satyrica et aulae magis quam scholae aptata: e contrario Salmasius, per totam fere vitam in argumento critico versatus, politicas rationes nec satis attingebat, nec iucunde satis eloqui poterat: inde factum, vt in caussa mala potiores Miltoni partes viderentur, iudicarentque nonnulli: Miltonum malam caussam bene, Salmasium bonam caussam male egisse. Et memorabile est, quod ex aliorum fide refert P. BAYLE [p] adeo placuisse Miltonianas elegantias Christinae, Suecorum

Ioannes Miltonus.

h) Caus. iurid. mixt. P. II. n. 3. p. 206. sq.
i) Vid. Epistola Reformati ad amicum, de controuersia Masiana cum notis, quae Germanice prodiit. Bibl. imp. c. 2. pos. 4. §. 22. p. 136.
k) Prodiit separatim, et cum Operibus Miltoni.
l) Vid. Cel. MOSHEMIVS Vit. Tolandi §. 6. p. 9.
m) T. III. p. 393. n) 1649. 12.
o) Lond. 1651. p) l. c. not. F.

corum reginae, vt, cum prius magna de Salmasio opinione teneretur, eius ipsi contemtum excitauerint. Aliam tamen fortunam in Gallia liber habuit. Iussu enim regis vbique quaesitus et Parisiis atque Tolosae publice flammis vltricibus traditus, ita vero minime extinctus, sed auidius lectus est. In tanta Miltoni ferocia non potuere deesse viri docti, qui regias partes contra eum tuerentur. Opposuit enim ei Bramhallus apologiam, et anonymus quidam: *Regii sanguinis clamorem ad coelum aduersus parricidas Anglicanos*, *Hagae Com. anno* MDCLII, cuius auctorem nonnulli Petrum Molinaeum, alii, Alexandrum Morum faciunt [q]. Ipse quoque Salmasius aliique responderunt, multisque dissertationibus demonstrauerunt, nefandum esse, et legibus diuinis ac humanis repugnare, regem occidere, quae tamen scripta hoc loco enarrare non licet. Neque tamen Miltonus et qui eum sequebantur suae causae defuerunt. Bramhallo enim respondit Ioannes Philippus quidam, quem ipsum Miltonum esse nonnulli suspicati sunt, libello autem, qui Caroli I. nomen praefert, et εἰκονος βασιλικῆ titulo celeberrimus est, oppositi Miltonus *Iconoclasten*, negans scriptum hoc, quod magnam populo Angliae inuidiam conflabat a rege ipso esse conscriptum; cui postea *Icon aclastos* opposita et regem tempore captiuitatis ipsum librum conscripsisse, probari tentatum est [r], tempore postea ipsam veritatem paulo luculentius detegente [s]. Eandem cum Miltono opinionem defendit Tolandus, recteque Miltonum libellum ex numero scriptorum purpuratorum eiecisse contendit. Qua de re litem ei mouere WAGSTAFFIVS, et BLACKHALLVS, ille in *Vindiciis regis Caroli*, hic in *Oratione sacra in regis memoriam habita.* Ad quorum tamen obiectiones in *Amyntore* respondit TOLANDVS [t]. Tacemus alios, qui occasione huius regicidii, de difficili hoc argumento disputauerunt, quos fuse nominat *Auctor Bibliothecae imperantium* [u], qui adeundus. Non omittendum tamen inter aduersarios Monarchomachorum, et numero plurimos et eruditione atque rationum pondere inter se valde diuersos eminere GVILELMVM BARCLAIVM, illustrissimi ducis Lotharingiae consiliarium, supplicumque libellorum magistrum atque tum in celeberrima academia Ponti-Mussana I. V. professorem ac decanum; is enim magnis arietibus in *Libris sex de Regno et regali potestate aduersus Buchananum, Brutum, Boucherium et reliquos Monarchomachos* [x], horum moenia quassauit.

q) Bibl. imperant. l. c. p. 139.
r) Vid. ib. §. 26. p. 140. seq.
s) Multa de hoc libello notanda curiose cumulat P. BAYLE l. c. not. N. p. 397. TOLANDVS in Vita Miltoni.
t) Conf. MOSHEM. l. c. §. 17. p. 95. seqq.
u) ll. cc. ABND. l. c.
x) Paris 1600. 4.

* *

LIBER TERTIVS.
DE PHILOSOPHIA EXOTICA.

CAPVT PRIMVM.
DE PHILOSOPHIA GENTIVM ASIATICARVM IN GENERE.

§. I.

Philosophia exotica qualis hic intelligenda?

TAndem vniuersam Europam perlustrando, quid recentiori aetate in philosophia colenda praestiterit virorum ingenii laude florentium diligentia, amplissima commentatione enarrauimus. Et sic quidem diuturni et molesti cursus finem facere liceret, nisi barbaricae philosophiae veteris recordatio, quam in limine huius operis recoluimus, moneret, vt priusquam historiae philosophicae finem imponamus, ad reliquarum quoque gentium, quae extra Europam hodie viuunt, mores, instituta, doctrinam et eruditionis modum respicientes exploremus, vtrum apud eos aliquis philosophiae vsus obtinuerit, hodieque obtineat. Nam nec regionis situs, nec climatis varietas, nec singularis morum conditio obstant, quo minus in omni terra philosophia excoli possit, quamuis miris modis impedire vel promouere eius incrementa valeant. Nec deesse orientalibus aliisque populis ingenia philosophiae apta, ex historia philosophiae barbaricae, iisque, quae in *Tomi primi* fine, et in *Tomo secundo* de philosophia Orientali, itemque *Tomo tertio* de philosophia Saracenica et Muhammedanorum diximus, est manifestum. Falluntur autem, qui philosophiae exoticae nomen audientes, eam sibi philosophiae notionem fingunt, quae apud Europaeas gentes obtinet. Hoc enim sensu, si Sinensium Iaponensium et Indorum sectas quasdam excipias, philosophiam neque in India orientali neque in occidentali reperias. Sed vt antiquissimis temporibus inter gentes barbaras religionem et philosophiam arctissimo vinculo colligatas fuisse, et vna in sede moratas suo loco euidentissimis speciminibus demonstratum est; ita et nostro adhuc seculo idem fere obtinere, et philosophiam fere omnem circa diuina versari indubitatis peregrinantium testimoniis constat. Itaque de philosophia exotica acturis, historia religionum exploranda, et excutiendum diligenter est, quid gentibus Asiae, Africae et Americae regiones incolentibus de Deo et attributis diuinis, de spiritibus, de origine et creatione mundi, de caussis rerum naturalium, de virtutum praeceptis, et status animae humanae post mortem conditione

visum

visum sit? vnde sua dogmata hauserint? an rationis scintillas secutae aliquid de iis tradiderint? an traditioni vetustae aliquid debeant? quo pacto philosophiam Europaeam ad ipsas delatam exceperint, quam ingenii ratiocinantis emendationem ex conuersatione philosophorum Europaeorum admiserint? quaeque alia huius generis in hac historiae parte possunt exquiri, et ad quae capita non modo religionum exoticarum consideratio, sed et philosophiae in illis versantis historia reuocari potest. Et haec quidem curiose excutere omnino historiae eruditionis interest, at plenum difficultatibus, quae sine dubio hactenus viros doctos deterruerunt, vt hanc historiae eruditae partem intactam relinquerent. Non negamus, tentauisse quosdam historiam religionum exoticarum et his simul specimina nonnulla attulisse, quae ad philosophiae exoticae illustrationem faciunt. Nota enim est ALEXANDRI ROSSAEI diligentia, a DAVIDE NERRETERO aucta et castigata, cui *Templum Iudaico-Ethnicum* Gallica et Germanica lingua [a] vulgatum debemus; itemque ABRAHAMI ROGERI *Patens ianua ad abdita gentilismi mysteria*, cui amplissimas obseruationes de rebus ad religionem gentium Asiaticarum, Africanarum, et Americanarum spectantibus adiecit vir eruditissimus multaeque lectionis CHRISTOPHORVS ARNOLDVS. Tum IOVETI *Historia religionum omnium regnorum mundi, iterata cura emendata, aucta et meliori ordine concinnata:* splendidum quoque opus, quod nuper immortalis famae chalcographus BERNARDVS PICARTVS, moliri coepit, quodque ἐκτύπωσις atque descriptiones *Religionum, consuetudinum et ceremoniarum omnium in mundo populorum* exhibet. Ast vt verum fateamur, votis nostris scriptores cetera de hac eruditionis parte praeclare meriti non ex toto faciunt satis. Nam nec ipsi in illis locis fuerunt, quorum hominum religionem atque ceremonias describunt, sed sola peregrinantium fide nituntur; nec accurate ad dogmata et placita gentium attenderunt, curiosi magis in ritibus delineandis, quam doctrinis describendis: plerique etiam, qui talia attigerunt, delineasse ea credendi viuendique praecepta contenti, quae comperta ipsis erant, iudicium non interposuerunt, et de caussis, origine, fontibus, discrimine dogmatum, sectis similibusque, quae ad historiam dogmaticam requiruntur, vel plane nihil, vel pauca admodum attulerunt, sine quibus tamen momentis nihil, quod iuuare queat, ad historiam philosophiae exoticae afferri potest. Non ignoramus anonymum Gallum, qui *Historiam philosophiae gentilis* condidit, ex scriptoribus itinerariis potiora dogmata curiosa diligentia congessisse, at cum nec iudicii, nec accurationis, nec philosophiae satis ad tanti momenti argumentum attulerit, tentasse magis aliquid, quam perfecisse censendus est, vt alibi demonstrauimus [b]. Optamus itaque vt hanc eruditae historiae partem aliquis critico oculo intuitus, accuratiorem religionum exoti-

a) Norimb. 1701. 8. b) Or. Vindel. mel. II.

carum hiſtoriam pandat, cuius ſpecimen in *Hiſtoria Chriſtianiſmi Indorum* elegantiſſimum dedit deſideratiſſimus CROZAEVS, hoc enim pacto demum licebit ea ſeligere, quae ad philoſophiam exoticam pertinent. Interim, cum pleraque peregrinantium narrationibus et fide conſtent, ad eos ſcriptores confugiendum eſt, qui ſinceritatem et attentionem probauerunt, et philoſophiae non fuere expertes. Quales non ita multos eſſe fatebitur, qui exploratorem itinerariorum egit, et quis ſcripſerit, quoue modo, quibus auxiliis &c. conſiderauit. Plerique enim ab iis diſciplinis imparati acceſſerunt, quae ad huiusmodi argumentum enucleandum requiruntur: quidam praeiudicio ſeducti, ſimilem eſſe philoſophiam exoticam domeſticae, miras nugas commenti ſunt: in nonnullis fides, in haud paucis accuratio deſideratur, cuius exempla eſſe poſſunt itineraria quae Vincentius le Blanc, Tauernier, Mandeslo, Struis, Sadeur, Maſſe, Leguat, Paulus Lucas ſimilesque vulgarunt. Et laudant quidem viri docti [c] induſtriam Petri della Valle, Teuenotii, Olearii, Franciſci Pirardi, Chardini, Choiſi, La Loubere, Tachardi, Geruaſii, le Comte, Martini, Tourneforti, le Brun, Nicolai de Graef, Beaulieu, Baldenii, Maundrelli, Sponii, Weleri, Wanslebi, Renneforti, Flacourtii, Bosmanni, le Maire, Champlain, Rocheforti, Hennepini, Tonti, La Poterie, Denis, Gage, Correal, Tertre, Feuillée, Labati, Freſieri, Dampieri, Rogeri, Monconiſii, Miſſoni, Kaempferi aliorumque: aſt, ne hos quoque omnia ea attuliſſe, ſine quibus hiſtoria religionum accurata dari nequit, ipſa docet inſpectio et experientia. Ex quo intelligitur, philoſophiae quoque exoticae hiſtoriam accuratam inter deſiderata adhuc reponendam eſſe, et integram tractationem poſcere. Paulo pleniora et certiora de Indorum gente quae Malabarica dicitur, de ampliſſimo Sinarum regno, et de Iaponiae populis virorum doctorum, qui in iſtis oris fuerunt, attulit induſtria: maxime, qui ad Chriſtianam religionem in iſtis regionibus plantandam ablegati ſunt, quosque miſſionarios dici moris eſt, complura de his Aſiae partibus retulere, non plane praetereunda. Imprimis ſinarum philoſophia, magnum ab eo tempore ſtrepitum edidit, quo Romanae eccleſiae placitis imbuere gentem acutam et eruditam legati ſedis Romanae conati ſunt. Intelliget ex his, lector aequus et attentus, nobis non monentibus, talem, qualem ipſi exoptamus poſcimusque philoſophiae exoticae hiſtoriam hoc loco condi non poſſe. Integram enim et ſpecialem tractationem poſtulat, nobis autem ſtrictim tantum potiora carpere licet, eaque afferre, quae aliquam eius rei notitiam faciunt, et in hiſtoria philoſophiae vniuerſali non poſſunt omitti. Inſtituti itaque noſtri memores, paucis, quae ex hiſtoria gentium Aſiaticarum memorabilia huc pertinere videntur delibabimus, tum populos Malabaricos, Sinenſes et Iaponenſes ſingulari tractatione explorabimus, pauca quaedam in fine addituri de philoſophia Canadenſium in America, quae noſtro tempore aliquam conſiderationem mereri viſa eſt. §. II.

c) Vid. Mem. de Trevoux 1729. Août art. I.

§. II. Totius Asiae incolas, in Muhammedanos gentiles et Christianos dispescere licet, si de religione quaeritur. Habet enim innumeras Muhammedes sectatores in Asiae regionibus, reliquae gentes auita placita et cultum idolorum seruauerunt, Christiani schismatici sunt, ex sectis veteribus, maxime Nestorii prognati [d]. Et hi quidem, quod mireris, tantam plerique ignorantiam prodiderunt, vt quid de philosophia inter Christianos Asiaticos afferre possimus, non reperiamus. Testem volumus eruditissimum CROSAEVM, qui cum gentes Indicas Romanis Graecisque in argumento ad theologiam naturalem spectante praeferre non dubitasset, nihil fere de Christianorum acumine philosophico obseruauit, vel placita philosophica retulit. Id quod nemo magnopere mirabitur, qui Christianae religionis inter gentes Asiae vigentis circumstantias, doctorum mores, superstitionem populi regnantem et similia nouerit. Ad Muhammedanos itaque primario respiciendum est, quos delata seculo Islamismi secundo ad Arabes philosophia praeclaris conatibus in hoc doctrinae genere versatos fuisse *Tomo tertio* prolixe narrauimus. Quamuis autem in duas partes discesserit Muhammedanorum religio, quarum vna Abubekrum, altera Alin sequitur, quasque Vatiniano inter se odio flagrare nemo ignorat, totum tamen discrimen in ceremoniis magis et dogmatibus accessoriis versatur, quam in fundamentalibus. Id quod haud obscuris speciminibus deprehendent, qui eam, quam *Tomo tertio* dedimus delineationem theologiae Muhammedanae cum descriptione religionis Persarum comparauerint, quam diligentissimo CHARDINO debemus; in cuius *Itinerario* amplissima de ea commentatio *Partem quartam* occupat. Constabit enim Persas, qui sectae Ali adhaererent, in haud paucis, quae de Deo, eiusque attributis operibusque praecipuunt, non dogmata modo, sed et verba theologorum Muhammedanorum inter Saracenos seruare, et eundem in modum praecipere: id quod magnopere mirandum haud est, cum Saracenica gens, Persiam totam occupauerit. Et hinc deriuandum quoque est, quod philosophiae inter Saracenos cultae vestigia haud pauca inter Persas deprehendantur, et codices manuscripti haud pauci, teste CHARDINO [e] exstent, ex Graecorum et Latinorum philosophorum αὐτογεάφοις in Persicam linguam translati, quorum adminiculo inter Persas vigere philosophiam ille quoque alio loco [f] affirmat. Turcas vero, qui et ipsi Muhammedismum receperunt, philosophiam a Saracenis excultam eiicere coëgit conditio gentis bellicosae, in solis armis posthabitis literarum ornamentis gloriam et felicitatem quaerentis. Dubitandum autem non est, quin inter Muhammedanos ex Turcarum quoque progenie vestigia cultae inter Saracenos philosophiae superstint, quamuis gymnasia scholas, et bibliothecas plerasque euerterit armorum furor, et gentis

Asiatica philosophia in genere considerata.

d) Horum notitiam potissimum cel. CROZAEO l. c. et imprimis ASSEMANNO V. C. debemus, cuius Bibliotheca orientalis pulcherrimam segetem exhibet.

e) l. c. Praef. ad Hist. Solimanni.

f) P. III. p. 108.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gentis saeuitia. Hodie vero, vbi praeclare miteſcere eius ingenia incipiunt, ſpes eſt fore, vt appareat, cultis poſtliminio elegantioribus literis, ſeueriores quoque diſciplinas reductum iri: ſi modo vera ſunt, quae noua literaria paſſim annuntiarunt, non modo praeclare proceres imperii, maxime praeſidem, literis fauere et typographia inſtituta libros mſc. optimos excudi, tabulas quoque geographicas aere incidi, coepiſſe; huius enim felicitatis literariae ſpecimina ad nos delata ſunt, ſed et moliri eos academiam ſcientiarum, moderatoribus nonnullis viris eruditis Europaeis inſtituendam: ita enim non deſperandum, fore, vt et ſcripta philoſophica a Saracenis relicta in vſus publicos inter Turcas traducantur, et accendatur genti ampliſſimae, poſitis ferociae moribus Europaeorum elegantiam ſenſim aemulanti, cupido philoſophiae guſtandae.

Secta fanatica philoſophorum Perſarum.

§. III. Quamuis autem Muhammedanae religionis decreta magna pars incolarum Aſiae amplectatur, ſunt tamen inter eos quidam, qui a veteribus ſectis philoſophicis aliquid accepiſſe, vel reliquias potius ſeruauiſſe videntur. Maxime vero orientalis philoſophia veſtigia ſua reliquit, ſi vera ſunt, quae BERNIERIVS refert [g], recepta eſſe in Perſia atque India inter myſteria harum gentium, et a potiori parte eruditorum Perſarum admitti, et imprimis a Sufyis Perſarum tradi. Hunc enim celeberrimum medicum, qui diu in his terris vixit, et philoſophiae myſteriis imbutus iudicare de hoc argumento potuit, ſi audimus, ſtatuunt hi philoſophi: „Deum, ſiue ens illud ſupremum, quod Achar vocant, quodque immobile et immutabile eſt, non ſolum animas produxiſſe, ex propria ſua ſubſtantia, ſed etiam in vniuerſum, quicquid materiale eſt et corpus habet „in mundo: et hanc quidem productionem ad Deum non tantum pertinere, velut cauſſam efficientem, ſed tanquam ad formalem et materialem, nempe quemadmodum aranea ex ſinu ſuo telas educit, et retrahit „quoque quoties placuerit. Creationem itaque nihil eſſe aliud, quam „extractionem ſiue productionem et extenſionem ſubſtantiae diuinae, et „telas quaſi ex viſceribus Dei protractas; et ſimiliter deſtructionem nihil „eſſe aliud, quam retractionem eiusdem diuinae ſubſtantiae, hincque diem „extremum, qui eorum lingua audit Maperle vel Perlea quique omnia „deſtructurus ſit, nihil aliud futurum eſſe, quam retractionem totalem „omnium earum telarum, quas Deus ex ſe ipſo protraxit et eduxit. Ergo „nihil eſſe realiter et effectiue, quod tangimus, videmus, guſtamus, ſed „totum hunc mundum eſſe ſomnii genus et meram illuſionem, tot enim „tamque diuerſas res non niſi reapſe vnam eandemque realitatem eſſe, „nempe ipſiſſimum Deum; quemadmodum numeri prorſus omnes nonniſi „vnitates ſint ex prima multiplicata productae. Quod ſi miri huius commenti ratio ab illis poſtuletur, qua ratio ille effluxus et refluxus ſubſtantiae haec extenſio et refractio et diuerſa apparitio fiat, quique fieri poſſit,

g) Suite des Memoires ſur l'empire de grand Mogoul p. 202. ſeqq.

„ſit, vt Deus, qui corporeus non eſt, ſed Biapek, vt vocant, immuta„bilis et incorruptibilis in tot animarum corporumque partes poſſit diuidi, „nihil niſi comparationes ingenioſas eos quaerentibus reddere: Deum eſſe „velut oceanum immenſum, in quo innumerae phialae aqua plenae natent „moueanturque, quaeque, vbicunque fuerint, in eodem oceano exiſtant, „et ſi frangantur, aquae ipſarum eidem, ex quo ſumtae ſint, et in quo na„tauerint Oceano iterum velut toti ſuo vniantur. Vel hoc quoque: Deum „eſſe inſtar luminis, quod in vniuerſo luceat, quod vero mille modis va„rietur, pro diuerſitate obiectorum, quae illuminat, vel ſecundum diuer„ſos colores vitrorum, per quae refrangitur. Aliter vero et magis ſoli„de eos non reſpondere, ſed hoc tantum modo puluerem oculis vulgi ob„iicere. Hoc ipſiſſimum Spinozae ſyſtema eſſe P. Bayle [b] contendit, perperam quidem ſi quid iudicamus, nam apertiſſime emanationem ſupponunt, quae cum modificatione Spinoziſtica confundi non debet, et ipſum, quod de vaſculis aqua plenis et in oceano natantibus petere ſolent ſimile, ſatis prodit, diuerſam hanc eſſe hypotheſin a Spinoziſtica, eo quod vaſculorum comprehenſione aqua ex oceano hauſta realiter diſtinguitur ab ipſo oceano, cum ſecundum Spinozae hypotheſin res omnes, quae in vniuerſo ſunt, ſimiles modo ſint bullulis minimis in oceano agitato natantibus. Rectius Bernierivs pronuntiauit, Cabbaliſticam doctrinam eſſe, et ſyſtema exhibere illi ſimillimum, quod in Fluddo refutauit Gaſſendus. Vnde neque cum Stoico ſyſtemate comparari Perſarum doctrina commode poteſt. Quod ſi ad origines Perſicae philoſophiae attendimus, manifeſtum erit ex iis, quae de ſyſtemate Zoroaſtreo *Tomo primo* diximus, eſſe hoc dogma ex reliquiis Zoroaſtrianae philoſophiae. Quamuis enim Petrus Bayle aliique Zoroaſtri duplex principium coaeternum tribuant, quos nos quoque olim in hoc Bernierii loco explicando ſequuti ſumus, demonſtratum tamen ſuo loco eſt, falli viros doctiſſimos, et Zoroaſtrem vetus magorum ſyſtema, quod dualiſticum fuit, ita emendauiſſe, vt in monadiſticum, emanatiuumque conuerteretur, et tamen manerent duo principia contraria, ita vt non ſpiritualia modo omnia ex primo fonte, Deo Mithra, oriantur et fluant, id eſt Mithras Oromaſden gignat, ſed et Arihmanius, ſiue rerum materialium et corporalium compages reipſa effluxus ex Deo Mithra ſit. Admiſiſſe hoc Zoroaſtrianum ſyſtema philoſophiam Orientalem, quae circa naſcentis Saluatoris tempora Perſiam, Aſiam minorem et Aegyptum peruagata eſt, *Tomo ſecundo* luculentis, niſi fallimur, teſtimoniis comprobatum eſt. Ab his igitur maioribus, et hac imprimis matre genitam eſſe, hanc arcanam Perſarum philoſophiam non eſt quod dubitemus. Aſt toto ea coelo a theologia Muhammedana, illa quoque, quae inter Perſas regnat, diſcrepat; eam enim, Deum cuncta ex nihilo produxiſſe, ſola potentiae et voluntatis ſuae materia

b) Dict. T. IV. art. Spinoza not. A. p. 254.

teria instructum, affirmare, recte CHARDINVS [i] tradit; aliter enim theologi Muhammedani, qui inter Persas vixerunt scripseruntque, quosque adduxere POCOCKIVS [k] et HYDEVS [l], non praecipiunt. Vnde caute accipienda sunt, quae hic tradit [m], opinione de ὀρθοδοξίᾳ Persarum nimis occupatus: Persas Zoroastris religionem constanti praxi, et continuato vsu quotidiano in sua liturgia publica ad hunc vsque diem sine mutatione intemeratam retinuisse, eiusque libros vetustissimos, velut sacra monumenta reuerenter custodire, et incorruptos conseruare, suae religionis et rituum tenacissimos ad rigorem vsque. Haec enim non ad eos Persas pertinere, qui Islamismum secundum explicationem Ali receperunt, ex dictis est manifestum. Quales autem Zoroastrinae doctrinae reliquiae hodie supersint, suo loco iam dictum est. Ex his autem intelligi quoque potest, quid de atheismo sectae huius mysticae apud Persas (reliquos enim de Deo satis pie sentire, Chardini narratio nos conuincit) statuendum sit. Quae enim de Zoroastre, philosophia Orientali, Cabbalistica, Alexandrina, aliisque emanatiui systematis generibus dicta suis locis sunt, huc quoque pertinent.

Tartari an religionem philosophicam colant.

§. IV. Post Persas Tartarorum nomen et imperium amplissimum in Asia est. Solent enim hoc nomine plerumque omnes illi populi comprehendi, qui intra et extra Caucasum siue Imaum montem Asiam inhabitant, et ad Sinas vsque extenduntur, quorum imperio Tartarorum gens potita est. Vtrum inter hos quoque populos, et multitudine et viuendi imperandique ratione memorabiles philosophiae vestigia reperiantur, difficile dictu est, cum ea quae de his gentibus hactenus peregrinantium et missionariorum, quos vocant, fide innotuerunt, pauca sint, et a dubitatione omni non remota. Et occupauisse quidem olim haud exiguam Tartariae magnae partem Christianam religionem secundum Nestorii placita traditam, eam autem omnem fere excisam hodie esse, eleganti commentario explicuit, celeberrimus Io. LAVRENT. MOSHEMIVS [n]. Hodie religionem Tartarorum aut Muhammedis legem sequi, aut cultum idolorum, in confesso est. Illi in vicinioribus Turcarum regionibus, maxime in magna Bucharia viuunt, hi maiorem Tartariae partem occupant. Et horum quidem religio nondum hodie ita explorata est, vt de ea certi quid statui, eiusque origines satis probabili coniectura definiri queant: nisi quod superstitioni atque incantationibus esse deditos, plebemque innumera idola, velut legatos Dei adorare, vno summo Deo, admirationi magis, quam venerationi, qua superior creditur, exposito, dubitandum eo minus sit, quo minus in eo peregrinantium relationes dissentiunt. Ast cum amplissima inter Tartaros collegia eruditorum sacerdotumue sint: qui Lamae dicuntur, pontifex maximus autem Dalai Lama, merito de iis quaeritur, annon, quaedam vestigia

i) l. c. p. 11. k) Spec. Hist. Arabum. m) c. 28. p. 348.
l) De Relig. vet. Persarum. n) In Historia ecclesiastica Tartarorum.

ſtigia originis philoſophicae inter eos reperiantur. Non eſt autem huius loci et inſtituti prolixe in hoc argumento verſari, et de his originibus diſpicere, pauca itaque afferimus, et talia tantum, quae cogitandi de hoc argumento occaſionem aliis exhibere queant. Et inualuiſſe quidem idolorum cultum qui hodie obtinet; inter Tartaros, ex quo Zingis-Chanus rerum ſumma inter hos populos potitus eſt, eumque vna cum literis ſcribendique arte illos a Iuguritarum gente accepiſſe, viris doctis o) obſeruatum eſt. Habet autem cultus ille idololatricus fundamentum partim in eo, quod idola eſſe imagines diuinarum emanationum, ſiue irradiationum contendunt; partim quod animarum transmigrationem amplectuntur, hincque diuinas animas, quae ex Deo profluxerunt, inhabitare idola credunt. Ita vero μετεμψυχώσει, quae totam Aſiam et Africam peruagata eſt, addicti ſunt, vt non modo in homines, ſed in bruta quoque deſcendere animas ſtatuant. Parum vel nihil eſſe in his omnibus, quod origines philoſophicas ſapiat, omnino fatendum eſt. Aſt paulo altius in ſuperſtitionis Tartaricae origines inquirentibus nonnihil deprehendere licet, quod magnam dicendis lucem foenerabitur. Praeeſt, vti dictum Lamis per totam Tartariam omnibus pontifex maximus, magnus Lama dictus, qui in arce cacumini montis verbi Potalae vicini inaedificata habitat. Is incredibile eſt quanto honore a Lamis omnibus, et Tartaris quoque reliquis idola colentibus afficiatur. Eum immortalem eſſe communis ſtupidae gentis perſuaſio eſt, eo quod extincto illi alius ſimilis ſupponitur, corpus defuncti clam ſubducitur. Et hoc quidem genti ſuperſtitioni miris modis deditae a Lamis perſuaderi, nobis omnino veriſimile videtur: at Lamas, qui mori pontificem ſuum poſſe, experientia docti norunt, alium traditionis ſenſum habere, vero prorſus eſt conſentaneum, recteque obſeruatum eruditiſſimo Moshemio p), qui eleganter coniicit, homines hos, qui mentes mortalium ex vno corpore in aliud tranſire putant, idem de primo religionis ſuae moderatore dicere. Id quod mire confirmat, ex relatione Io. Bapt. dv Halde q), de nuntio quodam a Tipa ſiue Chano Tartarorum Dalai Lamae ſubiecto ad Sinas circa finem ſeculi proxime elapſi miſſo. Is inter caetera narrauit, magnum Lamam ſedecim ante annis de vita deceſſiſſe, morti autem vicinum promiſiſſe, ſe ſequenti anno in vitam certo, quem deſignabat loco, reuerſurum, et vt ſe bene educarent iuſſiſſe, donec ad adultiorem aetatem veniſſet: mortem autem ſuam reticerent, reſpondendo illis qui de ipſo eſſent ſciſcitaturi, in receſſu ipſum viuere; decimo ſexto vero poſt mortem anno luna decima, faſciculum ad imperatorem mitterent, quem ipſis tradiderit, in quo fuerit epiſtola ad imperatorem, et ſtatua Foë: ipſum enim dixiſſe *ſe eſſe Foë reſuſcitatum.* Ex hac narratione

o) Cel. Assemannvs T. III. P. II. c. 9. §. 5. p. 469. Moshem. l. c. p. 38. ſeq. Ipſum vero Zangis-Chanum peculiarem religionem formaſſe, multis docet Hottingervs Hiſtor. eccleſ. Sec. XV. Sect. II. p. 605. Aſt parum religioni eum tribuiſſe, ſi pauca quaedam naturalis pietatis capita excipiamus, ex eius hiſtoria apertum eſt.

p) l. c. p. 135.

q) Deſcript. de la Chine T. IV. p. 467.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

satis luculenter constat, Dalai Lamam haberi pro eo doctore, in quem conditoris istius religionis, Foë dicti, anima migrauerit. Dicemus de magno hoc impostore, qui totam fere Asiam superstitione et pantheismo repleuit, in sequentibus, et rationibus verisimilibus probabimus, eum fuisse sacerdotem atque philosophum Aegyptiacum, qui in Indiam secesserit, et ab Indici Oceani oris vsque ad Iaponiam cum idololatriae, tum impietatis semina sparserit. Hoc loco id tantum monendum est, multoties eum, tradi, inter homines resuscitatum apparuisse, et animarum transmigrationem inter dogmata exoterica sectatoribus suis tradidisse. Et huius quoque discipulos vsque in Tartariam penetrauisse, inque ea cum cultu idolorum, quem mira vanitate et impietate detestabilis haec secta propagauit, hanc quoque redeuntis subinde Foë, (quem Sommonacodomum Budham, Xekiam, Xiakam, Fotoque, in India, China, Iaponia dici ex sequentibus constabit) apparitionem in successore suo superstitiosis populis tradidisse, inde quoque maximam, quam Dalai Lama obtinet, auctoritatem deriuandam esse, admodum est probabile. Qualia vero ab hoc successore Foë, dogmata arcana tradantur, latet, libros enim Lamarum sacros, qui in vrbe Lasa magna religione custodiuntur, nemo hactenus Christianorum inspiciendi veniam nactus est. Coniicere autem licet, in fundamentalibus dogmatibus tum exotericis tum esotericis Tartarorum religionem et placita, cum reliquarum eius sectatorum, quos inter Siamenses, Peguanos, Indostanos, Sinas, Iaponensesque habet, decretis conspirare, de quibus iam porro disquirendum est.

Indorum philosophia an atheismo infecta.

§. V. Ex Tartaria in Indiam descendentes in amplissimis, quas complectitur, regionibus, crassissimam regnare superstitionem, omni lumine rationis philosophico extincto, peregrinantium fide discimus. Pauca tamen de interioris Indiae regionibus, incolis, religione nota sunt, et pleraque insuper fide subleſta suspecta. Propius illarum terrarum mores, cultus, religio innotuere, quae ad littora oceani sitae, nauigantium curiositati explorandae patuere. Ast heic quoque ignorantiam obtinere putidissimam, et religionis coecitatem tantam, quantam vix cogitare licet, ex itinerariis fide dignis nouimus. Id quod permouit viros doctissimos, Io. Lockivm [r], et Crosaevm [s], vt post Lovberivm [t] numinis supremi ignorantiam his populis tribuerent; quamuis enim Sommonacodomum velut magnum Deum adorent, de summo tamen rerum creatore tacent, vnde atheismi quoque notam Siamenses a nonnullis inustam sustinent, quos sibi plane non constare in religione, cultuue Dei obseruauit P. Bayle [u]. Nostrum hoc quidem loco non est, de atheismo gentium Indiae disputare, monere tamen heic ab instituto nostro alienum non est, patere ex earum gentium, quae Malabaricae dicuntur, religione, systema emanatiuum, quo innnumerae deitatis personae ex vno numinis fonte progressae, et mundi

r) De Intell. hum. L. I. c. 3. §. 15. p. m. 70.
s) Stat. Christian. Indici, L. VI. p. m. 645. seq.
t) Itiner. Siam. T. I. p. 395.
u) Dict. T. IV. art. Ruggeri, not. D. p. 105.

di partibus regendis praefectae ſtatuuntur, Indiam quoque totam occupauiſſe x), et omni, quae in regionibus, Siam, Arekan, Laos, Camboiae, Cochinchinae aliisque obtinet, et foediſſima ſuperſtitione colitur, idololatriae originem dediſſe. Cum enim viderent nationes infelices, et ſupremae ignorantiae vinculis detentae, mundi partibus formandis dirigendis, nutriendis vim quandam diuinam adeſſe debere, facile ſibi perſuaderi paſſae ſunt, prodiiſſe ex ineffabili fonte ſupremae deitatis eiusmodi radios ſiue emanationes, quae multiplici metamorphoſi in mundo apparentes, cum earum, quas informare debuerunt atque regere, partium ſocietatem iniiſſent, cultum diuinum ob innumera beneficia mereantur. Et huius quidem generis emanationem eſſe Somonacodomum, ſecundum Indorum placita, ex dicendis apparebit y). Mirum itaque non eſt, cum impoſtor quidam idololatriam per omnes Indiae partes diffunderet, eamque arcano emanationis ſyſtemati inaedificaret, homines ſtupidos et coeco impetu in haec retia incidiſſe et huiusmodi impoſtorem inter numina retuliſſe, credentes, Deitatis quandam particulam in eo reſidere. Ita vero nullo negotio perſuaderi poterant, id quod in profundiſſima infinitatis abyſſo latet, numen cultu attingi ab hominibus non poſſe, ſed ideo ſe in radiis ſuis emanatiuis manifeſtauiſſe, vt coli poſſet inque iis et adorari. Vnde ratio quoque petenda eſt, cur eum eſſe apparationem Dei Wiſtnou dixerint. Quae idololatriae quidem et deiſmi, non vero atheiſmi eos reos agunt. Nihil hoc loco nos Indis affingere, vel ad eos excuſandos gratis excogitare, theologia Malabarica, quae magnam partem in Europa innoteſcere coepit, faciet manifeſtiſſimum: quamuis non magnopere repugnare velimus, ſi quis contendat, omiſſo et neglecto ſummo Deo ita nonnullos in inferioribus diis et mediis numinibus colendis haeſiſſe, vt tandem ſummi numinis rerumque creatoris fuerint obliti: vel ſi quis z) Sammanaeorum ſectam, quae ex Buddae diſciplina prodiiſſe dicitur, et ob impietatem ex litoribus Malabaricis et Coromandelicis eiecta eſt, regnat autem in interiori India, huc referre velit, de qua viri pii, qui praedicandi euangelii gratia a potentiſſimo Daniae rege in illas regiones miſſi ſunt, tradunt, apparare ex Malabaricis monumentis, quod omnem prorſus religionem, etiam idololatricam, eiurauerint. Id quod non ab omni veriſimilitudine abhorret, eo quod impoſtoris illius, cuius diſcipuli fuiſſe dicuntur, diſciplina interior talis fuit, vt religio ex ea omnis euerti facile potuerit. Ille vero cum non meridionales tantum Indiae partes veneno infecerit, ſed et ſeptentrionales et orientales ita corruperit, vt peſtis ea vsque ad Sinas et Iaponenſes penetrauerit, nihil autem eius memoria in hiſtoria theologiae Indorum ſit celebrius, paulo curatius de eius rebus hoc loco agendum eſt.

x) Vidit id iam Burnetivs Archaeol. phil. p. 542. et de Siamenſibus auctores Britanni Hiſt. vniu. P. I. p. m. 111.

y) Sine hac enim hypotheſi ratio cultus a Siamenſibus Somonacodomo exhibiti dari nequit, vt ex iis intelligitur, quae P. Tachard. Itin. Siam. L. VI. p. 203. Bayle Dict. art. Sommonacodom T. IV. p. 237. Kaempfer Deſcript. Iapon. T. I. p. m. 59. ſeqq. cumularunt.

z) La Croze l. c. p. 643.

Quod ita faciemus, vt enarratis prius Indorum, Sinarum, Iaponenſium narrationibus, exploratoque doctrina et methodo, quid de eius origine, philoſophiae fonte, religione, modoque docendi nobis vero videatur ſimile, quantum licet, breuiſſimis exponamus.

Buddae vel Xekiae hiſtoria.

§. VI. Fuiſſe iam inter veteres Indos BVDDAM quendam philoſophiae nomine celeberrimum, huncque philoſophorum omnium principem et auctorem fuiſſe, populis quoque Indiae religionis cultum tradidiſſe, eumque cum Sommonacodomo Siamenſium et Xekia, Sinenſium vnum eundemque videri, *Tomo primo* [a] diximus, obſeruauimusque Buddae nomen cum Graeco Mercurii coincidere. Monet hoc nos, vt de famoſiſſimo hoc philoſopho ipſos Indorum ſcriptores, eosque, qui ex ore eruditorum res eius narratas acceperunt conſulamus. Tetigerunt autem hiſtoriam huius idoli, DOMINICVS FERD. NAVARRETTA [b], ATHANASIVS KIRCHERVS [c], PHIL. COVPLETVS [d], PHILIPPVS MARINI [e], ex quorum relationibus ſua congeſſere M. V. LA CROZE [f] et P. BAYLE [g]. Illis addendus, qui omnium accuratiſſime in res huius philoſophi, qui idololatrico cultu per omnem fere Indiam, et vt ſupra iam veriſimile fecimus, Tartariam quoque Chinam et Iaponiam adoratur, inquiſiuit ENGELBERTVS KAEMPFERVS [h], vir doctiſſimus. Et nomen quidem philoſophi iſtius pro regionum diuerſitate diuerſimode effertur. Inter Siamenſes enim eum Sommonacodom dici, ſupra iam dictum. Et ſunt quidem, qui hoc Siamenſium idolum a Budda diſtinguant: aſt falli hos, vidit iam, vt erat in perſpiciendis rebus exoticis maximi acuminis deſideratiſſimus CROZEVS, qui ex ſimilitudine eorum, quae de Budda, Xekia atque Sommonacodomo traduntur, collegit, vnum eundemque impoſtorem intelligi, qui totam Aſiam Orientalem idololatria et enthuſiaſmo vel pantheiſmo quoque faſcinauerit [i]. Coniecturam enim Croſaeanam certiſſimis rationibus firmat KAEMPFERVS, qui diu inter Siamenſes vixit, et Sinas quoque atque imprimis Iaponenſes adiit, et omnium curioſiſſime in antiquitates, et hiſtoriam atque religionem harum gentium inquiſiuit; namque is refert, Buddam, eſſe reuelatam in humana figura diuinitatis partem, et ſecundum philoſophos Indorum, apud Siamenſes, lingua vulgari appellari Prah Pudi Dſau, id eſt ſanctum dominum, ab eruditis vero in lingua doctis propria vocari Sammona-Khodum, a Peguanis Samana Khutama. Eundem autem Buddam cum Xaka vel Siaka, Sinenſium et Iaponenſium eſſe, vel ex eo ſolo intelligi poteſt, quod inter has gentes maxime Iaponenſes nomen Xacae, quod poſt eius fata in Foë et Fotoke appellationem tranſiit, cum nomine Budſd coincidat, ita vt hoc tandem in

a) p. 202. ſeqq. b) Rel. Sin. p. 82.
c) Chin. illuſtr. P. III. c. 4. p. 152.
d) Prooem. ſc. Sin. p. 29. §. 4.
e) Relation de Tonquin p. 108. f) l. c.
g) Dict. art. Brachmanes, Iapan, Spinoza.
h) Hiſt. Iapon. T. I. p. 56. ſeqq. T. II. p. 59. ſeqq.
i) Quia tamen incertiſſimi ſunt Siamenſes in antiquitatibus gentis ſuae notandis, non refragabimur, ſi quis dicat eos, res antiquiſſimas cum hiſtoria recentioris cuiusdam impoſtoris interdum confudiſſe, quod coniicit KAEMPFERVS l. c.

in nomen appellatiuum degenerarit, quo non omnes tantum Dii, et idola quaecunque in genere, quae ex peregrinis regionibus illata sunt, sed et sancti quoque et sacerdotes atque philosophi, hanc doctrinam profitentes appellentur. Tempus famosissimi doctoris definire, ob incertissimas temporum rationes ab Indis obseruatas tantum non impossibile est. ALEXANDER DE RHODES [k] laudatus CROSAEO [l], anno circiter MMM post conditum mundum, et anno M post linguarum confusionem hunc legislatorem vixisse, ex Tonquinorum relatione tradit: Ex NAVARETTAE relatione [m] a nonnullis ponitur in annum XXIX imperii Salomonis, KAEMPFERVS [n] qui ex ipsis Siamensium doctoribus de hoc philosopho percunctatus est, natum esse ait anno vigesimo sexto regni Soowo imperatoris Sinensium, qui quartus successor fuit, celeberrimi principis Suno Buno; quod tempus ex nonnullorum calculo incidit in annum MCCII. ante C. N. Qui tamen monet quoque, Siamenses anno MDCXC. quo inter eos versatus est, computauisse a Buddae apparitione annos MMCCXXXIII, sic vt tempus eius incidat in annum DXLII ante N. C. Quae traditionis diuersitas in tanta gentis inscitia pariter atque antiquitatis iactantia et diuersa annorum computatione valde miranda haud est. Eadem fere incertitudine reliqua, quae de hoc legislatore Indorum traduntur, laborant. De patria enim certum quod dicant, Indi ipsi non habent. Et omnes quidem, si CROZAEO [o] fides, ex hac gente scriptores mediam Indiam ei patriam designant, Ceylanum insulam verisimiliter intelligendam esse, NAVARETTA [p] contendit. Quod confirmat non modo nomen Budhum, quod idolo huic in hac quoque insula tribuitur, sed et Siamensium traditio, qui in vrbe Ceylani Lanca natum esse contendunt [q], Iaponenses quoque patriam eius Magattae prouinciam in regione Tensiccensi fuisse affirmant. Est autem Tensik regio, interprete KAEMPFERO [r], insula Ceylanum, litora Malabarica et Coromandelica, siue Gangetici sinus; generaliori vero significatione omnis regio Asiae meridionalis, cuius incolae fusco colore nigrescunt, Ceylani tamen incolae Buddam hunc non indigenam fuisse, sed a Siamensibus ad ipsos venisse, transfretasse autem postea in Indiam Orientalem narrant, et vero non absimile, religionem ab hoc legislatore traditam a Siamensibus ad Ceylanianos peruenisse; eodem enim hi, libro sacro vtuntur, quo Siamenses, Puli dicto. Ex qua narrationum diuersitate certi nihil colligi potest aliud, nisi aduenisse Buddam siue Xekiam, ex meridionali Indiae parte, et gentibus ad litora oceani sitis, omnium primis innotuisse; in hac quoque australi Indiae parte vixisse, et missis, vndequaque discipulis per omnes Indiae regiones, primo quidem nouam legem, deinde clanculum philosophiam suam mysticam disseminauisse.

§. VII.

k) In Catechismo pro baptizandis, Romae 1651. Tonquinensi lingua edito p. 105. seqq.
l) l. c. p. 648. m) l. c. n) T. II. p. 60.
o) loc. cit. p) loc. cit.
q) KAEMPFER T. I. p. 56.
r) T. II. p. 60.

Vita Buddae ſ. Xekiae.

§. VII. Non cohaerent melius, quae de vita eius ab Indis narrantur: cuius et antiquitas hominis, et methodus allegorica atque fabularis, Indis deamata et fraudes ab eo artificioſe adhibitae cauſſae eſſe videntur. Accedit, quod cum pleraque vetuſtiſſima traditione nitantur, multae narratiunculae acceſſerint, quae memoriam eius conturbauerunt. Opinio quoque diuinitatis eius, quae poſt fata totam Indiam, Chinam et Iaponiam occupauit, eiusmodi circumſtantiarum excogitandarum occaſionem ſuppeditauiſſe videtur, quae ad conciliandum eius hiſtoriae augendumque τὸ θαυμαστὸν facere queant: vt in omnium fere antiquitatis heroum hiſtoria euenit. Et Alexander de Rhodes quidem, cuius verba ex libro rariſſimo affert CROSAEVS, rem ita narrat: Fuiſſe eum filium regis Indorum, Timphan nomine, hominem valde acutum doctumque, at ambitione inflatum: Contracto matrimonio genitaque filia vnica, vxorem deſeruiſſe, totumque in ſeceſſu ſolitario in magiae artem incubuiſſe, habuiſſe autem duos malos genios ſibi valde familiares, a quibus doctrinam atheiſmo infectam acceperit. Quam cum hominibus tradere vellet, parum fidei reperiſſe, ideoque ad fraudes conuerſum, impietatem fabulis occultaſſe, et μετεμψύχωσιν atque idolorum cultum introducendo, ſe ipſum diſcipulis idolum exhibuiſſe adorandum, quod rerum omnium creator eſſet, cuncta vero allegorice declarando, arcanos ſenſus ita reconditos habuiſſe, vt cum magia et idololatria populorum animos repleret, initiatis tamen atheiſmi principia inſtillaret, nihilum pro oceano rerum omnium commendando. Quam narrationem, facile palpari poteſt, auctorem magis ex fama et traditione nonnullorum, quam ex certis fontibus hauſiſſe, et ſuſpicionibus magis quam certitudini litauiſſe. Accuratius NAVARETTA res impoſtoris huius exploraſſe videtur. Is haec ſibi comperta eſſe tradit, cum in iſtis regionibus viueret, fuiſſe patrem Xekiae regem eius regionis, Cing Fan Vuang dictum, matrem Mo-Ie; annos natum ſeptendecim tres vxores duxiſſe, et genuiſſe filium, vndeuigeſimo in ſolitudinem feceſſiſſe, inque ea annos duodecim a quatuor viris immortalibus, id eſt philoſophis, qui Talopoin [s] apud Siamenſes, Peguanos aliosque Indiae populos vocantur, quosque veterum Hylobios eſſe *Tomo primo* [t] monuimus, eruditum, tandem anno aetatis trigeſimo propriae meditationi ſe tradidiſſe, et phoſphorum conſiderando tandem ad intuitiuam cognitionem primi rerum omnium principii peruenisſe, ab eo vero tempore nomen Foë, quod nonhominem ſignificat, adhibuiſſe. Et hoc quidem pacto annos quadraginta nouem philoſophiam quandam myſticam allegoriis velatam innumeris diſcipulis tradidiſſe. Morti vero proximum declaraſſe, interiorem ſe doctrinam nondum propalaſſe, ſed cuncta hieroglyphicis ſymbolis tantum adumbraſſe. Addimus his KAEMPFERI narrationem, diligenter ex ore librisque Indorum hauſtam, quae Xekiam, vel, quo nomine Iaponico ipſe vocat, Siakam, refert annos natum nouendecim relicta patris regia atque

s) Conf. KAEMPFER T. I. p. 62. t) p. 195. not. q.

atque vxore, Arariae Sennino, eremitae magna celebritate nominis et sanctitatis opinione in vertice montis Dandokf viuenti in disciplinam se tradidisse, eoque auctore et vitam austeram duxisse, et totum contemplationi rerum coelestium et diuinarum, corporis situ plane singulari et inusitato, sed meditationi rerum diuinarum aptissimo se permisisse; ita mente ab omni externo obiecto reuocata et in proprium fundum reducta, vt corpus immobile et sensus omnis rerum externarum expers esset [u]. Huic enthusiasmo id debuisse Xekiam, quod in intima religionis mysteria penetrauerit, et existentiam coeli et inferni detexerit, quaeque praemiorum atque poenarum post hanc vitam ratio sit, quae status animae post mortem, quae migrationes, quae via ad felicitatem aeternam perueniendi, quae potentia Deorum in regendo mundo, aliaque multa captum hominis superantia perspexerit. Et haec postea innumerabili discipulorum multitudini eum tradidisse, quae ipsum secuta eandem vitae austeritatem elegerit. Tandem annos natum LXXIX obiisse. Addi his alia multa possent, nisi modus seruandus esset, et distinguendae circumstantiae verisimiles ab iis, quas excogitauit sacerdotum calliditas et superstitio populi. Quale est, quod Siamenses narrant, deitatem illam, quae Wistnou dicitur, cum octauum mundum inuisisset, forma aethiopis se manifestauisse, huncque Deum illum Sommonacodomum, id est hominem ἄπαιδον, fuisse. Vnde sine dubio Braminarum sententia enata est, legislatorem hunc neque patrem neque matrem habuisse. Tradunt etiam multa Siamenses, Peguani, et Indorum Orientalium alii de miraculis Buddae, de eius natiuitate ex elephante albo aliisque, quibus tamen hoc loco non immoramur.

§. VIII. Duplex doctrinae genus impostorem hunc, de cuius rebus hactenus differuimus, fouisse, vnanimi ore ex Indorum, atque imprimis Sinensium, relatione testantur scriptores, quorum vnum exoterica dogmata in vulgus sparsa exhibuit; alterum arcanas sententias intimae admissionis discipulis aperuit. Et exoterica quidem dogmata religionem quandam cultumque deorum, animarum praemia, poenasque migrationem et similia tradiderunt, quibus velut neruis suis constringi solent respublicae; esoterica doctrina de rerum natura philosophice praecepit. Exotericam Xekiae disciplinam describunt Le Comte, La Loubere, Bernier, maxime vero Kaempfervs [x], ex quorum narrationibus constat, ita hunc Indorum legislatorem ad populum praecepisse:

Doctrina Xekiae duplex.

I. Dari boni et mali discrimen. *Exoterica.*

II. Ani-

u) Enthusiasmi et ecstasis gratia id et olim ab Indis factum esse et hodienum fieri Tomo I. p. 198. iam monuimus, quod hoc loco repetendum est.

x) In Itinerariis Sinensibus, Siamensibus, Iaponensibus, quae horum industriae debemus. Ex Trigautii narratione huius sectae religionem quoque descripsit Chr. Arnoldvs in Addit. ad Rogeri Ianuam gent. apertam c. 6. p. 579.

II. Animas hominum et brutorum esse immortales eiusdemque substantiae, et tantum ratione subiectorum, quibus insunt, differre.

III. Animas hominum, a corporibus morte separatas, vel praemia accipere vitae bene actae, in sede felicitatis, vel poenas experiri in loco miseriarum.

IV. Locum beatorum, esse sedem aeternarum voluptatum, ideoque vocari Gokurakf [y].

V. Differre et deos natura sua, et animas hominum meritis actionum suarum, ideoque gradus quoque beatitatis in illis campis Elysiis differre secundum gradus meritorum cuiuslibet. Ita tamen minimum quoque huius felicitatis gradum abundare gaudio et iucunditate, vt meliorem possessores non optent.

VI. Amidam esse supremum in his regionibus beatis praefectum et protectorem animarum humanarum [z], maxime illarum, quae ad vitam aeternam beatamque transierunt. Et hoc solo mediatore obtinere homines posse peccatorum remissionem et vitam aeternam. Quae ad Xekiam haud pauci Indorum referunt, maxime Foëni Sinenses *.

VII. Huius felicitatis, Amidae beneficio, eos fieri compotes, qui legis a Xekia latae memores, perfectam praestent obedientiam, vitamque ducant virtute animatam.

VIII. Complecti legem Xekiae quinque praecepta generalia, quae intermitti sine salutis aeternae iactura non possint; I. Nihil esse interficiendum, quod ἔμψυχον fit; II. Nihil esse surripiendum; III. Cauendum ab incestu; IV. Abstinendum a mendacio; V. Itemque a liquoribus generosis, vino etc. Celeberrima sunt haec praecepta per totam Asiam meridionalem et orientalem, multisque sectatorum commentationibus et explicationibus illustrantur et extenduntur. Diuidi enim solent in decem Sikkai, id est consilia, quibus quaelibet lex explicatur, et ad vitae perfectionem acquirendam applicatur; immo subdiuisionem quoque quodlibet consilium habet quinque Go Fiakkai, siue specialium institutionum, quibus ad maximam subtilitatem doctrinam Xekianam illi perducere contendunt, qui sanctitatis laudem affectant. Quam tantis corporis cruciatibus et molestiis eos quaerere ait KAEMPFERVS [a], vt inedia atque fame tantum non interimantur. Quos tamen paucos hodie esse, tradit, plerisque disciplinae rigorem non ferentibus. Quae cum plurima communia habeant cum Gymnosophistarum veterum et Aegyptiorum institutis, verisimile inde fit, ab ipsius Xekianae doctrinae origine eiusmodi abstinentiam atque cruciatus corporis obtinuisse. Eorum autem attenta obseruatio nonnihil lucem accendet in inquirenda Xekiae origine.

IX. Ho-

y) Vox Iaponica est, ex cuius gentis praeceptis ista hausit Kaempferus. A Siamensibus vocatur Nireupan.

z) Etiam hoc Numen Iaponicum est, de quo in Historia philosophiae Iaponicae dicemus.

*) COVPLET, Diss. prooem. ad Confuc. p. 31. Act. Erud. 1688. p. 257.

a) l. c. T. I. p. 63.

IX. Homines omnes, et seculares et ecclesiasticos vitae iniquitate et actionum peruersitate indignos factos vita beata, missum iri post mortem in locum miseriae, Dsigokf, vbi in carcere tormentorum cruciatus patientur, non tamen aeternos, sed ad certum tamen tempus licet indeterminatum. Habere autem haec supplicia gradus quoque suos pro criminum conditione et occasione virtutis exercendae at neglectae.

X. Praesidem carceris squalidi et miseri, iudicemque esse Iemma O, qui actiones hominum omnes examinet, et in speculo cognitionis exploret.

XI. Posse vero has damnatorum animas solatium et auxilium accipere ex virtute parentum, amicorum et familiarium; neque vtilius illis quicquam esse precibus et sacrificiis pro defunctis, factis a sacerdotibus ad maximum misericordiae patrem Amidam.

XII. Intercessione Amidae fieri, vt inexorabilis alias infernorum iudex sententiae rigorem mitiget, et tolerabilior fiat damnatorum poena, salua tamen iustitia, vtque eos, quantum fieri potest, maturrime in mundum remittat.

XIII. Expiatis hunc in modum animis, remitti eas ex sententia praesidis infernalis in mundum, vt iterum corpora animent; ast non humana, sed animalium immundorum, quorum natura cum vitiis illis conspiret, quibus in mundo infectae erant.

XIV. Fieri autem deinde migrationem animarum ex corporibus vilioribus in meliora et nobiliora gradatim, donec mereatur anima corpus iterum humanum ingredi, in quo vitam agens virtuti consentaneam, futura felicitate digna possit euadere, sin iterum sceleribus litet, priorem fatalem poenarum et miseriarum periodum alteramque migrationem subeat.

Et has quidem credendi viuendique regulas Xekiam tradidisse, et manu propria in foliis arborum descripsisse, omnes constanter Indi tradunt. Eius sectatores autem, narrant, in librum quendam sacrum illa praecepta congesta descripsisse, quem Fokekio appellant, id est librum florentissimum et κατ' ἐξοχὴν Kio, id est, biblia, quemque pro sacris oraculis habere gentes vltra Gangem omnes Xekiae religioni adhaerentes, refert KAEMPFERVS [b]. Multos tamen in hoc volumen sacrum commentarios extare inde colligere est, quia quinque librorum millia (foliis arborum constantes intelligendi sunt) exarasse sectatores eius, Siamenses perhibent. Epitomen autem doctrinae Xekianae in illo libro sacro contentam conscripsere Annan et Kasia, discipulorum sapientissimi, ob hoc beneficium magistro in cultu, qui illi offertur, diuino proxime iuncti.

§. IX. Longe alia est doctrina impostoris huius interior, si scriptores rerum Indicarum hodiernos audimus. Morti enim proximus, con- *Esoterica.*

b) pag. 65.

uocatis discipulis expoſuiſſe dicitur [c]: in toto diſciplinae ſuae tempore nunquam interiorem ſe dogmatum ſuorum opinionem aperuiſſe, ſed ſymbolis tantum et ſimilitudinibus ea tectius occultata delineauiſſe. Mentem ſuam hanc eſſe: Primum rerum omnium principium, ex quo omnia fluant atque exſurgant, et in quod omnia reſoluantur redeantque, eſſe nihilum ſiue vacuum, et praeter hoc plane nihil eſſe, quod ſperare liceat. Ex ſucceſſorum vero placitis et explicatione hunc in modum ſtatuit, ſyſtema Foëanum ſiue Xekiae [d]:

I. Vacuum ſiue inane [e] eſſe principium finemque rerum omnium.

II. Ex hoc protoplaſtos originem duxiſſe, inque hoc reuerſuros eſſe, quotquot vita decedant.

III. Quicquid vnquam rerum eſt, ex eo principio produci, et in idem per interitum ſuum reduci ac reſolui, idque et noſtram animam et elementa conſtituere, nec omnia inter ſe realiter ideo differre: adeoque omnia quae vita, ſenſu, mente praedita, quamuis inter ſe vſu et figura differant, intrinſece tamen vnum idemque et a ſuo principio indiſtincta eſſe.

IV. Eſſe hoc principium vniuerſale admirandum, purum, limpidum, ſubtile, infinitum, quodque nec generari, nec mori, nec reſolui poſſit.

V. Habere autem neque virtutem, neque intellectum, neque potentiam, vel attributum ſimile.

VI. Proprium ei eſſe, vt nihil agitet, nihil intelligat, nihil appetat.

VII. Eum qui bene beateque viuendi ſit cupidus huc aſſidua meditatione ſuique victoria eniti oportere, vt principio ſuo quam ſimillimus affectiones humanas omnes domet, ac prorſus extinguat, neque iam turbetur vel angatur re vlla.

VIII. Hoc fine qui potiatur, eum ecſtatici inſtar abſorptum altiſſima contemplatione, ſine vllo prorſus vſu et ratiocinio intellectus, diuina illa quiete, qua nihil ſit beatius, perfrui.

IX. Ad hanc philoſophiam perductum relicta reliquis doctrina exoterica externe tantum et ſpecietenus illi ſe attemperaturum, interne hanc myſticam et beatam philoſophiam ſequuturum eſſe ſibique vacaturum.

Haec famoſa illa Foënae ſectae, ſiue Xekianae diſciplinae doctrina eſt quae apud plerosque atheiſmi, et imprimis Spinoziſmi infamiam meruit. Quam tamen perperam cum Spinoziſmo confundi, et ſyſtema magis emanatiuum, quo etiam exoterica Xekiae doctrina nititur, quam Spinoziſticum continere, nobis valde eſt veriſimile. Cuius rationes vt lectori conſtent, monendum eſt, non ſolis hoc ſyſtema Indis placuiſſe, ſed reuera Perſarum Sufyos, inter Indos habitantes illud fuiſſe amplexos, vt ſupra ex

c) Conf. La Croze l. c. p. 652. et citati.
d) Idem l. c. Covplet l. c. p. 31. ſeqq. Act. Erud. 1683. p. 257. e) Cum hiu Sinenſibus dicitur.

ex Bernierio obſeruatum; ad quos ſine dubio ex ſimilibus fontibus peruenit. Inter Siamenſes quoque ſtatum animarum vocari Nireupan, ſiue paradiſum, collocarique in eiusmodi ſubſtantia omni attributo vacua, et enthuſiaſmo ſummam felicitatem exhibente. Porro, non habendum eſſe hoc nihilum ſiue inane, pro nihilo negatiuo, quod multos ſeduxit, vt plane non eſſe principium diuinum ſectae Foënae crederent, ſed intelligendum eſſe de nihilo priuatiuo, id eſt principio primo, omni rerum formatarum et mutabilium attributo carente, quod chaos ſiue materia prima rerum omnium ſit, ex quo omnia oriantur, in quod reſoluantur omnia. Quae ſi ſupponuntur, vt debent ſupponi, ſi vera eſt narrantium de rebus Indicis et Sinenſibus fides, cuncta ſyſtemati emanatiuo rectiſſime congruunt, nihilque affirmant, quod non alii quoque eius ſyſtematis patroni affirmauerint. Principium enim primum iſtud adeo ineffabile, incomprehenſibile, infinitum, omnique rerum forma priuatum ſtatuitur, vt non modo plane nihil rebus exiſtentibus quoad attributa, habeat ſimile, ſed quoque non niſi enthuſiaſmo ecſtatico, et ſenſuum omnium priuatione intelligi concipique poſſit. Eſſe vero ex mente Xekiae ſubſtantiam maxime realem, vel inde conſtat, quod omnes ſubſtantiae ex eo exortae ſint, atque fluxerint, quodque res iterum omnes in illud redeant, et ex eo ſubſtantiam habeant. Nec alia ratio cur et virtutis, et potentiae, et intellectus eſſe vacuum ſtatuitur, et agere, mouere, appetere nihil poſſe dicitur, quam quod ab omni rerum finitarum proprietate et attributo longiſſime remotum, infinitis modis diſtare a rerum viſibilium natura videretur, et latens iſtud numen in impenetrabili abyſſo nihil ſimile cum reliquis ſubſtantiis ex eo progreſſis habere poſſit. Quae vt mire Xekianis dogmatibus conſonant, ita nihil habent, quod non in Aegypto veteri [f], in philoſophia Orientali, Cabbaliſtica [g], Saracenica [h], iam obſeruauimus. Maxime autem enthuſiaſmo Orientali, qui omnes fere gentes orientis infecit, accommodatum eſſe hoc ſyſtema, ex modo contemplationis intuitiuae, ſenſuum miniſterio turbato acquirendae intelligitur. Quem enthuſiaſmum, altius et immote vnum, maxime ſplendidum obiectum diu intuendo obtineri poſſe aliquoties monuimus. Quod ſi hanc ſyſtematis Foëni explicationem ſequamur, ratio conſtabit apertiſſima, cur doctrinam exotericam talem conſtituerit Xekia, qualem ſupra delineauimus. Nempe infelix ingenii fanatici foetus cum allegorica methodo pingendus eſſet, comminiſcendae erant innumerae emanationes diuinae ex hoc chao rerum omnium ſiue incomprehenſibili oceano oriundae, hisque adiicienda metempſychoſis, vt ſublatis per iſtos circuitus rerum ſenſibilium modificationibus tandem ad ἡσυχισμὸν iſtum anima reducatur. Recte itaque monuerunt doctiſſimi

f) Comparanda cum his Saidis inſcriptio Iſidis naturam delineans, quam Tom. I. pag. 95. attulimus, vt intelligi haec luculentius poſſint.

g) Probe hoc obſeruatum auctoribus Hiſtoriae vniuerſalis P. I. p. m. 112.

h) T. III. p. 197. qui locus omnino cum ſyſtemate Foëno comparandus eſt ob ſimilitudinem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctiſſimi *Hiſtoriae vniuerſalis* auctores [i] Britanni, differre hoc ſyſtema Xekianum vel Foënum a Spinoziſtico, licet in eo errare videantur, quod inane huius ſectae cum ſpatio idem eſſe coniiciant. Valde vero confirmat hanc explicationem ſyſtema Siamenſe, quod LOVBERIVS [k] ex arcanis Talapoinorum ſiue theologorum libris exhibet, ſecundum quod figura mundi eſt aliquod aeternum, licet ipſe mundus viſibilis oriatur et pereat, viſibile enim, ſtatuunt, mori debere, et oriri alia entia, aliud coelum, aliam terram, ex iſta figura mundi efformatam. Quae rectiſſime annotarunt, laudatiſſimi viri, ſimillima eſſe ſyſtemati Cabbaliſtico, et emanationem mundorum, ſubſtantiarumque omnium, ex cauſſa aliqua prima exiſtente, earumque reditum in illam inuoluere. Haec enim Siamenſes ex diſciplina Sommonacodomi ſui, ſiue Xekiae habuiſſe, omnino veriſimile eſt. Patebit quoque ex ſyſtemate populorum Malabaricorum, emanationem hanc caput eſſe atque cardinem totius theologiae Indicae, quae cis Gangem obtinet. Vnde ſi haec omnia colligantur, et imprimis ille Quietiſmus Xekianus et contemplatio intuitiua conſideretur, veriſimillimum fit, Xekiam impoſtorem reuera deiſmum magis nefandi enthuſiaſmi parentem, quam Spinoziſmum diſcipulis eſotericis tradidiſſe, mirandumque haud eſſe, quod qui diſciplinae Foënae in India, China, Iaponia adhaerent, idololatriae tamen craſſiſſimae patrocinium ſuſcipiant. Vtrum vero ſtricto ſenſu athei dicendi ſint, hoc loco diſquirere opus non eſſe putamus. Facient id, qui atheiſmi hiſtoriam ex inſtituto ſcribere aggredientur.

Diſcipuli Xekiae.

§. X. Propagauiſſe hanc diſciplinam Xekianam multos diſcipulos, et per omnes Indiae partes quin in ipſa quoque Tartaria, diſſeminauiſſe, ex antecedentibus, niſi fallimur, eſt manifeſtiſſimum, nec adeo mirum in tanta populorum iſtorum ignorantia potuiſſe impoſtorem callidiſſimum eiusque aſſeclas, tot ampliſſima regna nefaria doctrina inficere. Fuere tamen inter eius ſectatores nonnulli, qui alteri parentes et conditores huius impietatis fuiſſe cenſendi ſunt. Inter quos maxime eminuiſſe dicitur Mao-Kiaye quidam, quem ipſam Xekiam ſucceſſorem ſibi delegiſſe, iuſſiſſeque vt ſcriptis ſuis philoſophicis inſcribat: ſic accepi [l], ſcriptores Indici referunt. Impoſtura autem Xekiam ſi non vicit, certe aequauit alter ſectae Foënae princeps, qui peculiarem eius ramum conſtituit, et hodie quoque inter idola Indica religioſe colitur, TAMO dictus; Is enim deteſtabilem ſectam inter Sinas maxime confirmauit, ſucceſſor Foë CLXXX. declaratus. Mira ſunt, quae de eo narrantur, et imprimis, quod enthuſiaſmum ſectae Foënae mire illuſtrat, annos nouem integros veteratorem immotum parietem albiſſimam fuiſſe intuitum, vt naturam vacui contemplaretur. Ex quo luculenter patet, turpiter lapſos eſſe miſſionariorum nonnullos, qui hunc Tamo apoſtolum Indiae D. Thomam ſignificare ſibi pariter et Sinenſibus perſuaſerunt, reprehenſi ideo a MINORELLI [m] et LACROZE.

i) l. c. k) Deſcript. de Siam T. I. p. 361.

l) Recordandum hoc loco, non Pythagoram modo, ſed Aegyptios etiam hoc αὐτὸς ἔφα iunxiſſe, et quaecunque docebant, ad Hermetem auctorem retuliſſe.

m) In Obſeruationibus in Iouuenci Errores de rebus Sinicis p. 145.

ze [n]. Quo tempore autem religio haec ad Sinas et Iaponenſes tranſierit, quosque ibi doctores habuerit, infra in harum gentium hiſtoria notabimus.

§. XI. Et haec quidem potiora ſunt, quae ex innumerarum fabularum et traditionum aceruo de famoſiſſimo hoc impoſtore ſeligere licuit. Quibus iudicium interponere, et veriſimiles huius legislatoris origines detegere eo magis difficile eſt, quo magis narrationes Indorum miris fabulis et methodo allegorica corruptae, et ita inter ſe diuerſae ſunt, vt eas conciliare ſit impoſſibile. Cuncta itaque ad coniecturas redeunt, non tamen ab omni veriſimilitudine remotas. Probabiliſſimum autem nobis videtur, Xekiam non in India natum, ſed peregrinum fuiſſe. In ea nos ſuſpicione maximopere confirmat, non tantum doctrinae, quam tradidit, peregrinitas, ſed et ipſa Indorum de patria eius incertitudo. Obſeruatum enim viris doctis, qui de rebus Indorum, Sinarum, Iaponenſium, Tartarorum ſcripſerunt, aliam religionem apud hos populos obtinuiſſe, vt ex Lovberio, Covpleto, Kaempfero demonſtrari poteſt. Patebit quoque ex dicendis, aliam regionem, quam Indiam, et exotericam doctrinam Xekiae et eſotericas nugas prodere. Ipſae vero gentes Indicae in ſua regione natum eſſe, non affirmant, nec vlla gens eſt, quae ſibi hunc honorem tribuat, plerique Ceylanum, Ceylanenſes, Siamenſe regnum eius patriam eſſe affirmant, certo indicio, patriam eius ignotam ipſis fuiſſe. Nec obſcure id produnt Brahmanae, qui eum ἀπάτορα et ἀμήτορα fuiſſe tradunt, ſignificantes, nihil ſibi de eius originibus innotuiſſe. Neque obſtat, quod Crozaevs [o] monet, conſentire in eo omnes Indos, quod in India ex rege quodam natus ſit. Recte enim obſeruatum Kaempfero, gentibus ad orientem Aſiae ſitis Indiam omnem terram auſtralem ſignificare. Nihil itaque aliud haec traditio innuit, quam Xekiam ex auſtrali quadam mundi parte progreſſum ad orientalis Aſiae regiones acceſſiſſe. Neque tamen contemnenda videtur eſſe, traditio, quae vel in Ceylano inſula, vel in Siamenſi terra eum primum comparuiſſe ſtatuit. Inde enim, niſi fallimur, recte colligi poteſt, ad has oras primum hunc impoſtorem appuliſſe, et diuinam originem mentiendo fidem ſibi apparentis inter homines diuinitatis conciliaſſe, adeoque non ex interiori India fuiſſe progreſſum. Ex qua vero auſtrali mundi parte veterator ad Indos venerit, difficillima quidem quaeſtio eſt, aſt non tamen ſolui plane neſcia. Circumſtantiis enim omnibus rite ponderatis non ſine magna veriſimilitudine afferere licet, eum hominem forte Libycum, ſed Aegyptiorum philoſophia atque myſteriis innutritum fuiſſe, qui cum patria bellorum tumultibus et inuaſione pelleretur, ad Indos, (ad quos Aegyptios ſolitos fuiſſe nauigatione diuertere, rerum veterum peritos non latet,) cum ſociis ſeceſſerit, ſeque aliquem Mercurium ſiue Hermetem, nouumque legislatorem vendiderit, et non modo religionem Aegypti, vulgarem et doctrinam hieroglyphicam, ſed ſacram quoque et arcanam tradide-

Xekia ex Aegypto in Indiam transuectus.

n) loc. cit. p. 652. o) l. c. Covplet. l. c.

diderit *. Suboluit id dudum viris nonnullis doctis, nemo autem, quantum scimus, rationes huius coniecturae verisimiles reddidit, donec eruditissimus KAEMPFERVS p collatis rerum Aegyptiacarum et Indicarum circumstantiis, rem si non prorsus conficeret, magno tamen probabilitatis pondere instrueret, licet antiquitate, quae Buddae tribuitur a Siamensibus, Peguanis et Indis aliis, persuasus hunc a Xekia distinguere malit. Obseruat doctissimus medicus, 1. religionem harum gentium, quam ab isto legislatore Indi acceperunt, in plurimis conuenire cum religione veteris Aegypti. Vtramque gentem enim Deos depingere sub imaginibus vel animalium, vel hominum inusitata forma monstrosorum. 2. Duo praecipua capita religionis Aegyptiacae fuisse transmigrationem animarum, et cultum Serapidis, bouis vel vaccae symbolo adornatum, istam veneratione vaccarum autem et metempsychosin duo esse cardinalia dogmata gentium harum Asiaticarum, maxime earum, quae in occidentali Gangis litore habitant. Neminem enim audere interficere insecta etiam minima et maxime noxia q, veritum, ne ab anima hominis animentur, vaccas autem honore prorsus diuino coli, et vsque ad insaniam et turpitudinem venerationem illis tribui: maxime vaccae imaginem in templis conspici. Et memorabile esse, monet, quo propiores barbarae hae gentes Aegypto sint, eo superstitiosius eas his duobus dogmatibus inhaerere, laxius de iis statuere remotiores. 3. Inueniri inter Asiae orientalis populos pleraque Aegyptiorum numina, et Deos quoque minores, licet variis nominibus et fabulis velatos. 4. Maxime temporum rationes considerare iubet Kaempferus, vt haec coniecturae verisimilitudo tota appareat. Nempe annis DXXXVI ante N. C. Cambysen Persarum regem Aegyptum inuadentem, Palladium Aegyptiaeum, Apin interfeciisse, et sacerdotes Aegyptiacos regno eieciisse. Quod si cum his comparetur epocha ecclesiastica Siamensium, quam a morte magni sancti numerant, liquido constare, quod in eadem Cambysis tempora illa incidat. Ex quo verisimilem coniecturam enasci contendit, sacerdotem eo tempore quendam Memphiticum, Buddam cognominatum, vel Xekiam, cum sociis suis ad Indos aufugisse, et dogmata Aegyptiaca, inter eos disseminauisse. 5. Ipsum quoque

* Dubia contra hanc hypothesin aliqua mouimus olim celeberrimo CROZAEO in Epist. ad eum data, et nuper in Thesauro epistolico Lacroziano edito, p. 70. seqq. quae tamen nobis, non quidem a Crozaeo, sed ipsa rei consideratione, exempta postea sunt. Certi enim scimus, colonias Aegyptiorum aliquoties ad Indos peruenisse, id quod recte quoque obseruatum cel. THEOD. HASAEO l. c. p. 140. nec nos mouet traditio Philostrati, Indorum Gymnosophistas sapientiam Libyae philosophis tradidisse; suo enim loco obseruatum, nugatorem totam fabulae narrationem suo scopo attemperauisse. Indica porro non tantum cum Pythagoreis concordant, qualia in Aegypto inualuerunt, verum etiam cum Aegyptiacis antiquioribus, vt ex comparatione theologiae Aegyptiacae vetustioris cum Indica sole meridiano clarius liquet. Indorum philosophi autem licet ante Alexandrum M. fuerint, non tamen hoc obstat, quo minus placita Indica ante Alexandri M. aetatem peruenire ex Aegypto in Orientem potuerint. Denique systema Aegyptiacum non semper dualisticum fuit, quod tantum circa inuasionem Persarum apud quosdam inualuisse videtur, sed emanatiuum, et ita quidem temperatum, vt Stoico simile fuerit, vel etiam Zoroastriano, vt suo loco dictum. Ex quibus, si candide fatendum, dubia nostra, eo tantum fine ad Crozaeum perscripta, vt soluerentur, non vero, vt ederentur, prorsus concidunt.

p) Tom. I. p. 58. seqq.

q) Idem feciisse Aegyptios, ex IVVENALE Satyr. XV. notum. Conf. Tom. I. p. 282. seq. dicta.

quoque huius ſancti idolum imaginemue eam coniecturam probare monet. Exhibet ea vultum aethiopis, capillis criſpis; hunc autem minime Indorum vultum et capillos eſſe, ſed incolarum Africae. Hactenus Kaempferus, cuius rationes nobis tales videntur, vt aliorum ſuſpiciones magna probabilitate vincant. Sed addi haud pauca poſſunt, quae eas augent et in maiori luce collocant. Namque 6. ipſum Buddae nomen haud parum hanc opinionem confirmat. Illud enim cum Mercurii nomine conuenire, vel ſolum diei Mercurii nomen euincit, quod in omnibus Indorum linguis a Budda appellatur. Lingua enim Brahmanarum ſacra vocatur Buttauaram, Ceylanica, Bouda-Dina, Siamenſi Van-Pout, Malabarica Bouden Kirumei r. Veriſimile itaque eſt, impoſtorem illum Hermetis ſecundi perſonam imitatum eandem legislatoris gloriam affectaſſe, quam Hermes Aegyptiorum, et finxiſſe ideo, ſe eam diuinitatem eſſe, quae ſaepius iam inter homines apparuerit. Hoc enim ſi teneamus, facile omnes fabulae Indicae de antiquitate Buddae conciliari cum aetate huius philoſophi poſſunt, eae enim ad priores apparitiones referendae ſunt: nec opus eſt cum Kaempfero inter Buddam et Xekiam diſtinguere. 7. Ipſum porro inſtitutum ſacerdotum Indicorum Brahmanarumque ſatis amice cum collegiis Aegyptiacorum ſacerdotum conſpirat, vt ex dicendis conſtabit. 8. Sed et ſingularis iſta atque eremitica viuendi ratio Foënae ſectae, et Talopoinorum, praeſertim inter Siamenſes, et Peguanos mores a KAEMPFERO deſcripti adeo cum vita coenobitica Aegyptiorum philoſophorum conſpirant, vt vel ſola haec ſimilitudo perſuadere nobis queat, ex vno fonte vtramque profluxiſſe. Nam praeter vitam auſteram et cruciatibus, paupertate, et continentia conſpicuam ordo diſcipulorum, anni, nouitiatus, examen feuerum, coenobia eorumque praefecti, pontifices, aliaequae circumſtantiae mire cum coenobitica Aegyptiorum philoſophorum vita concordant. 9. Addi his debet methodus duplex exoterica et eſoterica, illaque hieroglyphicae methodo ſimillima, quam Xekia adhibuit. Qui ſi ex India prognatus fuiſſet, aliam philoſophandi viam Chaldaiſmo (cuius veſtigia hodienum in illis locis ſupereſſe docet KAEMPFERVS s,) ſimiliorem iniiſſet, et non figuris hieroglyphicis, ſed cultu aſtrorum, idololatriam propagaſſet. 10. Non vero ſola exoterica Xekiae doctrina eiusque tradendi modus cum Aegyptiacis conuenit, ſed interior et arcana quoque diſciplina, ſi rem ipſam ſpectes, cum arcana Aegyptiorum theologia ita concordat, vt facile appareat, hanc illam genuiſſe. Statuit nempe impoſtor Indiae, rerum omnium principium eſſe chaos nullo attributo modificatum, limpidum, tranquillum, perfectum, ex hoc omnia fluxiſſe, in eo conſiſtere quoad ſubſtantiam omnia, in id cuncta reuerti, huius cognitione intuitiua et enthuſiaſmo quodam felicitatem ſummam niti: Aegyptio-

r) LA CROZE, l. c. s) T. I. p. 58. T. II. p. 66.

Aegyptiorum theologia autem, qualis paulo ante irruptiones Persarum rationibus philosophicis emendata fuit, praecepit: Principium rerum omnium esse Isidem, ex qua sint omnia et per quam sint omnia, eamque esse, vt habet inscriptio Saidis, omne, quod existit, est, et erit, hancque naturam rerum esse, formis nondum vestitam; in hac cognoscenda colendaque arcanae sapientiae sublimitatem versari etc. vt *Tomo primo* [t] demonstratum, et ex luculento APVLEII [u] loco constare potest. Tot igitur rationibus in vnum collectis satis ponderis habere videtur opinio ista, quae Xekiam illum, velut alterum Hermetem, ex Aegypto progressum, nouam legem et philosophiam, instituta Aegyptiorum imitando Indis tradidisse statuit.

* *

CAPVT SECVNDVM,

DE PHILOSOPHIA GENTIS MALABARICAE.

§. I.

Scriptores de Malabaricis rebus consulendi.

Tenuia sunt et haud ita multa, quae de Indiae populis eorumque doctrina, religioneque, vestigiisque alicuius philosophiae in itinerariis recentiorum scriptorum leguntur: ignoscet itaque nobis Lector harum rerum curiosus, quod plura, quam quae diximus, non attulerimus. Quamuis enim in describendo cultu harum gentium diuino diligentes nonnulli fuerint, aut attentione tamen et accuratione, aut rerum ad hoc argumentum cognitu necessariarum intelligentia caruerunt. Vt vero certiora et ampliora de nonnullis huius mundi partis incolis sciamus, effecere nauigationes exercendae mercaturae gratia ab Europaeis nationibus ad litora sinus Gangetici, praecipue ad oras Coromandelicas et Malabaricas susceptae. Hae enim laudatissimi instituti occasionem praebuerunt, euangelium IESV CHRISTI his populis praedicandi, et viros doctos atque literarum sacrarum pariter atque secularium probe gnaros eam ob caussam illuc mittendi. Qui vt arduum et difficile negotium rite perficerent, linguarum quae in istis regionibus obtinent, vsum edocti, de religione, theologia reliquisque dogmatibus horum populorum dispicere coeperunt, vt quae praeiudicia, qui errores refutandi essent, intelligerent. Quem in finem cum sacerdotibus Indorum istorum, quos Braminas vel Bramanas vocant, congressi, partim ex ore illorum, partim ex scriptis tantum religionis opinionumque Malabaricarum notitiam consecuti sunt, quantam de aliarum regionum incolis non habemus. Inter hos

t) pag. 289. seqq. u) Metamorph. L. vlt. c. vlt.

hos vero, praeter Vincentium Mariam de S. Catharina de Sienis, quem ſua ex archiepiſcopi Cranganorae Franciſci Garziae relatione deſcripſiſſe notat Cel. CROSAEVS [a], praecipue eminet ABRAHAM. ROGERVS, qui inter Batauos in littoribus Coromandelicis Paliacattae per decennium eccleſiaſtae munere functus eſt. Is licet linguam huius gentis vernaculam non calleret, a Bramina tamen quodam, Padmanaba cognomine, cui facilem reddiderat praefectum rerum Batauicarum in iſtis oris, quique Luſitanicum idioma erat edoctus, tum ab alio, Damerſa appellato, myſteria harum gentium non modo oretenus percepit, ſed et dictata calamo excepit. Redux vero ex India anno cIↃ IↃ c XLVII, quae cognouerat Belgico idiomate conſignauit, fato autem praeuentus edere non potuit. Quas ſchedas relictas ICtus quidam eruditus obſeruationibus auctas, Belgice cIↃ IↃ c XLIX vulgauit, traductas poſtea in linguam Gallicam et Germanicam, quam verſionem inſignibus acceſſionibus ad hiſtoriam religionum exoticarum ſpectantibus auxit CHRISTOPHORVS ARNALDVS [b]. Fidem autem et ἀκριβειαν valde in eo libro probauit Rogerus, merito ideo a CROZAEO [c] laudatus, dolendumque hoc vnum eſt, ipſa Malabarici populi ſcripta ſacra eum inſpicere haud potuiſſe. Similem laborem quoque ſuſcepit, alius ex Batauorum eccleſiaſtis in iſtis oris, BALDEVS. Is enim in Ceylano inſula de idololatria Indorum nonnulla conſcripſit, qui licet nonnulla ſatis acute viderit, multoties tamen memoriis ſacerdotum a Luſitanis emiſſorum, quas conſuluit, deceptus eſt [d]. Nemo autem vel accuratius in hoc ſtadio abſoluendo vel diligentius occupatus fuit, quam viri eccleſiaſtici, a potentiſſimo Danorum rege, euangelii annunciandi cauſſa in has oras miſſi: quorum ducem B. ZIEGENBALGIVM fuiſſe, nemo ignorat. Hi enim in *Relationibus de miſſione ſua*, quas hactenus magno eccleſiaſticae hiſtoriae commodo in Europam miſerunt, haud pauca ad hoc argumentum ſpectantia, et partim a theologis Indorum hauſta, partim ex ſcriptis illorum excerpta tradiderunt. Maxime vero Ziegenbalgius, Malabaricam linguam mature edoctus, conſultis Bramanis, et libris Indorum ſacris, de Malabaricae gentis religione et placitis multa collegit, digeſſitque, et tenebris his ampliſſimam lucem accendit. Quas beati theologi chartas adhuc mſc. deliteſcere, valde dolemus. Hiſce enim narrationibus omnium maxime fidem dandam eſſe, recte ex eo concluſerunt CROZAEVS [e], et auctores *Hiſtoriae vniuerſalis* Britanni, quod ipſa Indorum ſcripta inſpicere et legere, viris his doctis licuit. Plurimum autem debent hae literae illuſtris doctrinae viro, quem toties in partes vocauimus, τῷ πάνυ CROSAEO [f], quod memoriis Ziegenbalgianis mſc. vſus, earum compendium dederit, quaeque de horum populorum Indicorum religione, theologia, et doctrinae ſacrae capitibus reliquis

a) Hiſt. Chriſtian. Indic. L. VI. p. m. 577.
b) *Offene Thür zu dem verborgenen Heydenthum*; Norimb. 1663. 8.
c) l. c. p. 576.
d) Idem l. c. p. 577.
e) loc. cit.
f) p. m. 150.

notatu digna sunt, in eruditissima tractatione *de Statu ecclesiarum Indicarum Christiano* exposuerit. Ad hos fontes nos quoque recurremus, ita tamen, vt legum fidei historiae memores, nihil admittamus, quod non verisimilitudo commendet.

Theologi et philosophi Malabaricae gentis Bramanae s. Brammae.

§. II. Religionem, et quam illa complectitur philosophiam diuiniorem gentium Malabaricarum cognituris scire necessarium est, a quibus illa tradatur, quiue theologi illi atque philosophi sint, ex quorum praeceptis gentes illae amplissimae, quae per Mogulicum imperium, siue Indostanum, Bengalam, Ceylanum aliosque terrarum tractus extenduntur [g], dogmata ad diuinum cultum pertinentia hauriunt. Distinguuntur autem populi Malabarici tribubus, atque familiis certis, quas *Castes*, vocant, quibus in tot sectas diuiduntur, quot tribus extant, quasque non modo inter se miscri nefas est, sed quae haud raro quoque Vatiniano reliquas odio persequuntur [h]. Sunt autem tribus generales quatuor, in XCVIII familias iterum distinctae; inter quas loco et dignitate eminet Braminarum vel Bramanarum familia [i]. Quorum nomen, iam antiquis Brachmanum appellatione celeberrimum, vt *Tomo primo* [k] dictum, valde inter has gentes venerabile est, vnde eorum historia virorum quorundam doctorum attentionem meruit. Habent autem nomen a Deo Brama, Birama vel Biruma, ex cuius stirpe se satos esse iactant. Vnde, si ministrorum emissariorum fide standum est, qui linguam Malabaricam didicerunt, non Braminae, vel Bramanae, sed Biramanae dicendi essent. Prior tamen appellatio in vulgus percrebuit, vsuque obtinuit. Facit hic, quem sibi vindicant Bramanae, ortus diuinus, vt non tantum sanctiores esse aliis hominibus credantur, sed Bramanae quoque tantummodo nascantur, non vero doctrina, exercitatione vel electione fiant. Sunt autem hi homines non modo sacerdotes et theologi Malabaricorum populorum, sed doctores quoque, et philosophi [l]. Hoc enim illis nomen tribuere nulli dubitamus, cum ipsi tales se describant, quales esse philosophos exercitatione vsuque oportet. Nam disciplinae caussa, philosophiam, theologiam, artem salutarem, astrologiam eos discere atque docere, ex epistola Bramanae cuiusdam ad praecones euangelii Danos est manifestum [m]. Nec adeo stupidum Indis his ingenium obtigisse censendum est, vt non veram eos philosophi notionem attigisse, credi possit [n]. Id quod ex memorabili responsione Indi cuiusdam ad quaestionem, quis vir sapiens siue philosophus habendus sit, constat [o]. Ille enim a doctoribus suis ita eru-

„ditus

g) La Croze l. c. p. 579.

h) Roger. l. c. p. 3. Verf. Germ. La Croze l. c. p. 615. Relat. Missionis Indicae Cont. XVIII. prooem.

i) Citati.

k) Vid. citat. T. I. p. 192. seq.

l) Burnet. Archaeol. phil. p. 541. Bayle Art. Brachmanes T. I. Dict. p. 643. Fabricius Diss. de Brachmanibus Syllog. opusc. p. 333. Ex his emendanda, quae satis confuse et inaccurate afferuntur in Hist. crit. phil. Galli anonymi T. I. p. 100. seqq.

m) Relat. Miss. Ind. P. I. p. 353. P. II. p. 1019. vbi quoque obseruatur, vulgare eorum nomen esse Pâppar.

n) Roger. l. c. p. 67.

o) l. c. p. 392. seqq.

„ditus respondit [p]. „Hos esse characteres viri sapientis: abnegare eum „omnes cupiditates huius vitae, nec vllius, quae in mundo est, rei cu„pidine tangi, sed ea omnia fastidire, quibus alii gaudeant. Edere eum „si fames vrgeat, quae suppetunt, nec ciborum delectum instituere. „Omnem autem cogitationum atque meditationum metam esse dominum, „de eo solo eum cogitare atque loqui audere. Ita fieri, vt omnis eius „vitae actio, oratio, meditatio, sapientia, intelligentia, studio constet. „Et hoc quidem pacto abnegatis cunctis, meditationis studiique sui ob„iectum Dominum eligere, viri sapientis charactere dignum esse." Quae si cum illis comparentur, quae suo loco de Brachmanum veterum disciplina diximus, apparebit, hodie nondum verae sapientiae signa inter has gentes barbariem obliteraſſe. Distinguuntur autem Bramanae siue Braminae et vestitu et vita ab aliis hominibus. Gestant enim funiculum Dsandhem, dictum, qui collo humeroque sinistro, tumque dexterae corporis parti vsque ad lumbos circumducitur, et peculiaribus ceremoniis infantibus eorum solet appendi [q]. Vitam autem Bramanae ita depingunt Indi ipsi [r]: Surgit ille mane horis ante ortum solis duobus, purgatus atque lotus in stagno sacro ad orationem conuertitur, totus postea legis ceremoniis, quae animae purgationem promouent, intentus. Sacro quoque cinere se tingit, et sacra monumenta appendit. Hoc vero pacto ornatus et instructus, legis diuinae munia [s] obit. Cauet autem in turba ambulando, ne vel attingatur a quopiam, vel aliquid impurum calcando polluatur. Nec carne viuit, nec creatura vlla ἐμψύχῳ, (cuius rationem sollicite quidem abscondunt, ex dictis autem facile coniici potest ineptum metempsychosis dogma in causſa esse [t]) sed cibis puris vescitur, potuque puro sitim pellit: abstinet a peccato quouis, et diei dimidium sacris terit occupationibus, altera diei parte hominum societati et victui quaerendo inseruit, ita tamen, vt ab opificiis abstineat, vel regiis stipendiis vel populi beneficiis alendus. Munus autem Bramanarum in eo potissimum occupatur, vt populum religionem doceant, sacris vacent, et emendationi morum inter reliquos homines inuigilent. Subolebit nobis non monentibus Lectori rerum veterum haud ignaro; valde haec esse similia institutis Aegyptiorum, et praecipue Therapeutarum a nobis *Tomo secundo* [u] delineatis. Nam ROGERO quoque teste, Therapeutarum in modum ante ortum solis surgunt, adorant versus solem orientem, lauantur ante preces, canunt carmen in ortum solis, vestiuntur amictu puro, honorant precibus solem, abstinent a carne, victitant herbis sacris, differunt

p) Ibid. p. 389. seq.

q) Exhibuit imaginem Bramanae funiculo hoc ornati ARNOLDVS in Frontispicio libri laudati, conf. ROGER p. 72. LA CROZE p. 581.

r) In Relat. Missionis Indicae P. I. p. 787. quae ex ore Indi cuiusdam hausta sunt: conf. p. 382. ROGER. p. 149. LA CROZE p. 582. seq.

s) Qualia sint, ex Relat. Miss. Vol. I. p. 382. seqq. constabit.

t) Conf. ROGER p. 169. Relat. Mission. P. I. p. 351. Totam Indiam haec opinio peruasit, maxime vero meridionalem partem. Orientales Indi enim animalia occidere, praesertim insecta non verentur, forte, quod ea animam humanam ingredi non omnes putent.

u) p. 149.

de rebus sacris inter prandendum, aquam tantum potant, saepe ieiunant, ebrietatem vitant, diem precibus et cantu finiunt, nouilunia ieiunio celebrant. Quae institutorum, ceremoniarumque similitudo prona nos via ad eam suspicionem ducit, esse inter instituta Aegyptiorum et Indorum caussam quandam certam et definitam istius concordiae morum rituumque. Ast si ea recordemur, quae supra de Xekia, eiusque in Indiam ex Aegypto aduentu diximus, et recolamus memoria, quod eleganter quoque confecit CROSAEVS [t], magnam inter dogmata et religionem vtriusque gentis intercedere affinitatem, et eodem cuncta emanationis fundamento niti [u], addamus quoque, quod missionariis Danis obseruatum, linguam Malabaricae gentis eruditam, quae Kirendum dicitur, Graecis verbis scatere; valde, nisi fallimur, augetur verisimilitudo hypotheseos illius, quam supra attulimus, hanc Indorum disciplinam ex Aegypto in Asiam translatam Aegyptios homines, (Graecae forte literaturae iam tum gnaros) auctores primos habuisse. Nec veteribus ea res ignota fuit, quos vidisse affinitatem dogmatum rituumque Aegyptiacorum cum Indicis, ex PHILOSTRATO * discere licet, ex cuius testimonio intelligitur, persuasum fuisse veteribus Aegyptios sua ab Indis accepisse. Id quod falsum esse et ineptum, tota clamat historia vetus, et inuertendum esse atque statuendum suadet, colonias Aegyptiorum vel saltem sacerdotes et philosophos nonnullos in Indiam excurrisse.

Munus sacrum Bramanarum.

§. III. Intelligitur ex dictis, Bramanarum gentem et doctorum et sacerdotum munere fungi, adeoque duplici nomine considerari posse. Habent autem religionis atque dogmatum sacrorum regulam librum sacrosanctum, Vedam dictum, quem tamen nemini, qui Sudraes, id est, laicus habetur, attingere licet. Et hoc quidem pacto familia impostorum horum callidissima auctoritatem atque imperium in religionem et conscientiam sibi soli vindicat, cum a suo arbitrio non explicatio tantum, sed ipsa quoque manifestatio dogmatum sacrorum ex oraculis sacris pendeat [w]. Nec aliam rationem esse putamus, cur in epistola missionariorum ad B. Th. Sig. Bayerum quaerenti, an certa fidei norma inter Indos descripta extet? magis negatiue quam affirmatiue, caussando insignem diuersitatem opinionum de summis religionis capitibus, responsum sit. Extare enim istum Vedam, librumue Indorum sacrum non solum ex Rogeri testimonio constat, qui ex Bramanae sui relatione tradit [x], agi in eo de materia prima, angelis, animabus, poenis praemiisque malorum atque bonorum, itemque de creatione rerum, generatione creaturarum et corruptione, de peccato eiusque remissione, de summis imperantibus, de moribus et virtute; de ceremoniis templi et sacrificiis etc. Sed spem quoque fecere Iesuitae, quibus huius libri copia tandem facta est, eum in

t) p. 554.
u) Conf. Relat. Mission. P. II. p. 708.
*) Vita Apollonii L. VI, c. 6.
w) Relat. Mission. P. I. p. 553.
x) pag. 56.

in Europam mittendi, vt vulgari possit [y]. Quod eo ardentius optamus, quo certiores sumus, originibus religionum et philosophiae magnam inde lucem accensum iri. Sacrificiorum cura autem tota a Bramanarum munere pendet, qui pro populo sacrificant. Ideo populus quoque ad alendos hos sacerdotes symbolam suam conferre tenetur; licet regum liberalitate certi quoque fundi designati institutique et priuilegiis muniti sint, ex quorum prouentibus alimenta capere possint [z]. Duae autem inter gentes Malabaricas religionis sectae obtinent, valde inter se diuersae, quarum illa Tchiua Sameiam, haec Visina Sameiam dicitur, a duobus idolis, de quibus CROZAEVS * videndus. Vtraque in minores sectas familiasque diuiditur, quarum quaelibet secundum professionem vitae in certas classes distincta, proprios Bramanas, siue doctores sacerdotesque ex Bramanis habet. Qui quoque soli disciplinis litantes cum Pantaris siue Antiguelis [a], literatam in his Indiae partibus ciuitatem constituunt. Dantur tamen inter eas duae quoque classes aliae, quae non inepte inter philosophos referri possunt, nempe Iogigueuli, siue theoretici, et Gnanigueuli, siue sapientes, quae classes valde inter se differunt. Illi, vt a missionis ministris traditur, nec πολυθεότητι nec apparatui ceremoniarum rituumque multum tribuunt: sed toti vitae theoreticae inuigilantes solitudinem et meditationem colunt, et in poenitentium ordine recte collocantur. Relictis enim vxoribus liberisque, multis molestiis et cruciatibus corpus affligunt, et imprimis spiritum continendo ecstasin affectant, altissima meditatione sopiti. Qualem Quietismum, vt sectam Foënam taceamus, supra iam tactam, ad fouendum augendumque enthusiasmum Bramanas Sinenses velut dogma quoddam sacrum fouere, CAROLVS GOBIENVS [b] quoque obseruauit. Ex cuius relatione eos ita statuere constat: „Mundum non nisi illusionem, somnium atque praestigias „esse, nec aliter sibi constare corpora posse, nisi quoties cum nihilo con„fundantur, quod propter simplicitatem suam omnibus rebus perfectio„nem largiatur. Tradit quoque, eos tam vehementer indolentiam et „ἀπαθείαν commendare, tantoque furore in ἀδιαφορίᾳ sanctitatem po„nere, vt statuae instar quis tandem immotus euadat, nec vlla cupidi„tate

y) Lettres curieuses et edifiantes Rec. XXI. p. 455. seqq. Ex Cont. XLVI. Missionis Indicae innotuit, viris optimis, qui Indis euangelium annuntiant, tandem a Bramana quodam oraculorum horum Indis sacrorum factum esse copiam, non volumine quidem scriptam, sola enim traditione orali propagatur, sed orerenus tamen a Bramana maxima veneratione clausis oculis recitatam. Esse autem, referunt quadruplex Vedam, i. e. cognitionis fontem, 1. Rûgwedam, vel Ircuvedam, 2. Yaegjur vel Indsur-vedam, 3. Sçâmâ-Vedam, 4. Adhaer-Wana Vedam: quarum artibus illicitis olim constantem prorsus memoria hominum excidisse: reliquos adhuc dici. Exemplum secundi referunt, quem Bramana recitauit, quatuor capitibus constantem, agentemque de argumento vario, de sacrificio ignis, de gloria solis et Deorum, de nominibus variis, additur appendix, de formulis nonnullis et bonis operibus etc. Sectionibus 84. constat, quarum tituli l. c. indicantur.

z) ROGER. c. V. p. 52. c. VI. p. 63. seq.

*) p. 582. qui luculentus hoc loco est.

a) Videndae de his hominibus Relat. Miss. Indic. P. I. p. 350. et CROZEVS p. 584.

b) Hist. de l'edit de l'Emp. de la Chine, Praef. conf. BAYLE art. Brachmanes not. k. et art. Sommonacodom. Quietismus enim iste per totum Asiae orientem extenditur.

„tate tangatur moueaturque. Hincque postulare a sapiente, vt cupiat nihil, „cogitet nihil, sentiat nihil, omnemque sanctitatis quoque et virtutis „ideam ita ex animo proscribat, vt nihil restet in eo, praeter perfectissi„mam illam quietem sacrumque silentium. Huncque profundum animi „somnum, hanc potentiarum facultatumue quietem, hanc perpetuam „sensuum suspensionem summam hominis felicitatem efficere, talemque „non migrationi, non vicissitudini, non futurorum vel spei vel metui „subiectum porro esse, quae omnia illi euanescant, et nihil sint, ipse „vero sapiens, perfectus, felix, et verbo, Deus ipse Foë non minor „euadat.“ Quae luculenta explicatio Quietismi Indici quamuis proprie ad sectam Foënam respiciat, quam cum Bramanarum instituto confundere videtur Gobienus; apparet tamen ex ea, quid ad eum hi theoretici homines requisiuerint; dubiumque minime est, quin inter Malabaras quoque, qui Foënam tamen sectam ignorant, illud dogma inualuerit, quod Africam Asiamque fere totam occupauisse suis locis obseruauimus. Altera Guaniguelorum secta multo puriori philosophia alitur; nam nec idololatriae vacat, nec ineptis theoreticorum nugis, sed dignis summo numine cogitationibus tota in Dei et diuinarum rerum meditatione defixa est. Vtraque secta a Bramanis distinguenda, hincque inter philosophos Indicos potiori quodam iure referenda est. Ipsae tamen Bramanarum familiae sectas quoque inter se habent; quarum sex enumerat ROGERVS [c] ipse ne nimii simus, legendus. Quas non omnes philosophorum nomine dignas esse, vel ex eo intelligitur, quod Epicureismo theoretico et practico, nonnullae adhaereant. Secta enim Schaerwaecka vitam post vltima fata supereſſe aliam negat, bonarumque actionum et virtutum regulam aliam non agnoscit, praeter laudem hominum [d]. Secta autem Pasenda, teste Padanaba apud EVNDEM [e], Vedam siue legem veram non esse tradit, et nec animae immortalitatem recipit, nec aliis rebus, nisi ventri studet, nec ab incestu abhorret, omnem vero restitutionem rerum periodicam, quam inter dogmata horum populorum fundamentalia eminere in sequentibus dicemus, exsibilat. Quam ideo arcanos habere hos impios sensus, nec aperte eos errores profiteri idem refert, cum haud pauci ob istam olim impietatem trucidati sint. Ex quo constare potest, superstitionem et idololatriam non obstare, vt non in densissimis ingeniorum stupidorum tenebris atheismi pestis grassetur. Cuius exemplum esse potest liber quidam a Ziegenbalgio [f] deprehensus, cuius auctor fuit colonus aliquis, qui poësin a se ipso didicit. In eo enim infelix scriptor demonstrare voluit, non dari Deum, carereque rationes omnes, quibus existentia Dei euinci solet, fundamento solido, minime quoque dari veritates reales, vel gaudium solidum verumque aliud, quam quod huius vitae limitibus circumscribatur: stultum autem esse, his, quae ante pedes

c) c. III. p. 29. seq.
d) Ibid. p. 40.
e) p. 41.
f) LA CROCE p. 641.

des posita sunt, dimissis, rebus inutiliter inhiare, quas neque sensus percipiant, neque intellectus assequatur. Immo inter ipsos Bramanas huius furfuris homines inueniri, ex responsione impia cuiusdam, ministris Daniae sacris data apertum est [g]. Quae non valde miramur, cum crassa superstitionis turpissimae ignorantia, quae in religione huius gentis obtinet, ingeniis erectioribus occasionem haud raro suppeditare soleat, in oppositum atheismi vitium incidendi. Plerique tamen superstitioni magis, quam impietati fauent, sanctitatem singularem, continentiam, molestias corporis, poenitentiae ἀσκήσεις, secessus solitarios, et paupertatem spontaneam sectantes. Est quoque, teste ROGERO [h], genus quoddam Bramanarum, Auadontas dictum, quod Gymnosophistis veterum valde affine, nec loquitur, nec vestibus amicitur. Qualem philosophorum speciem etiam Goëgos exhibere, inter Benianos Gusurattae incolas, peregrinantium ex narratione constat. Tota enim India eiusmodi philosophicis exercitationibus et molestiis occupatur, quod a veterum institutis relictum, et confirmatum esse aduentitiorum philosophorum institutione, non est quod magnopere dubitemus.

Philosophia gentis Malabaricae qualis?

§. IV. Quid de rebus diuinis gentes Malabaricae statuant, quid de mundo eiusque partibus disputent, quid de moribus illis videatur praecipiendum, Rogerus ex Bramana quodam diligenter perquisiuit; non tamen, quae scire interest, omnia comperit. Curatius et maiori solicitate in eo stadio versati sunt, meritissimi viri Ziegenbalgius atque Grundlerus νῦν ἐν ἁγίοις, hi enim cum populorum istorum linguas didicissent, librorum sacrorum consulendorum copiam nacti diligenter in dogmata huius gentis theologica et philosophica inquisiuerunt: ex quorum collectione et tractatione [i] sua cum hauserit Crosaeus, ille potissimum hoc loco ab eis consulendus est, qui de placitis Indicis recte et ex veritate statuere cupiunt. Omnem vero eruditionis Malabaricae circulum, in theoreticam et practicam doctrinam commodo dispescere licet: quae enim de rebus naturalibus tradere solent, pauca sunt, facileque et sine ordinis neglectu ad naturalem theologiam, quae magnam partem encyclopaediae Malabaricae constituit, trahi possunt. Et medicinam quidem atque matheſin quoque attingunt, at valde tenuiter, et eum in modum, vt longissime a philosophica methodo absint. Artem enim salutarem non ex consideratione naturae corporisque humani, et morborum, tractant, sed more Aegyptiaco, certis medicamentorum formulis, in syllogas coniectis vsi medicinam faciunt. Quae vt explorata sibi esse Ministri euangelii Danici testantur [k], ita ex his explicanda sunt, quae CROSAEVS [l] habet, medi-

g) Rel. Miss. P. I. p. 711. h) p. 46. seq. k) Relat. Miss. Dan. T. III. p. 1020.
i) Extat msc. in Orphanotropheo Halensi, optandumque valde est vt edatur. l) p. 620.

medicam artem hanc gentem diligenter exercere, et propriis quidem principiis vſam morborum nomina, genera, cauſſas, remedia in libris medicis deſcribere. Haec enim caue, de medicina aliqua theoretica et philoſophica intelligas; cuncta enim ad empiricam quandam ſalutarem artem pertinent, in qua ſola eos haud infelices eſſe, cetera parum rerum medicarum peritos ipſe Croſaeus non negat: qui cum Sinenſibus eos in ea re comparat. Nec melior aſtronomiae apud eos conditio eſt. Licet enim eclipſium ſolarium et lunarium definire tempora norint, cauſſas tamen earum ineptiſſimas allegant, quas ex male intellectis allegoriis, ab Aegyptiis ſine dubio, illis cum hac aſtronomica notitia traditis, hauſerunt. Habent quidem tabulas aſtronomicas, aſt, vt viris doctis, qui in iſtis terris fuerunt, obſeruatum [m], non propria diligentia confectas, ſed a parentibus et maioribus relictas. Quas Malabaricam gentem a peregrinis, aſtronomiam Graecorum edoctis accepiſſe, ex eo non contemnenda coniectura colligitur, quia obſeruatum viris laudatis, qui curioſe in literaturam Malabaricam inquiſiuerunt, in lingua horum populorum erudita, ſiue Kirendica, non modo incrementa et decrementa lunae a Bramanis illis nominibus deſignari, quae apertiſſima Graecae et Latinae originis veſtigia oſtendant; qualia in hac lingua vocabula multa deprehendi ſupra iam diximus: ſed et ſigna Zodiaci pleraque iisdem, quibus apud poëtas et aſtronomos Aegyptiorum, Graecorum et Latinorum gaudent, appellationibus diſtingui: dies quoque eodem modo deſignari nominibus prout ab Aegyptiis factum, a quibus Graeci et Romani acceperunt. Quae ſane aliam cauſſam habere non poſſunt, quam aduentum hominum peregrinorum iſtam aſtronomiam Aegyptiacam et Graecam edoctorum, qui cum ad has oras appuliſſent, genti huic ea ſideralis ſcientiae elementa tradiderunt, quae ipſi edocti erant. Quae ſi cum iis comparentur, quae ſupra de Xekiae aduentu in India coniecimus, magnam addent iſti opinioni veriſimilitudinem, quae ex Aegypto diſciplinarum et philoſophiae ſemina ad Indos translata eſſe ſtatuit. Infantes vero eſſe philoſophos hos Indicos in aſtronomia ex eo intelligi poteſt, quod terram quidem mundi centrum eſſe dicant, et moueri planetas pariter atque fixas ſtellas circa eam aſſerant, lunam autem longius a terra diſtare quam ſolem, nugentur, rideantque Copernici hypotheſin, rati, ſi terra circa ſolem moueatur, effuſum iri oceani vndas in terram [n]. Quae ſpeciminis loco eſſe poſſunt, quam pueri in ſcientia ſiderali hi populi ſint, et quam parum obſeruationibus et attentione ad res coeleſtes valeant.

Theologia Malabarica.

§. V. Theologiae Malabaricae ſumma haec eſt:

I. Eſt

m) l. c. Lettres curieuſes et edifiantes Rec. X. p. 36. Calendarii ſpecimen exhibent Rel. Miſſ. Cont. V. T. I. p. 200.

n) Ibid. p. 1022. quo loco plura ad aſtronomiam Malabaricam pertinentia afferuntur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I. Est essentia essentiarum rerumque omnium, substantia suprema, et infinita, eaque in Vedam vocatur Barabara Vâstou, ens entium o.

II. Ens hoc supremum est inuisibile et figura caret externa, adeoque nec comprehendi, nec moueri potest.

III. Nemo ens hoc summum vidit vnquam, nec tempus vllum id potest comprehendere.

IV. Essentia eius replet omnia, et omnibus rebus largitur ortum.

V. Est in eo summa sapientiae, scientiae, sanctitatis et veritatis comprehensio. Est quoque infinite bonum, iustum et misericors.

VI. Creauit hoc ens summum res omnes, quas quoque conseruat et sustentat, amatque esse inter homines, vt ad felicitatem eos perducat.

VII. Fieri id potest, si hoc ens summum vere ametur et colatur. Excerpta hic damus verba philosophi Malabarici, hunc eleganter in modum de Deo praecipientis, quae descripserunt Ziegenbalgius est Grundlerus. Quae probe notanda sunt, vt ratio inde intelligatur, cur de Deo summo in infinita et incomprehensibili deitatis abysso latente, vt θ. XVI. docebit, nihil effari homines posse statuant, curque ad πολυθεότητα delati sint, nempe quod non nisi per emanationes ex Deo profluentes infinitum hoc Numen comprehendi posse crederent. Ex quo, nisi fallimur, luculenter apparet, eandem, quae Aegyptum atque Orientem totum peruasit, systematis emanatiui hypothesin has quoque gentes recepisse, et hac tantum claue adhibita mysteria theologiae Indicae recludi posse. Quae semel hoc loco monuisse sufficiat.

VIII. Habet hoc ens supremum nomina sibi propria et illi soli conuenientia.

IX. Non potest ens summum vllo idolo vel effigie depingi, sed eius tantum attributa allegorice delineari queunt p. Id de primo omnium emanationum diuinarum fonte intelligi debet; quae enim ex eo emanarunt deitatis flumina, idolorum simulacris ab his hominibus definiuntur. Ipsa vero thesis haec tota Orientalis est, et dudum in Aegypto quoque obtinuit, in qua diuinitatis peplum neminem mortalium remouisse, statuebatur. Et hoc quoque fundamento reliquae de ente summo assertiones nituntur, quae in eo potissimum versantur, vt infinitum inter fontem, emanationes, et emanata discrimen ponatur.

X. Summum Numen adorari haud potest, quia incomprehensibile est: ideo minorum Deorum adorationem lex, Vedam, iniunxit, quam non aliter respicit Numen, ac si ipsi esset exhibita, ideoque praemiis adorantes afficit, vt obsequio ipsi praestito sit merces iusta q.

XI. Est hoc ens summum semen sine semine, sapientia infinita, lumen spiritus, caret omni naeuo, oculum in fronte gerit; iustum est, at im-

o) LA CROZE l. c. p. 586. qui haec testimoniis Fr. Xauerii, Bernierii, Vincentii Mariae et Borcheti roborat.

p) Ib. p. 591. ex verbis Indi cuiusd. ad Ziegenbalg.

q) Ibid. p. 611. ex libro vatis Indici, Diragala Sakurum dicto.

mobile et immutabile: veſtitur autem innumeris figuris. Facile haec explicantur, ſi de emanationibus figuris idolorum quam plurimis veſtitis intelligantur.

XII. Iuſte cum omnibus ens ſummum agit, et ſe variis modis manifeſtat, difficulter autem intelligi poteſt. Hoc de fonte ſupremo, illud de emanationibus capiendum eſt, ſenſus ſyſtematis emanatiui prodit.

XIII. Nulla poteſt ſapientia creata huius entis ſupremi profunditatem comprehendere.

XIV. Creauit hoc ens ſummum omnia, eaque conſeruat, ordinat praeterita, praeſentia, futura, nulli tamen temporum periodo includitur [r].

XV. Eſt hoc ens pontifex ſanctus, qui in omnibus et vbique eſt, et aeternitatem occupat, cuius nulla res capax eſt [s].

XVI. Latet Deus in infinito et profundo oceano, quem ſi quis cognoſcere cupit, ſopiendi ſunt fluctuum ſtrepitus, et quies interna perfectaque nutrienda, vt concentratis in vnum ſenſibus Deus quaeratur. Verba haec ſunt Bramanae cuiusdam ad Ziegenbalgium ſcripta [t], quae illis quae ſupra de Quietiſmo Indico dicta ſunt, miram lucem affundunt. Aliter enim ſtatuere non poſſunt, qui Sygen et Bythen Deum eſſe, id eſt latere in immenſo diuinitatis oceano abſconditum cum Orientali, Aegyptiaca, Cabbaliſtica philoſophia ſtatuunt. Vnde enthuſiaſmum animam quoque eſſe theologiae Indicae manifeſtum eſt.

XVII. Poteſt Deus agnoſci ex lege ab ipſo lata, exque miraculis, quae in mundo facit. Sed et ratio homini indita illum detegit ex creatione et conſeruatione rerum omnium.

XVIII. Res omnes materiales condituro enti ſummo opus prius erat forma materiali ex ſe ſuſcepta, eo quod ſubſtantia mere ſpiritualis relationem et proportionem ad corpus nullam habet, nec in id agere, vel virtutem in re corporea exercere poteſt.

XIX. Fons autem atque radix rerum omnium cum exiſtat, ſemina quoque ſiue principia rerum omnium, adeoque eſſentiam, naturam, virtutem et realitatem vtriusque ſexus in ſe habet.

XX. Res vero omnes conditurus Deus ſeparauit virtutes maſculiuas a foemininis, quae hactenus abſorptae vnitaeque in eo latuerant: Et hoc pacto creationis perficiendae media inuenit. Luculenter admodum verba haec, quae ipſis Indis debentur, emanationis ſyſtema exprimunt. Perſuaſi enim ex nihilo nihil fieri, rerum omnium, etiam materialium, cauſſam, formam, et realitatem in Deo latere ſtatuere cogebantur; rati ſine ſubiecto materiali agere pon poſſe ſpiritum in corpus, hocque ipſo diu ante Mallebranchium et ſequaces hoc axioma conſtituentes. Vt vero cuncta ex hoc fonte hacque radice exſurgerent, et actiua et paſſiua principia,

r) Ibid. p. 592. ex libro Indico Schivavaikkrum.
s) Gnanigueulorum haec theſis eſt, ib. p. 593.
t) Ibid. p. 596.

pia, id est, efficientia et recipientia requiri contenderunt, quorum illa mere spiritualia essent, haec materialitatis causas et subiecta in se continerent. Ita duplici emanationum diuinarum flumine constituto, possibile demum esse putabant ostendere, qua ratione ex combinatione horum principiorum emanatiuorum res omnes, etiam quae sensibus subiacent, productae sint atque genitae. Nihil in his omnibus est, quod non apud omnes, qui systemati emanatiuo adhaeserunt, deprehendatur, quod sc. sine his duorum generum principiis constare nequit. Id enim Oromasdes et Arihmanius Zoroastris ex Mithra prodeuntes volunt, hoc Aegyptiorum Osiris et Isis, et coniugia deorum Aegyptiaca innuunt, mira similitudine in Indica theologia expressa, hoc aeones masculinae et foemininae philosophiae orientalis inculcant, hoc Cabbalistarum Seir Anpin et Malcuth dicunt, verbo in eo omnes consenserunt, quicunque emanasse ex infinito deitatis mari omnia dixerunt Aegyptiaca quoque Orientalibus admixta ita explicat Iamblichus, vt mira inter ea et Indica sit conuenientia. Quae omnia ad detegendas veras Indicae philosophiae et theologiae origines merentur expendi atque abiectis praeiudiciis recte considerari. His intellectis, quae sequuntur haud erunt obscura.

XXI. Ob dictam creationis causam ens summum se in effigie trium idolorum adumbrauit, vt posset detectum et comprehensibile factum adorari. Et hoc quidem simulacrum Lingum dicitur. Denotat autem, interprete CROSAEO [u], Lingum genitalia vtriusque sexus coëuntia, quorum imaginem in adytis templorum, quae Pagodae dicuntur, collocant, et sacro sancta habent [x], magno quoque cultu ideo prosequntur, et sacrificiis a Bramanis peculiaribus ritibus oblatis honorant. Immo amuleti instar capsulae inclusum hoc Lingum collo appendunt, et vim illi magicam tribuunt. Inepta haec diuinitatis symbola vnde Indi acceperint, haud difficulter deprehendent, qui DIODORVM SICVLVM [y] consulent, monentem genitalium cultum diuinum in orgyis et mysteriis multorum populorum deprehendi: maxime vero Aegyptios in eo prosequendo insaniuisse phallus in sacris Bacchicis multis ritibus adoratus exemplo est. Produnt haec nouo argumento, tum origines Indicorum dogmatum Aegyptiacas, tum systema emanatiuum, cuius fulcrum hoc Lingum est. Neque tamen putandum, adeo insaniuisse huius systematis inuentores et doctores quoque inter Indos, vt Deo genitalia materialia adscriberent. Hoc enim assertionibus de Deo supra allatis, quibus eum ab omni corporis figura liberum pronuntiant, e diametro est contrarium. Sed intelligendum hoc est eodem modo, quo vtriusque sexus proprietates Deo diisque ex eo prognatis a veteribus tribui, aliquoties docuimus, nempe vt in Deo non modo causas efficientes virtutesque spirituales, sed et causas subiectiuas atque materiales deprehendi et ex vtrarumque coniugio et coniuncti-

u) p. 588 ROGER. p. 249. not.
x) Relat. Miss. P. I. p. 354. 895.
y) Bibl. L. I. Conf. de Romanis AVGVSTIN. de C. D. Lib. 7. c. 21.

iunctione atque commixtione rerum omnium essentias generari producique statuatur. Vnde haec cum systemate Orientali, Aegyptiaco, Gnostico, Cabbalistico comparanda sunt, vt lux illi dogmati spe omni maior et illustrior exsurgat. Interim negari tamen non potest, allegoricam istam adumbrationem systematis emanatiui, turpissimae superstitionis et nefandae idololatriae occasionem fuisse, cum ingenia ista metaphysico acumini minus, quam imaginationis simulacris apta, systematis vmbram cum ipsa re et corpore confunderent.

XXII. Ex hoc diuino fonte duo alia Numina exorta sunt Tschiuen, qui masculini sexus, et pater Deorum omnium est, et Tschaddi, quae foemina et mater Deorum est [z]. Obtinet haec regula per totam theologiam Indicam [a], vt Deo Dea coniux societur, cuius ratio philosophica ex antecedentibus petenda est. Petiisse id Indos ab Aegyptiis recte et acute iam vidit, qui ad Rogerum annotationes adiecit. Is enim recte ad HERODOTVM [b] prouocat, et arcanos ritus Osiridis et Isidis allegat, quosque hoc pacto in India vtriusque sexus in diuinis cultum genuisse obseruat.

XXIII. Quinque capita habet Tschiuen, quorum tria sunt potiora. Inde tria numina exsurgunt Biruma, siue Birama, Isuren et Vistnou. Celeberrima est inter Indos fere omnes haec trinitas diuina, cuius explicationem, quam Missionariis Danicis dederunt Bramanae, hanc quidem esse volunt, indicari ea similitudine varios colendi numinis modos et rationes: ast fefelliſſe nugatores viros doctos ex totius systematis Malabarici nexu constat, secundum quod Deus hic τριπλάσιος (quo nomine Mithras Persis appellatus est) trium emanationum praecipuarum ex Deo incomprehensibili progressarum, symbolum est, quarum prima eundem apud Indos locum occupat, quem δύναμις apud Gnosticos, λόγος apud Alexandrinos, Adam Kadmon apud Cabbalistas, vnde innumeris praedicatis et laudibus Ischuren scatent libri Malabarici. Iucundumque erit Lectori, placita Orientalia, praecipue in Aegypto secundum Iamblichi narrationem obtinentia, cum Malabaricis comparare, ita enim recte feciſſe censebitur cel. CROSAEVS, quod totam hanc theologiam Aegyptiacae originis esse statuerit.

XXIV. In hoc quinquecipiti simulacro Numen ineffabile et incomprehensibile, vt humanae infirmitati succurreret, se manifestauit, singulis enim vultibus propria nomina et munia regendi mundi competunt [c].

XXV. Constituunt itaque haec quinque Numina systema diuinum, quatenus mundus ab eo regitur.

XXVI. Ea suo tempore retrahentur reuocabunturque in abyssum Deitatis, et in sinum Numinis supremi reforbebuntur.

XXVII. Qui vero hos dominos adorat, re ipsa summum ens, supremum Numen, adorat: illud est in omnibus omnia.

XXVIII.

z) LA CROZE p. 600.
a) ROGER. p. 237.
b) L. II. c. 48.
c) Ibid. p. 604. Relat. Miss. P. I. p. 47.

XXVIII. Præter haec prima Numina, quorum quodlibet ſuam coniugem habet, dantur adhuc CCCXXX milliones Deorum, et quadraginta millia prophetarum a Deo eum in finem conditorum.

XXIX. Quatuordecim mundi ſunt, ſeptem ſuperni et ſeptem inferni. Illi vocantur: 1) Tſchaddialogum, 2) Dewalogum, 3) Tſchenalogum, 4) Magalogum, 5) Tſchiwalogum, 6) Bywalogum, 7) Pulogum. Hi ſortiti ſunt nomina: 1) Adalalogum, 2) Widalalogum, 3) Tſchudalalogum, 4) Nidalalogum, 5) Daradalalogum, 6) Daladalalogum, 7) Padalalogum [d]. Inter hos mundos inferiores et ſuperiores, eſſe nugantur quatuordecim maria, quorum vnum repletum lacte, ſecundum melle, tertium ſaccharo etc. Obſeruatum autem miſſionis Danicae miniſtris [e], ineptum hoc ſyſtema mundorum fingendi occaſionem ſubminiſtrauiſſe traditionem de ſeptem planetis, eorumque circulis ab horizonte ſectis. Quae ſi probe ponderentur, coniectura inde enaſcitur, primos aſtronomiae inter Malabares conditores, planetarum orbes velut terras habitatas. Indis commendauiſſe: quam hypotheſin inter Pythagoreos Aegyptum incolentes non peregrinam et ignotam fuiſſe ſuo loco annotauimus.

XXX. Omnes hi mundi infinite magni latique ſunt, et a ſuis quique habitantur incolis.

XXXI. Padalalogum, infernus eſt, in quo Deus mortis, Emen, rex eſt.

XXXII. In mundo Palogum, homines habitant; ille vero figuram habet quadratam et oblongam.

XXXIII. Magalogum eſt aula Viſtnou.

XXXIV. Dantur infinitae mundorum periodi, quarum antiquiſſima et prima omnium ſeculorum Ananden dicitur, durauitque CXL annorum milliones; hanc ſecutae ſunt periodi reliquae [f].

XXXV. Durant hae periodicae ſeculorum reuolutiones per innumerabilium temporum annorumque milliones, ab vno Numine ad aliud, creatis Diis pereuntibus, et redeuntibus.

XXXVI. Poſt innumerabiles eiusmodi ſeculorum periodos redibit tempus increati Iſuren. Fabulis lepidis has periodos inuoluunt Indi, quas ex eorum ore deſcripſit CROZAEVS [g], ſecundum quas, numina omnia, quae ex increato et primo ente, Iſuren dicto, effluxerunt, in hunc Deitatis oceanum redeunt, id eſt moriuntur, et iterum noua emanatione prodiuntur. Accepiſſe hoc Indos a peregrinis conditoribus religionis ſuae, comparatio inſtituta cum reliquis ſyſtematis emanatiui ſectatoribus faciet manifeſtiſſimum. Quotquot enim illud receperunt, quod plerasque gentes barbaras feciſſe ſuo loco oſtendimus; deos quoque ex Deo primo emanantes, in eum reſorptum iri, et fatalem periodorum aeternarum catenam exiſtere profeſſi ſunt, cuius exitus tandem ſit infinitum illud, ex quo omnia fluxerunt, et refluxerunt quoque in diuinitatis mare. Fabulas autem

d) Ibid. P. I. p. 358.
e) l. c. P. II. p. 941.
f) Conf. LA CROZE p. 608. ſqq. ROGER. p. 283.
g) l. c. p. 608.

autem lepidas genuisse videtur diligentia theologorum aeternitatis notionem incomprehensibilem ingeniis stupidis et crasso sub aëre natis inculcandi, id quod attenta lectio loci scriptoris Indici, quem ex memoriis Ziegenbalgianis adduxit CROZAEVS facile coniici potest.

XXXVII. In quinto mundo est sol et luna; in sexto angeli tutelares, in septimo et octauo angeli primarii, qui nubes formauerunt.

XXXVIII. Mundus praesens omnium deterrimus est, in quo peruersa sunt omnia.

XXXIX. Ortus est mundus ex ouo, et tandem a radiis solis comburetur. Etiam in hoc asserto vestigia doctrinae Aegyptiacae apparere, instituta vtriusque comparatio docebit. Eandem hypothesin etiam inter reliquos Indos, maxime, inter Siamenses obtinere obseruatum ex Tachardi relatione BVRNETIO [h], qui recte notat, ex cineribus combusti regni noua, secundum Indos semina siue oua nascendi mundi exsurgere. Frustra autem haec a Noachi tempore Burnetus repetit, recentiorem enim esse theologiam Indicam ista annorum canitie, ex dictis constat. Attulisse autem hoc quoque dogma cum reliquis inter placita domestica Aegyptios aduenas valde est verisimile.

XL. Dantur spiritus boni et mali, qui ab hominibus generantur. Ita quidem tradebat Pamanadaba Rogero [i], sed recte de eo dogmate in annotatione paginae subiecta dubitatur. Spiritus enim secundum systema Indorum vel ex primo numine, vel ex subordinatis diis progrediuntur. Forte ea tantum Braminae mens fuit, spiritus siue animas a corpore auulsas et per varia postea corpora migrantes vel bonas esse vel malas, qua ratione similia praecepisse Alexandrinos philosophos suo loco diximus.

XLI. Animae hominum et brutorum reipsa vnius essentiae atque naturae sunt. Supra iam in doctrina Xekiae exoterica hoc assertum obtinere, idque ex systemate emanatiuo, et quam illud gignit, metempsychosis dogmate fluere obseruauimus. Ratio itaque diuersitatis ex conditione corporis, quod animae inhabitant, vel melioris, vel deterioris, deriuanda est. Ex hoc vero fonte ratio quoque abstinentiae a carne, et ab esu animalium petenda est.

XLII. Animae in corpore velut in carcere versantur, et post mortem in alia corpora migrant. Κύρια δόξα totius non modo Indiae, sed vniuersi fere Orientis, quod exotericum domesticumque in his oris dogma fuisse, ex historia philosophiae barbaricae constat. Qui cothurnus vt plerisque pedibus aptus fuit, ita praecipue emanatiuo systemati valde adaptatus est. Secundum illud enim euolutiones reditusque animarum fiunt gradatim [k].

XLIII. Animae ab aeterno ex Deo effluxerunt, in quo extiterunt, et in corpora poenae causa detruduntur. Monet, qui haec refert ROGERVS,

h) App. ad Archaeolog. philos. p. 542. seq. conf. ROGER. p. 282.
i) loc. cit.
k) Conf. Relat. Mission. P. I. p. 53. 388. 420. 487. 871 603. 765. LA CROZE p. 619. ROGER. p. 304.

RVS [l], Indos originem animarum ex Deo cum maris emanationibus et fluminibus ex eo oriundis comparare. Id quod prorsus conficit, omnia ex Indorum mente ex emanatione constare. Nec aliud patitur hoc systema, cum quodcunque reale, bonum, substantiale est, in hoc fonte lateat, exque eo progressum visibile fiat. Quo pacto turpissimum enthusiasmum atque deismum satis impium introduci nemo non videt. Non repetemus ea, quae iam aliquoties de Quietismo Indico, Sinico et Iaponico diximus, sed monebimus tantum, ineptum pariter et impium hunc enthusiasmum magnas praestantissimorum inter Indos philosophorum voces suspectas facere, et polluere, vt ex iis, quae de morali philosophia harum gentium dicemus, patebit. Vno iam exemplo, eoque memorabili rem illustrabimus. Affert ex memoriis Ziegenbalgianis sequens effatum, pulchrum in se et Deo dignum CROSAEVS [m]. Vna tantum vera essentia est, quae omnipraesens est vbique, et quae radiorum solis instar se omnibus insinuat. Tu te mihi dono dedisti, et ego me tibi; vidit id oculus meus, et comprehendit id animus. Illapsus enim mihi es, o Deus, vt fulmen e coelo. Haec si fundamentis theologiae Indicae adaptentur, patet magnificam hanc sententiam nihil aliud, nisi deismum vel enthusiasmum irrationalem, et physicam essentiae diuinae participationem inuoluere. Alia ex Barthrouheri sententiis a ROGERO editis colligi possunt, quibus hic enthusiasmus in aprico ponitur. Quae apud ipsum legenda; nobis enim non licet esse tam prolixis.

XLIV. Post mortem potest homo per transmigrationem non modo brutum, sed et creatura inanimata immo diabolus euadere [n]. Fulcit haec thesis obseruationem asserto XL. adiectam.

XLV. Felicitas animae post mortem partim in aliis mundis, partim in coelo quaerenda est.

XLVI. Ea felicitas per remissionem peccatorum, et per bona opera acquiri; remissio peccatorum autem itineribus religiosis ad sancta loca, festiuitatibus, lotionibus et sacrificiis obtineri potest [o]. Inter haec salutis media plurimum lauacris tribuunt, cuius rationem quaesitus a Ziegenbalgio [p] Bramana quidam respondit: fieri ideo, quia aqua diuinitate non careat, et magnas res in mundo efficiat, rebusque omnibus plurimum salutis afferat, velut mater altrixque.

XLVII. Peccata post hanc vitam in inferno puniuntur, in cuius tenebris tamen cruciatus non nisi paucorum aeternum durant.

XLVIII. Quoniam animae omnibus animalibus insunt, ideo nefas est, ea mactare eorumque carne vesci. Maxime vero impium est vaccam interficere, quae sacrosancta est [q]. Fluere hoc dogma ex metempsychosi ex dictis

l) p. 309. 310.
m) p. 593.
n) Ibid. p. 449.
o) Ib. p. 415. 421. 438.
p) Relat. Miss. Ind. P. I. p. 701.
q) ROGER. p. 451. seq.

dictis est manifestum. Vaccarum sanctitas autem tanta est, vt earum carne non nisi fex plebis nihil quod fas est, curans vescatur, et tum fimus sacrosanctus sit, tum cinis ex eo praeparatus idololatriae turpissimae materiam praebeat [r]. Originem autem huius ineptae βουλατρείας ex Aegypto petendam esse, nemo non videt, cui res Aegypti veteris ignotae haud sunt.

Hactenus theologia Malabarica, cui quaedam physica subiungimus, vt constet, quo modo de rebus naturalibus philosophari Indi audeant:

Physica Malabarica.

XLIX. Quinque sunt elementa, terra, aqua, aër, ignis et agachum, id est spatium inter coelum et athmosphaeram nostram [s].

L. Tria sunt mortis et corruptionis principia, quae ex vnione animae et corporis oriuntur, Anoubum, Maguei et Ramium. Anoubim est cortex animae, forte ὄγκημα Platonicorum vel materia; certe simile quid Klippoth Cabbalistarum; Ramium fomes cupiditatis prauae in anima latens; Maguei phantasia eiusque directorium.

LI. Quinque sunt classes vitae; vegetatiua, quae omnibus corporibus inest, vita, voluntatis, sapientiae et felicitatis.

LII. Tria sunt temperamenta, melancholicum, sanguineum, phlegmaticum.

LIII. Obtinet melancholicum temperamentum apud sapientes, modestos, duros, et indole bona praeditos homines; sanguineum facit poenitentes, resipiscentes, temperantiae et virtuti deditos; phlegmaticum gignit impuritatem, fraudes, iniquitatem, mendacium, pigritiam, tristitiam.

LIV. Diei noctisque vicissitudines ex solis declinatione circa montem ingentem oriuntur. Veterem at ineptam coniecturam esse, olim iam Indis receptam alibi ostendimus.

LV. Metalla emendare et transformare in aurum possibile [t].

LVI. Dantur dies fausti vel infausti nefastique, qui diligenter obseruandi sunt, ne atro die quid suscipiatur male euenturum. Vetus haec quidem superstitio est, inter barbaros diu iam per omnes terras recepta, ast non maiori cura et studio culta, quam apud Indos, cuius exempla dabunt Missio Danica [u] et ROGERVS [x].

Praeter haec pauca quaedam alia sunt, his tolerabiliora, ast priuatorum tantum sententiis celebrata, quae tamen, quia ad opiniones totius gentis cognoscendas nihil faciunt, hoc loco non tangimus.

Doctrina moralis Malabarica.

§. VI. Restat moralis doctrina Malabarica, cuius elegans specimen exhibuit ROGERVS. Is enim libro suo BARTHROVHERRI, Bramanae

r) Rel. Miss. P. I. p. 181. 467. 616. 402. ROGER. l. c. KAEMPFER, Hist. de Iapon. P. I. p. 60.
s) LA CROZE p. 622. seqq. Relat. Mal. P. I. p. 894. seqq. P. II. p. 898.
t) Ibid. p. 628.
u) P. I. p. 206.
x) p. 122. 134.

nae sententias centum de via ad coelum, tum dicta centum de vita rationali et prudente inter homines adiecit, eo quod magnae inter Indos istos auctoritatis esse perhibentur. Tradunt enim hunc Indorum philosophum filium fuisse Bramanae cuiusdam, mulierosum primo et voluptatibus maxime deditum, ita vt trecentas vxores duceret. Patrem autem eius lethaliter decumbentem cum filiis valedixisset, moestis hunc oculis intuitum indoluisse, quod matre Sudraes, i. e. laica genitus, e multis quas habebat coniugibus, plurimos liberos susceperus esset; qui quoad in mundo cum posteritate sua vixerint, ipsum coelo excluderent; adeo nefas apud Indos inter Bramanas habetur mulieri ex alia familia misceri. Id adeo commouisse, ferunt Barthrouherri animum, vt relicto patre, dimissisque vxoribus caput tonderet, indumentoque rubro amictus Sanjasi y quendam effingeret, sanctitatis colendae causa. Patrem vero conspecta pietate filii ei vitam promisisse, quam diu terrarum orbis durauerit; non irrito euentu, inuisibiliter enim eum postea inter homines velut angelum obambulauisse. Patre itaque decedente ad peregrinationes per orbem se accinxisse, vxoribusque permisisse, vt iterum nuberent aliis; ipsum autem totum coelestibus intentum ex veterum scriptis et propria meditatione sequentes sententias et dicta collegisse. Quae magnificam pleraque doctrinam inculcant, quam tamen systemate emanatiuo inaedificatam fundamento periculoso niti, hincque enthusiasmo latente grauida μετέωρα nonnunquam gignere recordandum est. Ipsae vero meditationes pulcherrimae sunt, et supra Indorum captum, multaque habent veterum Gymnosophistarum sententiis haud dissimilia. Quorum vt exemplum Lector habeat, ex multis extantiora et memorabiliora hic apponemus:

I. Vita hominis instar guttae aquae est: et tamen propter eam principum aulas sequitur, eorumque actiones laudare non erubescit, non expendens animo, ita se peccare.

II. Decrescit hominis corpus et senescit, cupiditas animi autem quotidie iuuenescit.

III. Quamuis diu durent res terrenae, tamen finem capient, eoque tempore quo corrumpentur, animum dolore replebunt et tristitia. Qui vero mature eas relinquit, quia aeternum durare nequeunt, certam animo tum tranquillitatem pariet.

IV. Deserunt autem diuitias et cupiditates omnes illi tantum, qui coelesti cognitionis lumine instructi sunt.

V. Habent viri sapientes bona huius vitae et felicitatem temporalem pro carcere, quo a coelestium rerum cupidine retrahuntur; ideo mature haec omnia deserunt.

y) Hi Gymnosophistae veterum, recentiorum Mystici sunt.

VI. Cuncta timori expoſita ſunt; nihil autem illi timendum eſt, qui in via Dei ambulat.

VII. Nihil eſt in mundo, quod perdurare poſſit, et finem tandem aliquando non videat.

VIII. Funiculus eſt, cupiditas; eum rumpi ne impedias, vel aegre feras: Deo autem confidenter te trade, et ſaluus atque beatus euades.

IX. Omnia fert ſecum tempus, hoc itaque reuerenter habere memento.

X. Non concupiſcenda ea ſunt, quae incerta.

XI. Si mundi rebus inhias, magnis moleſtiis cruciaberis; quaerendus itaque magis tibi locus Dei eſt, quem ſi inueneris, omnem mundi moleſtiam laetus contemnes.

XII. O animule! qui quaeſo fit, vt dum omnia perquiris, eum, qui in pectore tuo habitat Deum non inuenias?

XIII. Quaerenda eſt animae beatitas ante morbum et ſenium. Si enim tantam curam differes, idem ages, quod ille, qui tum demum puteum effodit, cum tecta ardent.

XIV. Mitte cogitationes terrenarum rerum, quae corpus occupant, abiice ſcientiam, quam comprehendere alii nequeunt: quid enim in his conſilii vbi mortis hora ingruit?

XV. Eſt terra lectus ſapientis, brachia culcitra, coelum tectum, ventus ventilabrum, luna candela; corpurum vxor; annon is hoc pacto princeps eſt?

XVI. Impoſſibile eſt hominem ſtolidum et iratum verbis prudentibus compeſcere.

XVII. Bonum eſt, hominem, qui pauca ſcit, inter ſapientes ſilere; hoc enim in poteſtate ſua habet; et ita ignorantiam ſuam teget, et inter ſapientes numerabitur.

XVIII. Diuitias animi fures ſurripere nequeunt, quo plus ex iis diſtribues, eo magis augebuntur.

XIX. Recte et prudenter differere, vera hominis ornamenta ſunt.

XX. Thorace opus non habet, qui iniuriarum patiens eſt: iratus vero alio hoſte non eget.

XXI. Qui cum hominibus conuerſabitur, melior euadet.

XXII. Imitabitur ſcorta princeps, multaque ſimulabit; mox enim cum bonis verum loquetur, mox malis mentietur; humanus mox erit, mox iratus; ſtudebit interdum actionibus bonis, interdum quoque malis; corradet interdum opes, interdum dilapidabit. Machiauelliſmum ante Machiauellum haec prodere, nemo ignorat.

XXIII. Nihil accidet homini, niſi quod deſtinatum illi a Birama fuerit. Tangit hoc dicto philoſophus fatum, cuius indeclinabilem neceſſitatem cum gente ſua afſerit. Cuius erroris fons ex ignorata mali origine deri-

uandus

uandus est. Nesciunt enim Indi, quid de difficili hac quaestione statuendum sit, hincque de origine mali incerti illud mox ex inclinatione hominis et temperamento praedominante: mox ex animarum transmigratione, interdum ex dispositione Biramae; siue creatoris deriuant. Quibus loliis semina naturalis cognitionis Dei valde corrupit Satanas, et animos infelicis gentis valde seduxit. Et hinc Praedestinatianismus Indorum philosophorum, quem magnis vocibus commendant Barthrouherri sententiae. Qui tamen in eo laudandus est, quod hominem fati necessitate, creatorisque praedestinatione velut pilam terrae allisam, surgere, et coelum petere iubeat, cum malus trunci instar deiectus maneat. Nempe etiam in aduersis fatis bonum virum inhaerere virtuti, docet, licet, quis rerum suarum exitus sit, ignoret. Ideo comparat Biramam cum figulo, tristes euentus, cum rota, animum hominis cum luto, fati dispositionem, cum axe rotae; hisque addit: quem euentum hic figuli labor habiturus sit, se nescire.

XXIV. Cuncta pessime interpretabitur homo malus.

XXV. Qui cum malis, societatem init, nequitiae filios laudat, officium non explet, fortunae fauore promotus, humilitatem pristinam obliuiscitur, viamque bonam contemnit, nunquam tranquillitate animi satiabitur.

XXVI. Vir bonus semper cupit secundum rationem viuere, malo non consentire, in aduersis animum fortem seruare, et viam vitae amare eaque delectari.

XXVII. Si quis in eremo, in vndis, inter hostium tela, in mari vel in montis cacumine dormiat, insidiis, veneno, periculis impetitus, attamen vitae recte et pie actae opera eum seruabunt. Multa his similia inculcat Barthrouherri iucunda haud pauca, et allegoria more orientali eleganter vestita, quae vero interdum fundamento recto carent, et nubes petunt.

* *

CAPVT TERTIVM,

DE PHILOSOPHIA SINENSIVM.

§. I.

Scriptores de re literaria Sinensium.

EX India in ampliſſimum Sinarum imperium transgreſſi gentem offendimus, antiquitate, ingenio, artium cultura, prudentia politica et philoſophiae ſtudio non modo omnibus Aſiae populis praeferendum, ſed cum Europaeis quoque, ſi haud paucos audias, comparandum. Quam a canis aeui vetuſtiſſimi temporibus philoſophari coepiſſe, adeoque origines philoſophicas in ea quaerendas eſſe, excellentiſſimum quoque de moribus philoſophiae genus ſequi magni in ciuitate erudita viri contendunt. Vt enim taceamus Ieſuitas, qui doctrinam Sinenſium magnis elogiis extollere coeperunt, ex quo in ampliſſimum regnum progreſſi, annunciandis religionis Chriſtianae myſteriis manum admouerunt; ISAACVS VOSSIVS [a], plurimum Sinenſi literaturae tribuit, quem ſecutus eſt B. SPIZELIVS noſter [b]. Recentiſſima autem aetate Sinenſium philoſophiam plurimum ſuſpexit incomparabilis LEIBNIZIVS [c], quem ſecuti ſunt illuſtres viri C. WOLFIVS [d], et G.B. BVLFINGERVS [e], quibus BARBAYRACIVM [f], aliosque addere licet. Aſt iam aeuo medio fuiſſe nonnullos, qui Chinam ingreſſi, parum dignam laude doctrinam eius gentis deprehenderint, ex itinerariis Arabum quorundam, qui ſeculo IX illud regnum intrarunt, quae diſſertationibus eruditiſſimis illuſtrauit EVSEBIVS RENAVDOTIVS [g], diſci poteſt. Maxime vero recentiori aetate ſacerdotes illi emiſſarii, qui ex aliis familiis, quam Ignatii, in hanc regionem peruenerunt, euangelium I. C. praedicaturi, quique cum Ieſuitis de pictis callide et laudatis perperam Sinarum inſtitutis decertarunt, exiguam et falſam eſſe doctrinam eius gentis philoſophicam contenderunt: quorum obſeruationes collegit, et falſitatis Ieſuitas conuincere ſategit ANTONIVS ARNALDVS [h]. Inter ipſos Ieſuitas parum eruditioni Sinenſium tribuit LVDOVICVS DE COMITIBVS [i], quam ſententiam quoque ſecutus eſt, et diſſertatione ſingulari demonſtrauit RENAVDOTIVS. Addi

a) Obſeru. variar. c. 13. 14.

b) In eleganti libello, de re literaria Sinenſium.

c) In Praef. ad Nouiſſima Sinica et in Epiſtola ad Remondum T. II. p. 413. ſqq. qua Introd. in philoſophiam Sinenſium ſiſtit.

d) In Orat. de Sinarum philoſophia, quae quantorum motuum occaſionem dederit in Hiſt. Phil. Wolfianae explicandum eſt, vid. LVDOVICI Intr. in Hiſt. Phil. Wolf. P. I. c. 2. §. 67. p. 51. ſqq. examinauit eam Ven. LANGIVS, emendauit ipſe Wolfius. Conf. qui de ea creatione libere iudicat Cel. REIMMANN. loc. cit. p. 29.

e) In Specimine doctrinae vet. Sin. morali.

f) Praef. ad Pufend. §. 14.

g) 1718.

h) La morale practique des Ieſuites Tom. III. VI. VII.

i) Mem. ſur l' etat preſent de la Chine. Conf. GVNDLING. Hiſt. phil. mor. c. 5. p. 35. 36.

Addi his possunt BVDDEVS [k], THOMASIVS [l], GVNDLINGIVS [m], HEVMANNVS [n], alii [o]. In hac opinionum diuersitate et virorum doctorum dissensu magna cautione atque prouidentia opus est, ne in partes abrepti, vel nimium tribuamus Sinensibus, vel nihil. Itaque scriptores illi attente, et sine praeiudicio, nec sine adhibito examine legendi sunt, qui de rebus Sinensium commentati sunt, quos plerosque nominauit, et more suo eleganter et acute iudicium interposuit suum Ven. Io. FR. REIMMANNVS, qui ἀνονύμως *Sciagraphiam philosophiae Sinensis noua methodo traditam et eruditorum omnium iudicio submissam* [p] edidit, quocum Cel. STRVVIVS [q] conferendus. Non repetemus eos hoc loco breuitati consulturi, sed notamus tantum, ex multis eos potissimum consulendos esse, qui philosophiam Sinensium ex instituto attigerunt, vel de theologia Sinensium tractarunt. Quo nomine nota sunt scripta THEOPHILI SPIZELII *de Re literaria apud Sinenses*, G. G. LEIBNIZII *Nouissima Sinica*, CHR. WOLFII *Oratio de philosophia Sinarum*; G. B. BVLFINGERI *Specimen doctrinae veterum Sinarum moralis et practicae*: ZACH. GRAPIVS *de Theologia Sinensium*; DOMINICVS FERDINANDVS NAVARETTA *de Regno Sinico*: et quae contra Iesuitarum ostentationes monuerunt RENAVDOTIVS et MINORELLI *in Obseruationibus ad errores Iuuencii de rebus Sinicis*. Qui duo scriptores eo magis expendi merentur, quo magis a praeiudicio peregrinae admirationis et credulitatis, quod plerosque in praeceps egit, liberiores fuerunt, qui vero Minorelli nomine scriptum illud vulgauit (ipsius enim Minorelli esse Iesuitae pernegant [r]) et ipse diu inter Sinenses versatus est, et Iesuitas Iesuitis opposuit. Maxime vero quae Nauaretta, Antonius de S. Maria, P. Nic. Longobardus, de philosophia et theologia Sinensium tradiderunt, cum obseruationibus illustris Leibnizii ad has scriptiones, eiusque epistola ad Remondum comparanda sunt, legendaque elegans et erudita diatribe Ven. CHRIST. KORTHOLTI *de Philosophia Sinensium veteri media et recentiori*, qui excusationes Leibnizii roborare et noua luce perfundere annisus est [s]. Cui etiam in elegantissima *Collectione epistolarum Leibnizianarum* eruditissimam epistolam praestantissimi CROZAEI debemus, in qua laterem lauisse Leibnizium philosophiae Sinensium ὀρθοδοξίαν vindicando demonstrare contendit. Tacemus scriptores, qui post ANTONIVM ARNALDVM de cultu demortuorum, maxime Confucii, apud Sinas disputauerunt, magna ex parte a B. BVDDEO [t] enarratos.

§. II. Quem-

k) Hist. phil. c. 6. §. 37. Anal. hist. phil. p. 551.
l) Cogit. de libris nouis 1689. p. 600. 606. 626.
m) loc. cit.
n) Act. phil. Vol. II. p. 750.
o) HORN. Hist. phil. L. 6. c. 7. p. 309. LANG. Annot. ad orat. Wolfii etc.
p) Brunsvig. 1727. 4.
q) Bibl. philos. c. 3. §. 3.
r) Mem. de Trevoux 1715. p. 219.
s) Extant haec monumenta scriptaque omnia in Vol. II. epist. Leibnizii a Kortholto vulgutarum.
t) In diss. de superstitioso Confucii apud Sinenses cultu, quae in Anal. hist. phil. extat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scripta Sinarum philosophica, quae edita sunt.

§. II. Quemadmodum vero his testibus omnibus non tam secure stare licet, quam ipsis monumentis Sinarum philosophicis, ita ad eorum potissimum fidem recurrendum est, consulendique ante omnia libri gentis acutae classici. Quorum inspiciendorum copiam nobis fecit diligentia virorum doctissimorum, qui ex Societate Iesu in Chinam delati, αὐτόγραφα Confuciana aliaque huius gentis scripta philosophica, quae apud eam publicam auctoritatem nacta sunt, collegerunt, et in Europam missa tandem ex mandato Christianissimi regis Ludouici XIV vulgauerunt. Prodiit memorabilis collectio hoc titulo: *Confucius Sinarum philosophus; siue scientia Sinica Latine exposita studio et opera* PROSPERI INTORCETTA, CHRISTIANI HENDRICH, FRANCISCI ROVGEMONT, PHILIPPI COVPLETI PP. S. I. *Paris* CIↃIↃCLXXXVII. Digna est curiosa collectio, quae attente legatur et examinetur, quia omnium plurimum ad cognoscendam literaturam et philosophiam Sinicam attulit. Ornat vero eius vestibulum erudita atque luculenta dissertatio praeliminaris, in qua introductio in historiam philosophiae Sinensis exhibetur. Sequitur philosophorum Sinensium principis, Confucii vita; et tunc ipse Confucius ff siue scientia Sinensium Latine exposita, cuius liber primus a Cemçu, secundo Confucii discipulo vulgatus nomen Ta-Hio, hoc est *magna scientia*, accepit, quia ad instruendos praeceptis suis principes viros, qui subiectos sibi populos et regna moderantur, scriptus est: in quo auctor principes feliciter imperandi cupidos, sibi prius imperare, et initia regni a sui totius cura cultuque sumere, deinde aulam familiamue recte instituendo ad regni administrationem prudenter progredi iubet. In secundo, qui auctorem eundem Confucium habere dicitur, sed ab eius nepote *Cusu* dicto, in lucem publicam traductus fuit, de medio sempiterno siue de aurea mediocritate constanter omnibusque in rebus tenenda, agitur, vnde nomen *Chum-yum* accepit. Tertius liber decem *Kiuen*, id est sectionibus constans, *Lun-yu*, id est, differentium colloquia, inscribitur, atque apophthegmata Confucii et discipulorum eius et his similia exhibet, quae de vitiis, virtutibus, officiis, et recto regimine praecipiunt. Insperguntur passim quaedam ex monumentis Sinensium philosophicis memoratu digna, vel alia doctrinam eorum illustrantia. Adiecta est in fine tabula chronologica scientiae Sinicae, itemque synopsis imperii Sinarum et rerum in ea notabilium t. Promiserunt quoque doctissimi editores Memcii scripta, qui post Confucium seculo illi posterior celeberrimus inter Sinas philosophus fuit. Qua promissione saliuam mouerunt ciuitati eruditae ea videndi, quamuis aliter visum sit cel. GVNDLINGIO u. Tandem desideriis eruditorum velificaturus FRANCISCVS NOEL S. I. Missionarius, Pragae CIↃIↃCCXI edidit:

ff) Non esse haec scripta ipsius Confucii contendit MINORELLI l. c. §. 8. p. 178.

t) Conf. Act. erud. 1688. p. 254. seqq. vbi hic liber copiose recensetur, quem locum consulere possunt, qui libro rariori destituuntur.

u) l. c. c. 5. p. 32.

dit: *Sinenſis imperii libros claſſicos ſex, e Sinico idiomate in Latinum traductos.* In qua collectione praeter Confuciana nonnulla comparent quoque ſcripta Memcii deſiderata. Quia vero exoterice hi libri philoſophici ſcripti ſunt [v], et more gentibus Orientis recepto paraenetice tantum virtutis doctrinam proponunt, plurimum debet illuſtri BVLFINGERO orbis philoſophicus, quod diſſolutas Sinenſium ſcopas de morali et ciuili diſciplina colligendo, iuſtum et ordine philoſophico cohaerentem ethicae et politicae faſciculum hiſtoriae philoſophicae ſtudioſis ſuppeditauerit, dolemus autem Memcii ſcripta ſimul eum in vſus vocare non potuiſſe. Plurima vero de fide harum collectionum controuerſia inter eruditos fuit, poſtquam Ieſuitae in ſuſpicionem venerunt, eos monumentorum Sinicorum interpretationem genuinam non dediſſe, ſed multa ad iuuandam cauſſam ſuam adulteraſſe. Quidam enim, qui conuenire Ieſuitarum interpretationem et relationes cum iis, quae Dominicanae familiae ſodales retulerunt, de fide Coupleti et ſociorum dubitandum non eſſe cenſuerunt [w]. Alii, quia linguae Sinicae ignorantia et ἀρχετύπων Sinicorum defectus comparationem et examen non admittit, iudicium ſuſpendere maluerunt. Inter quos eſt ven. REIMMANNVS [x], *qui bona an mala fide ex lingua Sinica in linguam Latinam ſint translati, eos iubet diſpicere, qui vna cum monumentis authenticis vtriusque linguae habent facultatem.* IDEM de Collectione ſcriptorum Memcii a Noële edita iudicat: *Non eſſe dubitandum, eum genuinum illorum ſenſum et aſſequi potuiſſe et reuera aſſecutum eſſe, cum viginti integros annos ſe addiſcendae linguae et libris Sinicis peruolutandis vacaſſe profiteatur.* Aſt longe alia mens fuit aliis viris doctis, qui diligentiam magis et iuuandi res ſuas ſtudium quam fidem in Ieſuitis eminere cenſuerunt. Non memorabimus in praeſentia obiectas in tradendis rebus Sinicis falſitates ab Obſeruatore [y] *in Iouuencii Hiſtoriam Societatis*, qui ipſe legi meretur; ſed ad eruditiſſimum RENAVDOTIVM [z] prouocamus, qui Ieſuitarum fidem ſubleſtam eſſe inde demonſtrauit, quia tabulae Aſtronomicae, quas Ieſuitae exhibuerunt, ab eis non integrae et incorruptae editae, ſed ad tabulas Tychonis Brahei reformatae ſunt. Id inſtituta comparatione Caſſinum et Picardum obſeruauiſſe, idque faſſum quoque candide eſſe Coupletum obſeruat. Tale quid autem cum auſi Ieſuitae fuerint, an non in philoſophico argumento idem tentauiſſe iuſtiſſima ſuſpicio eſt? Idem quoque monet, verſionem a Coupleto ſociisque editam, paraphraſin eſſe, ſine qua Confucii ſcripta plane intelligi nequeant: quae ſi propius inſpiciatur, fatendum eſſe, omnium rectiſſime pronuntiauiſſe Laurentium Magalottum, et Carolum Dati,

v) Vid. Act. Erud. 1711. p. 285. ſeqq. 1712. p. 123. 224. ſeqq.

w) LEIBNIZIVS, BVLFINGERVS, KORTHOLTVS ll. cc.

x) loc. cit.

y) MINORELLI l. c.

z) In Diſſ. praelim. l. c. quam Germanica lingua inſeruit Act. phil. Vol. II. p. 717. ſeqq. doctiſſimus HERMANNVS.

Dati, postquam cum Grubero et Oruillo S. I. ex China redeuntibus de doctrina Sinensium contulissent: esse eam ethicam Confucianam a theologia Scholastica transformatam. Addi his debet, ex relatione *Actorum Eruditorum* *, AYMONIVM versioni Iesuitarum velut imperfectae et multis in locis adulteratae nouam et fideliorem melioremque versionem surrogare promisisse. Idem de Noëlis versione Sinicorum scriptorum iudicium est, quam meliorem accurationem non prodere, nonnulli iudicarunt. Certe, ipsi, qui tantum Sinicae philosophiae pretium statuit, celeberrimo WOLFIO †, visus est *post tot annorum studium non satis intellexisse, quid verbis philosophorum Sinensium subsit.* Ex his vero intelliget lector, quam difficile sit de genuinis Sinensium dogmatibus sententiam dicere, et quam incerto talo constent, quaecumque ex his libris de eo argumento afferuntur. Recurrendum itaque ad modestum Pyrrhonismum historicum, vel saltem nihil certi statuendum, sed intra verisimilitudinis cancellos cuncta redigenda; maxime vero, quae de philosophia Sinensium ab haud paucis magnifice praedicantur, examinanda accurate, abiectoque omnis partis studio, et inepto peregrinarum rerum amore explorandum, annon notiones Sinensium incertae, confusae nihilque distincti significantes certis et clarioribus definitae sint vocibus? annon meditationes dispersae et nullatenus cohaerentes, in vnum systema, excogitato connexionis vinculo, ire coactae sint? an non allegorica, hieroglyphica, aenigmatica multa secundum electas deamatasque hypotheses sint explicata? annon suppressa silentio multa, vel commoda interpretatione in tolerabiliores sensus peracta sint a)? Ad quos scopulos offendisse multos, qui Sinensium philosophiam comere ornareque susceperunt, ex dicendis constabit. De Sinensi itaque philosophia tota fere tractatio hypothetica et coniecturalis est.

Origines historiae philosophicae Sinensis obscurae et incertae.

§. III. Obscurissimae sunt magnaque incertitudine laborant origines historiae philosophicae Sinensis, ob incertas et maximis dubiis expositas chronologiae Sinicae rationes, quas cum veris temporum notationibus conciliare velle, idem esset, ac inter tenebras lucemque pacisci. Et antiquissima quidem philosophandi initia sunt, quae inter Sinas feruntur: ea enim ad primum imperii gentisque conditorem Fohium referunt, qui, si Sinarum chronologia standum est, annis ante natum Christum cIↃ cIↃ IↃ CCCCLIV, gentem feram ad rationes humanas reuocasse, legemque illi tulisse dicitur. Incipit enim cyclus Sinensium anno ante redemtum orbem cIↃ cIↃ IↃ CXLVII, octauo anno imperatoris Hoangti; ante quem

*) 1713. p. 46.

†) l. c.

a) Ad has quaestiones illis respondendum est, qui fide subtesta vacare Iesuitarum relationes et versiones contendunt. Horum enim accusantur Iesuitae ab illis, qui diu in China fuerunt, linguam didicerunt, cum literatis Sinensibus conuersati sunt; eiusmodi emendatarum rationum Sinicarum suspicionem roborauere exempla luculenta, maxime vero excogitata inxta commoda Societatis interpretatio eorum locorum, quos esse obscurissimos et incertos in confesso est. Iesuitarum itaque eorumque qui illorum partes tantis animis agunt, contra has obiectiones et suspiciones apologia certioribus, quam fieri solet, rationibus facienda est.

quem cum imperio praefuerint Fohi et Xi-nung, quorum ille CX annos, hic CXL imperasse dicitur, ad dicta tempora aetas Fohiana necessario referenda est. Ast si calculos Petauianos sequimur, magna verisimilitudine se commendantes, incidit natiuitas θεανθρώπου in annum mundi CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCC LXXXIX, diluuium vniuersale in annum mundi CIↃ IↃ CLVI. Quod si itaque in dicta tempora incidunt anni Fohiani, aliquot eum seculis ante diluuium vixisse oportet. Cui cum non interrupta serie successores fuisse Sinas asserant, sequitur inde necessario, aut rationes historicas et chronologicas Scripturae sacrae aut Sinicas falsas esse et corruptas. Passim ideo dica scripta est Iesuitis, quod arenoso huic fundamento totam fabulam Sinicam inaedificauerint. MINORELLI [b] enim, vel quisquis eius nomine Iuuencii falsitates et errores castigauit, monuit, *Chronologiam Sinicam a recentioribus descriptam esse, nullo certo fundamento, cum in libro Xuking imperatorum anni saepius non numerentur, qui vnicus tamen historiarum liber plenam apud Sinas auctoritatem habeat; nec Confucii auctoritate, quod Iesuitae contendunt, confirmatam esse, quo recentior longe sit.* RENAVDOTIVS [c] autem, ad Cassinum prouocat, obseruantem, annorum quingentorum errorem in calculo Sinensium chronologico deprehendi: quem tamen venerabilis senex ALPHONSVS DE VIGNOLES, (qui cycli sexagenarii a Ianao Sinensium mathematico, anno A. C. N. vt ferunt CIↃ CIↃ IↃ CLXX, in ordinem redacti rationes luculenter docteque explicuit [d], et obscurissimo argumento more suo lucem egregiam affudit) accusat, quod cyclum Sinensium cum tabulis eorum astronomicis confuderit. Ipse vero ex Societate Iesu missionarius, vir acutus et doctus NICOLAVS LONGOBARDVS [e], lubens concedit, incertas turbatasque rationes temporum Sinenses esse. Haud ita pridem autem chronologiae Sinensi nouum lumen accendit IOANNES FRANCISCVS FOVQVETVS. Is enim redux ex China attulit tabulam chronologicam historiae Sinicae connexam cum cyclo, qui vulgo Kia-tse dicitur, compositam a NIEN scriptore inter Sinas maximae existimationis, ex equestri apud Tartaros stirpe oriundo, muneribus inclyto, proregis filio et fratre praefidis duarum prouinciarum, quem viuum adhuc cum ex China discederet, Foucquetus reliquit. Ex hac Nienis tabula chronologica perspicuum esse obseruat, qui eam rarius occurrentem ad manus habuit Ven. KORTHOLTVS [f], *Epocham veram atque certam historiae Sinensis ad quadringentos circiter annos ante natum Christum reuocari oportere. Et Sinas quidem initia gentis suae longius audere arcessere, et varias habere imperii sui historias et epochas diuersas; de iis autem Foucquetum explicatim annotare, ipsos inter se non minus acriter digladiari, quam nostros de originibus Chaldaeorum*

b) p. 121.
c) l. c. Act. phil. Vol. II. p. 753.
d) Miscell. Berolin. T. IV. Obs. 2. p. 24. seqq.
e) T. II. Epp. Leibniz. p. 28.
f) Praef. ad Vol. II. Epp. Leibniz. p. 27.

daeorum Assyriorumque et Aegyptiorum dynastiis. Quamobrem in Sinensi imperio de incunabulis et primordiis illius nationis, vnicuique quod libet, credere licere. Ex quo falsum esse, deprehenditur, quod IVVENCIVS ff, scribere ausus est: *vetustatem Fohi imperiique Sinici, confirmare historiam Sinicam, tantam auctoritatem literatorum iudicio, ac potissimum Confucii auctoritate adeptam, vt eam vocare in dubium nemo prudens, ac nisi, vt dictitent, haereticus possit.* Ob quod mendacium merito acri MINORELLI g calamo Iesuita vapulauit. Nos incertitudinem antiquitatum Sinicarum non magnopere miramur, recordantes Chaldaeos atque Aegyptios, quos tamen omnium primos imperia condidisse constat, non minus in antiquitate gentis suae asserenda supra omnium fidem ineptiuisse, moremque gentium omnium fuisse, vt origines suas innata gloriae cupiditate antiquissimas faciant. Vnde prorsus nullam esse Sinicae chronologiae auctoritatem in comperto est. Quamuis enim imperatorum successiones crepent, annosque definiant, fabulas tamen fumosque eos vendere, et vel ex vno πολλονύμῳ plures exsculpsisse, vel ad ementiendam antiquitatem quosdam a gente superba et fastu plena infartos isti seriei fuisse, aut annos nimium productos, est manifestissimum. Quae tamen non obstant, vt non satis vetustas esse origines Sinenses putemus, cum post disiectas linguarum confusione gentes mature in illas oras nonnullas descendisse ex Iaponensium quoque historia constet. A Noachi tamen filiis istam terram iam cultam habitatamque fuisse nobis verisimile minime videtur: cum et tanta terrarum distantia a sede Noachi sit, vt filios eius illuc penetrauisse minime sit probabile, qui in propinquioribus sine dubio regionibus, maxime iis, quae ad meridiem fuere sitae, consederunt; et vita plane fera et belluinis moribus acta, quae primis Chinae incolis tribuitur, tantum luminum Noachicorum, in filiis eorumque familiis resplendescentium iubar minime patiatur. Suis itaque in tenebris origines Sinenses relinquendae sunt.

Fohi primus Sinensium legislator.

§. IV. Fabulis inuoluta est tota Fohii historia, qualem Sinae enarrant: id quod nemo rerum veterum intelligens mirabitur, cum et legislatores ipsi diuinas sibi et admirandas origines soliti sint adscribere, vt diuini ortus opinione animos hominum velut vinculis quibusdam constringerent, et religione deuincirent, et homines feri in vitae humanae ordinem moresque rationali creatura dignos redacti, atque insignibus humanae vitae beneficiis mactati eorum, quos viuos suspexerant, memoriam post fata fictis narrationibus posteritati reliquerint. Id cum in plerarumque gentium antiquissimarum originibus euenerit, in Sinicis quoque non euenire non potuit. Et vixisse quidem hanc tanta temporum antiquitate, vt diluuium anteuertat, nugantur Sinae; quos si non totos audiendos, ita tamen intelligendos esse admiratores sapientiae Sinicae contendunt,

ff) loc. cit. g) l. c. p. 121.

tendunt, vt hunc Fohium vel Noachum ipſum, vel filiorum eius vnum fuiſſe coniiciant. Quam opinionem recitaſſe, eſt refutaſſe, adeo abſurda et inepta eſt. Tradunt autem Scriptores Sinenſes [h], eum a matre ab iride circumdata in prouincia Xen-Si conceptum ſicque ἀπάτορα natum eſſe. Cuius generis ortum diuinum cum plures veteres legislatores callide ementiti ſint, nobis non monentibus lector intelligit, vnde haec traditio genita fuerit. Adultiorem, cum diuino intellectus acumine gauderet, ad emendandos mores ferinos Sinenſium animum adieciſſe, dicunt. Brutorum inſtar enim viuentes cruda carne victitaſſe, et a concubitu promiſcuo ac inceſtu non abhorruiſſe, ita ratione humana ſitu et ſqualore obducta, vt nec patrem quis ſciret ſuum, nec ius fasque vllum intelligeret. Eos itaque a belluina vita et perdita viuendi conſuetudine reuocaturum, leges illis tuliſſe, matrimonia inſtituiſſe, ordinem viuendi praeſcripſiſſe, animalium piſciumque capiendorum rationem commonſtrauiſſe, ordinem quoque colendi coeli terraeque numina, et ſacrificia offerendi modum docuiſſe; literas inueniſſe, et artium rudimenta tradidiſſe. Qua in narratione id Fohio tribuitur, quod in aliis regionibus primis gentium conditoribus ſolet adſcribi. Nempe apud Sinas quoque antiquiſſimos

fuit haec ſapientia quondam
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri leges incidere ligno [i].

Et hoc quidem pacto regnum ſapientia magis, et auctoritate, quam potentia obtinuiſſe, et annis CXV prudenter adminiſtrauiſſe ſede ex prouincia Xen-Si, vbi natus erat, in Chin-chen oppidum prouinciae Honan translata, Fohius dicitur.

§. V. Legislatorem haec quidem probant, qualem fuiſſe, Hermeti forte, Orpheo, ſimilibusque non minorem, facile perſuaderi nobis patimur, nihil enim in hac ſententia eſt, quod non veriſimilitudine ſe commendet. Aſt non legislatorem modo Fohium faciunt, ſed et magnum philoſophum atque theologum, quotquot in Sinenſium admirationem rapti, frigidamque Ieſuitis ſuffundentes maxima quaeque de Sinenſium philoſophia cogitant. Duplex autem philoſophiae Fohianae argumentum eſt. Nam, ſi Sinas audimus, ille praeter inuentas literas et muſica inſtrumenta duo, vnum viginti ſeptem, alterum triginta ſex fidium, arcanioris philoſophiae principia in libro Ye-kim dicto, aenigmatica methodo propoſuit; et imprimis colendi numinis coelo terraeque praefecti rationem demonſtrauit. Vtrumque philoſophiae Fohianae caput paulo attentius conſiderandum eſt, vt quid veriſimiliter illi temporum canitiei

Fohius an philoſophus fuerit?

h) Debemus notitiam hiſtoriae Fohianae COUPLETO et ſociis, vid. Praef. Chronol. tab. §. 1. p. 3. ſeqq. Conf. MART. MARTINIVS Hiſtor. Sinic. p. 21. ſeq. i) HORAT. in Art.

tribui queat, diſpicere poſſimus. Eſt autem liber Ye-kim tertius librorum Sinicorum antiquiſſimorum, in pentateucho ſiue V-kim contentorum, de quo infra nonnulla trademus. Conſtat libellus, figuris ſiue lineis duplicis generis, integris —— et interruptis - -, ex quarum multiplici combinatione tabula figurarum ſexaginta quatuor exſurgit. Dici non poteſt, quantis interpretum tum veterum tum recentiorum coniecturis aenigmata haec torta et vexata fuerint, et torqueantur hodie, id quod monumentis veterum ſymbolicis et aenigmaticis neceſſario euenire debere, et exempla philoſophiae Aegyptiacae, et ipſa ratio nos conuincit. Et Sinarum quidem acutiſſimi, id voluiſſe Fohium putant, vt rerum creatarum nexus, combinationes, ſocietates, vel etiam pugnas et diſſonantias, tum influentias, viciſſitudines, et alterationes gentem rudem et infantem quaſi docendo, iſtis gradibus ad ſui principii vltimique finis ſupremaeque ſpirituum intelligentiae notitiam manu quaſi perduceret. Alii antiquiores ad auguria et diuinationes illum libellum adhibuerunt. Confucius, vt infra dicetur, quique ex eius diſciplina progreſſi ſunt, et ante eum rex Ven-vam, qui vndecimo ante C. N. ſeculo vixiſſe dicitur, praeter phyſicas qualitates morum praecepta virique perfecti effigiem in eo quaeſiuerunt: de quibus celeberrimi libri interpretationibus multa in *Diſſertatione praeliminari* affert COVPLETVS [k]. Noſtro autem tempore illuſtris Leibnizius, vt profundiſſimo ingenio vtebatur, facile vidit, in ſimplicitate aeui Fohiani ſimpliciorem aenigmatis huius ſolutionem quaerendam eſſe. Vnde cum arithmeticae diadycae rationes detexiſſet, cuius hiſtoriam in eius vita iam adduximus, obſeruauiſſetque iſtis duabus figuris I et O creationis myſterium adumbrari poſſe, eam ad Grimaldum S. I. tribunalis mathematici praefidem in imperio Sinenſi miſit, vt imperatoris animus ad meditanda Chriſtianae religionis dogmata illa excitaretur; eandem vero quoque communicauit cum Bouueto S. I. ſacerdote Pekini commorante. Vidit is illico Leibnizium ſimpliciſſimam rationem figurarum Fohianarum detexiſſe; atque in literis ad Leibnizium datis magnam illam LXIV figurarum tabulam communicauit; quae Leibnizio iudice, veram eſſe hanc explicationem conuicit, ſi lineam non interruptam interpreteris per I, interruptam per O. Nos daui quidem ſumus in tantae antiquitatis aenigmatibus ſoluendis, et facile aliis Oedipi gloriam relinquimus. Aſt ſi tamen noſtra pro inſtituti noſtri ratione ſententia dicenda eſt, fatemur, videri nobis aenigma illud plane inſolubile: non, quod ſolutiones probabiles afferri nequeant; ſed quod ita cum omnibus ſymbolicis et hieroglyphicis myſteriis comparatum ſit, vt quo quis eſt ingenioſior, eo meliores et veriſimiliores explicationes afferre ſoleat, ea autem ipſa varios ſenſus recipiant, de quorum veritate nemo hodie ſtatuere poteſt; poſtquam clauem auctor non addidit. Quod luculenter inde probatur, quod nemo Sinarum ad hunc vsque diem myſterium hoc explicare potue-

k) Conf. illuſtris BVLFINGERVS, de Phil. mor. Sinenſium app. §. 29. ſq. p. 349. ſq.

potuerit, vt satis fecerit [l]. Si itaque certitudinis ἀκριβεια sectanda est, plane pro desperato in tenebris suis relinquendum est. Quod si vero, vt haud pauca in philosophiae historia sunt, quae solis coniecturis nituntur, ad verisimilitudinis speciem aliquam res reuocatur, tunc imprimis ad eam regulam attendendum esse putamus, quam certissimi canonis modum obtinere, artis criticae periti norunt: eam interpretationem esse probabiliorem, quae et auctori, eiusque scopo et circumstantiis, et tempori in quo vixit, maxime conueniat. Quae vbi admittitur, nemo non intelligit, parum verisimilitudinis eos pro sua opinione militantis habere, qui nescio quae philosophica mysteria, vel metaphysica, vel ethica in istis lineolis contineri putant. Nam nec Fohiano ingenio, licet id excelsum et acutum fuisse concedamus, tribui possunt, quod se non theoreticis cogitationibus, sed legislatoria prudentia demonstrauit; nec ad istius temporis circumstantias applicari, quae tales fuerunt, vt subtilitatibus eiusmodi philosophicis populum rudem, ferum, et ab omni fere rationis vsu semotum imbuere voluisse Fohium, ab eius prudentia prorsus sit alienum, qui littora arauisset, si speculationes arduas et difficiles aenigmatum integumentis obscuriores fecisset, populum eruditurus, qui prima doctrinarum rudimenta methodo planissima erat edocendus. Quo simplicior itaque interpretatio est, eo verisimilior, modo supponatur, quod sola Sinensium fide omni exceptione non maiore nititur, librum istum vere Fohianum esse. Vnde fatemur, magni Leibnizii diadycam arithmeticam reliquas omnes explicationes longo post se interuallo relinquere. Vt enim lineolis Fohianis egregie respondet, earumque apertissimas rationes docet, ita verisimillimum est, Fohium, qui rerum in vita humana necessariarum et vtilium inuentione ferociam gentis perdomare studuit, numerandi artem, et quidem modo simpliciſſimo et stupida atque nondum defecata ingenia decente, illi tradidisse; aetatem autem sequentem alia numerandi ratione inita, quam describit Cl. HEILBRVNNERVS [m], eius arithmeticae fuisse oblitum: vnde factum, vt cum antiquitatis praeiudicio fascinati Sinae ad Fohium suorum φιλοσοφουμένων originem, more antiquitus recepto, referrent, in his lineolis alia longe mysteria quaererent, et alias interpretationes afferrent. Quae non magis simplici isti explicationi obstare possunt, quam explicationes philosophicae Aegyptiorum de hieroglyphicis figuris simplicitati primae inuentionis. Ast haec tantum verisimilitudinis gradum respiciunt. Manet tamen incertum, vtrum Fohius ad hanc numerandi rationem peruenerit, praecipue cum alius, quam qui in arithmetica dyadica obtinet, ordo istarum lineolarum a Sinis adhibeatur: de quo incertum est, annon ita ab ipso Fohio traditus sit.

Licet

l) Nempe suas quisque et praeceptorum suorum hypotheses in istis lineolis vidit, et antiquissimo tempori recentiorum philosophemata affricuit. Qui mos interpretandi vetera monumenta, quam prauus et ineptus sit, ex damno, quod historiae philosophicae intulit, est manifestum. Idem vero Fohianis lineolis accidit, quod tabulae Isiacae, in qua quilibet suas opiniones detexit.

m) Hist. mathes. L. I. cap. 28. §. 606. p. 524.

Licet omnino probabile sit, Sinas posteriores, cum aenigma Fohianum non intellexissent, figuras istas, ita transtulisse, et suae catenae eripuisse, prout imaginatio eorum nouas explicationes comminiscens, exigere videbatur. Id quod ex eo colligi potest, quia in ordine primarum octo figurarum ex Coupleti testimonio Sinae variant. Alterum philosophiae Fohianae caput theologia naturalis est, quam satis puram et orthodoxam subiectis sibi gentibus eum tradidisse, docendo, quomodo summo spiritui coeli et terrae sacrificia offerenda sint, multis narrant, qui philosophiam Sinensem veterem commendant. Vnde magna nostra aetate enata controuersia, vtrum Fohi et sequaces inter veri Dei cultores, an inter Atheos numerandi sint? Quae quaestio cum explicari, nisi theologia Sinarum in partes vocata, non possit, eam infra, vbi de placitis Sinarum veterum philosophicis differemus, ex instituto excutiemus.

Successorum Fohii rationes modusque philosophandi.

VI. Eadem, quam Fohius adhibuit, ratio obseruata quoque est ab illis, qui in regno successerunt; illi enim Fohianis vestigiis insistentes non regere modo populos, sed docere quoque contenderunt, regi sui indole ita poscente, vt ad mitiores indies mores et humanitatem feri populi magis reducerentur. Factum id esse egregiis inuentis atque artificiis vulgatis, et imprimis a rege Xin-num tradita agriculturae, herbarum et medicinae cultura [n], varias quoque vel ipsos scripsisse, vel conscribere suos iussisse tractationes, ad vtilitatem inuentorum demonstrandam, valde est verisimile, credique sine metu contrarii, Sinensium scriptoribus potest. Eandem enim rationem apud alios quoque gentium legislatores obtinuisse, historia indubitata testimonia suppeditat. Ast accusantur quoque ab illis, qui deleta vnius Dei supremi notione cultum tantum spirituum mundi partibus praesidentium, atque idololatriam iam tum obtinuisse contendunt, quod naturalem pietatem suffocauerint. Quod tamen alii negant, et exempla in contrarium afferunt, quale illud imperatoris Ching-tang est, qui imperio diu fame presso, se hostiam piacularem numini obtulerit. Ast hunc tamen reliquosque omnes, quamuis sacrificassent, non coelorum domino, sed coelo sacrificia obtulisse contendunt, quae cum ad dogmaticam Sinensis historiae partem pertineant, hoc loco excuti non possunt, nec inquirere hic licet, vtrum summum rerum omnium parentem, an spiritus mundi praesides adorare colereque populum docuerint. Laudandum autem est in his imperatoribus non modo studium mores hominum emendandi, sed et prudentia singulari praecepta morum eis tradendi. Factum id ab illis est methodo orientalibus gentibus valde vsitata, et in se ad docendos populorum animos rudes maxime accommodata. Nempe non tantum allegoriis, similitudinibus, sententiis et huius generis aliis virtutis praecepta inculcarunt, vnde caussa deriuanda est, cur ab antiquissimo tempore moralis doctrinae studium laetissime in hac gente floruerit, et ipse Confucius, se sua a priscis regibus et legislatoribus,

n) Couplet l. c. p. 20.

bus, maxime Yao et Xun accepisse, professus sit [o]; sed eé poësin more veterum gentium fere omnium in auxilium vocantes, leges, statuta, morum praecepta carminibus comprehenderunt: publicum autem religionis cultum ceremoniis ita repleuerunt, vt his vinculis eo certius esset populi obsequium. Qua de re ex iis, quae infra de theologia Sinensium dicentur, iudicium fieri potest. Collecta sunt tandem instituta nobilissima, sententiae et imperandi artes veterum, in scriptis, vnde libri illi classici enati sunt, quibus nihil vel venerabile magis atque sanctum, vel antiquum inter Sinas habetur. Et primo quidem pentateuchus ille huc pertinet, qui *V-kim* vocatur, in cuius libro primo *Xv-kim* dicto res trium regum Yao, Xum et Yu referuntur, qui inter legislatores Sinarum celeberrimi fuerunt. In hoc libro, leges, statuta, sententiae, monita ad reipublicae regendae felicitatem, quaedam etiam ad iuris administrationem, ad Kalendarium rectamque subiectorum principi gubernationem pertinentia leguntur, veterum porro principum res pro salute publica gestae, deriuatae in mare diluuii Sinensis aquae, aliaque, quae ad secundam et tertiam familiam imperantem spectant, narrantur. In secundo Volumine, *Xi-kim* dicto, odae et poëmata exhibentur, regnante pleraque familia tertia imperiali conscripta, quibus statuta regnorum laudesque virtutis decantantur: quorum dicendi rationem breuem, obscuram, metaphoricam et prouerbiis obsoletis refertam, adeoque longe difficillimam esse, nemo mirabitur, cui antiquissimae poëseos, praecipue Orientalis, historia non ignota est. Tertium Volumen *Ye-kim* appellatum librum Fohi supra enarratum complectitur; Quartum librum Confucii *Chum cieu* vocatum, quod idem dicit, ac, ver et auctumnus, complectitur, in quo res gestae, vitia, virtutes, et euentus earum varii principum enarrantur. Quintum *Li-Ki* dictum, rituum et officiorum memoriale est, quidque in ceremoniis sacris pariter atque profanis obseruandum, quae officiorum omnis conditionis hominum ratio fuerit, tempore trium familiarum imperialium, Hia, Xam, Cheu exponit: quam collectionem instituit Confucius, deleta vero igne iussu imperatoris Xi-Hoam-ti ex hominum memoria restituta, ideoque non valde perfecta est. Quae fusius omnia explicuerunt COVPLETVS [p] et LONGOBARDVS [q], repetierunt BVLFINGERVS [r], KORTHOLTVS [s], aliique, qui de literatura Sinensium differuerunt. Ex qua antiquissimorum scriptorum collectione patet, legislatores illos veteres, (hoc enim nomen magis mereri quam philosophorum, acta eorum loquuntur) parabolis, exemplis, fabulis, carminibus, ritibus atque cultu publico ad cicurandos hominum ferorum animos, nectendam articulis suis ciuitatem, imperium formandum, obligandos subditos vsos fuisse. Negari autem nequit, magnam in ea re prudentiam principes hos adhibuisse, adque id acutissimas cogitationes collineare iussisse, vt tota virtutis ratio elegans et commoda euaderet, et praecipue reipublicae salutaris,

o) IDEM p. 120. p) l. c. p. 20 q) l. c. p. 173. r) loc. cit. s) loc. cit.

lutaris, quem in finem populum paucis legibus, principem, eiusque administros, regionum praefectos et gubernatores multis regulis et monitis formare contenderunt, praeclarum ciuilis prudentiae specimen edentes. Qua de re tamen infra pluribus dicendum. Tanta autem horum librorum auctoritas inualuit, vt amplissimo commentario philosophi eos illustrarent. Inde enata altera collectio non minoris apud Sinas pretii, quae *Su-Xu*, id est tetrateuchus vocari solet, et planiori faciliorique dicendi ratione comprehenditur. Exhibet ea libros Confucii, *Ta hio* siue *scientiam magnam*, *Chum yum* siue *medium sempiternum*, *Lun yu*, siue *ratiocinantium sermones*, et opus Memcii *de Natura*, *Ritibus*, *Moribus et Officiis*. De quibus cum supra iam, quantum satis, dixerimus, hoc loco plura addere, nihil attinet. Tantae autem auctoritatis hi libri inter Sinenses sunt, vt si quis gradum inter literatos consequi velit, ex pentateucho vnum, tetrateuchum vero totum memoriter tenere necesse habeat. Tacemus alios commentatores, maxime *Ta-zivin* et *Singli*, de quorum auctoritate fideque cum LONGOBARDVS [t] differuerit, ille potissimum adeundus est. Hi vero licet ex disciplina Confuciana prodierint, longe tamen infra illorum scriptorum auctoritatem sunt. Et hanc quidem primam periodum philosophiae Sinicae, quam primam veteris partem commode appellauit cl. KORTHOLTVS [u], vocare licet, de cuius dogmatibus infra disputiemus. Nouam auspicatus est Confucius, cuius nominis celebritas tanta est, vt res eius curate hoc loco tangi mereantur.

Roosi, philosophus, quis fuerit?

§. VII. Fuisse ante Confucium philosophos traditiones Sinenses perhibent, quarum tamen fides an satis certa sit valde dubitamus. Narrat ex huius gentis relatione KAEMPFERVS [x], anno CCCXLVI, post mortem Xekiae siue IOCIV, ante C. N. natum fuisse Sokoki in prouincia Soo, Roosi quendam, quem mater annos LXXXI in vtero gestauerit, vnde quoque nomen Roosi, id est, infantis senis ab ea acceperit. Famam de eo fuisse, animam sancti Kasso, qui praestantissimorum Xekiae discipulorum vnus fuit, in eum transmigrauisse, eiusque ope ad excellentissimam naturae deorum, spirituum, immortalitatis animorum, futurae vitae, dogmatumque aliorum notitiam peruenisse. Ast, si modo vera est tota narratio, ea tantum ad Li-Lao-Kiun pertinet, de quo similia Sinenses narrare infra trademus. Quod si is Xekiae sectator fuit, conciliari ea cum originibus sectae Foënae in China nequeunt, quae seculo I. post C. N. demum illuc peruenit. Incerta itaque Iaponensium traditio videtur. Certiora sunt, quae de

Confucius.

Confucio Sinenses tradunt, cuius memoria ad hodiernum diem venerabilis apud eos est, et omnium celebratissima. Quo factum, vt inter Europaeos quoque, ex quo annales Sinenses apud eos innotuerunt, celeberrimis antiqui orbis philosophis adnumeraretur. Rerum autem Confucii historiam ex monumentis Sinicis dederunt COVPLETVS [y], atque B. T. S. BAYE-

t) pag. 174.
u) In Diss. de Phil. Sinens. veteri, media et noua, quae praefationem Vol. II. Epp. Leibnitii continet.
x) Descript. Iapon. P. I. p. 67.
y) loc. cit.

S. BAYERVS [z], qui consulendi. Nos strictim more nostro res eius prosequemur. Domesticum philosopho nomen KIEV CHVM NHI est, CON FV çV, quod corrupta Lusitanorum pronuntiatio in Confucium commutauit, nomen honoris et meritorum est, quod tamen quid significet, accurate dicere scriptores rerum Sinensium nequeunt; verisimile autem est, doctorem venerabilem Chum, vel Con significare. Iaponensibus, apud quos non minus, quam apud Sinenses eius memoria celebratur, Koosi, vel Koo [a] dicitur. Natus est anno ante N. C. IDLI, quem CCXCIX post Xekiae mortem fuisse, obseruat KAEMPFERVS [b]. Patriam nactus est, regnum Lu, quod hodie Xantung dicitur, editus in pago çeu ye. Patrem habuit Xo leham he, praefectum regni Sum, ex imperatoria stirpe prognatum, matrem, Chim, dictam, ex generosa familia Yen oriundam. Natiuitatem eius miraculosam fuisse fabulantur Sinenses et Iaponenses; et futurae praestantiae atque sapientiae singularia prorsus indicia prae se tulisse; auditam esse musicam coelestem eo nato, duosque dracones illi lauando adstitisse, quaeque alia sunt, illis, quae de Apollonii Tyanei natiuitate feruntur, valde similia, excogitata sine dubio a successoribus, vt maior communi nascentium sorte videretur. Patrem triennis amisit, matrem ad vigesimum primum aetatis annum superstitem habuit. Sex annorum puer morum grauitate, et quod KAEMPFERVS quoque obseruauit, staturae proceritate viros adaequauit [c]. Nunquam enim visus est cum pueris lusitare, tam deuotus, vt cibos non nisi patrio prius ritu coelo venerabunde oblatos attingeret. Quindecim annorum adolescens, veteri gentis literaturae se tradidit, euoluendisque priscorum sapientum voluminibus immersit, deinde ad cognoscendos ritus ciuiles delatus est. Decimo nono, vel vigesimo anno vxorem duxit, Kien quon Xi, filiumque ex ea, Pe yu, suscepit, quem quinquagenarius, relicto nepote vxorem triennio prius morte amisit. Doctrinae vero et prudentiae laude eminens, et natiuitatis conditione illustris muneribus splendidis summisque magistratibus in variis locis praefectus est. Quibus ita fungi studuit, vt et publicae vtilitatis ratio constaret, et doctrinam publicis emolumentis emendandisque hominum moribus destinatam propagaret. Quare vbi hanc sibi spem deesse intelligebat, magistratu se abdicauit. Factum id quoque cum in aula regis Lu voluptates triumpharent, et corrumperetur principis animus cunctis foeminarum insidiis ad effoeminatos mores dilapsis. Hos enim cum emendare frustra tentasset, sponte magistratum, quem in ea prouincia gesserat, deposuit, exiliumque elegit, regna Sinensis imperii varia, peragrando, aerumnas passus, pauperiem, in-

z) Mus. Sinic. T. II. p. 214. 246.

a) KAEMPFER. l. c. T. II. L. III. c. 6. p. 67.

b) l. c. Incerta tamen tempora Xekiae sunt: Confucii autem satis certis Sinensium testimoniis definiuntur, licet dubitet cel. HVMANNVS Act. Phil. T. II. p. 226. de hac enim, qua Confucius vixit, aetate Sinensium chronologia incerta haud est, vixisseque diu ante C. N. ex sectae Foënae historia intelligi potest.

c) Gigantea statura fuisse Sinenses fabulantur, latis humeris, pectore amplo, subfusco colore, oculis nigris et praegrandibus, capillo nigro, barba promissa, naso simum, voce graui, tonitru instar sonante.

sidias et persecutiones haud paucas. In regno Sum vero scholam tandem priuatus aperuit, et moralem doctrinam professus est. Vbi ingenti discipulorum, quos ter mille numerauit, applausu exceptus, amplissimis successibus disciplinam suam propagauit. Inter eos virtute doctrinaque eminuere septuaginta duo, tantae existimationis, vt hodie eorum nomina, cognomina, patria, resque aliae memoriae hominum inhaereant; quinquenti extiterunt, qui variis in regnis magistratus gesserunt. Eos quatuor ordinibus distinguere, pro doctrinae, quam elegit, methodo placuit. Supremus in excolendo virtutibus animo posuit diligentiam; secundus ratiocinandi dicendique exercitationi vacauit; tertius dispexit de regimine politico et muneribus publicis rite administrandis; vltimus morum doctrinam, exotericam populoque tradendam, eleganti aptataque dicendi ratione proponere didicit. Veterum autem scripta explicando, hoc quoque pacto sapientiam priscorum legislatorum propagare studuit, ex quo enati illi libri sunt, quos eum conscripsisse, et discipulos nepotesque eius edidisse supra diximus. Tanto ideo discipulorum amore dignus visus est, vt defunctum per integrum annum non sine inedia, et lacrymis, lugerent, quidam triennium in eodem loco moesti persisterent. Supra modum autem eius vita, digno philosopho habitu formata et secundum virtutis praecepta acta extollitur. Totus enim pietati litabat; et philosophiam vita magis, quam voce exprimere contendebat, dignitates autem et munera publica eo tantum fine suscipiebat, vt et populo prodesset, et animos doctrina emendaret, morumque integritatem promoueret. Quod eo facilius fieri potuit, quia eius animo mirus virtutum concentus, moderatio atque continentia, aequitas atque fides, et cum grauitate iuncta lenitas insidebat. Sibi tamen ipsi seueriſſimum attentumque censorem se praestitit. Qui cum ad animi diuitias vnice respiceret, ita honores opesque contemsit, vt in vnis doctrinae et philosophiae latifundiis acquirendis amplificandisque laborem omnem poneret. Qualis cum esset, nec ambitio tamen corrupit animum, nec morum insolentia grauis fuit, sed ornauere virtutes reliquas modestia, et vultu et sermone demonstrata, quae tanta fuit, vt ne quidem a se ipso arguendo abstineret. Diligentiam autem atque constantiam in docendo tantam, quantam potuit, praestitit, etsi sibi non semper se satisfacere publice fateretur. Doctrinam vero non modestiae modo causa, sed auctoritatis quoque gratia ad priscos reges et legislatores retulit, nec se verum perfectionis gradum attigisse fassus est. Tolerantia porro laborum tanta, et adeo inuictus eum animus ornauit, vt omnibus fortunae insultibus ipsoque mortis periculo superior nullo metu frangi posset. Et haec quidem de Confucii vita Sinenses tradere, Iesuitarum fide nouimus, cuius vitae sanctitatem tantam fuisse Iuuencius [d], ait, *vt nonnullis persuasum sit, haudquaquam hunc a rationis communi schola philosophum prodiisse, sed certo numinis consilio datum, qui tenebras Orientis*

d) loc. cit.

Orientis doctrina exemploque discuteret. Quae verba cum retulisset MINORELLI [e], *miratum se esse*, ait, *post tot ac tantas laudes, quae prophetam, apostolum, et primae notae sanctum exhibent, dicere quoque historicum basilicas sanctimoniae Confucii ab imperatoribus fuisse excitatas; rectèque quaeri an fieri posset, vt Confucius ab ipsis patribus societatis sanctus non haberetur.* Qua de re lectori iudicium permittimus, obseruamus autem, KAEMPFERO [f] quoque, qui Protestantium sacris addictus fuit, teste eandem vitae laudabiliter et digne actae opinionem de Confucio inter Sinas et Iaponenses obtinere. Qui annon auctoritatis praeiudicio seducti, et gentis suae admiratione, qua insanire solent, in praeceps rapti aliquid affectui dederint, eo minus definiri potest, quo minus alia, praeter Sinarum relationes monumenta de Confucio extant. Obiit Confucius maximo omnium, regis quoque procerumque luctu annos natus LXXIII in regno Lu; quo cum discipulis reuersus erat, prope vrbem Kio Feu, sepultus ad littora fluminis Su in ea, quam excitauerat et docuerat, academia; quae hodie quoque, testibus Iesuitis, muris ideo cincta est.

§. VIII. Tanta cum esset viuentis Confucii admiratio, mirum non est, maximam eius post fata venerationem fuisse. Et disciplina quidem Confuciana, quae per duo, et quod excurrit, annorum millia perdurauit, tanti fit hodie, et facta est semper, vt ad munera publica atque Mandarinorum dignitates, gradusque literatos [g] peruenire nemo possit, qui non eam rite pernouerit, vnde ex libris Confucianis candidatorum profectus explorantur, et quo quis in hoc doctrinae genere est illustrior, eo fauentiorem sibi occasionem obtigisse credere potest, ad opes et dignitates perueniendi. Gymnasia autem ludique literarii, qui Confuciana disciplina personant, in omnibus vrbibus oppidisque amplissima patent, atque in frequentioribus vrbibus non vna tantum aula Confucii, excitata [h] est, sed aliquot eiusmodi gymnasia frequentantur. Quorum tanta veneratio apud principes quoque viros est, vt qui ex literatorum ordine publicis magistratibus funguntur, quamprimum eiusmodi aulam attingunt, e sella, qua sublimes more gentis gestantur, descendant, et passus aliquot pedes viam perficiant. In frontispicio harum aularum, tituli Confucii literis trabalibus auratisque descripti leguntur, hoc modo: *Magno magistro, illustri literatorum regi, sancto item seculorum magistro, immaculato regi sancto.* Tacemus et statuam ei positam, quam exhibet ex Trigautio SPIZELIVS *, et decretum valde honorificum, ab impetatore Yum

Honores Confucii post mortem.

e) l. c. p. 162. f) loc. cit.

g) Gradus honorum literarios tres Sinae habent, qui satis apte cum Baccalaureis, Licentiatis et Doctoribus nostris comparantur, de quibus post SPIZELIVM de Literat. Sin. S. III. p. 31. multa memorabilia affert P. ANT. DE S. MARIA in Obs. de Missione Sinica Vol. II. Epp. Leibniz. p. 283. seqq.

h) Ita perperam ARNOLDVS ad Roger. p. 721.

*) l. c. p. 119. ARNOLD. l. c. p. 578. Alii vero statuam illi non positam esse contendunt, sed tabellam. Ast statuas et imagines eius varias reperiri testis αὐτόπτης est MINORELLI l. c. p. 170.

lo, cum aliquando gymnasium Confucii adiret, editum, quo imperatorum eum atque regum magistrum salutat, eo quod rectam populorum institutionem proposuerit, vincula normamque virtutum et Sinensis imperii magnam symmetriam et formam declarando [i]. Familia autem Confucii, quae vltra duo annorum millia ad hunc vsque diem perdurauit, serie haud interrupta, ob conditorem peculiari honore colitur. Gaudet enim haereditario Mandarini, id est, praefecti prouinciis rebusque publicis, iure, quod non nisi regii sanguinis hominibus concedi solet. Quotquot vero singulis trienniis summos eruditionis honores doctorisque gradum suscipiunt, pignus aliquod, reuerentiam Confucio testaturi, posteris eius submittunt. Ipse Confucius singulis nouiluniis et pleniluniis a literatis et magistratibus in istis gymnasiis confluentibus peculiari cultus genere honoratur, quod ab eo tempore magnarum litium argumentum sacerdotibus in has terras euangelii praedicandi caussa missis, praebuit, quod Iesuitae ciuilem eum cultum esse adeoque permitti Sinensibus ad Christianam religionem conuersis posse, contenderunt, religiosum vero esse, adeoque idololatriae specie non carere affirmauerunt aliorum ordinum sacrorum missionarii. Ita vero cultum Confucii describunt, qui in istis oris fuerunt. Cum in more positum sit genti Sinicae animabus defunctorum parentum certo modo sacra facere [k], ea imprimis fieri Confucio. Nempe excitatam esse prope quodlibet gymnasium Confucianum, aedem sacram memoriae eius sacram, inque ea collocatam conspici tabellam, cum hac inscriptione: *Thronus seu sedes animae sanctissimi ac superexcellentissimi protomagistri Confucii.* Singulis vero auctumni verisque aequinoctiis omnem literatorum gentem ad hanc aedem confluere, vt communem Sinicae gentis magistrum solenni oblatione veneretur. Praecipuum Mandarinum, qui loci eius gubernator est, sacerdotis officio fungi, literatos alios diaconorum, subdiaconorum, magistri ceremoniarum, et acoluthorum partes obire: tum peculiaribus ceremoniis sacrificium Ci, offerri die prius electo, praeparatisque ieiunio et abstinentia corporibus. Hostia vero prius explorata, incensis cereis, genua omnes flectere, et preces fundere, tunc attolli calicem sanguine, aliumque vino plenum libatumque affundi statuae; et his peractis benedictione dicta concionem dimitti. Non patitur locus et instituti ratio, vt celeberrimam controuersiam, toties coram sede Romana ventilatam et aliquoties definitam de cultu demortuorum, maxime Confucii apud Sinenses hoc loco enarremus, librosque indicemus, qui de hoc argumento copiose egerunt; illud enim ad annales ecclesiasticos, hoc ad literariam historiam scriptorum ecclesiasticorum pertinet, vtrumque ab instituto nostro alienum est. Scriptores autem cum enumerarint, PRITIVS,

i) COUPLET. l. c.

k) Conf. BVDDEVS de Superstitiose demortuorum apud Sinenses cultu, Anal. hist. phil. p. 287. E. PRITIVS pec. diss.

TIVS, BVDDEVS [l], WOLFIVS [m], triumuiri de re literaria meritiſſimi, illi conſuli poſſunt, vt abiecto partis ſtudio intelligatur, an ſatis rationum fuerint ſedi Romanae, vt hunc cultum velut impium, aliquoties, etiam poſt mortem Tournonii cardinalis damnaret. Praecipue vero in hac inquiſitione ad id attendendum, vtrum cultus ille demortuorum, imprimis Confucii, cum cultu ſpirituum, quem religioſum eſſe apud Sinas conſtat, idem ſit, et ceremoniae quoque, quae eum abſoluunt, coincidant, adeoque ex eodem fundamento peragantur. Hoc enim ſi verum eſt, ſuſpectam Ieſuitarum cauſſam eſſe nemo non intelligit, cum religioſam adorationem inferant. Id quod aliter viſum LEIBNIZIO τῷ παντι [n], in Sinenſium literatura valde Ieſuitarum partibus fauenti; aſt, vt alios taceamus, ANTONIVS DE S. MARIA Franciſcani ſodalitii alumnus, euidentiſſimis, niſi fallimur, rationibus confecit [o], non modo Confucium inter reliqua idola coli ponique eius ſtatuam, ſed et ſacrificia illi oblata eadem prorſus eſſe, quae idolis ſpiritibusque coeli et terrae offeruntur, qui ſtupuiſſe ſe, ait, cum vidiſſet, inter nos inueniri, qui cultum Confucii Sinicum ciuilem, non vero religioſum eſſe ſtatuerint, cum inter Sinas veram ſacrificii rationem eum obtinere ſit notiſſimum. Tacemus alia ab eo ex Sinenſium rituum circumſtantiis adducta, quibus euincere conatus eſt, omnes habere proprietates cultus, qui Sinenſibus religioſus habetur. Id quod probe eum ſtabilire, iudicat, et firme demonſtrare, quod non temere ſuſtineat, ven. KORTHOLTVS [p], quibus haud grauatim ſubſcribimus. Tandem non virtutis duntaxat laude, ſed et doctrinae praeſtantia illi Confucium extollunt, quibus Europaea fere omnia prae Sinicis ſordent, nam et virtute muniuiſſe pectora contra vitiorum et affectuum peſtes contendunt, et pie ſatis atque orthodoxe de numine ſenſiſſe perhibent, et imprimis laudant, quod idololatriae pariter atque atheiſmo philoſophiae ſuae decreta oppoſuerit. Vnde velut alterum Socratem [q] in has oras miſſum eſſe contendunt, vt animos ad philoſophiae lumina reuocaret.

§. IX. Egregia prorſus haec omnia eſſe, et talia, vt ſui exemplum inter Europae philoſophos vix habeant, fatendum eſt. Vtrum autem Confucius talis fuerit, qualem Ieſuitae et amici eorum deſcribunt, de eo videas viros doctos haud paucos dubitare, et huiusmodi naeuos in Confu- *Reprehenſa in Confucio.*

l) ll. cc.

m) Not. ad Caſaubon. p. 342. Prae reliquis autem conſulendus eſt NIC. CHARMOS. in Annot. ad Maigroti Hiſt. cultus Sinenſis, ARNALDVS in Praxi morali Ieſuit. T. III. P. 2. c. 20. p. 499. T. VI. VII. et imprimis collectio ſcriptorum, quae hoc titulo: Hiſtoria cultus Sinenſium, ſeu varia ſcripta de cultibus Sinarum inter vicarios Apoſtolicos et PP. S. I. controuerſis, Col. 1700. 8. prodiit.

n) Praef. Nouiſſ. Sinicorum. o) l. c. p. 275.

p) Mediam ſententiam eligere placuit ven. MOSHEMIO Ethic. Chriſt. P. II. c. 1. p. 348. qui non cultum quidem idololatricum et diuinum, ſed ſuperſtitioſum tamen et periculo plenum, nec Chriſtianos decentem eſſe contendit. Quae facile admitti poſſunt, quia non de cultu ſummi numinis, Sinis forte ignoto, ſermo eſt, ſed de cultu qualis coeli terraeque ſpiritibus exhibetur, qualem eſſe ipſe vir celeberrimus fatetur. Aſt ille plane religioſus apud Sinas eſt.

q) IOVVENCI l. c. quem ſequitur CLERICVS Sylu. phil. c. II. §. 7. p. 214. Ferri id certe ſenſu poteſt.

Confucio deprehendere, qui ſplendorem gloriae eius haud parum obfuſcant. Fecerunt id imprimis Dominici et Franciſci ſodales, et vicarii apoſtolici in illa loca miſſi, qui longe aliis coloribus Confucium nobis depingunt. Maxime ad quem toties prouocauimus MINORELLI [r], calamus in eo ſedulus fuit, vt quam ſubdole heroëm hunc ſuum pinxerint Ieſuitae oſtenderet. Cuius rationes potiſſimum ex doctrina Confucii deriuat, obſeruando 1. Confucium a Riccio commendatum fuiſſe, quia, quae de altera vita neſcierat, tacere, quam comminiſci maluiſſet, et legis ſuae praecepta ad vitam cuique conſtituendam, et familiam regnumque ex aequo et bono gubernandum direxiſſet. Ita enim Confucium ignorauiſſe futuram vitam recte inde euinci putat. Quod argumentum valde roboratur, ſi expendatur, quod in annalibus Sinicis traditur, doctrinam Xekiae exotericam, diu poſt Confucium in Chinam delatam ideo latiſſime ſe extendiſſe, et Confucianae diſciplinae obſtitiſſe, quia poenarum praemiorumque metum atque ſpem annunciaſſet. Ex eo enim recte concluditur, Confucianae doctrinae alumnos, de hoc dogmate minime curioſos fuiſſe. 2. Vrget Dominicanus: falſo Confucio tribui pietatem erga ſupremum coeli dominum. Nusquam enim haec in toto Confucio eiusque diſcipulis, qui eius vitam ſcripſere, nuſquam in libris Sinarum claſſicis ea verba legi, ſed haec: *coelo obſequendum*, *colendum coelum*. Vocem vero coelum Latine vertere coeli dominum, ſupremum coeli dominum, praecipue poſt tot ſcripta his de rebus edita, poſt auditos tam diu ſocietatis procuratores, poſt damnatam duplici decreto S. ſedis; hoc illud eſſe quod pertinacem in idololatria tuenda et non parendo S. ſede voluntatem multi nuncuparent. Idque eo clarius eſſe, quod PP. Intorcetta et Couplet in vita Confucii, dicant, oblata Confucium edulia non ante delibauiſſe, quam priſco ritu, qui Chu ten dicatur, coelo (non coeli domino) venerabundus obtuliſſet, virtute, qua ipſi coelo inniteretur: voluiſſe omnes obſequi coelo, ipſum timere et colere. Haec Confucium, haec atheos omnes in China dicere. 3. Monet porro: Confucium nihil praeter materiam, et vim illi congenitam cum aliis Sinarum atheis admittere: vim illam, in qua Sinae hominum naturam conſtituant, ipſamque materiam a coelo tanquam a patre, et a terra tanquam a matre nobis inditam arbitratum fuiſſe. Tandem et hoc 4 addit, verum quidem eſſe, falſa numina Confucium non coluiſſe, quae duae illae, praeter literariam, ſectae introduxerunt; Foënam enim ſexcentis poſt illius obitum circiter annis in Chinam allatam eſſe Lao Kiun, qui aetate Confucii vixit, multo poſt ea, quantum ad idolorum cultum, conflatam ſectam eſſe. Neque tamen ideo caruiſſe falſis numinibus dicendum eſſe, cum coelum, terram, ſolem, lunam, montes et aquas coeli terraeque militiam coluerit. Oppoſuit his et huius generis monitis aliis a Longobardo, Antonio de S. Maria aliisque allatis, loca librorum claſſicorum ipſi-

usque

r) l. c. p. 146. 164. ſeqq.

usque Confucii, quibus saniora docuisse philosophus videtur Iesuitarum industria: plura cumulauere ad tuendam Confucii caussam LEIBNIZIVS et KORTHOLTVS s). Ast, vt verum fateamur, quod illustris Confucii aduocatus contendit, ineptam et impiam significationem recentiores demum commentario illi affricuisse, sana suo sensu plano et per se patente esse verba quae afferuntur, principium petere videtur. Cum enim tota controuersia in eo versetur: vtrum coelum eiusque vim congenitam, siue spiritum insidentem, adorauerit, Confucius, an coeli imperatorem, frustra, nisi nos omnia fallunt, ad interpretationem Iesuitarum prouocatur, et quod in quaestione est, probationis loco affertur. Verum de eo infra pluribus dicendum. Displicebunt haec sine dubio illis, qui Franciſci et Dominici sodales dedisse aliquid partium studio, conqueruntur, et affectibus plus iusto litauisse credunt. Ast inter Protestantes quoque haud pauci sunt, qui excussa caussa Confucii, auditaque parte vtraque dignum iis laudibus Confucium esse non putant, quibus eum panegyricorum scriptores mactant. Inter quos imprimis illustris MOSHEMIVS t), et omnem Sinensium philosophiam, et imprimis Confucium, eiusque res atque dogmata tanta accuratione ἄνευ παθῶν considerauit, vt non posset non pulcherrime sententiam de celebratissimo philosopho, ast multis de caussis nimis laudato, definire. Is primo quidem, postquam obseruasset, ea tantum, quae laudem merere videri queant, a scriptoribus de Confucio panegyrici in morem nimium extolli, reliqua aut taceri, aut emolliri, characterem hunc esse philosophi, ait, vt in statura longa et eminenti resedisse dicatur seueritas quaedam, lenitate iucunde temperata, ingenium meditabundum et virtutis atque ordinis studio ita affixum, vt non nisi illis moueretur, quae hanc, quam in animo sibi formasset, regulam laedere apta essent, et tum specimina meditationis luculenta ederet: commoditatum vitae autem parum curiosum in his, quae plerumque homines afficere solent, nihil quod animum delectet, inueniret, in id vnice intentum, vt tranquillam post se et pacatam relinqueret societatem hominum. Quo ipso concedit rationis vsum, ordinis amorem, propositi constantiam et fortitudinem, licet diuersis gradibus iunctas temperatasque inter se in Confucio fuisse, indeque omne illud proueniisse, quod in admirationem et Sinenses et Europaeos haud paucos conuerterit. Ast non minoribus eum naeuis quoque scatere obseruat, licet illi a scriptoribus sileantur, eosque ex historia eius colligendos esse recte monet. Cuius exemplum esse potest, quod magna quidem constantia cum perpetuis persecutionibus et miseriis colluctatus fuisse dicatur, et tamen inexpectato applausu, et admiratione eius disciplina recepta, fatoque functus, a rege regni Lu amare defletus sit, quod eum maximi semper feciſſet. Ex quo vno specimine constare potest, quaedam reticuisse eius biographos, vt virtutis, quam in eo extollebant, splen-

s) Praef. Vol. II. Epp. Leibniz. qui virum illustrem totum sequitur. t) loc. cit.

ſplendor eo pulchrius eluceret. Nec melius cohaerent, quae de eo narrantur: morti proximum non exclamauiſſe modo: *praegrandis mons, quo decidiſti! trabalis machina euerſa eſt; ſapientes et ſancti exarueres;* ſed et ſeptimo ante mortem die ad diſcipulos dixiſſe: *Superiori nocte per ſomnium viſa mihi ſunt in aula iuſta fieri. Reges, quae doceo, non obſeruant: ecquis horum per imperium noſtrum inſtituti mei ſectator et cultor eſt? Hoc vnum ſupereſt, vt moriar.* Vt enim taceamus, mouere haec poſſe ſuſpicionem, faſtus cuiusdam, indignantis, quod, quam moliebatur ſectam, non tanta, quanta putabat, mole exſurgere videret; male haec cohaerent non modo cum regis illius terrae, in qua obiit, admiratione et cultu; ſed clare etiam produnt, initia diſciplinae Confucianae praegrandes montes et trabales machinas prae ſe tuliſſe, adeoque non tanta inuidia, quanta dicitur, fuiſſe preſſam. Ipſam vero virtutem Confucii, tam egregiam non fuiſſe, vt plerumque depingi ſolet, eleganter obſeruat vir eruditiſſimus. Nam quamuis demonſtrari liquido nequeat, nullam ſummi alicuius numinis notitiam, licet obſcuram valdeque confuſam eum habuiſſe, verum tamen eſt, quod in morum doctrina ad eos omnis virtutis neruos et rationes non reſpexerit, quibus ad praeclarum vitae modum actiones humanae conſtringuntur. Ad vnam enim rationem coelitus homini inditam prouocat, indeque cultum et reuerentiam coeli inculcat. Aſt hanc rationem feris illis gentis ſuae maioribus iam adfuiſſe, et ipſe contendit, et ſectatores affirmant. Horum itaque cognitionem ad vitam rectam ſufficere credebat, nec vt ea clarior emicaret, et certa omnis moralitatis fundamenta imprimerentur, vnquam ſibi in mentem venire paſſus, de Deo eiusque attributis, de animae natura morali, de futura vita, de praemiis poenisque poſt fata altiſſime ſiluit. Quae vt mediocris ingenii ſpecimina a nemine facile neganda eſſe recte vir ſummus monet, ita probe obſeruat praeclaram, quam prae ſe ferebat, diſciplinae ſuae conditionem ex eo tantum ortam eſſe, quod, cum naturali indolis inclinatione, ad ordinis iuſti et rerum omnium apte inter ſe colligatarum ſeriem vehementer ferretur, omnem ingenii vim in hoc vnum contulerit, vt media excogitaret, quibus diffluentes voluptatibus et prauis moribus res Sinenſium in ordinem cogerentur, et tranquillioris reipublicae forma reſtitueretur. Hac vna ſphaera, ſatis, ſi totum ſapientiae ambitum contuearis, arcta cum ſe concluſiſſet, non potuit non in reliquis omnibus cum ciuibus ſuis caligare, nec mirandum magnopere eſt, deſtitui totam eius diſciplinam ciuilem, quamuis pulchram, neruis, atque nec ex fundamentis ſuis deduci, nec rationali inter ſe modo connecti, deeſſe rationes praeceptorum, cunctaque, velut ſcopas diſſolutas diffluere. Quae, vt porro vir eruditiſſimus inſtat, diuitias quidem intellectus particulares, at non vniuerſales innuunt, et ab omni philoſophiae accuratione longe abſunt. Vnde merito mirandum, Confucium ab admiratoribus eius Zenoni, Euclidi, Platoni, Ariſtoteli praeferri, quos ſi concedamus ab eo, ciuili prudentia

dentia vinci, illis tamen aedificii philosophici constructione, soliditate, et rationum neruis, sine quibus friget nutatque philosophia, valde est inferior. Neque ex eo, quod ingeniosissimi viri, inter quos excellit illustris Bulfingerus, nexum quendam ethicae Confucianae politicum eius regulis conciliauerint, aliquid pro Confucii ingenio concludi potest. Hoc enim horum scriptorum acumini tribuendum est, nec fieri potuit, nisi adiectis, mutatis, inflexis multis, de quibus Confucius non cogitauit. Quem, cum tantus sapientiae doctor esset, in methodo quoque esoterica tantopere vulgus imitatum fuisse, omnino mirandum est. Pergit vir perspicacissimus: in eo quoque prodidisse infantiam suam Confucium, et, quod naturam hominis moralem ignorauerit, ostendisse, quod ad prima doctrinae suae obstacula mox animum demiserit, et disciplinae culturam in iis regionibus, vbi eam proposuerat, abiecerit. Non eiectum fuisse eum in exilium, sed summis magistratibus praefectum, et impense honoratum: ast fructum doctrinae suae, quae non nisi cum tempore in messem exsurgere potest, non expectando, eos agros deseruisse, in quibus vix sementem fecerat. Haec enim vt recte monet, aut fastum paedagogicum, sibi illico credere postulantem produnt, aut magnam naturae humanae mores corruptos sensim tantum emendantis ignorantiam, aut patientiae defectum. Tale cum ingenium Confucii fuerit, de virtutibus animi eius, quae nonnisi luce intellectus collustratae splendere possunt, non multo praeclarius secundum Moshemium, iudicari potest. Nam quid de eo doctore cogitandum, qui vulgus, quod et multitudine alios vincit, et corruptis moribus, negligit, imperatores vero, eorumque regulos principesque viros suae disciplinae alumnos tantum cupit, hos aggreditur, his non magis persuadere rationibus, quas non affert, quam imperare praeceptis cupit, hos cum perditissimos luxu, voluptate, ambitione, tyrannide, videt, emendare, velut rex regum tentat, vbi nuntium mittere illico recusant, quamuis muneribus illis admotus, quibus pondus addere disciplinae posset, aulas deserit, alios quaesiturus, qui sponte obediant, et sine recalcitrante animo disciplinae iugum subeant? Recte, nisi nos omnia fallunt, quaerit vir acutissimus, annon imperandi cupiditas, cui ambitionem paedagogicam addere licet, causa impellens fuerit, qua commotus ad emendandam gentem suam accesserit. Nec animum vel meliorem vel sapientiae et prudentiae regulis satis subactum prodit, quod, cum vidisset, frustra subitam aularum emendationem expectari, secessum petere, et in solitudinem aufugere, quam disciplinae constantia et animi fortitudine fortunam expugnare, et prudenter mediis inhiare, quibus perficere sapientiae conatus posset, maluerit: id quod luculento exemplo desertae aulae regni Lu, ob voluptates, quibus eius disciplina valde emergens interrupta erat, illustratur. Nec quem in debellandis vitiis vrgendisque virtutibus demonstrauit zelum ex prudentiae praeceptis, sed solo naturae, ordinem et tranquillitatem amantis, instinctu enatum esse, monet Moshemius.

Nam non tempori prudenter inseruiuisse, non captasse occasiones et commodam tempestatem, qua doctrinae semina vtiliter spargi possent, non accommodauisse se ingeniis, non amarorem disciplinae humanitate temperauisse, sed ἐυκάιρως ἀκάιρως in aulis non aliter quam ad vulgus seueritatem praeceptorum austeritate insolita demonstrauisse, neglectus eius doctrinae et persecutiones demonstrant. Nec obiici potest, tantum fuisse, omnis virtutis et doctrinae odium, vt exaudiri plane et admitti non potuerit, obstitisse corruptionem infandam, vt aures patulas nuspiam inuenerit. Nam contrarium nos docent narrationes Iesuitarum ex annalibus gentis sinicae haustae, ex quibus constat, quamuis ab omni voluptatis, auaritiae, iniustitiae aliorumque vitiorum specie esset remotissimus, attamen et maxime fieri eius sapientiam tantique haberi coepisse, vt ob admirationem eruditionis integrarum prouinciarum administrationi praefectus fuerit. Hoc enim non illis contingit, qui circumforaneam sapientiam venditant, sed qui ob praeclaram doctrinam maximi fiunt. Quod cum Confucio euenerit, annon recte inde inferas, non hominum pertinaciam, morum emendationem refugientem, sed morosum et laboris impatientem Confucii animum disciplinae flores praemature suffocauisse, et verisimile esse, prudentiae expertem morum praecepta ita effudisse, vt offendere magis principes, quam emendare voluisse videretur. Ex quibus parca a nobis manu datis, at eleganti et facunda dissertatione a viro magno explica-
„tis, constare potest, recte eum definiuisse: „Confucium non quidem in-
„genio caruisse, at magno tamen et excellentissimo non eminuisse. Vsum
„enim acumine particulari, ad totum Sapientiae et veritatis regnum ani-
„mo complectendum aciem oculorum extendere non potuisse. Et fi-
„nem quidem aliquem rectum eligere aptum, mediis ad eum obtinendum
„idoneis inueniendis non sufficisse, nec disciplinae ad eiusmodi scopum
„facientis neruos satis vel intellexisse vel apte sociauisse. Ergo inue-
„niendis veritatibus non nato ducibus opus fuisse, sine quibus facile erra-
„uerit. Eos autem non longo rerum vsu et multorum seculorum expe-
„rientia eruditos, sed vetustissimos gentis suae legislatores in aurora tan-
„tum sapientiae versatos elegisse, quos et antiquitas obscuros fecerit, et
„experientiae defectus non satis commodos ipsoque Confucio simplicio-
„res. Nec defuisse quidem ei dotes animi nonnullas, quibus maxima
„eminere soleant ingenia, ast nec omnes habuisse, nec iusto ordine con-
„nexas. Vitiorum enim odio, ordinis amore, salutis patriae cupiditate,
„emendandorum principum virorum voluntate, vitae naturali rectitudi-
„ne constantis vsu, honorem laudesque mereri, non vero philautia in-
„signi, pertinacia, patientiae defectu. Ex quo constare possit, de magni-
„tudine Confucii pronuntiaturos certa id tantum relatione facere posse,
„vt inter coecos luscum imperare dicimus.“ Hactenus Moshemius: qui eius quoque doctrinam moralem examinat, quam infra rectius tangemus. Afferenda hac paulo prolixius fuerunt, cum non modo memorabile exemplum

plum ſuppeditent, quomodo de philoſophis magnis, ſine fauore, ſine odio iudicandum, et ſcopuli euitandi ſint, ad quos impingunt, qui nihil non laude dignum in magnis viris vident: ſed et σοφὸν φάρμακον eſſe poſſunt, laudibus in Confucium praeter rem veritatemque a nonnullis cumulatis, qui ſententiam, certis ex rationibus ſibi deamatam ſequi, quam examinare ſine praeiudicio rem ipſam malunt.

§. X. Fuit haec diſciplina Confucii, quae tantum ad noſtram vsque aetatem ſtrepitum inter Sinas edidit, vt in Europaeorum quoque auribus perſonuerit. Praeter hunc celeberrimum morum magiſtrum, circa eadem tempora alius quoque extitit philoſophus, eo licet paulo ſenior, cuius non minor apud Sinas, quam ipſius Confucii, honor eſt atque veneratio. Fuit is LI LAO KIVN, quem Pe-yam quoque vel Lao-tan vocant. Hunc poſt octogeſimum primum conceptionis annum ex latere matris iſto partu pereuntis prodiiſſe fabulantur. Ex quo, tempore quoque concordante, colligimus, eum cum Rooſi Iaponenſium, de quo ſupra dictum, vnum eundemque eſſe. Non contemnenda fuiſſe eius philoſophiae praecepta COVPLETVS refert [u]; tribui enim illi ſententias de virtutibus, honorum fuga, contemtu opum rerumque humanarum, et de beata illa qua animus humanis rebus ſuperior frui queat ſolitudine. Putat quoque Ieſuita, in doctrina de Deo ſatis orthodoxum fuiſſe, eſſe enim inter ſententias ei tributas hanc praecipue, qua decantatiſſima ſit inter eius ſectatores: *Lex ſiue ratio produxit vnum, vnum produxit duo, duo produxerunt tria, tria produxerunt omnia.* Aſt obſcuriſſimam hanc eſſe ſententiam, et cothurnum cuiuis pedi adaptandum, nemo non videt: emanationi quoque magis conuenire, quam rectae de Deo doctrinae, ex natura ſyſtematis emanatiui notum eſt. Quod cum in toto Oriente inualuerit, non ab omni veri ſpecie abit, philoſophum Sinenſem, idola quaedam vel principia ex vi coeli ſiue ſpiritu enata indicare voluiſſe [x]. Aſt in re obſcura nihil definiemus. Valde addictum fuiſſe hunc philoſophum alchemiae ſtudio, ſunt qui aſſerant; notum enim, longaeuitati vitae, et metallorum mutandorum myſteriis plurimum tribuere Sinenſes, et ex his illius conſequendae medium appetere [y]. Aſt veriſimilitudine traditio ea caret; recentius enim eſt, iſto tempore totum Alchemiae ſtudium, et ab Aegyptiis ad Arabes, ab his demum ad Sinas perlatum, vt recte obſeruatum HERM. CONRINGIO [z]. Obſcura itaque manent dogmata huius viri. Sectatores autem eius, Confucii diſciplinae valde aduerſos homi-

Fata philoſophiae Sinenſis poſt Confucium periodo ſecunda.

Li lao Kium.

u) l. c. p. 25.

x) Valde veriſimilis haec coniectura euadit, ſi Iaponenſium Rooſi cum hoc philoſopho eundem eſſe, et ex Xekiae diſciplina prodiiſſe admittamus. Egregie enim iſta ſententia cum ſyſtemate Foëno conſpirat. Aſt obſtat tamen ex certis demum annis poſtea doctrinam Foëmam in Chinam perlatam eſſe: niſi hoc de doctrina forte exoterica et idolorum cultu intelligas. Quae enim Coupletus refert, de animae ſolitudine, huic philoſopho valde commendata egregie Quietiſmo et enthuſiaſmo Xekiano conueniunt. Verum de his alii certius diſpiciant.

y) Conf. MORHOF. Polyhiſt. T. II. L. II. c. 7. §. 54. p. 430.

z) De Medicina Hermetica L. II. c. 14. p. 409.

nes, aiunt fuisse deperditis moribus artisque magicae studiosissimos, et ob eam magni aestimatos, qui corporeas de Deo notiones Sinensibus inculcauerint. Quae sine dubio caussa est, cur ipsi Roosi apud Iaponenses impia haec dogmata cum studio alchemiae tribuantur, teste KAEMPFERO. Quae vero cum disciplina Xekiana non conspirant. Non minori veterator iste in honore habetur apud Sinenses, quam Confucius et Foë siue Xekia; nam illi quoque vt his, tabula suspenditur, secta ab ipsis quoque Confucianis non negligitur, sed cum sua coniungitur; tantoque in pretio est, vt eius sectae Tao dictae, doctoris Chang y posteros eodem, quo posteri Confucii, in aula donatos honore fuisse ante annos quadringentos, cum iam diu veterator ille, et tota secta in honore esset apud imperatorem virosque primarios, referat MINORELLI [a]. Qui ex Adriani quoque Greslonii relatione tradit, sectam hanc praeter idololatriam, sexcentis quoque incantationibns ad longam vitam et diuitias obtinendas vti, ideoque in China receptam a plebe, Mandarinis et ipso imperatore esse, vt non secus a secta literatorum approbata dici possit.

Memcius Confucianus philosophus.

§. XI. Oppositisse se sectam Tao Confucianae disciplinae eamque valde oppressisse, Sinae narrant. Ortum autem illi nouum fidus, seculo post, in MEMCIO siue MEM-TSU, cuius scripta edidisse Noëlem supra diximus. Acutum hunc praedicant, et copiosiorem facundiaque superiorem Confucio, non item innocentia, vitae modestia, seueritate et probitate. Ast, si recensioni virorum doctorum standum, qui eius librum enarrarunt in *Actis Eruditorum* [b], nihil in eo comprehenditur, quod non vulgarem doctrinam atque proletariam, nulloque ordine distinctam, ac scopas dissolutas prodat. Mirum itaque videri haud debet, parum Confucianae disciplinae incrementa ab eo fuisse suffulta: vnde de contemtu neglectuque sapientiae priscorum valde conquestus fuisse dicitur. Plurimum autem decrementi accepit philosophia sub imperatore Xi-hoam-ti, qui tertio, post Confucium, seculo floruit. Is enim vt priorum imperatorum memoriam deleret, sibi autem soli imperii gloriam vindicaret, ex tyrannidis metu vincula obsequio sibi subiectorum populorum additurus, omnes libros Sinicos, exceptis illis, qui de agri cultura, medicina et sortilegiis agebant, cremari iussit, scientiarum culturum prohibuit, et ne in sola volumina saeuiret, simili supplicio librorum quorundam possessores, studiosos et librorum tenaces in montibus repertos extinxit, et in forum protractos CCCCLX cum libris exuri mandauit. Quae saeuitia philosophiae alumnos, numero quingentos coëgit, vt ex insula Thienhenus se in mare praecipites darent. Rationes pestilentis consilii, a quodam Li-sum suppeditatas exhibet MARTINIVS [c], repetit ex eo B. SPIZELIVS [d]. Diuina tamen prouidentia factum, vt scripta Confucii atque

Confuciana philosophia et omnis literatura suppressa.

Memcii

a) l. c. p. 155. conf. RICCIVS Expedit. Sin. L. I. c. 10.
b) loc. cit.
c) Hist. Sinic. L. VI. p. 249.
d) l. c. S. III. p. 40.

Memcii ab anu quadam parietis latebris abdita, vel vt alii tradunt, agglutinata conſeruarentur, et nonnihil quidem labis paſſa, protrahi, poſt hanc tempeſtatem potuerint. Secutae ſunt grauiſſimae imperii Sinici calamitates, et cum motus interni tum bella externa, quibus tantum non omnis literatura Sinenſis extincta eſt, libri in ſepulchris et cauernis abditi et ſepulti, quamplurimi cremati, vel aduſti abiecti. Honorem tamen literis paulo meliorem reſtituerunt familiae quintae, Han nominatae, principes. Hi enim cum magno earum amore ferrentur, ſemiuſtas librorum reliquias, ſi quae vsquam perſiſterent, iuſſerunt colligi, parietibus item et ſepulchris abditos quamuis ſitu et ſqualore obductos et exeſos in lucem protulerunt, conſulique iuſſerunt ſeniores, ſi quae forte, quae quondam memoriae commendauerant pueri, etiamnum tenerent; nihil denique non adhibuere, operae vel induſtriae, quo tantae literarum iacturae mederentur. Quae fata librorum Sinicorum veterum, iis haud abſimilia, quae paſſa ſunt libri Ariſtotelis, ſuſpicionem haud contemnendam alere poſſunt, parum ſinceri hodie de priſca Sinenſium ſapientia ſupereſſe, timendumque eſſe, ne qui laceras et perditas ſchedas collegerunt emendaruntque, ex ſuo ingenio, praeſertim cum ex memoria lacunas ſarcire iuberentur, multa addiderint, multa quoque aliena ſuisque locis minime poſita appareant [e]. Et haec quidem altera periodus philoſophiae veteris Sinicae poteſt conſtitui.

§. XII. Tertia philoſophiae Sinenſis veteris, periodus, eaque parum laeta ab eo tempore exſurgit, quo ſecta Foëna in Chinam translata eſt, et tum idololatria, tum deiſmo totum imperium repleuit, maximam in hac gente auctoritatem nacta. Non eſt opus ea repetere, quae de Xekia eiusque perſona, ortu, philoſophia, methodo duplici ſupra retulimus. Coaceruauimus iam loca ea, quae de hoc impoſtore apud Siamenſes, Sinas, Iaponenſes feruntur. Id vnum heic obſeruamus, diu iam ſectam iſtam Foënam in India obtinuiſſe, cum ad Sinas perferretur. Quae ratio obſtat, cur admitti non poſſit ingenioſa viri cuiusdam eruditiſſimi coniectura, qui ſimilitudine dogmatum Pythagoricorum et Foënorum, et itinere Apollonii Tyanenſis ad Indos ſuſcepti perſuaſus, hunc veteratorem Xekiam fuiſſe ſuſpicatus eſt. Longe vetuſtiorem enim eſſe Xekiae aetatem, et Confucio ſeculo antiquiorem, ex dictis ſuo loco eſt apertum. Secundum Sinarum traditionem autem, quam COVPLETVS [f] enarrat, ab Indiae regulo natus eſt, ex elephanto albo conceptus atque ex latere dextro matris ſuae in hanc lucem editus; a partu quoque mox conſtitit, atque paſſus omnino ſeptem progreſſus, altera manu coelum, altera terram indicans, clara voce pronuntiauit: in coelo terraque ſolus ego ſum venerandus. Quae ſatis luculenter produnt, famoſiſſimum hunc philo-

Veteris philoſophiae Sinenſis tertia periodus.

e) Ad haec fata literaturae Sinicae viros doctos non attendiſſe, qui tam confidenter de priſca Sinarum philoſophia pronuntiant, merito miramur.

f) loc. cit.

philosophum impostorem fuisse. Secta autem eius quomodo ad Sinas delata sit, hunc in modum occasionem enarrant. Vidit imperator Memti gigantem aureum in somnio sibi apparentem, et in memoriam reuocantem verba Confucii: in occidente existit sanctus. Misit itaque legatos in adiacens versus occidentem Indiae regnum Indostan, qui in eo inuenerunt idolum Foë, quo Xekiae memoria diuino honore colebatur. Hunc cum humani generis redemtorem esse sectatores dicerent, sanctum illum occidentis virum esse rati, hoc idolum, et vtramque disciplinam, exotericam pariter atque esotericam domum reportauerunt. Quae cum innotuisset, valde Sinensium animos cepit, progressusque fecit omni expectatione maiores. Populus enim, si Riccii testimonio standum, quod alii quoque sequuntur [g] ideo eam doctrinam, licet turpissima idololatria prorsus contaminatam, auide magnoque applausu excepit, quod animum immortalem et alterius vitae praemia proponeret. Quae, vt supra iam tactum, clare euincunt, in Sinensi regno haec dogmata, quae tunc primum audita et recepta sunt, antea non personuisse, nec de iis quicquam Confucium statuisse, soli ciuili tranquillitati et felicitati suam philosophiam attemperantem. Neque mirum deismum illum, quam Foëna secta interiore doctrina stabilit, quemque Enthusiasmi et Quietismi parentem esse supra diximus, atheismum minus accurate vocant Iesuitae, philosophis regni Sinensis se probauisse. Cum enim totam eorum vitam ad ciuilem prudentiam Confuciana disciplina formaret, quod permittebat doctrina Foë interior, facile fuit, hos homines, qui animi tranquillitatem sectari a Confucio iubebantur, ad eiusmodi Quietismum descendere, qui summam illis mentis tranquillitatem promitteret. Non inuiti itaque persuaderi nobis patimur, Foënam impietatem et fanaticismum totum imperium Sinicum velut diluuium quoddam inundasse. Hodie enim perditissimae sectae cultores quamplurimi non desunt, qui Foë siue Xekiam vna cum Lao-kiun et Confucio venerantur: et publica lege religio Foëna inter Sinas introducta est. Quam sibi maxime vitae post hanc peractam aeternae promissione eam fortunam peperisse, ex stulta et inepta gentis Sinicae cupiditate vitae longissimae verisimili ratione [h] concludi potest. Ex hac secta Foëna seculo post Christum natum tertio alia prodiit, vel potius peculiaris eius ramus extitit: *Vu guei Kiao*, id est, *nihil agentium dicta*. Quae, narrante COVPLETO [i], principii istius chaotici, id est nihili priuatiui contemplatione impensius vacauit; et optimates imperii, quos Mandarinos vocant, summosque quosque viros adeo insania sua occupatos habet, vt quo quisque propius ad naturam saxi trunciue accessisset, horas complures sine vllo corporis animique motu persistens sine vllo vel sensuum vsu, vel potentiarum, eo profecisse felicius, propiorque et similior euasisse principio suo aërio, vel chaotico potius, in quod aliquando reuersu-

g) MINORELLI p. 147.
h) Conf. CONRING. de Medic. Hermetica L. II. c. 14. p. 499. i) p. 38.

reuersurus sit, putaretur. Addit IDEM: „Hanc quidem contemplan„tium sectam scripto volumine Colaum Poei guei, Confucii sectatorem „oppugnauisse, copiose probantem, notum illud axioma: ex nihilo ni„hil fieri; non ita tamen refelli potuisse errorem istum, vt non manarit „latius, et multi nostra quoque aetate contemplationibus tam insanis ope„ram impendant suam.“ Id quod non magnopere miramur, cum Confucianus ille philosophus nihil priuatiuum cum nihilo negatiuo confundendo, prorsus nihil quod istorum Quietistarum sectam euertere possit, attulerit. Non enim ex nihilo absoluto omnia existere, inque illud reuerti statuerunt, sed ex nihilo, quod formam nullam habuit, exorta omnia in idem παυδοχεῖον rerum omnium receptum iri affirmauerunt. Addi huic propagini pseudo-philosophicae debent sectatores cuiusdam philosophi, *Fan chin* dicti, qui seculo Christiano quinto, Epicurea dogmata casumque prouidentiae expertem asserendo, corpus pariter et animum post mortem perire, poenarum praemiorumque expertem esse, docuit. Et haec quidem tertia periodus philosophiae veteris quibusdam videtur.

§. XIII. Mediam Sinensium philosophiam illi, quibus melius et ὀρθοδοξωτέρως philosophati esse prisci Sinae videntur, auspicantur a seculo X et XI, quo secundum alios pestilentissimum atheismi sidus philosophos Sinenses afflauit, cum desertis veterum vestigiis eorum libros, classicos pessimis commentariis corrumperent, philosophi duo *Cheu-cu* et *Chim-ci;* et proscripta omni numinis pietate atque reuerentia pantheismum eius loco inueherent. Id quod tamen non concedunt, qui interpretationes recentiorum philosophorum Sinensium, quos ex commentariis Cheu-cu, Chim-cu, et Chu-cu, nec non Sinali-tachiven confecerunt, atheismo demum infectas esse contendunt. Hos enim putant non minus, ac veteres Sinas, comtius praecepisse, et a pessimo commentatorum grege sero tandem ad peruersos sensus fuisse raptos. Quicquid vero illud est, de quo in sequentibus dispiciemus, illud negari non posse videtur, hos commentatores a prisca Sinarum doctrina recessisse, elegantius et magis philosophiae veterem sapientiam exornantes. Inde noua secta in imperio Sinensi orta est, quae *Literatorum secta Iu-Kiao*, dicitur, quaeque cum sectis Foë Kiao, et Lao-Kiao in toto imperio Sinico obtinet. Quam media aetate adhuc sanos habuisse sensus post Iesuitas multos, magna eruditione demonstrare conatus est illustris LEIBNIZIVS [k], quamuis de principiis naturalibus explicatius philosopharetur. Ex quo, si admittitur, sequitur, philosophiam Sinensem, maxime metaphysicam recentiori demum aetate, occasione libri Fohiani perperam explicati fuisse corruptam. Id quod tamen negant atque pernegant, qui Iesuitas eorumque ὑπερασπιστὰς, aiunt, ingeniose excogitatis nouis limitationibus, excusatio-

Media Sinensium philosophia.

Secta literatorum.

k) In Ep. ad Remondum T. II. Epp.

cusationibus, interpretationibus palliare velle errores Sinensium, et communi gentis explicationi contradicere, vt causſam Ieſuitarum iuuent. Vnde hi omnes, inter quos ex ipſa Ieſuitarum ſocietate ſunt quoque Martinius, de Comitibus, Grellonius, le Faure, Longobardus, Paſſio, Sabbathinus, ſectam literatorum ſemper fuiſſe atheiſmo infectam contendunt. Quo iure, quaue iniuria infra diſpiciemus.

Recentior Sinenſium philoſophia.

§. XIV. Defeciſſe vero eam ab anteceſſorum integritate et pietate, et ſubtilius, quam par erat, lineolas Fohianas interpretando, recentiori demum tempore ſectam literatorum ad atheiſmum declinaſſe, contendunt Sinenſium aduocati, et hinc tertiam, ſiue recentiorem Sinarum philoſophorum aetatem auſpicantur. Quae ante Europaeorum hominum aduentum pantheiſtica fuit, et referente COVPLETO [l] ſociisque, „repudiato nihilo ſectae Foënae, rem ſtatuit veram vereque exiſtentem, „eſſe id quod concipi quidem debeat fuiſſe ante omnia, re autem ipſa „non diſtinguatur a rebus ipſis, vt perfecto et imperfecto, coelo et terra, et quinque elementis, ſed quid vnum idemque ſit cum illis. Sic „vt ſingulae res dici poſſint ſuo modo Tai kie: hoc autem concipiendum „eſſe, vt quid immobile et quietum actu primo, dum autem mouetur, „producere Yam, ſiue perfectum, a quo motu cum rurſus ſiſtat ac quieſcat, producere Ym ſiue minus perfectum; conuenire autem huic Tai „kie, attributa altiſſimi, ſubtiliſſimi, pulcherrimi, ſumme medii, ſummeque perfecti et boni, exemplaris et ideae rerum omnium, principio carentis et fine, immo ſpiritus et animae nomen ei vindicari poſſe.“ Et haec quidem Sinicae philoſophiae fata ſunt, cui noua lux affulſit, cum in ampliſſimum regnum doctiſſimi ex ſocietate Ieſu viri Matthaeus Riccius, Ioannes Adamus Schallius, et deinde mathematicorum regis Galliae nomine Ferdinandus Verbieſtus, Claudius Philippus Grimaldus, quos alii poſtea ſecuti ſunt, delati, vt euangelii cognitionem illi genti accenderent, a diſciplinarum in Europa cultarum maxime artium mathematicarum et philoſophiae praeſidio laetiſſimos miſſionis ſuae ſucceſſus ſperarent. Non eſt huius loci, lectorem enarratione miſſionum harum diu detinere: conſulendi ſunt annales eccleſiaſtici, in quibus haud ignobilem locum occupant; et in quibus examinari debet, qua vtilitate ſcientiarum pariter et religionis Chriſtianae ſtudium iſtud Ieſuitarum ſe commendauerit. Heic ſufficit obſeruauiſſe, artium mathematicarum, et imprimis aſtronomiae notitiam etſi non adeo ſublimem, vt noſtrorum hominum admirationem mereri potuerit, ita commendauiſſe Ieſuitas, vt magnis priuilegiis gauderent, templa erigerent, ſcholas aperirent, et in eis philoſophiam atque theologiam docerent, illo vero loco haberentur, vt eo, quem optimates imperii affectant, cultum exprimerent [m]. Quod an artibus clandeſtinis et ho-

Philoſophia Europaea inter Sinas introducta.

l) loc. cit.

m) Morale pratique des Ieſuites T. II. p. 388. vbi Martinius, et Schallus Ieſuitae in habitu Mandarinorum in imagine repraeſentantur.

et homines religiosos ac euangelii praecones non decentibus consecuti sint, quod magnis animorum motibus eis obiecere, missionarii Dominicani et Franciscani, sede Romana aliquoties auctoritatem sententiae interponente, hoc loco explicari non potest, sed in annalibus ecclesiasticis exponendum est. Valde autem admirati sunt Sinenses Iesuitarum compendia philosophica, quamuis primum non nisi Aristotelico scholastica fuerint: ex quo non inepte colligit RENAVDOTIVS [n], Sinicos philosophos parum valuisse in philosophia. Nos id non magnopere miramur: tota enim Sinensium philosophia calx sine arena est, vnde systemata Europaeorum non potuere non ob connexionem meditationum philosophicarum, illis admirationem excitare. Et notum quidem est, laetissimos istos successus aliquoties magnis calamitatibus fuisse sufflaminatos. Ast prudentia tamen societatis amorque mathematicarum rerum, apud Sinas, qui eos tribunali mathematico praefecit [o], collapsam spem subinde restituit. Maxime circa finem seculi superioris, imperante ex Tartarorum gente Cham-Hy, principe optimo, patentes in aula imperatoris portas literae et philosophia Occidentis inuenerunt. Id quod ex FERDINANDI VERBIESTI S. I. *Astronomia Europaea* sub imperatore Tartaro-Sinico Cam-Hy appellato, anno CIↃ IↃ CLXVIII, tabulis incisa ad Sinensium morem, disci potest, cuius summam dedit LEIBNIZIVS [p], et ex qua intelligitur, quantis sumtibus, cura et labore princeps laudatissimus, astronomiae Europaeae studium inter suos promouerit. Quae contentio tanta in eo fuit, vt per quinque menses continue Verbiestum in museum suum vocaret, ac totos pene dies detineret, libros astronomicos exponentem. Id quod eo memorabilius specimen amoris literarum est, quo rarius est, numen imperatoris apud Sinas coram intueri. Mirabile quoque, quod de isto principe narrat BOVVETVS, in *Icone regia monarchae Sinarum nunc regnantis* [q], non tantum partem librorum Confucii authenticorum eum memoriter tenere, et commentariis illustrari iussisse, historiae quoque et literaturae Sinicae fuisse longe peritissimum; eumque in finem amplissimam bibliothecam instruxisse: sed et quam primum notitiam acceperit doctrinae Europaeorum, eius cognoscendae magno desiderio flagrauisse, et experimento calculi astronomici facto eum in imperio in vsum perduxisse, Iesuitas autem inuitasse, vt ab ipsis disciplinarum elementa acciperet. Quod quanto apparatu adiuuerit, dignum est, quod apud ipsum Bouuetum legatur. Quo auctore porro constat, postquam geometriam et arithmeticam perdidicisset, philosophiam quoque doceri voluisse, eamque methodo geometrica perscribere eos iussisse. Elegisse vero eos, Io. Baptistae Du Hamel *Philosophiam veterem et nouam*, secundum cuius institutiones imperatori philosophiae praecepta instillarent. Morbo autem eius occasionem subnatam esse, anatomiam quoque

n) loc. cit.
o) LEIBNIZ. Nouissima Sinica p. 74. seq.
p) loc. cit. p. 149.
q) Adiecit eam LEIBNIZIVS libro laudato

tradendi, cum logica non valde placuiſſet, qua in re Du Verneio duce vſi ſint: tum ad cauſſas phyſicas explicandas delatum, medicinae rationes illis ducibus perſpexiſſe, non ſine magno Chriſtianae religionis fauore, quem publico edicto declarauerit. Non adiicimus alia, non ſine iucunditate apud ipſum Bouuetum legenda, ne prolixiores iuſto ſimus: monemusque id tantum, Parroninum Ieſuitan DIONIS quoque anatomiam vertere eum iuſſiſſe, ipſum vero emendauiſſe, et deſcriptam ter literis vncialibus bibliothecis ſuis intuliſſe. Quapropter dolendum magnopere eſt, poſt eius mortem filio quarto Yong-Thehing rerum ſumma potito, omnem illam ſegetem emarcuiſſe; is enim miſſionarios omnes, praeter eos qui Pekini commorabantur, in vrbes Canton et Macao relegauit. Quo valde ſene anno cIↃ IↃ ccxxxv r morte ſublato, reſtituta quidem libertas illis eſt, res vero miſſionis emendatae reſtitutaeque non ſunt. Eius enim filius Kien long, licet benigniorem ſe populis ſuis praeberet, reuocare tamen parentis edictum, licet implorata eius clementia noluit, Chriſtianam legem recipere ſuos vetuit, Chriſtianos qui inter milites imperii erant, cruciatibus vexauit, et exiguam melioris fortunae ſpem fecit, quamuis Pekini Ieſuitae ob ſcientias mathematicas tolerati ſint, tolerenturque hodie s. Ex quo patet, prima clementiae Chriſtianis demonſtratae ſpecimina, a Miſſionario Sibino in eo laudata non diu durauiſſe.

Incertitudo et obſcuritas philoſophiae Sinicae.

§. XV. Breuis haec fatorum philoſophiae apud Sinas hiſtoria eſt, quae vero ex fontibus adductis facile dilatari poteſt: prolixiora enim inſtitutum noſtrum non patitur. Reſtat vt quae dogmata philoſophia Sinenſis, tum vetus, tum media et recentior ſtatuerit, paucis exploremus. Aſt hic labor, hoc opus eſt, et difficillimum, ita medium tenere, vt nec affectui, admirationiue, aliquid detur, nec odio; et veri ſenſus gentis lingua ſua, peregrinas et voces et notiones exprimentis eruantur. Nec diffitemur, ſi vnquam nobis iuſta cauſſa enata eſt, ad modeſtum quendam Pyrrhoniſmum confugiendi, eam in hac hiſtoriae philoſophicae parte nobis exoriri. Quamuis enim libros gentis vetuſtiſſimos, itemque Confucianos atque Memcianos ad nos perlatos atque fontes genuinos hoc pacto apertos eſſe, ex antecedenti narratione conſtare poſſit, ita tamen comparata eorum conditio non eſt, vt omnem ſcrupulum eximant. Non allegabimus inſuperabilem obſcuritatem librorum priſci aeui Sinicorum, et inſolubile aenigma Fohianum, quod totam philoſophiam Sinenſem corrupit, ſed in memoriam tantum reuocamus lectori fata librorum claſſicorum, combuſtorum, defoſſorum, carie et ſqualore exeſorum, et ex laciniis tantum reſtitutorum atque ex memoria hominum ſenum reſartorum. Qualia fata quam miſere codices corrumpant, et quam difficile et pene impoſſibile ſit, doctrinam in iis contentam integram ſeruare, vnicum librorum Ariſtotelicorum, ſimilem fortunam expertorum, et corruptae inde depra-

r) Lettres edifiantes Rec. XVII. s) Ibid. Rec. XXIII. lettr. I.

deprauataeque philosophiae Peripateticae exemplum luculenter demonstrat. Quae vna nobis ratio tanta videtur; quanta requiritur, vt de omni certitudine explorandae veteris doctrinae Sinensis desperemus. Aſt fingamus, quod Sinenſis literaturae et philoſophiae admiratores pugnis calcibusque contendunt, diuinae prouidentiae miraculo integros et intemeratos ad nos peruenisse libros Sinenſium classicos: nondum ita animus acquiescere in illis potest, quae nobis Iesuitae tradunt, quorum diligentia atque cura monumenta Sinica ad nos peruenerunt. Non vocabimus in praesentia in dubium fidem virorum doctissimorum, et eos studio atque industria ita nobis vendidisse thesauros Sinicae doctrinae contendemus, vt suis emolumentis, quae grauia ipsis fuisse nemo ignorat, fauerent, licet id coram totius ecclesiae orbisque eruditi facie, et coram iudice, secundum Iesuitas ipsos infallibili non obiectum modo, sed et euictum esse illi omnes clamitent, qui missi in Chinam ad explorandam rei veritatem nomine pontificis, ea de re ad sedem Romanam retulerunt, vel qui ex aliis familiis sacris eos hypocriticae simulationis accusarunt: hanc enim inclementiam nostra tractatio non postulat; quae arbitrium interponere his controuersiis non iubet. Concedamus, quod haud inuiti facimus, viros bonos et minime fallaces se Iesuitas praestitisse: aſt quis certa ratione decreuerit, eos, cum semel praeiudicio ὀρθοδοξίας Sinenſis animum occupauissent, non ita obscuras notiones Sinenſis philoſophiae et theologiae ita explicuisse, vt fauere conceptibus suis videbantur, et quis rectas et Sinarum menti conformes esse eorum interpretationes sine formidine contrarii dicere audeat? Nec videmus, quid magnopere cauſſam Iesuitarum iuuet, quod nonnulli vrgent: reliquorum missionariorum interpretationes locorum classicorum Sinenſium testari, quod rectae versiones Iesuitarum sint. Qua mente monuit Ven. KORTHOLTVS[1], integritatem interpretationum Iesuiticarum ex consensu Longobardi et P. de S. Maria eo certiorem esse, quo certius et notius sit, in lite de cultu Confucii et Dominicanos et Franciscanos Iesuitis exprobrasse, quod loca nonnulla Confucii vbi sibi praesidio esse possent, non satis fideliter reddiderint. Aut fallimur enim prorsus, aut tanta conuenientia non est, quanta fingitur, sed in ipsius argumenti, de quo controuersia viget, momento primario, e. g. in interpretatione vocum Sinicarum, Y-hiang, Xin-ky, Xantgi, etc. ad quod res omnis reuocanda est, prorsus in contraria currunt Iesuitae et Dominicani; et quae coeli terraeque praesidem, imperatoremue designare Coupletus Sociique contendunt, coelum tantum terramque eiusque vim ingenitam vel, si mauis spiritum quendam illis insidentem et praesidentem significare tam pertinaciter affirmant, vt communia ea nomina et appellationes idololatricis sectis Foënae et Tao Kiao cum Confuciana esse dicant, et Iesuitas prouocent, vt vnum ex tota China producant, qui aliter has voces interpretetur. Annon, qui Sinicae literaturae expertes sunt, sunt autem plerique, incerti prorsus iam haerent, quid cre-

1) loc. cit. pag. 34.

dendum, cuius partis fides maior exiſtat, praecipue cum videant, Ieſuitas nonnullos praecipue Longobardum et ſequaces, eiusmodi vocibus illis Sinicis ſubdidiſſe ſignificationes, quae cum orthodoxis nominibus Coupleti et ſociorum non conueniunt. Neque certiora hauriri poſſunt ex totius ſyſtematis Sinenſis connexione, quae tamen optima alias ratio eſt, veram poteſtatem vocabulorum incerta ſignificatione decipientium definiendi, vt exemplo Stoicae meteorologiae conſtare poteſt. Veterum enim librorum ea obſcuritas eſt, vt quodcunque libuerit ex eis exſculpas: neque miramur, ingenium ſummi viri G. G. Leibnizii ex συναφείᾳ illius doctrinae rectas ſententias collegiſſe. Idem enim cum Ariſtotele recentioribus reconciliabili fecerat, et Carteſii, Gaſſendi aliorumque nouatorum placita phyſica in Stagirita inuenerat; ſua nobis non Peripatetica propinans, cum magnitudini eius ingenii nihil difficile eſſet. Contrarium non modo noſtri homines, et ipſe Longobardus Ieſuita eadem facilitate fecerunt, ſed et recentiores Sinenſium interpretes hodie faciunt. Quas circumſtantias incertiſſima facere veterum dogmata atque mentem, innumeris hactenus exemplis in hiſtoria philoſophica vidimus. Neque enim magnopere iuuat interpretamentorum Ieſuiticorum patronos recentiores Sinas non magis aptos priſcorum Sinenſium interpretes eſſe, quam Scholaſticos Ariſtotelis, eo quod vtrique veteres corruperint, et falſa illis affinxerint. Id enim Peripatetici quoque, ſed perperam clamant, Alexandrum, Auerroëm, Pomponatium, Caeſalpinum atheis hypotheſibus inſanas Ariſtoteli opiniones affricuiſſe, quos audiendos non eſſe ſuo loco vidimus. Neque enim cauſſam videmus, cur indigenis commentatoribus minus fidei in interpretandis maiorum ſuorum φιλοσοφουμένοις in ſe obſcuris tribuendum ſit, quam recentiori philoſopho Europaeo, qui non quid dixerint, ſed quid dicere potuerint, ſi orthodoxi fuiſſe ſupponantur, pulchre, ingenio vaſto vſus oſtendit. Verum de hoc momento infra adhuc nonnulla dicemus. Heic vbi in genere de incertitudine philoſophiae Sinenſis agimus, hoc tantum lectorem expendere iubemus, plerumque vſu venire, vt, qui ignotum ſyſtema explicare aggrediuntur, notiones, quibus adſueti ſunt, ſuas in eo videant, iisque vocibus illud explicent, quibus homines ſuae ſectae vſi ſunt: id quod innumeris exemplis probari poſſet, ſi id ageremus, et certiſſima fides hiſtoriae philoſophicae loquitur. Idem in philoſophia Sinenſi eueniſſe, mox viderunt, vbi argumentum hoc excutere coeperunt, Ieſuitae candore non minus quam eruditione inſignes Longobardus et Sabathinus. Ille enim egregie monet[b]: *Eruditos Chriſtianos ordinarie ſenſum librorum noſtrorum Sinenſibus tribuere, et imaginari ſibi, quod horum interpretationes noſtris conformes deprehenderint, non conſiderantes, quantum veritatis interſit, huc ſoli litare procul eſſe iuſſa ſimulatione et hypocriſi.* Ad quae verba obſeruat quidem Leibnizius, tunc ceſſare hanc difficultatem, cum in ſcriptis noſtratium

b) pag. 167.

tium mens recte explicetur, id quod in se quidem veriſſimum eſt, verum ad hypotheſin, de qua Longobardus loquitur, applicatum, principium petit, et eam cauſſam tangit, de qua alii acerbe conqueruntur. Adiicimus his, ſi Ieſuitarum interpretationibus ſtare velimus, et nihil eos ſtatuiſſe, de quo non ſufficientem ſtatuendi rationem habuerint, admittamus, augeri tamen non minui incertitudinem et animum fluctuantem reddi. Quantis enim diſſenſionibus Ieſuitae ipſi, qui in China fuerunt, de interpretamentis his Sinicis inter ſe diuerſi fuerint, ex narratione Longobardi adeo luculenter patet, vt mirari ſatis nequeamus, eſſe, qui magna hodie confidentia afferere audeant, recte illa omnia antiquis Sinis tribui, quae in verſionibus Ieſuitarum extant, et, qui contrarium euincere cupiant, id ex locis claſſicorum librorum demonſtrare debere. Cum nemini ignotum eſſe poſſit, ab ipſis Ieſuitis in contrarios ſenſus diſtrahi illa loca claſſica, adeoque ineptum eſſe ad eum iudicem confugere, de cuius mente diſceptatur, et cuius verba duos ſenſus ferre poſſunt. Neque incertitudinis in Sinica philoſophia hoc modo ſatis eſt, addimus alia, ab ipſis patronis Sinarum ſuppeditata: fatentur illi, philoſophiam Sinenſem eſſe calcem ſine arena, ſcopasque diſſolutas, nihil cohaerere, nihil apte ſuis principiis connecti, nihil quod certas et definitas concluſiones efficere valeat afferri. Dabimus teſtes, vnum Ieſuitam, alterum magnum philoſophiae Sinenſis laudatorem, P. MARTINIVM [x], et illuſtrem C. WOLFIVM [y]. Ille de libro famigeratiſſimo Ye-kim differens haec ſcribit: *Multa ſunt in eo libro de generatione et corruptione, de fato, de aſtrologia iudiciaria, de principiis quibusdam naturalibus, ſed ea ieiune diſputantur, et exiliter, abſque cauſſis et definitione rerum, quas aſſerunt, ad adſtruendam fidem allatis, quales reliqui omnes Sinarum ſunt libri.* Idem candide faſſus eſt Ieſuita NOEL in *Praefatione ad Memcium.* Wolfius autem memorabili loco, poſtquam philoſophicam perfecti boni definitionem dediſſet, eamque implicite habuiſſe Sinas aſſeruiſſet, addit: *Equidem non multo argumentorum nexu haec demonſtrabant, DISTINCTA RERVM COGNITIONE deſtituti, quae in hunc vsque diem plerisque negatur, longa tamen experientia freti affirmabant, quae virtute illuſtrium heroum exempla non ſine mentis acumine meditati aſſecuti fuerant, et quae ipſimet in virtutis ſtadio decurrentes ex ſemetipſis didicerant. Quam virtutem eos ex ſemetipſis Sinenſes antiquos habuiſſe, qui religione omni cum naturali tum reuelata carentes nullis vnquam motiuis extrinſecis vſi fuerint* [z]. Aſt ſi haec ita ſe habent, ſi nec certa, nec clara, nec fundamentis vllis et motiuis conſtantia, nec cohaerentia ſecuta eſt philoſo-

x) Hiſt. Sin. L. I. p. 16.

y) De Sap. Sin. p. m. 37.

z) Idem vir celeberrimus infra repetit: „Non „apparet quod diſtinctam huius perfectionis no„titiam habuerint, quin potius ſororium illud „vinculum, quo actiones ad perfectionem humani „ſtatus tendentes inter ſe colligantur minime per„ſpexere - - neque mirum videri debet, cum „ET INCETERIS NOTIONES VAL„DE CONFVSAS habuerint.“ Aſt notiones claras et certas confuſis et incertis tribuere, magnum in arte hermeneutica vitium eſt.

losophia Sinarum, maxime priscorum, qui, quaesumus viros hos doctos, nos ad eorum libros tanquam certos et indubitatos fontes veri systematis et mentis eorum ablegare possunt? qui audent asserere, paraphrases Iesuitarum, licet alii ex societate contra clament, licet vicarii apostolici in Indiam missi, et reliqui Missionarii contrarium testentur, licet contra Iesuitas pronuntiauerit post longum rerum examen sedes Romana, veram certamque Sinarum mentem declarare, Sinenses commentatores pro impostoribus esse habendos? Hoc si licet, de fide historiae philosophicae actum est, licebitque quaecunque vetera obscuritate sua nonnullorum animos percellunt, in partes nostras trahere, nostrisque sensibus explicata pro veteribus obtrudere, et tunc, posthabitis omnium seculorum interpretationibus, ad ipsa illa veterum monumenta inepto et vitioso circulo concludere, et prouocare. Et quid quaeso luminis ab illis philosophis sibi promittendum est, qui vel data opera ita philosophantur, vt a paucis intelligantur, vel ipsis sibi non constantes nesciunt, quid dicere debeant, et post carecta refugiunt, et ad silentia suos dimittunt. Hoc feciſſe Confucium, duplicis methodi, exotericae et esotericae gratia, quae hodie quoque inter tres sectas Sinicas recepta est, LONGOBARDVS [a] luculentis exemplis docet, ex quibus discimus, Confucium, de natura humana, de natura coeli, de spiritibus, de anima rationali, de statu post „mortem, interrogatum, responsum non dediſſe, sed hunc illis canonem „generalem commendauiſſe: de rebus istis, quae in sex positionibus com„prehenduntur, id est, quae visibiles sunt, quaerere, disputare, ratiocina„ri licere, modo dubia non generent. Quae vero illae non complectun„tur, quia inuisibili in mundo sint, illa relinquenda sibi esse, nec de iis vel „disputandum vel inquirendum.“ Quae quidem ita explicat LEIBNIZIVS [b], vt nihil in his argumenti generibus decidatur, sine ratione sufficiente; ast frigide satis; sequeretur enim, de rebus visibilibus sine fundamento certo inaniter Confucium disputare permisiſſe. Neque haec cum Longobardo ad methodum arcanam referri posse putamus, cum ista intimioris admissionis discipulis, qui esoterice docebantur, iniunxerit. Vnde magna verisimilitudine concludi potest, Confucium de his doctrinae capitibus ipsum vel plane, quid statueret, ignorauiſſe, vel incertum haesiſſe, non ausum obscuris veterum fragmentis lucem clariorem accendere. Hoc cum ipse Confucius fecerit, cur non praepostere eos agere iudicemus, qui ex mente veterum Sinarum ea velut comperta sibi et clarissima effantur, de quibus ipse Confucius siluit? Cur non lumina eos noua Sinensium tenebris intuliſſe, censeamus? cur non ab hoc modo siculneis ratiunculis excusato atque sustentato abstineamus? cur non satis incertam esse philosophiae Sinensis maxime priscae notitiam fateamur? Haec sane nobis sententia post multorum annorum examen iteratum tutissima adhuc videtur, innumeris antiquitatis exemplis probata, quae modestiae mater esse

a) p. 192. seq. b) ad h. l.

esse poterit. Non diffitemur tamen, vbi de verisimilitudinis gradibus sermo est, vnam opinionem altera pro circumstantiarum conditione esse probabiliorem, et ad hanc omnino verisimilitudinem in historia et eruditionis Sinensis vniuersae, et philosophiae in specie esse attendendum, modo id fiat prudenter et sine partis studio, ac iuxta illas artis criticae regulas, quas in limine operis attulimus. Illas itaque in fine quoque eius sequentes de Sinensium re literaria et philosophica pauca dispiciemus.

De philosophia Sinica non valde magnifice iudicari posse.

§. XVI. Magnam quidem sapientiam iactant, et antiquitatis praetextu et profunditatis ostentatione Sinae, qui ita reliquas gentes contemnunt, vt se solos coeli filios, regnum suum solum sub coelo situm esse credant, reliquas gentes, in abditis orbis angulis latere abiectas sibi persuadeant: ast si cum luminibus, quibus Europae gentes illustrauit diuina prouidentia comparentur, in plerisque lusci censendi sunt. Non est huius loci, omnem literaturam Sinicam examinare, et ostendere, in mathematicis artibus, in typographia, in pyxide nautica, in puluere nitrato, et similibus, quae proprio Marte inuenerunt, plurimum Europaeorum ingeniis Sinas concedere. Hoc qui negat, eum ad solam missionum Romanarum fortunam in amplissimo illo regno respicere iubemus, quae nunquam tanta fuisset, nisi a doctoribus Christianis magna cupiditate discere eos iussisset infantia in plerisque scientiis. Fassi id sunt viri docti, non modo RENAVDOTIVS [c], qui id testimoniis multis confecit, quem non exscribimus; sed et ipse LEIBNIZIVS, vir summus, magnus cetera sapientiae Sinicae admirator; ast aequus tamen nostris; ita enim pronuntiat [d]: *Artibus, quarum indiget vsus vitae, et rerum naturalium experimentis, fortasse compensatione facta pares sumus, habet vtraque pars, quae alteri cum fructu communicare possit: sed meditationum profunditate et theoreticis disciplinis nos vincimus.* Addere potuisset, systematis artificio, quo adeo Europa nostra insigni philosophiae beneficio abundat, vt vnum Leibnizium mille Confuciis praeferre non dubitemus. Pergit: *Nam praeter logicam et metaphysicam et cognitionem rerum incorporearum, quas nobis proprias merito vindicamus, certe contemplatione formarum, quae mente a materia abstrahuntur, id est, rerum mathematicarum, longe excellimus, quemadmodum reapse compertum est, quando astronomia Sinensium cum nostra in certamen venit. Videntur enim ignorasse magnum illud mentis lumen artem demonstrandi, et geometria quadam empirica contenti fuisse, qualem inter nos passim operarii habent: disciplina etiam militari nostris cedunt* etc. In vnicis vero ciuilioris vitae praescriptis et practica philosophia ab illis nos vinci contendit. Quod quo sensu admitti possit, in sequentibus dicemus. Permouit id sine dubio ACOSTAM [e], vt de Sinensibus scriberet: *Studia eorum*

c) loc. cit. d) Praef. Nouiss. Sin. e) Ind. L. VI. c. 16. apud HORN. Hist. Phil. L. VI. c. 7. p. 309. conf. GVNDLING. Hist. phil. mor. p. 31. Act. phil. l. c. p. 783.

rum esse linguam Mandarinorum, historias, leges ciuiles, prouerbia, physica quaedam eos habere et mathematica, sed ἀμεθοδικά. *Comoediis et historiis deditissimos esse, omnem eorum eruditionem reuera in legendo et scribendo consistere, theologiam nullam habere.* Qui quamuis nimium dixisse videri queat, verum tamen est, ab iis disciplinis Sinas ante Europaeorum aduentum imparatos fuisse, sine quibus ingenii elegantia constare non potest. Sed iam singulas quoque disciplinas philosophicas perlustrare operae pretium est, vt, quid in iis valeant Sinae, manifestum fiat.

Sinae rationalis philosophiae ignari.

§. XVII. Rationalem philosophiam adeo necessariam recte philosophari cupientibus esse, vt sine illa nullus queat esse successus laetus et exoptabilis, apud omnes in confesso est. Ast ignorauisse eam Sinarum gentem ad ea vsque tempora, quibus Europaea lumina regno Sinensi missionarii intulerunt, historia Sinica locupletissimus testis est. Nihil enim in ea inuenias, quod illam redoleat, nihil quod acumina ratiociniorum iusta et legibus suis constricta exhibeat. Non negauit natura Sinis ingenium acutum, florens, erectum, dubiumque non est, si ad ratiocinandi modum paulo curatius attendissent, non sine luminibus his futuros fuisse: ast cum hanc intellectus culturam neglexerint, mirum non est, ignorantiae logicae vestigia haud pauca apud eos inueniri, quae illam ἀμεθοδίαν καὶ ἀπαιδευσίαν genuit, quam supra in libris eorum verbis Martinii et Wolfii notauimus, quaeque exemplo esse potest, quae damna logicae neglectus post se trahat. Quid enim philosophiae magis esse potest exitio, quam sine certis principiis, sine argumentorum nexu, sine rationum euidentia, ex sola ingenii bonitate de veritate statuere? quid periculosius, quam ideas rerum sibi formare obscuras, incertas, confusas? quod non damnum nutriet abesse iussa ex tractatione philosophica systematis accuratio? Quae cum ex omnium confessione philosophiae Sinensi desint, ansas philosophiae ei deesse nemo inficias iuerit. Causas autem neglectae rationalis philosophiae duas deprehendere licet, quarum vna est, quod vetustissimos gentis suae legislatores imitati, cum nihil in fragmentis ab illis relictis inuenirent, quod ad huius artis culturam pertineret, de ea plane non cogitarent: altera quod ingenio πολιτικωτάτῳ praediti ad vitae ciuilis elegantiam et imprimis imperandi et parendi consilia omnem sapientiam suam referrent. Quae causa quoque est, cur metaphysica et physica serius attigerint. Qui enim ratiocinandi dicendique facultati operam dedisse Confucii discipuli dicuntur, caue logicos dicas, omne enim eorum studium ad eloquentiam politicam pertinuit.

Metaphysica Sinensis.

§. XIIX. Meliorem fortunam metaphysica, vel potius theologia, quae de Deo, de spiritibus, de anima et similibus physiologiae capitibus tractat, inter Sinenses ab antiquissimo tempore habuit, si eos audis, quibus Sinica philosophia aliis praeferenda videtur. In contrarium autem eunt, et gentem Sinensem tetra atheismi lue infectam ab antiquissimo tempo-

tempore nonnisi coelum et terram et reliquas mundi partes bruta quadam et irrationali vi, quam plasticam non inepte dixeris, animatas pro diis habuisse, iisque diuinum cultum obtulisse dicunt. Tertiam de theologia Sinarum veterum opinionem eleganter nuper tuitus est, incomparabilis MOSHEMIVS *f* ratus, veteres Sinas Spiritum quidem potentissimum, qui coelo praesit, quique alios spiritus partibus mundi praefecerit, qui quoque terram creaturasque formauerit, terram foecundando, asseruisse, ast talia de eo docuisse atque credidisse, quae magnopere obstent, vt veri Dei cultus illis tribui possit. Difficile est, in tanto sententiarum diuortio inter viros immortali nominis gloria conspicuos sententiam eligere, verisimilitudine alias superantem, praesertim cum tanta priscorum monumentorum Sinicorum incertitudo et obscuritas sit, vt ipsi Sinae certi vix sint, quid illa velint, vbi de cultu diuino statuendum est. Vt vero lector in tam graui argumento ipse iudicare possit, tres has, quas tetigimus, opiniones de theologia siue metaphysica veterum Sinarum paucis exponemus, et more nostro, quid nobis videatur, modesta ἐπιχείσει addemus. Et

Orthodoxia Sinensium in doctrina de Deo asserta.

I. Et quidem monendum est, distinguere illos, qui bene theologiae Sinensi cupiunt, eamque ab atheismi labe liberant, inter philosophiam Sinensium veterem, mediam, et recentiorem, et contendere, hanc illam vtramque corrupisse, et atheismi labe inquinauisse, vt supra dictum. Postulant itaque, vt soli libri classici vetustissimorum Sinarum in partes vocentur, ex quibus constare putant, Sinas rectos, quantum a gente reuelationis lumine non collustrata expectari possit, de Deo sensus fouisse, qui rationes contineant ad vitam pie et honeste agendam incitantes, quaeque ad id aptae sint, vt probis solatium praebere, improbis autem timorem iniicere possint. Nempe statuisse Sinas priscos, primo principio suo inesse sapientiam, benignitatem, iustitiam et omnipotentiam, adeoque diuinam dari prouidentiam. Hoc post Iesuitas plerosque, (si Longobardum aliosque supra nominatos excipias,) et inter illos maxime COVPLETVM *g*, magno ingenio demonstratum iuit LEIBNIZIVS *h*, et post eum KORTHOLTVS *i*. Non enarrabimus ratiocinationes et coniecturas Coupleti, quibus orthodoxiam veterum Sinarum assertum iuit, sed ad loca tantum ea prouocamus, in quibus caste, pureque de Deo locuti fuisse censentur. Multa collegit Kortholtus, apud ipsum legenda, prolixiora enim sunt, quam vt hoc loco exscribi omnia queant: sufficiet vnus et alter locus, vt de tota re lectori constet. Ex libro *Lun-yu*, qui est tertius interpretationum classicarum *tetrateuchi*, e libro classico *Xu-kim* referuntur verba quibus imperator Tam imperium suum auspicatus est: *O vos omnium terrarum incolae vniuersi clare audite, et intelligite meum vnius hominis monitum: ex quo tandem fonte pietatis profluxisse mortalium*

f) Eth. Christ. P. II. p. 354. sqq.
g) Declar. prooem. l. c.
h) Ep. ad Remond. l. c.
i) Diss. de Philos. Sinens. Vol. II. Epp. Leibniz. praefixa.

talium naturam, quinque virtutibus pietate, iuſtitia, prudentia, fide, honeſtate, inſtructam? a principio nimirum ſolus ille auguſtus et ſupremus coeli imperator dum procreare coepit genus humanum, de coelo contulit naturam iſtam, quae medii rectiſſima norma eſt. Non ita poſt multa quoque dicit, princeps Vu-vam, ſolemnia ſacrificia imperatori coelorum, reliquisque ſpiritibus terrarum perſoluiſſe. Simili ratione in libro *Ta-hio* dicitur: *Imperium coelitus conferri*, et in libro *Xu-kim*, *coelum non agi affectu, qui tamen norit illud debite venerari, et colere, charum et gratioſum illi eſſe ſemper ſpiritusque non ſemper exaudire, niſi eum, qui pollet vera virtute.* His adduntur loca diſciplinae Confucianae, quae veterem pietatem reſuſcitaſſe dicitur, quibus, vir perfectus iubetur aequo animo exſpectare vnicam coeli circa ſe ordinationem, coelum ſeſe accommodare, dicitur naturae et ingenio ſingulorum, bonos erigere atque ornare, improbos vero abiicere et perire ſinere. Quibus adduntur verba Confucii: *Sacrificiorum coeli et terrae ritus et officia fuiſſe id, quo colebant duntaxat coeli ac terrae ſupremum imperatorem, qui duabus literis Xam-ti apte admodum ac literaliter ſignificetur.* Vt vero pateat, non coeli vim quandam naturalem phyſicamque atque brutam intelligi, ad locum Memcii [k] prouocant, quo philoſophus Confucianus, qui Confucii diſciplinam ab eius diſcipulo Tſem-tſu accepit, ita praecipit: *Vulgares homines naturam humanam in ſuo ſenſitiuo appetitu, quem vnum ſibi ſequendum proponunt, et coeleſtem prouidentiam in quadam gyrantis aëris periodo et reuolutione, qua deſides effecti ad omne bonum opus torpent, ſitam eſſe volunt, non ſic autem ſapientes.* Prouocant etiam aduocati Sinenſium ad ſacrificia antiquorum Sinarum, quae maxima religione faciunt, quaeque deſcripſit COUPLETUS: qui maximum inde praeſidium huic opinioni conciliat, quia tanta cura, religione, honore ea non obtuliſſent, niſi coelorum imperatori ſacrificaſſent. Summum itaque numen Xang-ti vocatum eſſe, id eſt coeli imperatorem, eique diuina attributa Sinas tribuiſſe, ex his locis inferunt.

Sinae orthodoxe praeceptiſſe viſi de ſpiritibus.

II. Admiſiſſe vero, porro inſtant, Sinas ſpiritus quoque particulares, a Deo diſtinctos, verasque de iis notiones habuiſſe. Hoc illis locis probant, quibus nonſolum veteres Sinas coelorum imperatori, ſed reliquis etiam ſpiritibus terrarum praeſidibus ſacrificaſſe dicuntur. Quos credidiſſe ſubſtantias eſſe intellectu praeditas, a quibus praeſidium aut adiumentum expectari poſſit, ex loco Confucii in libro *Chum-yum* euincitur, vbi Confucius dicitur, *vt oſtendat ad ſupra dictam medii virtutem adeo amplam et ſublimem conſtanti conatu enitendum eſſe, exemplum deſumſiſſe a ſpiritibus, quorum vti vis intellectiua ſit excellentior, ita et in operando ſit efficacitas magna; dicere enim: ſpiritibus ineſſe operatiuam virtutem et efficaciam etc. docere Confucium ineſſe ſpiritibus ſupra memoratis vim quandam prorſus eximiam et ordinis ſuperioris: quia cum res omnes*

k) pag. 463.

omnes corporeae cadant sub sensum, soli spiritus hunc refugiant. Et percipere nos quidem eos visu, quatenus in effectis se produnt, sed ipsos tamen non videre; incorporare autem sese rebus omnibus, vel exercere operationes suas circa res omnes sic, vt res non possit eos a se dimittere, seu nequeant consistere sine eorum directione. De animae immortalitate autem ita statuisse contendunt, huius partis vindices, vt eam dixerint, perennem et morte carentem, ac capacem, quae post hanc vitam praemiis ob bona opera afficiatur, poenis autem propter flagitia. Id ipsum Longobardum et P. a S. Maria non negare, de priscorum Sinarum sententia animas hominis supersesse a morte licet inficientur, personalitatem eas seruare, sed confundi cum coelesti massa. Quod perperam dici ex verbis *Chao-cum* ad Chim-vam imperatorem colligitur, dicentis: *Isti auiti sapientes ac probi reges sunt in coelo, neque omnino interierunt. Isti igitur quomodo non possunt enixe implorare, opem a coelo, vt iuuet ac protegat suae familiae filios ac nepotes.* Confucium autem respondere de essentia et natura spirituum et de statu alterius vitae noluisse, vt inutiles disputationes praecideret. Et hac quidem ratione vetustissimam theologiam Sinicam se habuisse contendunt, qui ab atheismi culpa eam liberant.

§. XIX. III. Toto, quod aiunt coelo abeunt, qui aduocatos Sinensium comtius quam par erat, caussam eorum ornauisse, et longe deterius sensisse priscos Sinas magnis animis contendunt. Non hi negant loca allata, sed cum omnis demonstrationis neruus in eo situs sit, vt intelligatur, quid per Xang-ti intelligatur, de eo disputant, num is coeli supremus imperator sit, an coelum animatum, istisque, quibus in allatis locis praedicatur, attributis efficax et influentiam suam largiens; ex cuius influentia deinde et partes mundi regantur peculiaribus spiritibus arctissime cum illis initis; et eas informantibus, et anima post mortem eo reducatur, hincque prouidentia, hinc creatio, hinc felicitas e coelo orta deriuanda sit? An non ea ideo in partes vocata sit, vt imperii rationes, ad quas omnem philosophiam Sinenses respicere iusserint, consisterent. Hoc cum affirmandum esse asserant, aut intelligendam esse volunt per Xang-ti vim quandam diuinam coelo insidentem, aut supponi animam quandam diuinam, per omnes mundi partes diffusam, cuius nobilissima pars arctissime coelo iuncta sit, illudque inhabitet, minores partes spiritus sint mundi partibus praefecti. Hos solos coluisse, his sacrificasse Sinas contendunt, ad hos omnem religionem eos retulisse putant, accusant autem Iesuitas, quod nimia cupiditate veros de Deo sensus Sinensibus persuadendi orthodoxos sensus illis suppossuerint, adeoque vocem Xang-ti perperam de imperatore coeli explicuerint, amplexus iam est istam de anima mundi per omnes eius partes diffusa sententiam Riccivs [1], qui

Heterodoxia Sinarum notata.

1) De Exp. Sin. L. I. c. 10.

vbi dixerat Sinas iam inde ab initio ſupremum et vnum Numen adoraſſe, quod appellabant, coelum et terram, ſubiunxit: *Ex quo apparet, veteres Sinas opinatos fuiſſe coelum et terram animata, eorumque animam pro ſupremo Numine coluiſſe.* Et hoc poſtea Longobardo, qui poſt Riccium praeſes miſſionis fuit, ſuboluit, hoc Antonio de S. Maria, recentiores cum veteribus comparanti viſum. Plerique etiam ad eiusmodi ſpiritus materiae praeſides naturali et arctiſſimo vinculo illi colligatos omnia illa effata referunt, et Ieſuitas prouocant, vt vel vnum Sinam oſtendant, qui vocem Xang-ti aliter intellexerit. Deum itaque Sinenſem non meliorem eſſe, quam Iouem Olympi regem gentilium, hincque recte concludi, Sinas priſcos veri Numinis ignorantia laborauiſſe. His coeleſtibus et terreſtribus ſpiritibus ſolis Fohium ſacrificaſſe, dicendum, niſi aperte his vocibus Sinicis inferatur, etc. Quae omnia ita in neruum concludit MINORELLI [m], *vt certiſſimum et euictum eſſe*, pronuntiet: *non inueniri coelum et terram coeli regem a Sinis nuncupari: et terram quidem ſic Sinas a coelo, vt Romani Cybelem a Ioue diſtinguere. Recte autem ex parte dici veteres, vt et nouos Sinas animam mundi coluiſſe, ſi tamen anima vocari poſſit vis materiae inſita, quae ſparſa per ſingulas mundi partes, in iis tanquam totidem animae ſeu genii, et in coelo, ceteris mundi partibus excellentiore, tanquam primum praecipuumque numen et alter Iupiter colitur.* Ita vero Sinis veteribus non minus Atheiſmum exprobrari poſſe, quam veteribus Romanis, Iouem O. M. colentibus contendit [n], quem praeter adductos ex proteſtantibus ſequuntur BVDDEVS [o], GRAPIVS [p], BAYLE [q], contrarium, ſed diuerſa ratione, tenentibus CROSAEO [r], REIMMANNO [s], BVLFINGERO [t], HEVMANNO [u], LEIBNIZIO [x], KORTHOLTO [y], aliis.

Moshemiana ſententia de theologia Sinenſium.

§. XX. IV. In hoc ſententiarum e diametro ſibi contrariarum diuortio mediam quandam ſententiam amplexus eſt illuſtris doctrinae theologus Io. LAVR. MOSHEMIVS. Is vbi obſeruaſſet, religionem priſcam Sinenſium talem non eſſe, quae magnifice iactari poſſit, obſeruat, nimios non minus illos eſſe, qui Sinas veteres orthodoxe de Deo ſenſiſſe ſtatuant, quam qui atheiſmi infamia eos commaculent. Ea enim quae in vetuſtiſſimis gentis huius libris claſſicis dicantur, neque clara et perſpicua, neque ordine ſuo conſtantia eſſe, haud obſcuro argumento, ſuſpectam eſſe orthodoxiam Sinenſium, cum recti de Deo ſenſus ex notionibus obſcuris, confuſis et incertis hauriri vix poſſint. Comparatis tamen inter ſe locis iſtis, veriſimiliter videri eos ita praecepiſſe: Eſſe in coelo

m) p. 126.
n) p. 134.
o) De Spinoziſmo ante Spinozam §. 22.
p) Diſſ. de Theol. Sinenſ.
q) Dict. T. IV. art. Spinoza not. X.
r) Entret. p. 256. aliter tamen pronuntiat. T. II. Epp. Leibniz. in fin.
s) Hiſt. Ath. S. I. c. 12. p. 95. et Conſp. Hiſt. phil. Sin. p. 8.
t) Spec. phil. mor. Sin. I. §. 45. p. 47.
u) Act. phil. l. c. p. 722.
x) l. c. p. 414.
y) loc. cit.

coelo visibili naturam viuam et potentissimam, illud, vt anima corpus, inhabitantem. Hunc spiritum certo tempore chaos terrae informe influxu suo et irradiatione exsiccauisse, et ordinasse, indeque creaturas viuentes exortas esse, qui terram incolerent. Et coelum quidem sibi creaturas genuisse, et terram, coelique filios|a filiis terrae differre, illos tredecim, hos vndecim fuisse; ex illorum progenie enatos imperatores, quin et spiritus terrae partium praesides huc referendos esse [z]. Coelum fauere hominibus et benefacere, quod rationem ab ipso acceperint, terraque ab eo grauida illos produxerit. Ideo pergere calefacere et humectare terram, ideo montibus, syluis, vallibus, fluminibus, spiritus praefeciisse. Nec cupere venerationem cultumque alium, quam qui imperatori, filio suo, exhibendus sit, nec illud coli ab alio, nisi ab imperatore sacrificiis pro populo oblatis posse. Irasci illud spiritusque ab eo mundo praefectos, legibus violatis, maxime si id ab imperatore fiat; ideo plagas immittere, at monere tamen prius per signa coelorum, quae vbi inusitata compareant, nuncii futurae poenae sint. Hanc igitur faciem coeli insigni attentione semper obseruandam esse, vt iratum numen coeli placari possit. Hanc religionem veterum Sinarum, imperio firmando fulciendoque potissimum attemperatam fuisse, verisimillimum esse putat vir celeberrimus, ast, sequi quoque ex ea diuinae religionis characteres, minime prodere. Attributorum, numini illi coelesti adscriptorum, rationem veteres libros non definire, dicere tantum, esse scientia, sapientia, iustitia, potentia praeditum, maximaque veneratione dignum. Harum vocum nec claras notiones eos habuisse, et arctis satis limitibus, forte sui tantum imperii, quod terram coelorum vocent, comprehendisse videri. Hunc itaque Spiritum coeli si Deum dicere placeat, exiguum numen esse attributis praecipuis diuinitatis carens, quod rite cognoscere patres Sinenses nunquam allaborauerint. Neque sequi ex idolorum cultu serius ad Sinas translato, rectos eos purosque de Deo sensus habuisse. Loca vero de spiritibus immaterialibus, de statu animae post mortem, et quae his similia, ad fundamenta religionis Sinensis non videri pertinuisse, et subobscura tantum esse immortalitatis vitaeque animae post mortem in libris classicis vestigia. Ea autem nec rite exculta, nec ad doctrinam moralem applicata, tenuissima tantum vestigia dogmatis, quod apud barbaras gentes quasuis obtinuit, obtinetque hodie, esse. Reliqua dogmata religionis Sinensium, partim ad imperii fulciendi auxilia excogitata fuisse, habereque totam religionem credulitatis et simplicitatis characteres, et prodere gentem non valde sapere doctam. Videri autem aliis gentium religionibus ideo meliorem, quia idolorum cultus diu abfuerit. Ast eorum locum occupare spiritus mundi. Et haec quidem acutissimus Moshemius, qui eleganter prorsus et ingeniose in sequentibus ostendit, qua ratione ad imperii felicitatem et tranquillitatem et principum auctoritatem tuendam adhibeantur.

§. XXI.

z) Conf. Bayer. Mus. Sin. T. II. p. 259. ex Libro Siao Vl Iun.

'Επίκρισις. §. XXI. V. Tantum, nisi fallimur, de theologia Sinarum priscorum dictum est, vt Lector candidus et a partis studio alienus, ipse arbitrium interponere possit. Nec nos has lites, tam diu inter summos viros agitatas componere posse praesumimus. Quoniam tamen sententiam quoque nostram dicere, instituti leges postulant, ea, qua par est, modestia, quid nobis videatur, aperiemus; habebit id commodi ex eo lector, vt nostris cum reliquis comparatis meliora substituere ipse possit. Et 1. quidem ingenue fatemur, totam controuersiam de atheismo vel orthodoxia veterum Sinarum inutilem nobis videri, duabus de causis. Namque primo in controuersiis quae Iesuitis cum reliquis Missionariis intercedunt, non de veteri sed hodierna religione Sinensium quaestio est. Ast eam vel idololatricam sectae Li Lao Kiun, et Foënae, vel atheam, sectae literatorum esse, nec ipsi Iesuitae diffitentur. Quid igitur refert scire, quid ante quadraginta secula statuerint Sinarum maiores? Deinde ea obscuritas, incertitudo, et confusio in libris Sinarum classicis obseruatur, vt laterem nobis lauare videantur, qui certam notitiam de religione Sinensium veteri inde haurire cupiunt. Melius itaque tota quaestio diutius, quam par erat iam agitata nec tantis animorum motibus digna, abiicitur, et simplici rationis et reuelationis annuntiatione Sinis Deus praedicatur, aut ignotus hactenus, aut detentus in iniustitia. 2. Frustra vero ob exsculpendam orthodoxiam Sinensium prouocare viri docti ad loca allata nobis videntur. Nam cum de vero sensu eorum locorum disputetur, et tum Sinenses recentiores, tum Missionarii reliqui alia longe significatione adhiberi voces Xang-ti Y-hiane Xin Ky, similesque contendant, quam Iesuitae, horumque nonnulli illorum partes sequantur, qui, quaeso, ad incerta dubiaque loca in controuersiam vocata prouocari potest? 3. Nec magnopere iuuare eos putamus, quod clamant, recentiores commentatores, castos veterum sensus vitiasse. Hoc enim demum probandum erat, cumque loca ipsa obscura sint, recte interrogantur, vnde ipsi de meliori et rectiori verborum potestate certi sint? et annon orthodoxam theologiam Sinensium prius fingentes eam pro interpretationis nota adhibeant? Nempe idem hoc loco euenit, quod euenisse illis *Tomo secundo* [a] diximus, qui Cabbalam veterem puram fuisse, eamque corrupisse recentiores scriptores contendunt: quod enim ibi dictum est, hic quoque in argumento prorsus simili locum habet. 4. Nec magnopere ad attributa, et praedicata prouocari potest, quae in illis locis Xang-ti tribuuntur. Concedamus, versiones nihil fauori, nihil praeiudicio et opinioni dedisse, et verba Sinica accurate referre; an ideo sequitur, sensum eorum esse castum? Annon eadem prorsus de Ioue suo dixit secta Stoica, et pessime tamen de Deo sensit? Annon impietas Romana similem fere in modum de summo rege coeli sensit, quem tamen a natura intrinseca rerum materialium non distinxit? Tacemus alia exempla, quibus euinci potest, ex verbis

a) p. 1059. seqq.

verbis apparenter bonis non sequi sententiam illis subesse bonam. 5. Omnibus vero inter se attente consideratis, si coniectura de veterum Sinarum theologia facienda, fatemur, hanc nobis prae reliquis placere sententiam; Sinas sibi numinis vim diuinam per totum mundum sparsam eamque velut animam inhabitantem concepisse, cuius maxima et excellentissima pars in coelis resideat, esse itaque spiritum coeli potentissimam coeli animam, quae cum connectatur cum reliquis mundi partibus siue spiritibus mundo praefectis, non possit non gubernare et praeuidere cunctis, idque vel ob eam caussam, quod ex coeli influentia et irraditio oriatur: et huius quidem vel emanationem, vel particulam animam humanam, ratione vestitam, esse, ideoque, vbi corpus suum deseruisset, ad fontem suum viuentem redituram. Huic vero coeli spiritui velut maximo, at qui a coelo, quod velut anima informat, separari nequeat, summum cultum exhibendum, spiritus autem reliquos partium mundi animae inhabitantes non negligendos. Coelum autem cum summum Numen, visque diuina inhabitans animet, signa coelorum prae aliis diuinae voluntatis indicia esse. Non esse hanc religionis Sinensis explicationem φιλοσοφοτέραν, quam vt tam canae antiquitatis genti tribui queat, exemplum maiorum nostrorum, Celtarum constare potest, quos simili ratione praecepisse suo loco ostendimus. Quod si animam mundi eos coluisse non videri quis credat, concedet tamen Spiritum magnum coelum informantem, et alios Spiritus globi terraquei partes animantes Sinas coluisse. Id quod haud obscure euincit locus Confucii in *Chum-yum* [b], vbi diserte dicitur, *spiritus hos ita esse incorporatos et sociatos rebus materialibus, vt res non possint eos a se dimittere.* His suppositis ne vnus quidem locus est, qui non sponte intelligi possit, et sine coactione sensum clarum fundat. 6. Ex his vero quaestio de atheismo Sinensium ipsiusque Confucii, dirimi facile potest. Si enim vocem atheismi premamus, impietas ista Sinis nostro iudicio tribui nequit, qui coelum quidem coluerunt, at spiritu diuino animatum. Ast si more haud inusitato atheismus etiam pantheismum, vel deismum quendam, innuat, non videmus, qui ab ea suspicione possint Sinae toti liberari, qui mundum cum Deo arctissime copulando, omnibus partibus inesse spiritus diuinos crediderunt. Quamuis ab hac appellatione abstinere malimus. Ita vero 7. ratio facile intelligi potest, quomodo idololatria pedem figere inter Sinas potuerit, quamuis non magis initio idololatrae fuerint, quam Celtae nostrates. Nempe facile persuaderi poterant, vt horum spirituum diuinorum, qui sine corpore esse nequeunt, imagines effingi posse crederent. Nec caussa longe quaerenda est, cur in apertum atheismum tandem religio, in secta literatorum abierit; proximus enim ad eum gradus est. Quae cum ita se habeant, neminem fore credimus, qui orthodoxiam veterum Sinarum magnopere

b) Scient. Sin. L. II. p. 51.

gnopere iactet, quam nullum post dispersionem gentium, populum conseruauisse, praeter Hebraeos, alio loco euicimus.

Theologia Sinensium medii aeui.

§. XXII. Mediam Sinensium philosophiam a seculo Christiano XII ad XV vsque extendi supra iam innuimus. Huius aeui medii metaphysica in commentariis doctorum Cheu-cu, Chim-ci, et Chu-cu, itemque in pandectis de philosophia naturali et morali Singli, id est, philosophi, Ta-civen, continetur. Longe comtior, si habitum philosophicum consideres, apparet huius aetatis metaphysica, et systematico ordini propinquior, quam priscorum Sinarum philosophumena; vnde non displicet nobis eorum coniectura, quae cum commerciis Aegyptiorum et Arabum (qualia Sinensibus aeuo veteri et medio obtigisse historiae testantur, et vel Paulus Venetus, vel itineraria a Renaudotio edita exempla suppeditant) philosophiam Graecanicam eiusque hypotheses non nullas in hanc Orientis partem perueniisse suspicatur. Id quod curatius expendi ab iis cupimus, qui occasionem eius rei fauentem habent. Ex hac vero medii aeui metaphysica systema Sinense physiologicum acuta delineatione congessit Longobardus Iesuita, eo quod hos interpretes veterum Sinarum mentem omnium optime intellexisse crederet, ideoque ad eorum iudicium prouocandum esse putaret, Mandarinis hanc eius sententiam calculo suo probantibus. Fecit id in breui at eleganti libello, in quo *Momenta nonnulla de religione Sinensium* examinauit, qui cum esset rarissimus, praestantissimi KORTHOLTI cura [c] recusus est. Haud contemnendam esse Longobardi in hoc argumento auctoritatem, ex eius munere, quo apud Sinas functus est, reliquisque eius circumstantiis intelligi potest. Erat autem, tradente IVVENCIO [d], praeses Sinicae missionis, et P. Matthaei Riccii successor, ab eodem moriente designatus. Id muneris per annos complures egregie gessit. Iamque per annos quatuordecim literis Sinicis cognoscendis operam dederat. Vixit deinde annos quadraginta, obiitque nonagenario maior. Is quos labores, quantam curam susceperit, quos industriae suae socios testesque adhibuerit, vt veram Sinensium mentem detegeret, prolixe in limine tractationis suae exponit. Hoc Iesuita auctore (quocum comparandus ANTONIVS DE S. MARIA) ita secundum laudatos auctores Sinenses statuit secta literatorum, quae philosophorum ordinem hodie in regno Sinico κατ' ἐξοχήν tuetur [e]:

I. Philosophiae munus consistit in inquisitione primi principii mundi, et qua ratione ab eo caussae vniuersales et particulares exortae fuerint, quae sint earum actiones, effectus, quid sit homo in relatione ad corpus et animam, de modo eius tum notiones concipiendi tum agendi, de habitu virtutum et vitiorum, de sorte fatoque hominis cuiuslibet eiusque horoscopo: quae omnia methodo symbolica, numeris, figuris, aliisque aenigmatibus possunt debentque proponi.

II. Scien-

c) loc. cit. d) Apud MINORELLI p. 117. e) p. 193. seqq.

II. Scientia (noſtri metaphyſicam nuncupant) eſt vel ſcientia antecedens, i. e. a priori, Sien tien hio agitque de ente et ſubſtantia principii primi, de loco, modo, operatione primarum cauſſarum, quatenus in potentia conſiderantur: vel eſt ſcientia ſubſequens, i. e. a poſteriori, quae principiorum immaterialium influxum in res particulares applicationem virtutum operatiuarum, in augendo, diminuendo, alterando, conſiderat, et ad opera resque vitae ciuilis, maxime vero imperii regendi applicat, et commoda atque debita tempora deſignat. Nempe influxui coeli in diſponendis non modo vitae priuatae ſed et regiminis publici actionibus mira Sinenſes tribuunt, cauſſasque generales non niſi in certa diſpoſitione zodiaci effectum ſuum ſortiri contendunt, adeo vt ſectarum origines certis zodiaci ſignis et influxibus imputent. Quae ex hypotheſi veteri de animae mundanae parte nobiliſſima coelos inhabitante orta, aſtrologiae curam adeo diligentem genuiſſe, appoſite notauit MOSHEMIVS *.

III. Virtus dominans cauſſarum generalium vocatur Ti-chu-chu zai-kuin wan-huang, quae regis dominantis qualitates denotant f.

IV. Ex nihilo nihil fit, nec cauſſa vel principium datur, quod ex nihilo produxerit omnia.

V. Quoniam autem res omnes non ab aeterno fuerunt, ſed exiſtere coeperunt, ſequitur inde, ab omni aeternitate fuiſſe principium aliquod, quod cauſſa rerum omnium eſſet, easque ab aeterno praecederet. Et hoc quidem principium vocatur, Li, id eſt, ratio ſeu fundamentum totius naturae.

VI. Haec cauſſa eſt ens infinitum, incorruptibile, ſine principio et fine, quia ſine his attributis cauſſa prima eſſe non poſſet.

VII. Magna haec et vniuerſalis cauſſa non habet vitam, nec intelligentiam, nec auctoritatem, eſt vero pura, tranquilla, ſubtilis, perſpicua, ſine corpore, ſine figura, et non niſi intellectu comprehendi poteſt, vt res ſpirituales ſolent; et quamuis ſpiritualis non ſit, habet tamen neque actiuas elementorum qualitates, neque paſſiuas.

VIII. Ex hoc principio Li, quod materiam primam ſiue chaoticam dicas, ortus eſt naturaliter aër, quinque emanationibus et mutationibus ſeſe ſubſequentibus, donec tandem materialis et palpabilis fieret.

IX. Li itaque ex ſe ipſo factus globus infinitus, nomen iam habet Tai-hien, ſumma perfectio.

X. Aër hic primigenius, qui ex materia chaotica exortus eſt per quinque emanationes quoad ſubſtantiam incorruptibilis eſt, et eiusdem cum Li, eſſentiae; licet magis materialis et alterabilis ſit, ex condenſatione et rarefactione, motu, quiete, calore et frigore.

XI. Li itaque materia prima, Tai-kie materia ſecunda eſt, quae ex illa ortum habet.

*) loc. cit. f) p. 197. ſeq.

XII. Calor et frigus sunt causſae generationis et destructionis rerum omnium; ille a motu originem habet, hoc a quiete.

XIII. Aër in secunda materia siue chao conclusus, dum se agitauit, calorem produxit, pars quaedam frigida mansit; hincque aër vel calidus vel frigidus est. Calidus aër purus, clarus, perspicuus leuis est, frigidus impurus, fuscus, opacus, grauis.

XIV. Quatuor itaque causſae physicae sunt: motus et quies, calor et frigus, quae vocantur Tung-cing-in-iang.

XV. Calor et frigus inter se arctissime vnita, velut mas et foemina genuerunt aquam, quae pertinet ad Lin. In secundo congressu produxerunt ignem, qui pertinet ad Liang.

XVI. Hinc quinque elementa producta sunt, quae constituunt Tai-kie vel In iang, id est, aërem qualitatibus indutum.

XVII. Sunt autem elementa quinque, aqua elementum boreale, ignis australe, lignum orientale, metallum occidentale, terra in medio.

XVIII. Ling-iang et quinque elementa produxerunt coelum, terram, solem, lunam et planetas. Aër enim purus sursum sublatus, formauit coelum, aër crassus, impurus, opacus et grauis desidens terram formauit.

XIX. Coelum et terra virtutibus suis inter se communicatis produxerunt marem et foeminam. Iang coelo et mari, In terrae, foeminaeque conuenit. Ideo dicitur imperator Chinae rex coeli, et sacrificia fiunt coelo et terrae velut communibus parentibus.

XX. In coelo, terra et homine res reliquae omnes comprehenduntur, velut in fonte suo.

XXI. Et hoc quidem modo mundus creatus est. Cuius machina componitur ex tribus partibus primariis, quae sunt principia reliquarum omnium.

XXII. Prima pars est coelum, quod complectitur solem, lunam, stellas, planetas, regionem aëris, in qua habitant quinque elementa, ex quibus res inferiores producuntur.

XXIII. Diuiditur autem in octo Kuas, siue partes aëris in quibus elementa dispositionem differentem accipiunt, quae cum causſis efficientibus vniuersalibus conspirant.

XXIV. Secunda causſa principalis est terra, quae comprehendit montes, fluuios, lacus, maria. Etiam hae partes habent suas causſas vniuersales efficientes virtute et operatione gaudentes.

XXV. Terrae partes comprehendunt Kang et Ieu, forte et imbecille, durum et molle, asperum aut dulce.

XXVI. Tertia causſa est homo, qui habet proprias et particulares generationes et ortus.

XXVII. Haec mundi productio mero casu facta est, sine fato, consilio et praedestinatione, ex fortuito concursu causſarum primariarum efficientium.

XXVIII.

XXVIII. Coelum est rotundum, motusque eius ideo circularis est, itemque operationum influxus.

XXIX. Terra quadrata est, quae caussa est, cur in medio, tanquam in loco quietis sita sit, et quatuor reliqua elementa ad latus posita habeat.

XXX. Praeter coelum est quoque materia prima infinita, quae Li dicitur, ex qua Tai-kie emanauit. Illa semper quiescit, pellucida et maxime subtilis, sine cognitione et actiuitate, et mera potentia est.

XXXI. Aër, qui coelum a terra separat, in octo partes diuiditur, quatuor meridionales, vbi regnat Iang, siue calor, et quatuor septentrionales, vbi obtinet regnum In, id est, frigoris. Cuilibet parti respondet portio aëris, quae Kua dicitur. Et haec quidem interpretatio aenigmatis Fohiani est. Fohi enim hanc ortus mundani historiam primus delineauit, Confucius in expositione *Lie-kien* explicuit. Dabimus schema Fohianum infra. Et haec quidem de origine rerum philosophiae sectae literatorum est; quam tamen secta quoque Taoçu, recipit. Ea enim ponit, Tao, cahos, produxisse vnum, Tai-kie, seu secundam materiam, vnum produxisse duo, Leang et In; duo produxisse tria, tien, ty, gin, san, zay, coelum, terram et hominem. Tria haec produxisse omnia.

XXXII. Scientia subsequens siue a posteriori, (cuius auctor et inuentor fuit Vuen-Vuam, eiusque filius Cheu-Kung) influxum coelestem in tempora, annos, menses, dies et signa zodiaci considerat, vnde euentorum futurorum cognitio, secundum quam vitae actiones dirigi debent, exoritur.

XXXIII. Calor caussa est conseruationis et actionis rerum omnium, nascitur que ex motu ab appropinquante sole et claritate luminis prognato. Frigus, destructionis caussa ex remotione et distantia motus luminis siue ex tenebris oritur.

XXXIV. Calor ver et aestatem regit, frigus auctumnum et hyemem.

XXXV. In octo partes vel puncta diuisus est zodiacus, quorum quatuor ad calorem respiciunt, quatuor ad frigus.

XXXVI. Influxus caussarum efficientium vniuersalium in puncto dominante incipit, in Kua, quae chin vocatur et orientalis est, initio veris, qui fit quinto vel sexto die Februarii.

XXXVII. Omnes res vna eademque sunt substantia.

XXXVIII. Cum duplex materia sit, chaos infinitum, siue Li, et aër prima emanatio chaus Tai-kie haec substantiam materiae primae in se comprehendit, quae ideo omnibus rebus ex ea ortis inseparabiliter vnita est.

XXXIX. Postquam coelum et terra formata sunt, aër, qui est inter vtrumque materia proxima rerum omnium corruptibilium est.

XL. Ex vna itaque eademque essentia vel substantia potius, et natura rerum per condensationem, quae figurae corporeae caussa est, et per modificationem diuersam, oriundam ex diuersis qualitatibus coeli, solis, lunae,

ſtellarum, planetarum, elementorum terrae, et temporis momentorum concurſu res omnes producuntur.

XLI. Sunt itaque hae qualitates forma et principium operationum interiorum et exteriorum corporum compoſitorum.

XLII. Generatio eſt participatio aëris chaotici modificati figuris et qualitatibus magis vel minus puris, quae concurrentibus ſole et cauſſis particularibus atque diſpoſitione ordinis vniuntur.

XLIII. Corruptio eſt deſtructio figurae externae, et ſeparatio qualitatum, humorum, et ſpirituum vitalium, qui in aëre vniuntur. Surgunt autem ſolutae partes leuiores calidae et puriores, deſcendunt partes grauiores frigidae et impurae. Illud Xin et Hoen appellatur, id eſt ſpiritus puri et animae ſeparatae, hoc Kuei, id eſt, ſpiritus impuri, et Pe, id eſt cadauera.

XLIV. Differunt res vel forma externa, vel qualitatibus diuerſis internis.

XLV. Sunt autem qualitates differentes quatuor: Ching, rectum, conſtans, purum, Pieu, curuum, inconſtans, impurum, Tung, penetrans et ſubtile, Se craſſum, impenetrabile, obſcurum. Illae duae bonae ſunt, et ab homine recipiuntur, hae malae, et ad bruta pertinent atque inanimata.

XLVI. Bonae qualitates diſtribuuntur in perfectum et imperfectum, purum et impurum. Illas qui accipit, naſcitur heros vel eruditus, quem regit ratio, et vltra vulgus conditionem eleuat; has qui ſortitur, ferus, obſcurusque euadit, vitamque malam ducit; figura tantum homini, cetera beſtiae ſimilis. Medium qui occupant, Hien Iin vocantur viri prudentes et boni.

XLVII. Tai-kie, ſiue ſubſtantia vniuerſalis in duas partes diuiditur, Iieu et Vu. Illa ſubſtantia corporea eſt figurae materialis, extenſa, ſolida reſiſtens. Haec ſubſtantia minus materialis eſt, aëri ſimilis figura experti, quae dicitur, Vu, Kung Hiu, Vu king, nihilum, vacuum.

XLVIII. Haec ſubſtantia ſeparata ab omni qualitate et accidente vocatur Tai Vu, Tai kung, eſtque ſimpliciſſima, puriſſima, ſubtiliſſima.

XLIX. Neque tamen poteſt per ſe ſubſiſtere, ſed tantum in aëre primigenio, quoduis quoque ens compoſitum ingreditur, et reuera aërea eſt, vnde Ki, dicitur. Adeoque cum natura immateriali et mere ſpirituali confundi non debet.

L. Ex Li, quod eſt chaos ſiue ſeminarium primum omnium emanant quinque virtutes, pietas, iuſtitia, religio, prudentia, et fides cum habitibus ſuis: ex Li qualitatibus induto et vnito cum aëre primitiuo emanant quinque elementa, phyſica itaque et moralia omnia ex vno fonte, Li, oriuntur.

LI. Eſt itaque Li, eſſentia rerum omnium, ſiue, verbis Confucianis, ratio et ſubſtantia vniuerſaliſſima.

LII. Res

LII. Res omnes producit Li per Ki, siue aërem suum primogenitum, velut instrumentum suum, et eo mediante gubernat quoque omnia.

LIII. Post certos annorum numeros et periodos, quibus mundus durabit, finem habebit, redibuntque cuncta ad fontem et principuum suum, sic vt tunc nihil futurum sit quam Li et Ki, et tunc Li incipiet nouum ex se mundum condere, idque periodis infinitis.

LIV. Dari spiritus, patet ex ordine coeli et terrae constanti, et iusta atque perpetua operationum continuatione.

LV. Inde concludendum, habere res omnes auctorem et principium inuisibile, a quo reguntur. Id appellatur Chu, dominus, Xin - Kuei, spiritus exiens et rediens, Ti-Kium, rex vel imperator.

LVI. Alterum argumentum, ex quo dari spiritus concluditur, sunt beneficia ab iis hominibus exhibita, quae hos permouerunt, vt eos sacrificiis honorarent.

LVII. Veteres quatuor genera sacrificiorum obtulere, 1. Lui, coelo et eius spiritui Xangti. 2. In spiritibus sex caussarum vniuersalium, scil quatuor anni temporibus, calori, frigori, soli, lunae, stellis, pluuiae et siccitati. 3. Vuang, spiritibus montanis et fluuiorum, 4. Pien spiritibus minoribus et hominibus de republica praeclare meritis.

LVIII. Ex his fundamentis sequitur: 1. Spiritus Sinensium esse vnam substantiam cum rebus quibus vniuntur. 2. Eos omnes vnum habere principium, nempe chaos primitiuum. Id quoque de Tien-chu, Deo nostro, vel Xangti, spiritu coeli dicendum. 3. Spiritus cessaturos, cessante mundo, et reuocatum iri in communem rerum omnium fontem. 4. Omnes spiritus ratione substantiae suae eadem gaudere perfectione: et differre tantum in eo, quod locis vel partibus mundi aut maioribus aut minoribus praesint. 5. Omnes spiritus esse sine vita, sine scientia, sine intelligentia, sine libertate. 6. Eos autem sacrificia recipere, pro conditione operationum suarum, quae in locis istis deprehenduntur, quibus praesunt. 7. Esse eos autem partes substantiae vniuersalis, quae a rebus quibus insunt, separari nequeant, sine destructione illarum.

LIX. Sunt spiritus vel generationis et corruptionis, qui physici dici possunt, quia caussae rerum physicarum sunt; vel sacrificii, a quibus bene vel male hominibus fit, qui politici appellari possunt.

LX. Vita hominis consistit in recta vnione partium eius, quae vocatur entitas coeli et terrae. Entitas coeli est aër purissimus, leuissimus, igneae naturae, ex quo anima formatur, vel spiritus animales, qui vocantur Hoen, anima. Entitas terrae est aër crassus, grauis, terrestris naturae ex quo componitur corpus eiusque humores, et vocatur Pe, corpus vel cadauer.

LXI. Mors hominis nihil aliud est, quam separatio partium ex quibus componitur, post quam quaelibet ad locum suum proprium reuertitur, Hoen s. anima in coelum, Pe in terram.

LXII. Re-

LXII. Reſtat itaque poſt fata ſola entitas coeli et terrae ex qua homo componitur, quae in loco ſuo ſuperſtes eſt, et haec immortalitas hominis eſt. Proprie autem ſolum Li immortale eſt. Et hoc ſyſtema Sinenſe metaphyſicum et phyſiologicum, quod non hodie tantum obtinere in ſecta literatorum, ex libris philoſophorum et ore Mandarinorum literatiſſimorum demonſtrat Longobardus, idem euincente P. de S. Maria, ſed quod commentatores quoque medii aeui recepiſſe, allatis eorum locis euincit. Interceſſit autem illuſtris Leibnizius, qui in epiſtola ad Remondum, paulo ante vltima fata ſcripta, omnes ingenii, quod maximum nactus erat, neruos intendit, vt falli Longobardum oſtenderet, nec hos commentatores adeo impie praecepiſſe, demonſtraret. Non negat hanc ſyſtematis rationem, quam Longobardus, certiſſimis teſtimoniis probauit, veram eſſe, et ideo ſectam literatorum hodiernam atheis annumerari poſſe. Aſt principia iſta phyſiologica de Sinenſibus omnibus minus dextre a Longobardo explicata eſſe contendit, ideoque alios illis ſenſus tribuit, quibus caſtior philoſophia emergere poſſit. Qui facilis labor fuit ingenio Leibnizii vaſto, et indeterminatis Sinenſium vocibus nouas ſignificationes facile inuenienti. Putat enim Sinas ideo orthodoxos cenſeri, quia Li, productionem Ki tribuant, adeoque tolerabiliori ſenſu eos eſſe explicandos, ita vt Li ſiue Deum principium rerum omnium pro intelligentia ſupramundana habuerint. Aequum autem eſſe, vt atheiſmi ideo non damnentur, quia ſcholaſticas notiones refugiant. Hinc magna ingenii vi nixus, Li de cauſſa rerum omnium intelligente, rerum omnium praeſide, creatore rerum omnium cauſſaque non phyſica tantum, ſed et metaphyſica explicat, et παν̃δοχεῖον iſtud rerum omnium, vel magnum inane immenſitatem Dei ſignificare contendit, reliqua, e. g. Li eſſe rotundum, allegorice dicta eſſe putat, et imprimis ob attributa moralia locum ei in ſolo genere phyſico eſſe non poſſe, aſſerit. Quod ſi nonnulla minus Deo conueniant, Li non mox materiae adſcribendum, ſed potius de tertia quadam ſignificatione cogitandum eſſe, materiam primam enim mere paſſiuam eſſe, Li, et Tai-Kie actiuum et operationes habere, adeoque entelechiam quoque ſpitituum ſignificare etc. Longum eſſet reliqua omnia hic repetere, quae ſimili modo in notiones tolerabiliores refingit vir doctiſſimus, et ingenio ſyſtematico ſupra modum valens, quae iucundius apud ipſum magna facundia differentem, quam hoc loco, leguntur.

Iudicium de hoc ſyſtemate Sinico.

§. XXIII. Difficile eſt in tanta aſſertionum Sinenſium obſcuritate definire, quis horum duumuirorum certiorem ſententiam elegerit? Fatemur tamen, nobis minime dubium videri, Longobardum veram Sinarum ſententiam, prout ea ſecta literatorum profitetur, retuliſſe. Aſt cum ne hoc quidem neget Leibnizius, putet autem in explicandis verbis Sinenſium philoſophorum Longobardum ſcholaſticis notionibus impeditum veram Sinarum medii aeui mentem non vidiſſe, opere pretium eſt diſpicere, annon

annon verisimiliora afferri queant. Non negamus autem, eam explicationem, quam ex systematis physiologici nexu dedit Longobardus, quaeque ratiocinatione ex nexu eius deducenda erat, videri nobis nimis secundum Aristotelico-Scholasticas notiones formatam fuisse, nec putamus materiam primam Scholasticorum, vel substantiam quoque vnicam Spinozae posse principio Sinensium primo, Li eiusque primogenio foetui Ki applicari, nisi vim systemati Sinico inferre velimus. Id nisi fallimur, satis luculenter demonstrauit Leibnizius. Ast nec tamen ea nobis satisfaciunt, quae vir summus eo fine adduxit, vt orthodoxos esse castosque de rerum caussis Sinensium sensus statui queat. Multa enim adeo hypothesin redolent, obtorto collo ad excusandos errores Sinarum rapta, vt nihil videamus, quod assensum vel leuiter imperet. Verum in eo quidem facile manus damus Leibnizio, et qui in eius partibus militat Kortholto, differre hoc systema, ab eo, quod priscis Sinensibus placuit. Nimis enim scholam sapit, et simplicitati vetustissimi aeui repugnat, subtilitatibus metaphysicis prodens, recentiora id ingenia parturiuisse. Ast puram doctrinam de Deo, spiritibus et rebus mundi proferri eo minus nobis persuademus, quo minus negare potuit ipse vir illustris [g], animam quandam mundi eius partibus non assistentem, sed eas informantem, vt anima corpus hominis informat eo modo, quo sectae quaedam Graecanicae solebant, in toto illo systemate physiologico supponi. Hanc itaque clauem philosophiae Sinicae de rebus metaphysicis et physicis ipse nobis porrigit Leibnizius: qua hoc adytum recludentes nobis verisimillimum fit, eandem, quae Stoicis olim electa est, hypothesin physiologicam Sinis arrisisse, et Li Sinensium animam mundi chaos informantem, Tai Kie animam mundi formati non Platonicam sed Stoicam, quae Pythagorae quoque scholae placuit, innuere. Hoc vbi supponimus, ouum ouo non erit similius, quam Stoica sunt Sinensibus. Quod vt lectori palpandum exhibeamus, eum illa modo recordari, et cum Sinico systemate a Logobardo explicato comparare iubemus, quae suo loco de Stoico systemate diximus, vt intelligat, quam mire vtrumque physiologiae aedificium conspiret. Nam 1. apud Stoicos, ante rerum formationem cuncta est Iupiter, vniuersum, chaos animatum rerum omnium substantia vna, res omnes in se complexa. Ita vero principium Li rerum omnium principium vnum est, et omnia illud complectitur, fons est rerum omnium, ex eo egressarum; et hinc vna tantum rerum omnium substantia est. 2. Stoicis et Pythagoreis pars chaotici principii actiua ignis artificialis, aether purissimus est, a quo, in suprema mundi parte considente omnia facta et formata sunt. Et haec ipsissima quoque de aëre primogenio ex Li progresso et in coelo primario residente apud Sinas praedicantur. 3. Stoici huic aëri primigenio siue igni diuino spiritua-

g) p. 415.

ſpiritualitatem, immaterialitatem, perfectionem, vniuerſi conſeruationem tribuerunt: eadem vero attributa habet Tai-Kie Sinenſium ex Li emanans. 4. Arctiſſime vero hic ſpiritus mundi cohaeret apud Stoicos cum partibus mundi, et indiuulſo nexu coniungitur: Tai-Kie quoque Sinenſium ita inhaeret mundi partibus, vt ab iis ſeparatum illae deſtruantur. 5. Prouidet hic Deus Stoicorum haec anima, mundo, ſed ſecundum diſpoſitionem qualitatum eius, et partium diſpoſitionem; non aliam vero prouidentiam coeli agnoſcunt Sinae. 6. Stoicorum daemones effluuia ſunt iſtius animae, quae partes mundi, maria, montes, fluuios, etc. regunt, ſupremae et excellentiſſimae in coelo et elementis reſident. Aſt et in his Sinenſis metaphyſica tam egregie concinit, vt ex Zenonis ſchola hauſiſſe videri poſſit. Spiritus enim Sinarum etſi cum ipſis mundi partibus confundendi non ſunt, ſunt tamen effluuia Tai-Kie, et mundo praeſident, eiusque partes informant, et nobiliſſimi eorum coelo, terrae et elementis praeſident. 7. Sacrificarunt vero his daemonibus Stoici, eos coluerunt et expiauerunt, rati, reipublicae quoque intereſſe: eadem quoque prorſus eſt ratio Sinici cultus ſpiritibus redditi: vt enim v. g. Iupiter coeli, Iuno aëris, Vulcanus ignis, Ceres terrae etc. ſpiritum inhabitantem ſignificat, ita coeli, terrae, aëris etc. ſpiritus ex hoc vniuerſi ſeminario deſumti ſua nomina et numina Sinica habent, v. g. coeli ſpiritus Xang ti. 8. Stoicorum Dei pereunt reuocandi ſcilicet in Iouem ſuo tempore in incendio vniuerſali poſt certas origines; et Sinarum quoque dii ſimili prorſus modo in Li olim refundentur. 9. Deus Stoicorum chaoticus a mundo formato ratione originis, non vero eſſentiae, differt; et ſimiliter apud Sinenſes Li, ſiue chaos a Tai-Kie mundo informato origine quidem, non vero eſſentia diſtinguitur. 10. Stoici vero coelum haud raro Deum vocant, ob ſpiritum aethereum vel igneum in eo reſidentem: eadem vocis Xangti vera ſignificatio eſſe videtur. 11. Coſmogonia Stoica Sinenſi non minus exacte reſpondet. In vtroque enim ſyſtemate prima principia leuiſſima aſcenderunt, grauiora ſubſiderunt, et ſic elementa nata ſunt, inde Li Ki progenuit. 12. Elementa Stoicis vel grauia ſunt vel leuia, Sinis vero itidem. 13. Mundus Stoicorum poſt certas periodos in Deum redit cum omnibus diis, et Iupiter nouum ex ſe interna operatione mouente producit. Simile fatum mundo Sinae annunciant, ſecundum quod ne animis et daemonibus quidem exceptis cuncta poſt certa curricula temporum in Li redeunt, quod poſtea per Ki, id eſt motum ſuum internum nouum mundum producet. 14. Nec anima hominis vel ratione originis vel ratione naturae ſuae, vel ratione ſtatus ſui poſt mortem alia eſt, apud Sinas, quam apud Stoicos, nempe ex Ioue ſiue Li progreſſa, ad eum iterum reuertitur. 15. Quamuis autem Deus Stoicorum reuera materialis ſit, nempe ignis ſubtiliſſimus, auctor tamen eſt omnis ſapientiae et virtutis. Quid igitur mirum, virtutes quinque ex Li, licet chaos rerum etiam materialium ſit, emanare. 16. Mors et deſtructio

ſtructio ſecundum Stoicos fit, quando partes materiae reſoluuntur, partes materiales redeunt in materiam, ſpirituales in Deum, rationes ſeminales in mundi animam. Idem viſum Sinenſibus, ſecundum quos partes coeleſtes ad ſpiritum coeli redeunt, terreſtres ad terram. Ipſum iam lectorem aequum et a partis ſtudio non occupatum rogamus, an non veriſimillima nos ratio cogat Sinenſem phyſiologiam, eodem, quo Stoicam modo interpretari? Nec obſtat, quod faſſi ſupra ſimus, priſcos Sinas non ita ſtatuiſſe videri: quamuis enim hoc verum ſit, aut animam mundi tamen aut ſpiritus mundi partes velut anima informantes admiſerunt, quae poſtea a philoſophis aucta, polita, et comtius ornata ſunt, vt cum Stoico quoque ſyſtemate euenit. Vidit id Longobardus, qui Tai Kie cum anima corpus informante et cum anima mundi veterum comparans, iudicauit exacte omnia conuenire [h]; vidit id P. de S. Maria, qui cum his Europaeorum opinionibus erudite conciliauit [i]. Vidit is, quo nemo acutius, videbat ſi praeiudicio non impediretur, LEIBNIZIVS, qui eleganter monet [k]: *Potuiſſe intelligere Sinas nomine Tai Kie ſubſtantiam et formam primitiuam et nomine Ki materiam primitiuam, mundum concipere velut animal aliquod, vel ens viuum vniuerſale, genium ſupremum, perſonam ſummam, quem in modum Stoici de mundo locuti ſint.* Aſt haec tamen veteribus Sinis tribuere non vult, quia loca clariſſima extent, et hinc animam ſuam ſupramundanam ſurrogari vult: nempe, ne propria vineta caedat, poſtquam eos orthodoxos eſſe ſtatuerat. Quod cur vir ſummus tantopere vrgeat, et ita mordicus teneat, vt malit torquere ſubtiliſſimis diſtinctionibus omnia, quam has partes deſerere, nos equidem ignoramus, Cel. CROSAEVS [l] autem *nihil ſe mirari*, ait, *ſuperuacuos Leibnizii conatus in purgandis Loiolitarum Sinenſium ſuperſtitionibus. Nimirum hoc habuiſſe virum, alias incomparabilem, vt facile blanditiis et adulationibus expugnaretur. Atqui a nullis vnquam hominum tantopere laudatum et commendatum fuiſſe, qua priuatis literis, qua etiam teſtimoniis compluribus paſſim in lucem emiſſis.* Quod vtrum ita ſe habeat, nos equidem dicere non poſſumus; ſcimus autem, virum ſummum ad excuſandos quam accuſandos veteres philoſophos fuiſſe proniorem, et impatienter eos tuliſſe, qui atheiſmi patrocinium vbique inueniunt. Vnde vero tanta ſimilitudo Stoici et Sinenſis ſyſtematis deriuanda ſit, certo definiri non poteſt, meretur autem expendi, quod CROSAEVS [m] aſſerit: *Certum eſſe, ſententiam philoſophorum Sinenſium eandem eſſe atque Aegyptiorum veterum, a quibus certo ſciat, eos ante multa ſecula dogmata fere omnia ſua hauſiſſe.* Quae ſi non omnia vera ſunt; ex parte tamen vera eſſe ſumus perſuaſiſſimi. An vero hoc ſyſtema phyſiologicum atheum dici debeat, ex illis diiudicandum eſt, quae de atheiſmo Stoicorum diſſeruimus.

h) p. 233. 236.
i) p. 325. 338. 349.
k) p. 442.
l) Vol. II. Epp. Leibniz. p. 495.
m) l. c.

Cauſſa enim eadem eſt: ea vero non confundenda cum atheiſmo Sectae Foë et Lao Kiun.

Phyſica Sinica qualis?

§. XXIV. Phyſica Sinenſium qualis ſit, ex antecedentibus iam pateſcit, vbi origines mundanae et elementorum numerus, ordo, origo, virtutes delineata ſunt. Quae ſatis craſſa Minerua dicta eſſe nemo non videt. Rationes autem elementorum ex mente Sinarum ita explicat M. MARTINIVS †: *Quinque ſunt elementa: aqua, ignis, lignum, metallum et terra. Aqua irrigat et deſcendit, ignis ſiccat et aſcendit, lignum erectum et diſtortum vocatur, metallum ductile leuitatisque patiens, ſemina terra capit, affertque fructus: Irrigans et deſcendens dat ſalſum, ſiccum et aſcendens dat amarum, rectum et diſtortum facit acidum, ductile et politurae idoneum mordax facit, ſiue acre, accipiens ſemina et dans fructus, dulce gignit.* Ex quibus colligi poteſt, elementa hic conſiderari non vt principia mixtorum, ſed vt partes mundi, atque vt prima corpora, non vero primorum corporum principia. Vnde qualitates non combinationem particularum, ſed proprietatem corporis hoc loco denotare, recte obſeruatum TH. SPIZELIO [n]. Qui quoque monet, Sinas ſingulis elementis ſingulas planetas tribuere, Saturnum terrae, Iouem ligno, Martem igni, Mercurium aquae, metallo Venerem, cuius rationes ex phyſiologia Sinica a Longobardo adducta facile peti poſſunt. Vidiſſe autem Sinas ipſos ineptias huius doctrinae, inde conſtare poteſt, quia Riccium quatuor elementa eorumque qualitates Peripatetice tradentem, et libro quoque Sinica lingua exarato confirmantem non modo cupide audiuerunt, ſed eius quoque diſciplinam ambiuerunt. Vnde facile nobis perſuaderi patimur, aures arrexiſſe Sinas, cum Europaeos audirent terrae rotunditatem, ſolis magnitudinem, cometarum ignes et innumera phyſica alia tradere. Videntur autem Sinae nonnihil phyſicarum hypotheſium praeter Aegyptios, vt ſupra dictum, ab Indis accepiſſe: nam et ipſi vt Indi, chaos et ortum rerum ex eo ouum nuncupare, cuius teſta in coelum, albumen in aërem, vitellum in terram abierit, idque media nocte, ſub illud tempus, quo aſtra coelum exornantia ſolſtitiali brumalique reuocatione vertantur, tradit MARTINIVS [o]. Quae coniecturam confirmant ſupra allatam, veterum Sinarum phyſiologiam nonnihil alteratam a peregrinis dogmatibus Aegyptiorum, Indorum et Arabum, qui ab illis acceperunt, fuiſſe. Id quod veriſimilius eſt, quam quod RENAVDOTIVS [p] coniicit, a Perſis eos dogmata quaedam accepiſſe, quos frequentaſſe Chinam nondum eſt euictum. Nam quod a SPIZELIO [q] tribuitur Sinis duplex principium, ſi modo recte tribuitur, ad exotericam idololatrarum, ſectae Lao Kiun et Foënae doctrinam pertinet, et non a Perſis, ſed ab Aegyptiis ad Indos, ab his ad Sinas cum Xekiana diſciplina delatum

†) loc. cit. L. I. c. 9.
n) De Literat. Sinenſ. Sect. IX. p. 171.
o) loc. cit. p. 3. 4.
p) loc. cit.
q) loc. cit. p. 193.

latum est, et satis verisimiliter Tryphonem Aegyptiorum magis, quam Arihmanium Persarum repraesentat. Nihil autem, si COVPLETVM r audis, celebrius in physica Sinica explicatione aenigmatis Fohiani, cuius supra mentionem fecimus. Hoc ita physica interpretatione soluisse Confucius cum sequacibus ait, vt materiam primam instar ingentis cuiusdam maris concipiant, quod in duo maria minora, nempe duo principia secundaria distribuatur. Illud perfectum, yam, hoc imperfectum yn esse. Ex horum principiorum quolibet per secretionem quandam oriri alia principia duo, et quidem ex perfecto perfectum maius, imperfectum minus, ex imperfecto, perfectum minus, imperfectum maius. Et has esse quatuor imagines seu emanationes Confucii, quae cum varie commisceantur, octo exhibeant rerum species. Cuius secundum Fohium hoc schema solet apponi:

Duo rerum materialium principia.

Perfectum, Imperfectum.

Quatuor imagines inde exortae.

Maius perfectum — Minus imperf. — Minus perfect. — Maius imperf.

Octo ex his figurae emanantes:

Coelum	Aquae mont.	Ignis	Tonitrua
Kien	*Tui*	*Li*	*Chin*
Venti	Aqua	Montes	Terra
Siuen	*Can*	*Ken*	*Quen.*

Non immorabimur explicationi Confucianae, cum satis de hoc argumento supra dictum sit. Monendum tamen esse arbitramur, ipsum Confucium, qui ingenium magis politicum quam metaphysicum habuit, perplexum haesisse, quid ex hoc aenigmate exsculpendum sit. Adeo enim obscurae eius meditationes sunt, vt nisi recentiorum Europaeorum coniecturis essent illustratae, vel commodo, vt poterant sensu, explicatae, tenebras magis, quam lucem in argumento naturali promitterent. Mirandum itaque non est aeque facile eos moralia dogmata, quam physica, in istis lineolis inuenisse; Cuilibet enim pedi hic modulus aptari potest; vnde a coniecturis, quibus historiam philosophicam onerarunt nonnulli, malumus abstinere, quam nostras suspiciones Sinis tribuere. Quae pestis, dici

r) loc. cit.

non poteſt, quam foede hiſtoriam philoſophicam corruperit. Talia ſunt, quae RENAVDOTIVS coniicit, principium Perſarum duplex Confucio hanc explicationem ſuppeditauiſſe. Id enim absque veriſimilitudine dici ex ſyſtemate phyſiologico Sinarum, quod duplex principium non admittit [s] conſtare manifeſte poteſt. Ex his vero de medicina quoque Sinenſium ſtatui poteſt, quam empiricam eſſe et vix nomen mereri artis ſalutaris, riſum quoque interdum mouere, recte iudicauit MORHOFIVS [ff]. Conſtat enim ex relatione ANDREAE CLEYERI [t], ſocietatis Indicae in noua Batauia archiatri, qui cum libros medicos Sinenſium conſuluiſſet, *Specimen medicinae Sinicae, ſiue opuſcula medica ad mentem Sinenſium* edidit: pleraque ad pulſuum inueſtigandorum rationem reuocari, ſecundum hos medicamina exhiberi, nitique totam eorum artem ſalutarem, ſympathia et relatione membrorum corporis, nec non pulſuum, cum quinque elementis et anni tempeſtatibus: Scimus quoque ex his relationibus, chemiam eos ignorare, (quam didiciſſe demum imperatorem Chamty a Ieſuitis ex Bouueto diſcimus) alchemiam ad inſaniam colere, Graecorum et Europaeorum medicamina ignorare, inque id potiſſimum conniti, vt qualitates quinque elementorum, quarum aliquam ſingulis membris potioribus attribuant, reſtaurarent. Tacemus alia ibi allata, quae ſatis nos docent, aut empirica felicitate Sinenſes interdum pulchre mederi, aut inepta eſſe pleraque nec laudibus digna quibus nonnulli [u], quibus peregrina omnia placent et magna ſunt, eos cumulant.

Philoſophia practica Sinenſium.

§. XXV. Infantes eſſe in philoſophia theoretica Sinas, et valde a nobis ſuperari, ex dictis eſt manifeſtiſſimum. Aſt ſuperari nos quoque a Sinenſi philoſophia practica, magni viri non ſine admiratione et inſignibus laudibus fatentur. Faciunt id imprimis Ieſuitae, quibus pollicem hoc quoque loco premit LEIBNIZIVS, quem more ſuo ſequuntur celeberrimi viri G. B. BVLFINGERVS [x] et C. WOLFIVS [y], vt deos minorum gentium taceamus. Nec negari poteſt, pulcherrimam eſſe doctrinam moralem et ciuilem Sinarum, prout eam Ieſuitae nobis exhibuerunt, maxime poſtquam acumine Bulfingeriano ſcopae diſſolutae monitorum politicorum Sinenſium in ſyſtema elegans et aptiſſimum ire coactae ſunt. Aſt hic merito recurrit dubium, incertum eſſe, annon multa ex ingenio interpretum acceſſerint, quemadmodum haud parum pulchritudinis ex ordine et ſupplementis Bulfingerianis acceperunt? Ad rationem tamen politicam imperii Sinici attendentibus, manifeſtum eſt, praeclare ita rerum ciuilium, ad mores attemperatarum rationes iniuiſſe Sinas, vt his fulcris tot ſeculis inconcuſſum ſtare potuerit imperium Sinicum. Quamuis fabulas nobis Mileſias enarrent, qui neſcio quod aureum ſeculum nobis in China

s) Vnum enim principium, Li, ſtatuit.
ff) Polyhiſt. T. II. p. 13.
t) Vid. Act. Erud. 1682. p. 301.
u) Eos nominat HEVMANN. l. c. p. 730.
x) Praef. Nouiſſ. Sinic.
y) Il. cc. conf. SPIZEL. l. c. f. 8. p. 126. REIMMANN, l. c. p. 8.

China fingunt, cum hiſtoria ampliſſimi regni indubitatus teſtis ſit, nec tyrannis illud caruiſſe, nec bellis inteſtinis, nec imperatoribus in vitiorum coeno ſe voluntatibus, nec deeſſe inter eos ſcelera et flagitia publica, et imprimis duritiem procerum erga humiles, auaritiam et iniuſtitiam, per totum imperium regnare. Praeclare quoque obſeruatum cel. MOSHEMIO [z], qui nuper egregie prorſus de philoſophia morali et ciuili Sinenſium diſſeruit, haud multum ad felicitatem imperii Sinici attuliſſe morum praecepta, ſed deberi illam partim ordini et diſpoſitioni imperii, partim loco regni in extremo angulo Aſiae ſiti et a peregrinorum conuerſatione vſuque, quibus respublicae mutari turbarique ſolent, remoti. Addi his merito debet, virtutem Sinenſis philoſophiae, non eſſe fructum rationis vel effectum veritatum certarum et ad vitae felicitatem attemperatarum, non hominis eam animum a cupiditatum oeſtro liberare, ſed eſſe politicam tantum; et ethicam ideo Sinicam, aliquot tantum officia comprehendere, quae ad conſeruationem tranquillitatis internae in republica, et fulciendum ſine violentis mediis imperium, referuntur. Mirum itaque non eſt, ambitionem pleraque ſibi in ſyſtemate politico poſcere, et religionis influxum, poenarumque et praemiorum poſt hanc vitam reſpectum, parum aut plane nihil in hac morali doctrina agere [a]. Quae an tantas laudes perfectiſſimae philoſophiae mereantur, lectori aequo et partis ſtudio non impedito expendendum relinquimus. Duplex autem Sinarum philoſophia practica eſt, alia vulgaris, alia erudita et Confuciana. Illa ſedecim regulis comprehenditur, quae a Mandarinis ſingulis calendis Idibusque menſis cuiusuis iuſſu imperatoris praeleguntur: quaeque intelligi ſatis nequeunt, niſi ad rationes ſtatus, quas conditores, monarchiae inierunt, quis attenderit, et, quibus mediis ſecuritati et tranquillitati imperii proſpexerint, examinauerit. Qua in re praeclare prorſus verſatus eſt praeſtantiſſimus MOSHEMIVS [b], qui ipſe ab iis legendus eſt, qui neruos prudentiae ciuilis inter Sinas diſcere cupiunt. Eius enim obſeruationes, licet egregias prorſus et incomparabiles huc transferre, inſtitutum vetat. Verbo tantum obſeruamus, opinionem populi de imperatore coeli filio, et vnico publicae ſalutis a coelo impetrandae fonte, obſequiumque proniſſimum et perfectum, quod ex ea fluit, ipſorumque principum exempla ad conſeruandam hanc ſummam in animis auctoritatem facientia et amorem populi conciliantia potiſſima fulcra eſſe, quibus imperii Sinenſis felicitas ſuſtentatur, et quibus procerum, parentum, aliorumque, qui ſocietati praeſunt officia attemperantur. Ethica philoſophica autem ex libris Confucianis diſci debet, ex quibus cum potiora collegerit ill. BVLFINGERVS, ſpecimen aliquod inde repetemus, plena hauſturum ad ipſum eruditiſſimum librum dimiſſuri:

I. Duo

z) loc. cit.

a) Conſentientem habemus cel. WOLFIVM l. c. qui virtutem Sinicam ſine his fundamentis conſtare fatetur. Praeclare ideo Europaeorum ethicae praerogatiuam concedit BVLFINGERVS l. c. p. 280. ſeq.

b) Conf. MOSHEM. l. c. p. 332.

I. Duo sunt doctrinae Sinicae capita, alterum pertinet ad naturae rationalis cultum, alterum ad renouationem populi, illud ethicam hoc politicam complectitur.

II. Ad poliendam naturam rationalem requiritur, primo vt excolatur intellectus scientia rerum omnium, eousque, dum in discernendo bono et malo non aberret, tum vt imbuatur voluntas virtutis amore et vitii odio, deinde vt affectus coërceantur; postea vt componantur actiones et cum ceteris hominibus consuetudo ad honesti et decori regulas.

III. Populus ita instituendus est, vt qui se primum regere possit, idem postea familiam instruere, tum magistratibus admoueri et priuata regna dirigere, et tum demum imperium gerere possit.

IV. Philosophus est, qui amplissimo studio versatur in libris scientiisque omnibus, omniaque examinans exigit ad regulam rectae rationis, ita vt a veritate et virtute, si fieri poterit, nunquam deflectat.

V. Vi intellectiua consummata, quod fit rebus omnibus intime exhaustis, intentio ac voluntas verificabitur, et animus emendabitur a prauo affectu, et tum corpus bene compositum, hocque curato, familia domestica, post hanc priuatum regnum et tum imperium optime institutum pace fruetur.

VI. Id quod a coelo est homini inditum, dicitur natura rationalis, quod huic conformatur natura et eam consequitur, dicitur regula seu consentaneum rationi: restaurare quoad exercitium hanc regulam se suaque per eam moderando, dicitur institutio seu disciplina virtutum.

VII. Coelestis quaedam est ratio omnibus indita, at vero post huius iacturam ad hanc perfectionem recuperandam contendere, humana quaedam via et ratio est. Illud sanctorum est, hoc sapientum.

VIII. Vnicum viuendi principium hoc est: quicquid agas, agere vere, ex animo totisque viribus et a tuo ipsius corde gradum facere ad alios. Vera itaque mensurae normaeque ratio est, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

IX. Vt homines discernamus, opus est attendere primo quid agant, deinde operis finem respicere, tum videre, quibus in rebus studiisue conquiescant.

X. Auribus vix percepta per os illico fundere, neque hoc agere, vt ea tibi ipse primus applices, quam impertias aliis, virtutis quidam contemtus ac repudiatio est.

XI. A discipulo requiritur, vt rationes plene perdiscat, examinet singula, viros sapientes consulat, ratiocinando meditetur et expendat singula, res clare distinguat, solide et constanter operetur.

XII. Non externa tantum virtutis constantia requiritur, sed etiam interna, quae nihil egerit rerum, quod non vulgari possit inter homines, nullam voluerit cogitationem, cuius nolit conscium esse coelum.

XIII. Ita virtuti studendum est, vt ea gaudeas.

XIV. Per-

XIV. Perfectus vir ſerio attendit et inuigilat ſuo interiori.

XV. Tres claſſes virtutis ſtudioſorum ſunt, qui intelligunt, quid ſit virtus, qui amant, qui potiuntur.

XVI. Radix et fundamentum virtutis, vnius cordis rectitudo et norma eſt.

XVII. Orbis regulae ſunt quinque; regem inter et ſubditum iuſtitia, parentes inter et filios amor, maritum inter et vxorem fides coniugalis, fratres maiores natu inter et minores ſubordinatio, mutua inter amicos concordiae et conſuetudinis officia. Tres cardinales virtutes ſunt: prudentia in diſcernendo bono a malo: amor vniuerſalis erga omnes, et fortitudo in proſequendo bono, vna vero cordis ſoliditas et rectitudo eas exercet.

XVIII. Quia motus animi reconditi ſunt, ideo perfectus vir ſollicite inuigilat cordis ſui ſecreto et cautus eſt in internis, quae ſolus intuetur.

XIX. Verſatur virtus in tenendo medio illud qui tranſilit, ſimilis eſt non attingenti.

XX. Sola et vnica virtus pretioſa reputanda eſt.

XXI. Populo in virtute plus eſt, quam in aqua et igne: nondum vidi qui inſiſteret virtuti et periret.

XXII. Exemplis perſuadendus magis populus eſt quam praeceptis: iuſtumque virtutem, qua prior ipſe plenus ſis, in alios transfundere.

XXIII. Sapiens ſuimet ſeuerus cenſor eſt, idemque teſtis, accuſator et iudex.

XXIV. Vincere ſe ipſum atque ita redire ad primaeuum illud temperamentum naturae rationalis, hoc eſt obtinuiſſe cordis innocentiam et perfectionem.

XXV. Aut ſocordia obſtat virtutis ſtudio, aut male conſideratus ardor.

XXVI. Perfectus vir aggreditur viam ordinariam et ideo conſtanter in ea progreditur.

XXVII. Probus atque perfectus vir, vniuerſalis eſt.

XXVIII. Charitas eſt affectio animi conſtans et conſentanea rationi, qua quis abiecta proprii commodi cura, totius orbis homines amplectitur, haud ſecus ac ſi vnum quid idemque ſecum forent, atque adeo communem cum iisdem ſenſum tam inter proſpera, quam aduerſa et habet, et prodit.

XXIX. Solus ille, qui probus eſt, tuto poteſt diligere homines, tuto poteſt eos odiſſe.

XXX. Eo quod rectum iuſtumque eſt, compenſato iniurias et odia, benefactis compenſato benefacta.

XXXI. Peccare nec emendare, hoc ipſum dicitur peccare.

XXXII. Perturbatio animi eſt velle aliis ea, quae non ſunt arbitrii ſui, vel quae ſunt inter ſe pugnantia.

XXXIII. Perfectus vir pro ratione ſtatus ſui res agit, nec cupit aliquid, ab eo alienum.

XXXIV. Virtutis et ſapientiae ſtudioſus adhibet nouem conſiderationes, inuidendo perſpicaciam, in audiendo vim audiendi, in habitu oris ſerenam placiditatem, in ſtatu corporis grauitatem, in ſermone fidem et veracitatem, in actione ſedulitatem, in rebus dubiis conſilium, in ira et vindicta, incommodorum conſiderationem etc.

Pauca haec ex multis ſufficiant, vt velut ex vngue leo intelligi cognoſcique poſſit, cuius generis ethica Confuciana ſit. Addi his debent ea, quae de regimine familiae, de officiis magiſtratuum, de adminiſtratione imperii praecipit doctrina ciuilis Sinica. Quae vero hoc loco adduci non poſſunt, cum iſtam prolixitatem noſtra refugiat tractatio. Ad ipſum itaque Cel. Bulfingerum, qui cuncta ordine digeſſit, et loca Confuciana ſimul adduxit, lectorem dimittimus, iucundius ex his fontibus, quam ex noſtris riuulis hauſturum.

Ἐπίκρισις de ethica Sinica.

§. XXVI. Splendere haec precepta moralia, non negamus, aſt ſplendere ita, vt aliorum radios extinguant, id expendendum lectori relinquimus, comparandumque cum philoſophorum Europaeorum doctrina morali. Nos pauca ſupra dictis addimus, et conſiderare iubemus: ignorare ethicam Sinenſem certum principium, nec definire poſſe, quae ſit ea ratio congenita, quae cordis rectitudo, quae laudata illa perfectio, nec poſſe nexum oſtendere. Faſſus id eſt, qui immenſum in modum Sinicam ethicam extulit, illuſtris WOLFIVS. Conſiderari autem velimus, hunc perfectum virum Sinenſium attamen vel idololatriae, vel ſuperſtitioni, et impietati litare, et conſiſtere virtutem Sinenſem ſine numine. Neque virtus haec ad eſotericam diſciplinam referri poteſt, fatentur enim eius laudatores, ceremonias praeſcriptas legibus apud Sinas quam maxime ad moralem doctrinam pertinere; et inter virtutis media referri. Aſt eas a ſuperſtitione et impietate abſoluere velle, eſſet laterem lauare, vt ex ſupra dictis intelligitur. Tacemus fucum Europaeum Sinenſi virtuti illitum, vt iucundius poſſit commendari. Haec an tanta ſint, vt ſoli in morali doctrina triumphare Sinae dici queant, aequi iudices viderint.

CAPVT

* *

CAPVT QVARTVM,

DE PHILOSOPHIA IAPONENSIVM.

§. I.

TAndem ad extremos Asiae angulos delati, in insulis extremis, gentem Iaponensium antiquissimam deprehendimus; quae vt instituta sectasque nonnullas, quae philosophicae dici possunt, a Sinis accepit, ita et religionis conditione, et dogmatum singularitate tota in philosophiae exoticae consideratione praeteriri non potest. Res eius primus Europaeis notas fecere Lusitani, et qui praedicandi euangelii caussa anno cIↃ IↃ XCIX, in Iaponiam iter cum sociis fecit Franciscus Xauerius, Societatis Iesu sacerdos. Qui cum haud contemnendos progressus in amplissima hac regione feciſſe sodalibus in partes curarum pertractis magnam ciuitati Christianae accessionem fecit. Quae tamen, cum prudentia deesset, et suspecta fierent Iaponensibus Christianorum consilia, quod non tam Christianam legem propagare, quam Christianorum imperio insulas has subiicere vellent, magnis persecutionibus adeo extincta est, vt vix oras attingere Europaeis liceat. De quibus rebus in Iaponia gestis post EMANVELEM ACOSTAM [a], et *Epistolas Iaponicas* a Iesuitis scriptas et a PETRO MAFFEIO in Latinam linguam versas, CRASSETI *Historia Ecclesiae Iaponicae* consulenda est. Et hi quidem scriptores Iesuitae res quoque theologicas et literarias huius gentis tetigerunt, ex quibus praeter alios sua hausit P. BAYLE [b]. Pauca tamen haec sunt, et minus accurata, praeterea quoque in haud paucis suspecta. Magno itaque beneficio harum rerum curiosos sibi obstrinxit, eruditissimus medicus ENGELBERTVS KAEMPFERVS, quod rara felicitate gauisus huius imperii res omnes naturales, politicas, geographicas, theologicas accurate cognoscendi, notitiam eius regionis amplissimam reliquerit [c], a Cl. Io. CASPARO SCHEVCHZERO vulgatam. Qui cum certiorum monumentorum consulendorum occasionem nactus sit, cuncta quoque iudicio accuratissimo vsus rite expenderit, et cum reliquis Orientis rebus comparauerit, eum in hac narratione potissimum sequemur. *Scriptores de rebus Iaponensium.*

§. II. Origines Iaponensium iuniores Sinensium ortu non videntur. Pleraque enim quae de maioribus suis Sinae tradunt, de gentis suae conditoribus narrant Iaponenses. Quorum tamen historia recte et curate a *Origines Iaponensis theologiae.*

a) De rebus a Societate Iesu in Oriente gestis, commentarius prodiit Latine Dillingae 1571. 8. adiunctae sunt epistolae S. I. Iaponicae. Ex VARENII tr. de Religionibus multa de rebus Iaponensibus adiecit CHR. ARNOLD. ROGERI libro de Rel. Indorum, c. 29. p. 871. Quae tamen pleraque vel falsa, vel minus accurata esse, ex relationibus Kaempferianis constare potest.

b) T. II. Art. Iapon. p. 830. seqq.

c) Vtimur versione Gallica, Amst. 1732. tribus Vol. 12. edita. Optandum autem, vt κυτόγεκθον Germanicum edatur.

KAEMPFERO [d], distribuitur in fabulosam, dubiam et certam. Et prima quidem periodus, secundum hos populos vltra mundi conditi tempora, quae certissima annalium sacrorum fide definiuntur, exsurgit. Id quod mirandum quidem magnopere haud est, cum solenne his gentibus olim fuerit, incredibilem antiquitatem mentiri: monet autem attentos lectores, vt nec Sinicae antiquitati nimis fidant. Primum autem imperio septem deos siue spiritus praefuisse constanter Iaponenses iactant, et de eorum regno, annis immensis, felicitate egregia, connubioque vltimi eorum Isanagi Mikotto, cum dea Isanami Mikotto multa garriunt. Quae quidem ad hunc nostrum scopum non pertinent, ideo vero hic attingenda sunt, vt ex his fabulis appareat, in remotissimo hoc Asiae angulo eodem fere modo eademque larua idololatriam, et superstitionem irrepsisse, qua se in aliis vetustissimis regionibus insinuauit. Simillima enim haec sunt originibus Aegyptiacis. Quae itaque de originibus religionis in ea regione suo loco [e] diximus, hic quoque, ne ad metam properantem Lectorem detineamus, repetenda sunt. Constabit ex iis, homines magnos et acutos, qui feros palantesque populos in ordinem coëgerunt, et beneficiis innumeris cumulauerunt, pro diis, deorumque filiis fuisse habitos, et huic fundamento, ad firmandum imperium omnem fere religionem fuisse inaedificatam. Quae clauis omnis veteris religionis esse potest.

Legislatores vetustissimi Iaponensium.

§. III. Alteram periodum incertam ea tempora, secundum KAEMPFERVM [f] occupant, quibus illi reges Iaponiae floruerunt, quorum aetatem definire certo non licet. Hi colendo hominum ingenio, quod rudissimum erat, inuigilauisse, verisimilitudine non caret: quicquid autem prudentiae politicae et legislatoriae, quicquid artium ad vitae commoditates facientium habuerunt, a Sinensibus acceperunt. Non id negant Iaponenses, sed ideo inter maiores suos in hac periodo ponunt FOHIVM, Sinarum legislatorem, quem per totam Iaponiam celeberrimum fecit sapientia legislatoria. Nec aliud velle videntur fabulae, serpentis figuram eum habuisse, vel solo capite comparuisse, quam prudentiae et scientiae sublimitate reliquos suae aetatis homines illum superauisse. Tradunt enim Iaponenses, detexisse eum motus coelestes, signa Zodiaci, et anni vicissitudines, tempora annis mensibusque definiuisse, artes ad vitae vtilitatem introduxisse. Quae satis euincunt, Iaponenses post conditam demum Sinicam monarchiam in humanae societatis formam meliorem coaluisse. Neque tamen audiendos esse chronologos Iaponenses, qui aetatem Fukii, (ita enim appellant) in annum ante N. C. CIↃ CIↃ CIↃ IↃ LXXXVIII, qui secundum Petauium annus mundi CCCXCVI est, ponunt, vel vna diluuii vniuersalis historia probat. Ex hoc vero communi Iaponensium legislatore intelligi potest, Iaponensibus priscis eandem fere, vt Sinis, religionem tribuendam esse. In hanc incertam periodum

d) L. II. c. 4. T. I. p. 227. e) T. I. p. 287. seqq. f) l. c. p. 229.

periodum incidit aetas Xekiae, siue Siakae vt Iaponenses pronuntiant [g], quem in India natum esse anno ante C. N. CIↃ XXVII, tradunt. Quod ideo notandum est, vt discamus, fabulosam, vel incertissimam tamen Xekiae antiquitatem esse, nec haec testimonia obstare, quo minus iunior fuisse dicatur. Eius enim tempora, annum IↃ vel IↃC ante N. C. non anteuertere videntur. Certe Siamensium, Sinensium et Iaponensium chronologia Xekiae non concordat, ex quo intelligi potest, eam esse incertissimam. Nihil enim, quod de rebus suis certo statuant, ipsi Iaponenses habent, quorum historia certior anno demum ante orbem redemtum IↃCLX exordium habet.

§. IV. Inter principes, qui in tertia eaque certiori aetate vixerunt, conditor alter monarchiae celebratur SYN MV, anno ante N. C. IↃCLX. Qui tantis beneficiis gentem hanc sibi obstrinxit, vt titulum Nin O, id est optimi maximi acciperet [h]. Hunc enim Iaponensibus praestitisse, quod Fohi Sinensibus, narrant, moresque populi ad ciuilem vitam reduxisse, tempora annis, mensibus et diebus distinxisse, leges nouas tulisse, totique imperio faciem πολιτικωτέραν induxisse gloriantur. Et sub hoc imperatore vixisse celeberrimum philosophum ROOSI, id est, *senem infantem*, quem cum Li Lao Kuin eundem videri in antecedentibus obseruauimus, annales Iaponenses referunt: natum enim esse aiunt annis A. C. N. IↃCI, eumque L annis post excepisse philosophum Koosi siue Confucium. Quem sapientia tam celebrem apud Iaponenses fecit, vt eius memoriae hodie quoque templa sint dicata, cultuque is tantum non diuino et plane extraordinario etiam in his insulis honoretur. Quae iterum argumento esse possunt, philosophiam Sinensem et Iaponensem communes fontes habuisse. Ex eius discipulis celebrant Iaponenses GANQVAI philosophum, quem canos iam habuisse annos octodecim natum, trigesimo tertio obiisse, referunt, traduntque animam Kossobosati, qui praecipuus Xekiae discipulus fuit, in eum transiisse. Ex quo liquet, Iaponenses disciplinam Siakae et Confucii reipsa vnam esse credidisse. Id quod tamen cum dogmatibus, quae vtrique philosopho tribuuntur, conciliari non potest. Forte, quia Siakae religio plurimum inter Iaponenses inualuit, omnes philosophos ex ea participasse, gens credula sibi persuasit. Tempore Confucii enim et discipulorum apud Sinas Xekianam disciplinam nondum innotuisse supra obseruauimus [i]. Illud annalium Iaponensium fide constat, anno XCV imperii, Dai, siue imperatoris Synin, BVPONEM quendam siue KOBOTVM ex India in Iaponiam delatum librum Kio, in equo candido attulisse. Est autem liber ille pandectarum doctrinae et religionis Xekianae instar habendus. Quod

Legislatores Iaponenses secundi, et philosophicae origines quaesitae sub eorum imperio.

Rooſi philosophus.

Ganquai Confucianus philosophus.

Kobotus, philosophus Xekianus.

g) Xacam plerique a Iaponensibus vocari tradunt. Ast Kaempferus, pronuntiationis Iaponicae peritissimus, constanter Siaka scribit, quem ideo sequimur.

h) Ib. p. 250.

i) Ib. p. 256. L. III. c. 6. T. II. p. 66.

tempus cum eo coincidit, quo Xekiana disciplina in Chinam A. C. LXIII delata est. Ex qua temporum concordantia colligimus, quendam Xekiae siue Foë sacerdotum, qui in Chinam adducti sunt, in Iaponiam transfretasse, et peregrinam religionem in illo regno ab eo fuisse introductam. Quam ex India, et praecipue ex Ceilano insula ad Iaponenses peruenisse iam obseruatum GASP. VILELAE, Iesuitae [k]. Is enim cum anno CIↃ ICLXII in illas oras fuisset delatus, scripsit ad Societatem, *Iaponensium superstitionem esse Indicam Brachmanum, quam ab Indico magistro ex regno Sionis* (Siam) *acceptam, hucusque retineant: idque ipsum ex delubris etiam apparere, quae in Ceilone oppido Indiae eadem, quae in Iaponia viderit.* Quae mire ea confirmant, quae supra de Xekiae origine obseruauimus. Ab hoc Koboto, doctrinam Foënam exteriorem pariter atque interiorem fuisse ad Iaponenses delatam, ex dicendis constabit. Qui vbi aduenisset, templum ei, nomine *Fakubasi*, id est, aedis equi candidi, excitatum est, quod hodie quoque supereſt. Ab ea aetate disciplina Siakae sensim in his oris, sed priuatim tantum incrementa coepit, cuius doctorem quendam, qui vigesimus octauus eius successor fuit, DARMA, valde celebrem annales Iaponici nominant [l], quam a meridionali orbis parte id est, ex India, vel his regionibus ad meridiem Iaponensibus sitis aduenisse tradunt. Origines vero huius disciplinae ex annalibus Iaponensibus ita enarrat, ipsis Iaponensis scriptoris verbis KAEMPFERVS. „In „Tensiku media id est, in littoribus Malabaricis et Coromandelicis ap„paruisse celeberrimum quendam Fotokianae sapientiae alumnum, disci„pulum Siakae nomine Mokuren: et circa hoc tempus doctrinam Ami„dae, optimi maximi Dei et protectoris animarum introductam in Chi„na, in vicina regna se diffudisse, et in Iaponiam quoque penetrauisse, „eo loco, quae Naniwa appelletur, vbi idolum Amidae ad cataractas „lacus cuiusdam, radiis auratis, vt allatum erat, apparuerit. Cuius mi„rabilis euentus memoriam non tantum cyclo Iaponensi (Nengo dicunt) „honorauerit, sed transtulerit quoque in regionem Sinano, princeps „Tonda Iosiimits, vir pius et fortis. Collocatamque hanc statuam mi„raculosam fuisse in templo Sinquosi, in quo infinitis miraculis incla„ruerit.“ Qui locus ideo notandus est, vt quibus mediis et impostoris vsi sint deterrimi veteratores, cognoscatur. Quae si cum impostoris sacerdotum Aegyptiacorum comparentur, nouum inde robur coniectura nanciscitur, impostoram hanc ex Aegypto in Indiam et tum ad Sinenses et Iaponenses fuisse delatam.

Darma philosophus Xekianus.

Sectae in Iaponia theologicae.

§. V. Patet ex breui hoc compendio historiae disciplinae Xekianae, siue, vt ore Iaponico appellemus, Siakanae, in Iaponia idololatriam eius sectae ex Aegypto in Indiam delatam hanc etiam gentem corrupisse. Non itaque opus est, vt quali habitu illa idololatria ad Iaponenses delata sit,

k) Epp. Iapon. L. IV. p. 204. l) Ibid. T. II. p. 645.

sit, hoc loco enarremus. Dabunt ea de re multa scriptores laudati. Id vero sine obseruatione non praetermittendum, hanc sectam non omnem, vel etiam publicam imperii Iaponici religionem absoluere, sed sectas in ea tolerari multas, magnaque gaudere libertate religiones peregrinas. Tres autem, si laudatissimum Iaponiae chorographum et historicum audimus, praeter Christianam, quae iam eiecta et eradicata est, sectae inter Iaponenses florent, vetus religio, quae Sintos dicitur, religio Budso, id est, Buddae, siue Siakae, et doctrina Sinto siue philosophorum moralium. Neque a vero abludit, quod is obseruat, pulcherrime porro florere potuisse Christianam religionem, nisi praeposterum Iesuitarum studium, potestatem pontificis Romani et Lusitanorum extendendi, et non tantum spirituales fructus, sed et temporales colligendi occasionem horrendae persecutionis excitauisset. Operae vero pretium est, vt quid his sectis apud Iaponenses placuerit, paucis exploremus: ita enim de veteri philosophia huius gentis, paullo curatius statuere licebit.

§. VI. Religio gentis antiquissima Sinto dicitur, itemque Sinsiu et Kammitsi, id est cultus idolorum. Sin et Kami enim idola, quae in Iaponia coluntur, indicant. Huius sectae scopum vnum esse ait KAEMPFERVS [m], vt felices in hoc mundo fiant. Quamuis enim aliquam immortalitatis notionem habeant, obscuram tamen eam esse, et imperfectam, nec eos de futuro angi, sed ad praesentem tantum vitae statum intuentes id agere, vt Deos colant, qui huius mundi res curant, et euentus huius vitae regunt. Et summum quidem eos numen aliquod agnoscere, quod habitet in supremo coelo, minores quoque Deos quosdam inter stellas collocare, neque tamen eos sacrificiis vel festis adorare, eo quod numinum cura illos minime tangi, nimis ab orbe remotos credant. Per hos tamen Deos superiores eos iurare: inuocare autem ea numina, quae regioni suae praefecta esse putent, et quae potestate absoluta praeesse contendant elementis, aquae, animalibus aliisque rebus, et hinc vitam hominum vel felicem facere possint, vel calamitate obruere. Hunc cultum sufficere posse ad purificandum animum, et obtinendam futurae vitae compensationem. Memorabilia sunt, quae de hac antiquissima Iaponensium idololatria differit Kaempferus, in quibus pulchre coniicit, duces huius gentis primos, ita sibi animos hominum deuinxisse beneficiis et imperio prudenter exercito, vt omissa supremi numinis, velut nimis ab hominum infirmitate remoti cura, hos heroës inter Deos referrent, eosque grati animi testandi causa colerent, veneratione tandem in superstitionem degenerante. Non repugnamus haec ita verisimiliter dici, nam et aliarum gentium Orientalium religio tales ortus habuit. Ast non exhaurire tamen rem omnem putamus, et non sine probabilitate coniicimus, ipsos duces regesque Iaponensium primos, se eiusmodi progeniem Deorum altissimorum dixisse, et ideo reges bene meritos his numinibus accensendos esse statuisse, vt hac religione deuincti animi

Secta Sintoistarum.

m) T. II. p. 3. seqq.

mi in ſpontanea obſequii vincula conſentirent. Quas artes Chaldaeos et Aegyptios adhibuiſſe, Sinas quoque veteres imperatores ideo coeleſti genere natos dixiſſe, ſuis locis obſeruauimus. Eandem opinionem obtinere in Iaponia inde conſtat, quia imperator eccleſiaſticus (qui vmbra eſt, abſolutae poteſtatis, quae olim in hoc imperio in vno rege obtinuit) quique Mikaddos dicitur, recta linea ab iis heroibus deſcendere dicitur, qui in throno velut Dii inter homines comparuerint: et tanta illi ex hac ſucceſſione diuina ſanctitas tribuitur, vt Dii regionis omnes menſe decimo ad eius aulam confluere, eumque inuiſere credantur. Immo dum huic imperatori ſiue pontifici eccleſiaſtico ius inter Deos referendi, quoscunque dignos putat, competit, facile inde colligitur, omnem religionem eo collineaſſe, vt imperii rationes in principe pro diuino habito fulcirentur. Id quod ſucceſſiones quoque diuinae in Iaponia enarrari ſolitae luculenter euincunt. Quae diligenter omnia expendenda, et imprimis cum priſca Sinarum religione comparanda ſunt, quae in plerisque et imprimis in diuina imperatoris auctoritate conſpirat, vt verae origines veterum religionum et corruptae theologiae naturalis inde diſcantur. Non itaque magnopere miramur, religionem hanc, licet abſurdiſſimam ſuperſtitionem nutriat, per tot ſecula potuiſſe durare; ita enim vinculis reipublicae irretita et connexa eſt, vt non niſi cum imperio deſinere tota poſſit. Ceterum miſerabilem eſſe huius ſectae phyſiologiam, licet arcana methodo, etiam iurisiurandi ſigillo, reconditam, ex textu originali libri ſacri a KAEMPFERO [n] adducto patet, qui hic eſt: *Cum rerum omnium origines ſe panderent, chaos natauit, vt piſces in fluuiis ſolent. Ex hoc chao prodiit aliquid, quod ſpinae ſpeciem referebat, quodque moueri et transformari poterat. Et haec res euaſit anima ſiue ſpiritus; qui vocatur Kunitokodatſno Micotto.* Ex quo fragmento conſtat ineptiſſimos theologos, abeſſe iuſſa a rebus mortalium omni Numinis cura, rerum omnium origines caſui et fortunae tribuiſſe. Quod dogma ſi cum iis comparatur, quae, de ſupremo numine in ſupramundanis coelis ſine hominum cura habitante nugantur, manifeſtum eſt, Epicuream phyſiologiam diu ante Epicurum in inſulis Iaponicis triumphauiſſe. Turpiſſimae enim ignorantiae ſe dediſſe huius religionis cultores ex eo conſtat [o], quia nihil in illorum libris reperitur, quod de natura et eſſentia deorum, de eorum potentia et prouidentia atque imperio, de ſtatu futuro animae quaerentibus, ſatisfaciat. Id quod ſectam quandam Sintoiſtarum [p] coëgit ex religione peregrina ea aſſumere, quae paulo meliores vultus ineptiis iſtis effingerent; ſtatuentem animam Amidae, quod ſupremum Budſdoiſtarum numen eſſe, in ſequentibus dicemus, transmigratione in Deum primarium Ten Sio Dai Sin deſcendiſſe. Id quod Siakianae diſciplinae magnam fortunam in Iaponia peperit. Ipſi enim Sintoiſtae transmigrationem, quae tamen totum Orientem peruaſit, non credunt, ſed animas ſeparatas a corpore

n) L. III. c. 1. T. II. p. 8. o) Ibid. p. 14. p) Riobus appellatur.

pore in locum beatum supra trigesimum tertium coelum secedere credunt, easque sedes diuinas animis sanctis tribuunt; malas vero et sceleratas oberrare tamdiu statuunt, donec crimina expiauerint. Quod dogma etiam inter alias gentes Orientis innotuit: de Tartaro vero nulla apud eos cognitio. Felicitatem futurae vitae autem obtineri posse statuunt, interna animi puritate abstinentia ab eo omni, quod polluere hominem potest, dierum festorum solenni cultu, peregrinatione religiosa, et cruciatibus carnis. In quibus legibus nihil est, quod rationis cultum prodat, praeter primam, quae tamen tota euanescit, si cogitemus, infelicem gentem nulla lege vel ecclesiastica vel politica instrui, quae puritas interna requiratur, praecipue cum metus deorum cesset: Cuncta itaque ad ciuilem honestatem et securitatem legibus definitam reuocantur, reliqua in ceremoniis cultus externi versantur, quae ambitionem et voluptatem Iaponensium mire alunt. Ipsi quoque eremitae, inter horrendas vitae austeritates nihil habent, quod philosophiae vmbram sapiat, sed ignauiam et ambitionem cuncta parentem habent.

§. VII. Altera, quae miro applausu et cultu in Iaponia floret, religionis secta, Budsdoistarum est; id est cultorum deorum peregrinorum. Dii enim indigenae Cami et Sin appellantur, vt supra dictum, peregrini Budsd et Fotoke. Ipsa autem religio Budsdoistarum non alia est, quam Xekiana, quam *Capite primo* fuse descripsimus. Quo loco cum narrauerimus, quo potissimum pacto exterior et vulgaris disciplina haec praeceperit, et quid imprimis apud Iaponenses de hac religione tradatur, ea repetere et actum agere nolumus. Hoc vero loco addimus, ipsum nomen Budsdo, non esse Iaponicum, sed vna cum hac religione ex India fuisse translatum. Idem enim est cum Budda veterum, et Budha recentiorum Indorum, quod cum Hermetis nomine significatione coincidere eo loco probauimus. Etiam id apud Sinenses obtinet, a quibus ad Iaponenses translatum est. Quia vero pro deo se venditauit Siaka, Indique constanter tenent, Budham hunc fuisse emanationem Deitatis, et ipsum numen Wisthnu, quod inter homines nono apparuerit sub forma Budhae; ideo nomen proprium Buds et Siaka apud Iaponenses in appellatiuum transiit, et designat, tum idola peregrina omnia, tum sanctos et philosophos, qui nouam istam religionem praedicauerunt. Nondum autem temporibus Confucii Siakanam religionem in China et Iaponia obtinuisse, recte obseruatum est a KAEMPFERO [s], ex iis enim, quae supra diximus, constat, circa A. C. LXIII demum pestilentem doctrinam hoc regnum intrasse. In quo cum magna auctoritate et veneratione tum floreret Confucii, siue Kooſi disciplina, quae contemto idolorum cultu, satis inepte et pueriliter inter Iaponenses florente, ad colendos spiritus regioni praefectos, et tenendam secundum

Secta Budsdoistarum.

s) KAEMPFERVS l. c. p. 66.

cundum rationem mediocritatem, praeceptis moralibus haud cotemnendis homines adducebat, facile credimus, quod KAEMPFERVS ex traditionibus gentis refert, Siakanos philosophos, vel potius sacerdotes, maxima ex disciplina Confucii per totum regnum sparsa et florente impedimenta habuisse, indeque lentos progressus nouam doctrinam vidisse. Obtinuit autem Budsdoismus mediocrem auctoritatem, vsque ad A. C. IↃXVIII, quo Darma, theologus Siakanus, vt supra iam tactum, in Chinam descendit, et amplissimo successu nouam religionem propagauit. Quae eius incrementa et vitae eius institutisque philosophicis debebantur, et doctrinae. Cum enim vitae professione esset venerabilis, et sanctitatis laude florentissimus, magnaque auctoritate viueret, inter religiosissimos homines relatus est. Disciplinam Siakanam vero tanto ardore et imitationis deuotione expressisse dicitur, vt palpebras sibi praecideret, ne meditationis enthusiasmo in ecstasin raptum somnus occuparet: id quod Xekianae disciplinae stoliditatem supra descriptam mire illustrat. Doctrina autem ideo, supra, quam credi potest, Iaponenses cepit, quia immortalitatem animae praedicauit, et futura illis praemia promisit, qui adorationis cultum secundum praecepta Siakana, et exemplum istud instituerent. Hoc enim innumeros homines permouit, vt a disciplina Confuciana ad Budsdoismum transirent. Quae valde ea corroborant, quae in antecedente capite diximus, immortalitatis animae et futurae vitae rationem in philosophia Confuciana habitam non fuisse. Ita Siakana religione caput extollente, idolum primum Siakae inter Iaponenses A. C. IↃXLIII publice adoratum est, cumque statua Amidae a Budsdoistis erecta paulo post miraculosum splendorem emisisset vt supra narratum, factum inde, vt et ipse imperator, Kimmei ei religioni faueret, et innumeri incolae cum meliora domi non haberent, ad eam deficerent.

Doctrina Siakana inter Iaponenses de Amida,

§. VIII. Nihil celebrius est inter Iaponenses in ista religione Budsdoistarum, quae etiam Fotokiana dicitur, id est, idolorum peregrinorum, numine Amidae. Est autem Amida supremum numen sedium beatarum camporumue Elysiorum: quem animarum, maxime separatarum, summum esse patronum atque mediatorem dicunt, et hoc parario veniam peccatorum et futurae vitae felicitatem se consequi asserunt. Multa de hoc Amidae cultu referunt Iaponensium rerum scriptores, at confusa pleraque, misere enim sectarum dogmata inter se confundunt. Vnde maluimus, in *Capite huius Libri primo* Kaempferum, Siakana dogmata exoterica explicantem sequi, quam alios [t]. Is enim exotericam Siakae disciplinam perspicue expossuit. Interiorem autem doctrinam impostoris illius etiam ad Iaponenses perueniisse, et inter Bonzios (hoc sacerdotum publicorum nomen est,) vigere, Iesuitarum relationes dubitare nos non sinunt. Scribit enim Cosmus Turrensis Iesuita [v]: „ In iis, quos homines doctri-„nae laude illustres in deorum numero venerantur, sunt, qui quendam „colant

de interno principio.

t) Conf. KAEMPFER l. c. p. 70.

v) Epp. Iapon. L. III. p. m. 164.

„colant nomine Xacam, quem aiunt regis filium in primis eruditum fuiſſe: „is praua dogmata poſteris ſcripta reliquit permulta. Ita librum eius quem „Foquequium vocant (Kio, oracula ſacra, ſine dubio intelligit; Fotoke „enim Siakae ſiue Xacae cognomen eſt) pariter venerantur, negantque „ſine eius voluminis ope quenquam poſſe ſeruari, eiusdem beneficio ipſas „quoque herbas et ligna, beatitudinem eſſe adeptura. Omnis autem „illius libri doctrina eo refertur, vt perſuadeat, *nihil eſſe, ex quo omnium „eſſe pendeat.*“ Idem vult ſymbolum arboris aridae, quam Bonzius quidam qui meditatione, ſiue enthuſiaſmo Fotokiano triginta annos conſumpſerat, in charta delineauit, additis his verſiculis *.

Cedo, quisnam te ſeuit arbor arida?
Ego, cuius principium nihil eſt, finis nihil.

Item: *Meum cor, quod neque eſſe, neque non eſſe habet*
Neque it, neque redit, nec retinetur vſpiam.

Neque aliter intelligenda ſunt, quae POSSEVINVS † refert, et ex eo repetunt SPIZELIVS x atque P. BAYLE y: „Primum principium (IXIN „vocari a Iaponeſibus, ait) extitiſſe ab omni aeternitate vnum, clarum „et lucidum, omni quoque decremento vel incremento deſtitutum, figu„ra carens, ratiocinationis expers, vitam agens otii, quietis et tranquil„litatis pleniſſimam. Hoc rerum principium quosdam eximium apellare „ac verum Fotoke, alios vero, cor, alios primam rationem vel puriſſi„mam eſſentiam, alios eſſe dicere gradum claritatis, alios magnum ſolem „et regem intelligentem, alios veritatem coeleſtem vnice claram et per„ſpicuam, alios veram ſubſtantiae et accidentium imaginem, alios ſem„piternum Amida, alios Ippokukuo id eſt, verbum ſubito productum, „alios veram absque dignitate perſonam, alios perexiguam ſermonis mu„tationem, alios denique aliis titulis et encomiis aliis exprimere. Con„ſtituere Bonzios illud ex omni parte perfectum, nihil intelligens, nihil „terrena curans, credere illud ſingulis rebus ineſſe, ipſisque ſubſtantiam „ſuam communicare, ita vt res vniuerſae cum illo vnum ſint, inque il„lud cuncta reuertantur. Tertio: fingere intimum hominis cor, vnam „eandemque cum hoc principio conſtituere eſſentiam: quarto denique „ſibi perſuadere, poſſe hominem in hoc ſeculo ſummum primi principii „gradum et locum adipiſci, et ad ampliſſimam illius maieſtatem ac digni„tatem aſcendere, eo quod poſſit in hac vita meditando et perfecte co„gnoſcendo principium verum ad ſummam illam vitae tranquillitatem „peruenire.“ Haec ſane, licet nonnihil diſtincta confundant, re ipſa Quietiſmum enthuſiaſticum Xekianae diſciplinae ſatis luculenter deſcribunt, et quae natura nihili chaotici ſit, eleganter explicant. Ex quo ra-

*) Ibid. p. 148.
†) Bibl. S. T. I. L. 10. c. 2. p. 418.
x) De literat. Sin. p. 161.
y) l. c. not. C.

tio quoque intelligi potest, cur Iaponenses philosophi obiectionibus contra hoc systema factis ita occurrant [z]: *Hominum non esse huius principii vim et naturam perscrutari inquirendo aut disputando:* nam cuncta ad experientiam enthusiasmo et ecstasi acquisitam referebant. Nec videntur aliter intelligenda esse, quae in *Epistolis Iaponicis* Iesuitae referunt [a]: *Sectas licet inter se diuersas, omnes in tollenda animarum immortalitate* (nempe personali) *consentire: et quanquam plebi varia Deorum nomina ad adorandum proponant, ipsos tamen apud se nihil esse praeter ortum et interitum, existimare, et dicere homines, bruta animantia, plantas redire omnia quendam in locum, vnde profecta sunt; ad eius opiniones prauitatem penitus imis sensibus inculcandam, paratas habere commentationes circiter bis mille et quingentas, quas vbi quis diuturna cogitatione animo impresserit, ab omni religione solutum prorsus in illa coecitate ac tenebris acquiescere. Denique statuere, quod e nihilo existit in nihilum reuerti, esseque tres hominum animas, quae ordine alia post aliam deinceps corpus et ingrediantur, et deserant, illud vnum interesse, quod quae prima ingressa est, postrema discedat. Has autem ineptias in arcanis habere, vendereque cariissime.* Videntur quidem haec Iesuitae de nihilo negatiuo intelligere, quae notio ex scholastica philosophia eorum animo erat impressa: ast intelligenda esse de nihilo priuatiuo vel chaotico, omni qualitate priuato, ex supra dictis est manifestum. Cum autem magnam haec cum Sinensium physiologia aeui medii concordiam prae se ferant, vt etiam ANTONIO de S. MARIA [b] obseruatum, inde lectori coniiciendum relinquimus, quid de orthodoxia huius doctrinae in vtraque gente statuendum sit?

Sindosiuistarum s. philosophorum secta.

§. IX. Tertia apud Iaponenses secta Sindosiuistarum, id est philosophorum est, qui Siuto, quod methodum philosophicam significat, sequuntur. Hanc Confucianae disciplinae propaginem esse, ex iis concludi potest, quae de hac secta narrat KAEMPFERVS [c]. Reliqui enim scriptores, qui res Iaponensium tetigerunt, hos cum aliis mire confuderunt, et aliena miscuerunt. Nulli religioni, id est, sectae idololatricae, hi philosophi addicti sunt, sed maximam in eo perfectionem quaerunt, summumque, quod homines consequi possunt bonum collocant, vt ea voluptate quis gaudeat, quae ex vita secundum virtutem prudenter acta exoritur. Hos nec praemia, nec poenas agnoscere post hanc vitam, refert Kaempferus, sed haec huius vitae ambitu concludere, et statuere, quod necessario ex natura virtutis vitiique sequantur. Dicere quoque, teneri hominem secundum virtutem viuere, eo quod a natura rationem ideo acceperit, vt secundum eius dictamen regulasque viuendo, ostenderet, differre se et eminere supra

z) POSSEVIN. l. c. BAYLE l. c conf. quae ex Ephemeridibus Parisiensibus ille affert.
a) L. III. p. 163. b.
b) T. II. Epp. Leibniz. p. 332. 335.
c) loc. cit.

ſupra creaturas ratione carentes. Quae omnia vti fundamentis ethicae Confucianae eximie conueniunt, ita ex huius ſchola hanc diſciplinam profluxiſſe recte Kaempferus ſtatuit. Cuius amplificandae occaſionem nactus eſt, diſcipulus quidam Confucii nomine Iaponico MOOSI: is enim in quatuor libris, quos hodie adhuc magnae auctoritatis eſſe hiſtoricus aſſerit, eam diſſeminauit, eo ſucceſſu, vt vbique legantur, vbi lingua erudita, in qua ſcripti ſunt, viget. *Mooſi philoſophus Iaponenſium Confucianus.*

§. X. Doctrina huius ſectae ita deſcribitur a KAEMPFERO, vt omnino operae pretium ſit, eius ſummam huc quoque transferre, eo quod miram illis lucem conciliat, quae in *antecedente capite* de doctrina Confucii diſſeruimus. Quinque autem capitibus haec ethica Iaponenſis abſoluitur, quorum primum, Dſin dictum, de modo ſecundum virtutem viuendi differit; ſecundum, Gi appellatum, iuſtitiam omnibus hominibus praeſtandam docet; tertium, Re, morum honeſtatem et ciuilitatem inculcat; quartum, Tſi, regiminis prudentis regulas exponit; quintum Sin, conſcientiam puram, et rectam voluntatem explicat. Transmigrationem animarum haec philoſophia reiicit, creditque animam mundi exiſtere ſiue ſpiritum vniuerſalem vimque quandam per vniuerſum diffuſam, quae omnia animet, animasque ſeparatas a corpore in ſe recipiat, vt in mare fluuii omnis terrae refunduntur. Hanc animam mundi reuera Deum facit, omnia enim attributa et perfectiones de ea praedicat, quae ſoli Deo conueniunt. Receptaculum quoque animarum illis eſt, ex quo progrediuntur, et in quod redeunt. De diuinis autem ita differunt, vt frequenter vocem Ten, coelum, aut naturam, adhibeant, in rebus ad vitae noſtrae actiones easque intimas pertinentibus. E. c. Gratias agunt coelo pro vitae neceſſariis, quae ab eo ſuppeditari credunt. Refert autem Kaempferus, quosdam philoſophorum horum, quorum colloquio frui ipſi licuerit, admittere ens aliquod intellectuale, et incorporale, quod tamen ſit modo director atque gubernator mundi, non vero auctor eius conditorque naturae, eo quod illud non minus eſſet effectum et productum a natura, genitum ab In et Io, coelo et terra, illo actiuo, hoc paſſiuo principio, quorum illud parens generationis, hoc corruptionis auctor eſſet. Et hoc pacto potentias naturales inter entia ſpiritualia referunt. Mundum autem volunt Sindosiuiſtae eſſe aeternum, homines vero et animalia producta ab In et Io, coelo et quinque elementis ſublunaribus. Non ſtatuunt eſſe Deos nationis, adeoque nec templa nec cultum religioſum habent, in publico tamen cultu Deorum ritibus moribusque gentis ſe attemperant. Memoriam parentum et maiorum demortuorum ita celebrant, vt poſitis in menſa tabulae, carnibus crudis pariter atque coctis eorum imaginibus cereos accendant, eosque in terram proſtrati, velut viuos, adorent. Idque fit vel ſingulis menſibus vel annis; vbi tota familia inuitatur lota, a venere abſtinens, et ab omni impuritate libera, tota- *Doctrina ſectae philoſophicae.*

que in istum cultum conuersa. Corpora autem defunctorum non comburunt, sed sepeliunt, mortem voluntariam non permittunt modo, sed laudant quoque et commendant [d]. Patet ex hac delineatione doctrinae moralis Iaponensium, accurate eam cum Confuciana disciplina conuenire, ast euidentissimum simul ex hoc παραλληλισμῷ est, recte nos Confucianis eam opinionem adscripsisse, quae Deum ex Li productum, vel potius naturam, coelum, vim coeli inhabitantem, animam per omnes mundi partes diffusam habet, et ex connubio coeli et terrae, principiique actiui et passiui omnia esse orta statuit, animarum vero post hanc vitam statum in ista anima mundi ponit. Nec enim ratio dari potest, cur Confuciani Iaponenses a Sinensibus dissenserint. Quae haud contemnendo argumento sunt, laterem eos lauare, qui Sinensium theologiam omni naeuo carere, et rectos de Deo sensus sequi pertinaciter contendunt. Reliqua quae de his philosophis Iaponensibus refert KAEMPFERVS, de vita eorum, cum disciplina Confuciana concordant. Non celebrant festa idolorum, sed diis indigenis inuisibilibus cultum exhibent, quem morum ciuilitas et ratio viuendi postulat. Ad id vnum autem respiciunt, vt in virtute exercenda conscientiam puram vitaeque honestatem demonstrent. Et haec vita philosophica in caussa fuit, vt Christianae religioni fauere crederentur. Hinc cum igne ferroque extirpata esset Christiana ecclesia, iussi sunt hi philosophi idolum aliquod patrium, vel saltem eius nomen in honestissima atrii parte collocare, illudque floribus et thure honorare. Imaginem Kooſi autem siue Confucii in scholis reuerenter habent. Numerosissimam hanc olim sectam fuisse refert laudatus scriptor, ita vt praestantior meliorque rationis huius pars hanc philosophiam sequeretur. Ast persecutio in Christianos insigni furore exercita hanc quoque sectam mire suppressit, et caute agere atque latenter coëgit, sic vt libros philosophicos olim non minori admiratione, quam apud nos Socratis vel Platonis lectos clam habere oporteat. Ita religionis Christianae odium iactura omnis rationis et philosophiae puniri aequum erat. Huic autem sectae, quid ante hos LXX annos contigerit, hoc loco non omittendum est, vt quem vsum philosophia praestet, quae impedimenta habeat, luculento exemplo intelligatur. Princeps Sisen, ex proceribus Iaponiae, magnis profectibus philosophiae arcana attigerat, quae cum mire eum cepissent, resuscitare in terris suis philosophiam, tantum non extinctam statuit. Instituta itaque academia, magnis studiosos priuilegiis auxit, viris eruditis stipendia decreuit, eos ex toto imperio inuitauit accersiuitque, eo fine, vt oculos ciuibus suis aperiret et ratione eos vti doceret. Vix autem coeptum erat negotium grauissimum, cum abunde constaret omnibus, quam ridicula et inepta essent commenta sacrificulorum, quae impostura agerentur. Permouit id philosophiae studiosos, vt his fucis vitae alimenta praebere amplius recusarent. Qui cum innumeris cohortibus

d) Mira eius rei exempla narrantur in Epistolis Iaponicis p. 172. 193.

bus scaterent, ex superstitione et credulitate populi viuentes, fame tantum non enecati sunt. Detulerunt itaque querelas ad vtrumque imperatorem, ecclesiasticum et politicum, et quas calamitates nouitas ista excitatura sit, acerbis fletibus expossuerunt. Vidit Siseni princeps in suum caput superstitionem coniurauisse. Vt itaque fulmen euitaret, terras suas filio cessit, et vt cautius ageret, auctor extitit. Id quod fecisse quoque eum, licet iisdem, quibus pater principiis vsum, Kaempferus, tradit. Irato itaque genti, lumina diuiniora contemnenti, Numine fieri censendum est, vt nec philosophiae luce digna habeatur, quae Christiana eiecit. Ceterum hos philosophos ab iis intelligi, quos Epicureos nobis Iaponenses, nec coelum nec infernum curantes tradunt [e], verisimile est.

* *

CAPVT QVINTVM.

DE PHILOSOPHIA CANADENSIVM.

§. I.

Absoluimus iter Asiaticum; inque occidentem versi, littora iam Africae, Americaeque intuemur. Ast, inter densissimas nebulas, quibus amplissimae regiones cinguntur, nihil videmus, quod ad historiam philosophicam magnopere pertineat. Et Christianos quidem atque Muhammedanos haud paucos Africam incolere constat, ast de his plura, quae iis, quae iam suis locis dicta sunt, adiiciamus, non habemus. Gentilis autem superstitio per Africam et Americam tanta est, vt quid ad nostram tractationem pertinens erui possit, non inueniamus. Quamuis enim ex relictis rationis igniculis ne his quidem populis tantum desit, quantum ad cognoscendum Numen, et aliquem honestatis sensum requiri possit, vnde audiendi non sunt, qui integras nobis gentes atheas narrant; vt ex illis videre est, quae de Caffaranis illis, qui extremas Africae oras maritimas incolunt, et praecipue de Hottentotis, quos vocant, referunt Tachardus, Kolbius et itinerariorum scriptores alii, nihil tamen inde exsculpi potest, quod vel vmbram philosophicae meditationis referat. Idem de Americanis gentibus populisque dicendum est, quibus inter densissimas detestandae superstitionis et idololatriae nubes, quosdam lucis purioris radios emicare, nauigantium fide scimus; quae tamen tantum abest vt philosophiam nobis exhibeant, vt vix ratione eos vti inde conclu-

Philosophia inter gentes Africae et Americae nulla.

e) ARNOLD. ad Roger. p. 877. Epp. Iapon. p. 106. qui locus valde suspectus est, confudisse Iesuitas vitia hominum cum sectarum placitis SPIZEL. p. 163. ex quo loco patet, misere scriptores sectas Iaponensium inter se miscuisse.

concludi possit. Pedem itaque tandem aliquando figere liceret, nisi hoc seculo ineunte de Americanorum quadam natione Canadensi, in noua Gallia, quae Iroquoix, vel Hurones vocatur, Hontanus, Gallus, qui diu in illis locis fuit, talia retulisset, quae specimen philosophematum Americanorum esse possunt. Haec itaque appendicis loco paucis trademus.

Notitia φιλοσοφουμένων Canadensium vnde haurienda.

§. II. Debemus autem notitiam φιλοσοφουμένων Canadensium, nobili Gallo LA HONTAN, qui anno CIↃ IↃ CCIV edidit *Dialogos cum barbaro Americano* [a]. In eo subtiliter satis Adario quidam cum illo de praecipuis capitibus doctrinae Christianae, deque legibus, moribus et institutis Christianorum suaeque gentis differuisse dicitur, eiusque obiectiones tales afferuntur, vt maiores et subtiliores fuisse responsionibus Hontani non immerito videantur. Permouit id viros doctos passim [b], vt coniicerent, totum istum dialogum ab auctore eum in finem confictum esse, vt Christianam religionem telis Americanis confoderet. Semper enim succumbit Hontanus, triumphat Adario. Magnam id conflauit inuidiam La Hontano, tum in aula Hanouerana viuenti, atheismi enim, et contemtae ac neglectae proditaeque Christianae religionis passim accusatus est, inque suspicionem adductus, fabulam eum totam excogitauisse, vt BODINI colloquium heptaplomeres imitaturus, gloriam ex oppugnata Christiana religione caperet: nunquam enim hominem huiusmodi barbarum eius generis colloquia instituisse. Immo eo nonnulli descenderunt, vt non Adarionem modo sed La Hontanum quoque fictum nomen esse coniicerent. Ast alia nos docet illustris LEIBNIZIVS [c], qui eum familiarius nouerat, quique nos docet: „La Hontanum verissimum hominem esse, non fictum, et eius quoque iter verum esse. „Aliquandiu enim in Americae septentrionalis parte Gallicana egisse, et „cum marchioni Pontis Cartrini, rerum maritimarum apud Gallos admi„nistro, ob nescio quod ius suum acrius defensum displicuisset, Ameri„ca primum dein et Gallia excessisse. Bearnensem natione esse, et ex „multis itinerariis peregrinatoribusque sibi compertum, Americanos il„lius tractus, sine omni magistratu, et tamen quiete cohabitare, rixas, „odia, bella, non, aut vix nisi inter diuersae nationis linguaeque homi„nes illic euenire: ipsos pueros colludentes raro ad rixas progredi, et „vbi nimis tunc incaluerint, mox ab aequalibus distineri. Mirum etiam „domi pudorem esse, natura illos docente, quae ab incestu deterreant, „nec

a) Dialogues de Mr. le Baron de LA HONTAN et d'un Sauvage dans l'Amerique contenant une description exacte des moeurs et des coutumes des ces peuples sauvages, à Amst. 1704. 12.

b) BERNARD, Nouvelles de la rep. des lettres 1705. p. 619. Relat. innoc. 1705. pag. 38. ION. C. SCHRAMMIVS Diss. de Philosophia Canadensium VISCHERVS Praef. vers. Germ. dialogorum horum REIMMANN. Hist. ath. S. III. c. 5. p. 427. 428.

c) Vol. IV. Epp. p. 22. seq.

„nec fratrem praesente sorore verbum dicere paulo liberius. Neque il-„los homines torporem aliquem pacatos facere, nihil enim illis in ho-„stem acrius, et viuidissimum honoris sensum ex vindictae cupiditate et „moriendi constantia etiam inter cruciatus apparere. Ita si tanta „naturae dona cum nostris artibus stare possent, nostros homines prae „illis nauci fore. Dialogum La Hontani, etsi non in totum verum, „non tamen in totum fictum esse. Nam Ioannem Danielem Kraff-„tium, virum egregium, quum in iisdem regionibus vel vicinis „potius inter Anglorum colonias aliquamdiu egisset, non abhorren-„tia sibi narrauisse. Adarionem quoque verum ex Huronum gente „hominem fuisse, qui in Galliam ante aliquot annos venerit, sed „sua prae nostris instituta probauerit.“ Facile nobis persuademus, haec aliaque multa Leibnizium a La Hontano accepisse, de eo enim candor viri summi nos dubitare non sinit. Nec alienum quoque a verisimilitudine, La Hontanum, qui adolescens in has regiones delatus fuit, et in iis decennium vixit, cum Huronibus de institutis eorum saepius fuisse collocutum; eosque libertatis morumque suorum amantissimos Europaea prae Americanis contemsisse. Verum quoque esse nouimus, inter has gentes, humanitatem, morum ciuilitatem, hospitalitatem, amicitiae fidem, amoris integritatem, contentum paucis animum, veracitatem, misericordiam, coniugia pacifica inueniri. Similia enim de Americanis quoque coloniis Anglicanis vicinis narrauit illustris PHILIPPVS GEORGIVS RECKIVS [d]. Ast haec tamen omnia non impediunt, quo minus iusta suspicio sit, La Hontanum, quem satis libere de sacris dogmatibus iudicasse constat, multa Huroni huic affinxisse. Si in contumeliam sacrae ciuitatis Christianae non excogitata, certe eo fine allata, vt peregrina patriis praeferret, et se tot annos non frustra in gente barbara triuisse ostenderet. Nihil autem magis prodit rem auctoris bonam non esse, quam infirmae responsiones, quas subtilissimis obiectionibus Adarionis sui oppossuit. Hae cum ingenium Europaeum sapiant, ita a La Hontano frigide excipiuntur, vt fateatur Leibnizius, velle se, vt ei circa religionis capita melius satisfeciisset. Ipse vero scriptor minus caute acumina Americana admiratus, vt forex se prodidit; Adarionem enim ita loquentem inducit [e]: *Peregrinum sane est, te, in hoc nostro colloquio superficiarie tantum ad omnes obiectiones respondere, quas feci. Video enim te ambages et latebras quaerere, et a statu quaestionis semper discedere.* Talia enim hominem barbarum sibi Euro-

d) Relat. Americanae ministrorum eccles. Salisburgensis, Vol. I. p. 863. vbi diarium, quod vocat, Reckii extat. e) pag. 29.

Europaeo, literis et philosophia haud leuiter tincto, concinente veritate obiecisse, non retulisset La Hontanus, nisi gloriam in eo quaesiuisset, vt victorem Huronem introduceret. Verum de his copiosius hoc loco disputare nostrum haud est: Vnum id ex adductis colligere licet, non prorsus vero dissimile esse, etiamsi eas obiectiones ipse excogitauerit auctor, eas doctrinae assertiones menti Huronum esse consentaneas, quas illis tribuit.

Huronum s. Canadensium placita theologica.

§. III. Sunt autem dogmata Huronum fundamentalia, quae quandam theologiam naturalem exhibent, auctore LA HONTANO sequentia:

I. Esse conditorem mundi, qui magnus spiritus dominusque vitae appelletur, eum in illis omnibus esse, quae limitibus carent.

II. Dari immortalitatem animae.

III. Magnum illum spiritum dedisse hominibus rationem, quae iudicandi discernendique inter bonum et malum capax sit, eo fine, vt veras iustitiae et sapientiae regulas sequantur.

IV. Tranquillitatem animi placere magno huic domino, auersari autem eum tumultus animi, eo quod homines illis mali fiant.

V. Vitam esse somnium, mortem euigilationem, postquam anima demum intelligat statum et conditionem rerum visibilium et inuisibilium.

VI. Quia supra terrae superficiem extendere et attollere se ratio hominis nequeat, ingenium corrumpendum tentandumque non esse, vt in rerum inuisibilium et probabilitate carentium cognitionem penetret.

VII. Animas post mortem abire in certam quandam regionem, neque tamen suspicione attingi posse, vtrum bonis bene, malis male tunc sit, quia nesciamus, vtrum ea mala sint coram domino, quae mala videntur hominibus.

Esse haec exoterica, et inter Indos Orientales quoque passim occurrentia, eorum historia prodit. Ast miseram philosophiam et theologiam naturalem prodere, recte obseruauit Cl. SCHRAMMIVS *f*. Quia vero origines horum placitorum ignotae sunt, merito a coniecturis abstinemus, monemus autem, non omnem connatae rationis vsum, et lumina quaedam mox philosophos facere. Quod quia multoties neglectum est, tot nobis philosophos exoticos peperit, hoc nomine indignos. Vt tacea-

f) loc. cit.

taceamus, impostores haud paucos, hoc sibi nomen inter gentes exoticas iniuste vindicauisse.

§. IV. Ita tandem aliquando absoluto per Dei gratiam, itinere longo et difficili, historiaque philosophiae a mundi incunabulis ad nostra vsque tempora perducta, et secundum leges criticas examinata pedem figimus, et tabulam gratiarum actionibus plenam Numini suspendimus, quod animi corporisque vires clementissime ad hoc saxum voluendum concesserit. In quo labore nihil nos dedisse fauori odioque, nihil partis studio, in omnibus quantum nostrarum virium erat, veritati litare cupiuisse testis nobis conscientia est et ipsa tractatio. Quae cum argumentum difficile, prolixum, et a nemine hactenus absolutum exponere aggressa sit, veniam humanitatis a Lectore speramus, si, quod aliter euenire non potuisse scimus, multoties lapsi simus, multaque nec viderimus, nec satis assecuti erimus. Contenti, quantum rerum nostrarum modulus patiebatur, occasionem subministrasse lectori, tum ineffabilem DEI beneuolentiam praedicandi, quae inter innumeros errores et praeiudicia rationis lumina extingui passa haud est, tum praestantiam Christianae fidei agnoscendi, quae infinitis parasangis omnem humanam sapientiam superat: gaudebimus, si in strata iam via illi, qui maioribus ingenii et lectionis opibus instructi sunt, opus perficient, cuius aggrediendi tantum et tentandi voluntatem nobis poscimus. Ita enim laboris huius exoptatis nos fructibus frui posse censebimus. *Peroratio tertius operis.*

* *

EMENDATIONES ET SVPPLEMENTA
ad Tomum IV.

P. 243. not. p. Praefixit idem programma Neldelii *Inſtitutionibus* CRELLIVS.

Ib. l. 5. a fin. voc. CONRINGIO, add. in *Epiſt. laud.* vbi Neldeliana cogitata de analyticis Schegkianis et Simonianis praeferre non dubitat.

Ib. not. * add. GVERN. ROLFINCIVS in *Epiſt. operi Neldeliano praemiſſa.*

P. 251. l. 2. leg. inter Ieſuitas et Sueuos theologos apud Proteſtantes.

P. 255. not. w. add. Extat ea in *Syntagm. diſſ. ad H. E. pert.* p. 707. vbi etiam in praefatione biographiam eius paucis enarrauit vir celeberrimus. Ib. ad l. 14. voc. natum eſt. Explicuimus magni viri literariam hiſtoriam in *Pinacothecae ſcriptorum noſtra aetate illuſtrium, decade prima.*

P. 257. l. 10. poſt *quo* add. *non.* p. 265. l. 20. pro *raſtauratores* l. *reſtauratores*, p. 270. l. 6. pro *narrat* l. *narret.* p. 272. not. x. col. 2. l. 2. pro *ephimeridibus* l. *ephemeridibus.*

P. 287. l. 3. a fin. voc. *nocuiſſe* add. not. Idem obſeruatum CONRINGIO in *ep. ad Iac. Thomaſ.* praemiſſa NELDELII *Inſtit. in Org. Ariſt.*

P. 289. l. 6. ad voc. *monſtrauiſſe* not. Idem viſum CONRINGIO, qui l. c. monet, Simonium primum omnium docuiſſe Lipſiam ἀριστοτελίζειν, eius quoque ſcripta arguere doctrinam viri, non profecto aliquam ex vulgo, ſed plane eximiam in philoſophicis et medicis. Primum vero Simonium non fuiſſe, qui Ariſtotelem Lipſiae commendaret, exemplum Camerarii demonſtrat. Nec ab initiis repurgatarum literarum defuit Lipſia ſtudio Ariſtotelico, cuius ſcripta ſuis ſumptibus deſcribenda typis curauit Martinus Landsbergius, vid. C. V. Io. HENRICI LEICHII elegantiſſimus liber *de Origine et incrementis typographiae Lipſienſis c. 2. p. 13.* Intelligenda itaque Morhofii et Conringii verba ſunt de ſtudio Ariſtotelis ſectario, quo aliis ita praelatus eſt, vt ſolus in cathedris Lipſienſibus perſonaret. Ante Simonii aetatem enim regnaſſe in ea ſchola libertatem quandam eclecticam, vel ſyncretiſmum potius aliquem Camerarii exemplo diſci poteſt, confirmatque epigramma HERM. BVSCHII *L. III.*

Quo nunc Democriti riſus, et cuncta ſilendo
Quae docuit Samii prouida cura ſenis?

Quo

Quo nunc Socraticae migrauit gloria mentis
Aut quo cum magno filua Platone suo?
Ipsae vbi nunc totae tandem celebrantur Athenae
Aut Pallas Musis concomitata suis?
Omnia nunc retinet haec Lips, et possidet vna,
Lips, inquam docti fama decusque chori.

P. 289. l. 17. post *disputauisset*, pon. comma.

p. 290. l. 5. voce *exagitarunt* not. Idem iudicauit CONRINGIVS *l. c.* indignatus, cum vterque varia polleret eruditione, variaque ederet, odio autem sese prosequerentur, neutiquam philosophice sese excepisse.

P. 291. not. v. His libellis Simonii Peripateticis addendi sunt, *Aristotelis Categoriae Boëthio interprete, addita praefatione. Disputatio de Anima, cum Aristotelis libris de anima ex Michaëlis Sophiani versione. Quaestionum dialecticarum fragmentum*, qui libellus est eristicus, contra *Anatomen Schegkianam, Bas. 1573.* vid. SIMLER. *Bibl. Gesner. p. 630.*

P. 295. not. d. pro *Vol. IV.* l. *Vol. II. p. 264.*

P. 296. not. k. add. SIMLER. *Bibl. Gesner. p. 323. P. 299. l. 4.* pro *vita*, l. *vitae.* P. 300. l. 9. pro *quinquagenariis* l. *quinquagenarius.* p. 306. l. 28. pro *philosophia* l. *philosophiae.* P. 308. l. 29. pro *Peripatetico* l. *Peripateticos.* P. 311. l. 28. pro *occupauerit* l. *occupasset.* P. 314. l. 13. pro *dum* l. *tum.* P. 324. l. 13. pro *quam* l. *quem.*

P. 334. l. 5. voc. *referret*, not. Hoc cur fecerit, malueritque veteres quam recentiores sequi, in praefatione luculenter explicat, dignus qui legatur, vt vera mens Peripateticorum γνησίων intelligatur.

P. 335. not. h. l. 3. post *scrutatorem* add. *veritatis.* P. 342. l. 12. pro *profectae* l. *profecta.* l. 13. pro *falli* l. *fallere.* P. 346. l. 9. pro *indignatus* l. *inde natus.* l. 34. pro *exposcere* l. *exposuere.*

P. 347. l. 18. del. *viae* et *quae* ib. not. a pro *Vager* l. *Vayer.* P. 348. l. 20. 21. pro VARILLANVS, l. VARILLASIVS. P. 352. l. 7. pro *contemnerint* l. *contemserint.* l. 9. pro *displina* l. *disciplina.*

P. 354. l. 14. pro *recudi* l. *recludi.* P. 355. in marg. pro διατύποσις l. διατύπωσις. P. 356. l. 26. pro *ius* l. *cuius.* P. 361. not. e. l. 13. pro *Kaureos* l. *Rauracos.* P. 365. l. 16. pro *singulos aureos* l. *singulis aureis.*

P. 366. not. 2. col. 2. l. 1. pro *vid.* l. *voc.* P. 378. l. 18. pro *tradimur* l. *tradamur.* P. 392. l. 16. pro *eruditus* l. *eruditum.* P. 401. l. 13. pro *ingenium* l. *iudicium.*

P. 429. not. m. add. Iungendus illi GASSENDVS, qui *Phys. sect. I. L. III. c. 3. T. I. opp. p. 246.* Patricii hypotheses breuiter enarrat.

Ibid. l. 25. ad voc. *luce* not. Quatuor autem elementa siue principia statuit, spatium nempe, primaeuum lumen, primaeuum calorem, primaeuum fluorem. Et spatium quidem eodem, quo Epicurus modo, descri-

bit, lumen autem a Deo luce primaria primigenium emicuisse, et spirituale primo atque incorporale fuisse, digressum autem per spatium a fonte suo corporale euasisse, adeoque spirituale origine et per omnia penetratione, corporale vero extensione et protensione in infinitum esse asserit. Habere autem, ait, corpora a spatio, dimensionem, a lumine, vt sint visibilia, a calore vt agant, viuant, constent. Eorum porro antitypiam fluorem inter principia poscere, id est, fluidum, siue aqua sit, siue humores, et ex his quidem corpora esse concreta.

P. 430. l. 2. v. *fuisse* not. Id vno hoc sensu ferri potest, si Patricius eadem quae Gassendus, de spatio dixisse contendatur. Id enim ipse GASSENDVS *l. c.* fatetur. Ast sic prorsus euertitur Cartesii hypothesis, cui praelusisse dici minime potest.

P. 433. l. 32. pro *Platino* l. *Plotino*. P. 443. l. 12. pro *enchirido* l. *enchiridio*.

P. 450. not. m. pro COSTER, l. LOTTER.

P. 455. not. o. Etiam GASSENDVS *Phys. P. I. L. III. c. 3. T. I. Opp. p. 246. seqq.* Telesii principia physica paucis expositi.

P. 462. l. 23. pro *suffunderet* l. *suffunderent*. P. 466. l. 22. pro *libos* l. *libros*. P. 469. l. 9. pro *incepisse* l. *incessisse*. Ib. l. 4. a fin. pro *naturali* l. *naturalis*. P. 471. l. vlt. pro *obliniendum* l. *oblinendum*. P. 476. l. 5. pro *pio* l. *pro*. l. 26. post *mundi*, add. *non*. P. 485. l. 30. pro *difficultate* l. *difficultates*. P. 489. l. 3. a fin. pro *Cangius* l. *Langius*. P. 496. l. 28. pro *voluit* l. *volauit*.

P. 511. l. 23. pro DISSELIVS l. DESSELIVS.

P. 510. not. l. lin. 13. ad voc. *facto*, add. quem ei multis gratulatur GASSENDVS *Opp. T. VI. p. 328*. P. 514. l. 14. pro *Mecoenati* l. *Moecenati*. l. 15. pro *Gatterio* l. *Galterio*.

Ib. not. * add. Extat etiam haec tractatio *Tomo tertio operum*.

Ib. not. u. post voc. *occurrit*. Insertus est *Operibus Gassendi l. c.*

P. 517. not. g. conf. *Epist.* GASSENDI *ad Henr. Bornium Opp. T. VI. p. 202.* vbi inter alia scribit: *nimis me et tu et tot alii insignes* viri, quos insinuas, obstringitis, cum me reputare eum dignamini, qui viri (Cartesii) commenta retegere possim.

P. 518. l. 16. voc. *iussus est*. add. Cuius specimen esse possunt frequentes vtriusque epistolae in collectione epistolarum GASSENDI *Tom. VI. Opp.* occurrentes.

P. 520. l. 18. post *dignatus*, add. not. Patet id ex epistolis virorum celeberrimorum, et in astronomiae studio immortale nomen consecutorum, Kepleri, Longomontani, Vendelini, Schickardi, Snellii, Hortensii, Heuelii, Eichstadii, Galilaei, Scheineri, Bulialdi, Valesii, Galterii aliorumque, in quibus de difficillimis quaestionibus eum consuluerunt conf. qui pluribus de eius meritis in siderali scientia agit, Cl. WEIDLERVS *Hist. Astron. c. 15. §. 60. p. 474. seqq.*

P. 517.

P. 517. not. h. add. Falsum itaque est, quod ait cel. WEIDLERVS *Hist. astron. c. XV. §. 60. p. 475.* cardinalem Richelium eum promouisse et propemodum coëgisse.

P. 520. l. 32. post *poterat* add. not. Simili lectionis abundantia per omnia logicae et physicae argumenta et titulos historiam doctrinae tanta accuratione in systemate philosophiae collegit, vt quem in dogmatica philosophiae historia parem habeat, sciamus neminem.

P. 522. l. 25. v. *delegit* add. not. Id vel solum *caput secundum libri primi systematis philosophici Gassendiani*, quod de fine philosophiae agit, legenti erit manifestum. Maxime vero *Logic. L. II. c. 5. T. I. Opp.* p. 79. seqq. longa et acuta tractatione contra Scepticos euincit, posse aliquam veritatem signo aliquo innotescere et criterio diiudicari: id quod apertissimum contra Scepticorum tela munimentum est.

P. 524. not. g. add. et *Opp. T. V. p. 169 seqq.*

p. 525. not. n. l. 1. extat quoque *Opp. T. III.*

P. 526. l. 4. ad voc. *perfudit.* Repetiit ista et plenius quoque pleraque explicuit in *Systemate philosophico*, maxime *physicae*, *Sect. I. L. IV.*

Ib. l. 11. v. *comparauit*, add. Complectitur hoc systema diffusum satis et luculentissimum *Tomus primus et secundus operum.*

Ib. not. q. Fatetur ipse GASSENDVS *Phys. Sect. I. L. III. c. 5. p. 258.* se ad Cartesii physicam subinde respexisse.

Ib. l. 26. voc. *Peirescii.* not. *Opp. T. V. p. 240. seqq.*

P. 527. l. 33. voc. *Cartesii.* Extant haec polemica Gassendi, *Opp. T. III.*

Ib. l. 34. voc. *misit;* vid. eius epistolam ad Cartesium missam *Opp. T. VI. p. 107.*

P. 528. l. 2. v. *amici.* add. Noluisse Gassendum pacatum dissidium vltro renouare, etsi monitum et instigatum a viris doctis inter Batauos, ex *Epistola ad Henr. Bornium Opp. T. VI. p. 202.* constat. In physica tamen sua haud raro ad Cartesiana placita digitum intendit, et quid iure moneri posset, ea qua vtebatur, modestia indicauit, ita vero, vt prioris vulneris cicatrices minime remansisse, proderet.

P. 530. l. 3. pro *Tolonam* l. *Tolosam.* P. 531. l. 22. pro *ephimeridibus* l. *epbemeridibus.* P. 533. l. 4. pro *cum* l. *eum.* P. 535. l. 17. pro *iudicari dum* l. *iudicandum.* P. 537. l. 30. pro *appellerent* l. *appeterent.* P. 544. l. 19. pro *induisse* l. *induci se.* P. 544. l. 7. a fin. post *infallibiles* add. *regulas.* P. 578. l. 13. pro *vincisse* l. *vinci se.* P. 579. l. 20. pro *explicet* l. *explicat.* P. 582. l. 7. pro *omni* l. *omne.* P. 603. l. 24. pro *collectae* l. *collecta.* P. 615. l. 28. pro *eum* l. *cum.* P. 622. l. 22. post *ecclesiae* add. *doctrina.* P. 625. not. 5. col. 2. l. 20. pro SORIL. l. SORELL. Ib. l. 23. add. Dicemus autem de eius systemate physico pluribus

bus in *sequente parte.* P. 634. l. 19. pro *formam* l. *formas.* P. 637. l. 25. pro *mentis* l. *mentes.* P. 638. l. 7. pro *considerauerint* l. *considerauerunt.* P. 665. l. 16. pro *medisam* l. *medicam.* P. 672. l. 37. pro SAS. l. SAL. P. 675. not. e. del. *ad.* Ib. l. 15. pro *philosobicam* l. *philosophicam.* P. 676. not. m. add. Editio, quae reculis nostris tandem accessit *Magdeburgi 1608.* prodiisse dicitur, munita priuilegio Caesareo. „Dedicauit hoc opus suum auctor Deo Deorum, patrono suo catholico, „toti coelestis exercitus spiritualis militiae, flammeis Iehouae ministris „sibi concessis, proximo suo, Dei, veritatis, artis amatori, sibimet „ipsi, seruo ac organo Dei, toti SS. biblicae scripturae, naturae mirifi„cae, ministrae Elohim, scientiis et artibus singulis, virginum instar „Kabbalae, Magiae, Alchymiae, heroinae sanctissimae ancillantibus. Do„ceri autem in eo opere ait, theo-ac philo-sophice, philosophiae verae „ac sincerioris fontem, venam genuini intellectus luminis et numinis na„turae essentialis in mundo maiori catholice, in filio vero illius, magne„sia videlicet sapientum, synoptice, catholice realiter existentis, iuris „quoque legisque Dei in cordibus nostris diuinitus scriptae, nec non „methodi dextre intelligendi et orthodoxe interpretandi biblia sacra; „scientiae quoque ligni vitae, boni ac mali atque honestorum ac turpium „ostendi flumen: opus Θεωρητικὸν καὶ πρακτικὸν attestante αὐτοψία. „(phy Momo et Zoilo!) reuera eximium recensque reuisum, amphi„theatrice instructum, quatuor circularibus aliisque hieroglyphicis figu„ris in aes affabre scalptis veritatis, passim locorum, sine pudore vim pu„blice patientis iniquissimam, et quasi sub calumniarum pondere fati„scendo ingemiscentis, fere, proh! succumbentis, ab interitu, pro „viribus vindicandae ac erigendae causa.“ Descripsimus ex libro longe rarissimo et paucis viso periodum hanc vnam, vt ex vngue de toto leone iudicare lector possit. Subscripsit auctor: *Henricus Kunrath Lipsiensis theosophiae amator fidelis et medicinae vtriusque doctor: Iehouah afflante, incendente, stimulante ac dante triuno doctus, ductus, inuentor, author anno Maschiach iuxta promissionem Domini missi MDCIV. Halleluiah! phy Diabolo! terque quaterque calumniatori cuiuis, nulli excepto.* Digna tractatio, quam Gabalius Comes, a Villarsio in scenam productus legat relegatque.

P. 688. not. h. post *prodiit*, add. *libellus.* P. 690. l. vlt. pro *anima*, l. *animam.* P. 731. l. 20. post *qui*, add. *liber.* P. 744. l. 18. pro *iubemur*, l. *iubemus.* P. 764. l. 3. a fin. pro *epistemor*, l. *epistemon.* P. 772. l. 18. pro STVRMIVS l. STRVVIVS. Ib. l. 4. a fin. pro *Raci* l. *Raei.* P. 762. l. 6. a fin. post *quod* del. *ea.* l. 5. a fin. post *dixit* add. *rationes.* P. 763. l. 19. post *Athenarum* add. *scholis.* Ib. pro *Sinesium* l. *Synesium.* P. 781. not. n. col. 2. l. 3. a fin. pro *Anglis* l. *Angelis.* P. 786. l. 6. del. *licet.* P. 788. l. 25. pro *inde* l. *ille.*

AD

AD TOM. IV. PART. II.

Pag. 12. l. 33. pro *liberis*, l. *libris*. p. 13. l. 5. pro *anno*, l. *anni*. p. 15. l. 7. a fin. pro *Scioppus*, l. *Scioppius*. p. 18. l. 24. pro *Gatterius*, l. *Galterius*. p. 19. l. 12. del. *ipſe*. p. 20. l. 26. pro *qui*, l. *quia*. p. 56. l. 29. 30. pro *et a Bruno diſerte affirmare*, l. *tum a Bruno diſerte affirmari*. p. 63. l. 18. pro TELLERVS, l. FELLERVS. pag. 65. l. 15. poſt *duxiſſe*, add. *ſecum*. p. 73. l. 16. pro *oſtendat*, l. *oſtendit*. p. 87. l. 11. pro *Madratius*, l. *Madrutius*.

P. 101. not. b. Prolixiorem Organi huius noui enarrationem exhibet, GASSENDVS, *Log. L. I. c. 10. T. I. Opp. p. 62. ſqq.* qui recte Verulamio tribuit, auſu vere heroico nouam eum viam tentare eſſe aggreſſum. Paulo clarius cogitationes Verulamii hoc loco Gaſſendus, vt erat peritiſſimus perſpicuitatis artifex, explicuit, omnino ab illis conſulendus, qui prolixiorem ipſius Baconi ſcriptionem adire nolunt.

Pag. 102. l. 13. pro *ſcipta*, l. *ſcripta*. p. 111. l. 9. a fin. pro *dum*, l. *tum*. pag. 114. l. 11. pro *ſublata*, l. *ſublati*. p. 116. l. 3. pro *Neapolis*, l. *Neapoli*. p. 117. l. 22. del. *quam*. p. 120. l. 21. voc. *Gaſſendi*, add. not. Extant duae Campanellae ad Gaſſendum Epiſtolae, *T. VI. Opp. p. 407. 408.* ex quibus character philoſophi a Gaſſendiano diuerſiſſimus diſci poteſt. p. 122. l. 25. pro *ex*, l. *et*. p. 124. l. 7. poſt *pietate*, add. *minus*.

Pag. 136. lin. 24. Paucis quoque placita Campanellae phyſica complexus eſt P. GASSENDVS, *Phyſ. Sect. I. L. III. c. 3. T. I. Opp. p. 246. ſeq.* quae cum dictis comparanda ſunt, quoniam vno oculi ictu totum ſyſtema Campanellae comprehendi ita poteſt.

P. 143. l. 9. pro *patientia*, l. *potentia*. p. 145. l. 3. a fin. poſt, *exponere*, add. *aggreſſi ſunt*. p. 146. l. 4. pro *Malbesburiae*, l. *Malmesburiae*.

P. 149. l. 32. add. not. conf. *Epiſtola* HOBBESII *ad Gaſſendum T. VI. Opp. p. 522.*

P. 155. l. 22. pro ἀνθελῆς, l. ἀνθολκῆς. p. 168. l. 13. pro *republicas*, l. *reſpublicas*. p. 177. l. 13. pro *Roſtae*, l. *Roſtae*. p. 202. l. 15. poſt voc. *perlegentis*, add. not. conf. qui hiſtoriam literariam biographiae Carteſianae luculenter exponit ANCILLON. *Memoir. concernant les vies et les ouvrages des ſavans modernes, p. 286. ſeqq.* p. 203. l. 25. pro *omnes poſſent*, l. *apud omnes poſſet*. p. 214. l. 15. pro *videndi*, l. *viuendi*.

P. 218. not. b. Extant quatuor ad hunc Renerium epiſtolae Gaſſendi, *T. VI. Opp. pag. 24. 29. 37. 41.* ex quibus patet, plurimum huic philoſopho Gaſſendum tribuiſſe, vltima quoque teſtatum fecit, quanta fuerit Carteſii aduerſus Renerium amicitia. Hunc eo ipſo die, quo vxorem duxit Vltraiecti coepiſſe per conuiuium male habere, et ex eo eductum paucis poſt horis interiiſſe, ſicque non thalamum, ſed feretrum, inueniſſe, ex Bornii relatione, l. c. p. 31. annotauit Gaſſendus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pag. 221. lin. 20. pro *tum*, l. *tunc*. p. 222. not. col. 1. l. 6. pro *XVI.* l. *XVII.* p. 226. l. 7. pro *de futuri anni doctrina*, l. *de doctrina in futuro anno tradenda.*

Pag. 226. not. l. add. GASSENDVS, *in Epp. passim vid. p. 25. 28. 31. 38. 46. 394. 396.* p. 227. l. 9. a fin. pro *Hoolekio*, l. *Hoolckio.* p. 229. not. u. add. Non praetereundum hoc loco, quod ex ore Cartesiani cuiusdam se hausisse ait personatus MARVILLIVS, *Mel. d'hist. et de lit. T. II. p. 134. seqq.* machinam αὐτόματον a Cartesio summa industria confectam, vt demonstrare posset, bestias esse machinas, occasionem dedisse inimicis, hanc de Francino fabulam comminiscendi. p. 231. l. 4. pro *Racy*, l. *Raey*, ibid. l. penult. pro *constetatur*, l. *contestatur.*

P. 234. l. 3. voc. *Sorberius*, add. not. Consulendae hoc loco sunt epistolae Sorberii ad Gassendum, inter huius opera, *T. VI. p. 447. 462. 470.*

P. 235. l. 14. pro *irritatem*, l. *veritatem.* p. 261. l. 4. a fin. pro *demonstrata*, l. *demonstrato.* l. 2. a fin. post *intercedit*, add. *dissensu atque.* p. 248. lin. 14. a fin. post voc. *egerit*, add. not. Valde ideo reprehendit Bailletum, auctor anonymus, quem Bouhursium esse volunt, *Reflex. d'un Academicien sur la vie de Mr. des Cartes a la Haye 1692. 12.* vid. *Hist. des ouvrages des savans 1693. Juin, pag. 548.* p. 305. l. 7. pro *eandem*, l. *eadem*, l. 18. post *certas*, add. *leges.* p. 345. l. 22. post *Enatum*, add. *inde.* p. 347. l. 25. pro *quaqua*, l. *quod qua.* p. 348. l. 9. pro *et*, l. *vt.* p. 354. l. 20. pro *quanta*, l. *quantas.* p. 357. l. 23. pro *nullae*, l. *nullo.* p. 360. l. 8. pro *commodationis*, l. *commendationis*, ibid. l. 13. pro *omnem*, l. *omnes.* p. 361. l. 18. pro *ephimeridum*, l. *ephemeridum.* p. 362. l. 4. a fin. post *hausta*, add. *oggerere.* pag. 375. l. 7. pro *malam*, l. *malum.* p. 380. not. p. add. cuius exemplum esse potest, quod bibliothecarii Vaticani munus, post Norisii mortem a Casanata cardinale oblatum respuerit, vid. ill. IORDAN, *Recueil de litterat. p. 45.* p. 393. l. 11. pro *qud*, l. *quod.*

Pag. 396. l. 8. voc. *Bourgetus*, add. not. Magnum hoc Neocomensium Musarum ornamentum cum nuper fata nobis eripuerint, spes supereſt nulla, illis schedis Leibnizianis potiundi, quas publicas dare promiserat.

Ibid. l. 14. pro *qui*, l. *cui.* p. 404. l. 7. a fin. pro *rei*, l. *re.*

P. 415. l. 24. post *haec*, add. *thesis.*

P. 421. l. 11. post *etc.* add. not. Consulenda hoc loco erudita tractatio celeberrimi GESNERI de Ψυχαῖς Hippocratis, de qua tamen explicatione viri doctissimi alio loco sententiam nostram modeste exponemus.

P. 422. l. 27. post *explicuerunt*, add. not. Adiri hoc loco velimus, illustris MOSHEMII eruditionem, qui probaturus Seruatorem nostr. Iesum Christum, resurrectionem mortuorum corporum qualem Christiani credunt, ex tenebris in lucem reuocasse et demonstrasse, solide et eleganter, vt solet omnia, earum gentium et philosophorum sententias enarrauit, qui mortem esse vltimam rerum lineam negarunt, vel eam transitum esse ad vitam, asseruerunt, *Dissert. ad H. E. pertinentium, Vol. II. pag. 586. seqq.* In his enim fuerunt, qui similem fere animae vitam morte non mutatam, sed alteratam tantum

tantum fundamentum ſuarum de ſtatu animae poſt hanc vitam, opinionum poſuerunt. pag. 424. l. 10. a fin. pro *violabantur*, l. *violabuntur*. p. 425. l. 29. del. *non*, ibid. l. 4. a fin. pro *tam*, l. *tamen*, ibid. l. vlt. poſt *inimicum*, add. et *iniurium*. p. 427. not. m. l. vlt. poſt *quam*, add. *quae*. p. 431. l. 25. pro *imitentur*, l. *imitantur*. pag. 444. lin. 6. pro *ſubiiciendae*, l. *abiiciendae*. p. 452. l. 11. pro *vultus*, l. *fultus*. p. 453. not. k. l. penult. pro *et delineatam*, l. *eſt, delineauimus*. p. 464. not. d. col. 2. l. 1 pro *Kothius*, l. *Rothius*. p. 468. l. penult. pro *diſſerit*, l. *ediſſerit*. p. 469. not. o l. 1. poſt *cuius*, add. *auctor*. p. 470. l. 5. pro *vitutum*, l. *virtutum*. l. 26. pro *quo*, l. *cui*. p. 481. l. 19. pro *fama*, l. *famae*. p. 507. l. 3. pro *ensque*, l. *easque*. p. 517. l. vlt. pro *pertineat*, l. *pertinere*. p. 518. l. 22. pro *conſervatione*, l. *conuerſatione*. p. 522. l. 21. pro *praeferret*, l. *prae ſe ferret*. p. 528. l. 21. pro *gnaua*, l. *ignaua*. p. 529. l. 27 pro *epiſtola*, l. *epiſtolas*. p. 545. not. i, pro *cogitat*, l. *cogitandi*. p. 577. l. 5 pro *commendationibus*, l. *commentationibus*. p. 589. l. 10. pro *veletudine*, l. *valetudine*. p. 593. l. 11 pro Dv FERTRE, l. Dv TERTRE. p. 598. not. g. Add. Comparandus cum iudicio Reimmanni de Mallebranchio acutiſſimus BVFFIERIVS, in eleganti tractatione: *de primis veritatibus et fontibus ratiociniorum intellectus humani, p. 270. ſeqq.* Is enim cum virtutes, quibus inter philoſophos noſtri temporis effulſit Mallebranchius candide faſſus, tum accurate quoque proſecutus eſt, quae obelo configenda iudicauit. „Obſeruat is, quamuis „totus Carteſianus eſſet, ingenii tamen elegantia et dictionis nitore, ſectae „iſtius auctorem, in ea ornanda et augenda ſuperauiſſe. Non enim decre„ta Carteſii tantum excoluiſſe, ſed et nouis luminibus, quantum poterat, „illuſtraſſe. In eo autem praecipue valuiſſe virtutem ingenii Mallebran„chiani, quod opiniones ſemel delectas ita pingere, ornare, commendare„que potuerit, vt animos occupando trahendoque impoſſibile ſit, ex ea „parte, qua intuendas offert, eas non recipere, certe, minime oculos poſſe „auerti, ſed cum iucunditate contemplandam eſſe idearum et cogitationum „abundantiam, quae animi curioſitatem paſcat, eiusque attentionem mire „excitet, vt eos rei vultus intueatur, quos philoſophus conſpiciendos de„derit. Aſt monere quoque illos, qui ſententiis eius non ſubſcribunt: „quamuis contagio quodam lectores trahere ſoleat Mallebranchius, praeſer„uari tamen vno remedio mentem poſſe, ſi primis greſſibus primisque quas „exponit, propoſitionibus examinandis lector inhaereat, cum enim paucis „quibusdam aſſertis omnem ratiociniorum ſuorum nexum inaedificauerit, „ita facillime refutari poſſe; quod ſi illa admittantur, cogi lectorem, vt et „ceteris inhaereat, et rapiatur eadem, quam ille inſiſtit via. Modum enim, „quo principia ſua commendet, non alium eſſe, quam capiendi eos, qui ſe „ſponte decipi patiuntur. Nam ſolere eum difficultates opinionum, quas „refutat in apertiſſima luce ponere, earumque contemtum inſpirare, ſuas „autem, quo licet modo et parte ea, vbi pulcherrime videntur, commen„dare. Et hoc quidem pacto in diſſertationis progreſſu ea velut certa et „omni exceptione maiora ſupponere, oblitum eas quibus premuntur, diffi-

„cultates adducere. Facile itaque confodi posse errores Mallebranchia„nos: naturam animae consistere in cogitatione actuali, ideas esse obiecta „immediata intellectus, res externas clare, et vno oculi ictu earum modifi„cationes exhibentia, ideas esse magis reales, quam reliqua, quae in vni„uerso videmus omnia. Habere animum in se infinitos numeros idea„rum, non cognosci posse naturam, essentiam et modificationes rerum, „nisi per ideas earum claras. Causas secundas nullius esse efficaciae, ha„bere intellectum notionem infiniti, videre nos omnia in Deo, Materiam „consistere in extensione, etc.

Pag. 602. not. s. Valde commendat CROVSAZII, logicam BVFFIERIVS, *l. c. p. 277.* ob argumenti amplitudinem, obseruationum subtilitatem, veritates plurimas metaphysicas rite detectas et aliarum innumerarum parentes. Nexum autem tractationis, elocutionem haud satis diligentem et perspicuam, et definitiones quasdam sibi contradicere visas reprehendit.

P. 604. l. 5. a fin. pro *sublata*, l. *oblata*. p. 605. l. 5. a fin. pro *Tornardum*, l. *Toinardum*. p. 609. l. 14. voc. *censuit*, add. not. Idem valde in LOCKIO laudat BVFFIERIVS, *l. c. p. 253.* qui methodum eius a simplicissimis notionibus ad abstrusiores progrediendi, indeque vtilissimas veritates deducendi analysi autem accurata errores Cartesii aliorumque philosophorum detegendi valde commendat, illis quoque pollicem premit, quae de abstractione, iudicio, loco, aliisque ideis maxime simplicibus a Lockio dicuntur.

P. 610. l. 33. pro *destitutum*, l. *destitutam*.

P. 611. l. 7. a fin. voc. *similia sunt*, add. not. Reprehendit quoque in Lockio BVFFIERIVS, *l. c.* non omnia satis clare et enucleate esse tradita, eadem saepius repeti, aequiuocis vocibus lectori imponi, negari veritates morales vniuersales, minus firmiter nonnulla probari, afferique ingeniose magis quam solide, frustra distingui libertatem a voluntate, in quibusdam eum sibi contradicere, in haud paucis multa addenda et emendanda esse, vbi praeiudicium omne nondum eiurauerit, etc.

P. 621. l. 6. a fin. add. not. Plura de Digbaeanis philosophumenis in argumento naturali dabit GASSENDVS, Phys. Sect. I. L. II. T. I. Opp. qui adeundus.

P. 622. l. 11. pro *Schola*, l. *Scholae*.

Ibid. l. 12. a fin. post voc. PASCHIVS, add. not. Maxime vero consulendus, qui incredibili diligentia, attentione, et felicitate chemiae mysteria inuestigauit, egregium nuper Berolinensium Musarum decus CASPAR NEVMANNVS, ex cuius *Praelectionibus chemicis* a IOANNE CHRISTIANO ZIMMERMANNO, *Berol. 1740. 4.* vno fasce editis omnium pulcherrime constare potest, quousque ignis beneficio rerum naturalium penetralia sint recluſa.

Pag. 623. l. 20. pro *accesserunt*, l. *accesserint*. p. 624. l. 6. voc. *facti*, add. not. Plurimum hanc viri summi virtutem commendat, qui SAM. CLAR-

CLARCKII *Sermones de existentia et attributis Dei* Gallica lingua vulgauit RICOTIERIVS, *praef. p. 13.* qui etiam Boyleanae pietatis specimen immortalitate dignum explicat, quo certam auri summam philosophus non minus pius, quam acutus legauit, illis soluendam, qui singulis annis impietatem publicis orationibus essent oppugnaturi. Cui instituto nunquam satis laudando praestantissimas virorum summorum tractationes debemus, quibus atheismi radices rationibus metaphysicis, et imprimis physicis armati succiderunt. Conf. GILB. BVRNET. *Orat. in Boylei funere*, quae Latinae editioni *Sermonum* RICH. BENTLEII subiicitur, p. 480.

P. 629. l. 5. a fin. pro *commilitione*, l. *commilitone*. P. 644. not. m. pon. lin. vlt. post voc. *insimularet*. pag. 645. not. r. pon. l. 9. a fin. post voc. *physicorum*. p. 656. l. 11. pro *Hyppocratem*, l. *Hippocratem*. ibid. l. 16. pro *Serueti*, l. *Serueto*. p. 657. l. 12. a fin. pro *copusculis*, l. *corpusculis*. p. 661. l. 30. post *magnetica*, add. *vsus*. p. 666. l. 3. a fin. pro *enarrandam*, l. *enarranda*. p. 676. l. 11. a fin. pro *maledicentiae*, l. *maledicentia*. p. 679. l. 18. del. *sed defensis quoque*. p. 679. l. 12. a fin. pro *tumore*, l. *rumore*, ib. l. vlt. pro *Misit*, l. *Risit*. p. 681. l. 16. pro *manifesto*, l. *manifeste*, ib. l. 25. post *discipulum eius*, pon. *comma*, ib. l. 28. pro *daemones*, l. *daemon es*, ib. l. 31. pro *Antycyris*, l. *Anticyris*. p. 628. l. 20. pro *enarrarit*, l. *enarrant*. p. 683. l. 13. pro RAMIVS, l. LAMIVS. p. 685. not. n. l. vlt. pro FVAN. l. FRAN. p. 687. l. 15. pro *cum*, l. *eum*. p. 689. l. 15. post voc. *velle*, add. not. conf. *Cheuraeana, T. II. p. 99.* et imprimis qui de vera caussa reiecta a Spinosa vocationis Heidelbergensis curiose differit, DAV. ANCILLONIVS, *in Memoriis aduitas et scripta virorum nonnullorum in republica literaria hodie celebrium pertinentibus, p. 154. seqq.* pag. 592. l. 13. pro *auctioribus*, l. *acutioribus*. p. 694. l. 9. a fin. post *quae*, add. *se*. p. 701. l. 8. a fin. pro HOSSIVM, l. STOSSIVM. p. 703. l. 12. pro *Cum*, l. *Eum*. p. 704. l. 9. a fin. pro *nauitatem*, l. *natiuitatem*. p. 705. l. 20. pro *pertinet*, l. *pertinent*, ib. l. penult. pro *adducti*, l. *adducto*. pag. 707. not. o. l. 2. pro *statuant*, l. *statuunt*, ib. l. 4. pro *109.* l. *cog.* ibid. l. 5. pro BVDDEI, l. BVDDEO. col. 2. l. 1. pro *et*, l. *conf.* p. 725. l. 17. pro *gregie*, l. *grege*. pag. 734. l. 16. pro *donatus*, l. *donatis*. p. 736. l. 3. a fin. pro *qua*, l. *quam*. p. 739. l. 9. post *mirum certe*, add. *et*. p. 749. l. 20. pro ἀυθεντίαι, l. ἀυθεντίαν. p. 751. l. 5. a fin. pro *immensas*, l. *immersas*. p. 754. l. 8. post *foetum*, add. *Esaiae*. p. 771. l. 16. pro *atheismi*, l. *atheismo*, ib. l. 24. post *Palatini*, add. *filio*. p. 776. l. 26. pro *et*, l. *quam*. p. 778. l. 1. post *ciuiles*, add. *tam*. p. 789. not. p. pro *serie*, l. *serio*. p. 793. l. 7. pro *Iam*, l. *Tam*. p. 795. l. 24. pro *deprehenduntur*, l. *quaeruntur*. p. 800. l. 16. pro *Evdaemon, Ioannes Gretserus*, l. *Evdæmon Ioannes, Gretserus*. pag. 811. l. 20. pro *verbi*, l. *vrbi*. p. 826. l. penult. pro *tantum*, l. *tantam*. p. 830. l. 22. post *excurrisse*, add. not. Digressas ex Aegypto esse ad terras alio sub sole calentes colonias aliquot exemplis probat DIOD. SICVLVS, *L. I. fin.* Qui quoque, *L. II.* aliam viam narrat, qua religio et consuetudi-

nes Aegypti ad Indos peruenerint. Refert enim Seſoſtrin Aegyptiorum regem, omni gentis ſuae eruditione innutritum, poſt conſcenſum ſolium in Indiam ſoluiſſe, et magno exercitu non modo prouincias, quas poſtea cepit Alexander M. expugnauiſſe, ſed alias quoque, quas nunquam ille acceſſit, Gangem tranſiiſſe, et vniuerſam Mediam vsque ad mare peragrauiſſe, ritus quoque Aegyptiacos inter illas gentes diſſeminauiſſe. Quam quidem narrationem in dubium vocat, eruditiſſimus SHVCKFORDVS, *Harmon. ſcriptor. ſacr. et prof. L. VI. Vol. II. p. 35.* eo quod Herodotus, Manetho, Euſebius, aliique ad Indos penetraſſe Seſoſtrin taceant, et Bactriam, Scythiam, Aſiam terminos expeditionis eius ponant. Aſt non ſatis firmae hae rationes nobis videntur, vt fidem Diodori in dubium vocare poſſint. Nam nuſpiam in Indiam Seſoſtrin penetraſſe ſcriptores hi negant, Bactriam attigiſſe diſerte tradunt, quae vicina Indiae pars eſt. Ex qua etiam regione Indi cis Gangem facile ſua haurire, vel ſacerdotes Aegyptiaci ad eos tranſire potuerunt. Qui itaque tantam tamque frequentem religionis Aegyptiacae atque Indicae conuenientiam a Seſoſtris aetate deriuant, (quamuis poſtea per colonias ex Aegypto tempore paſtorum, et poſt eos in Cambyſis inuaſione, multa quoque ad hanc gentem Aegyptiaca peruenerint,) nihil aſſerunt, quod veriſimilitudine deſtituatur. Seſoſtrin enim ſacris valde addictum, ipſisque ſacerdotibus admirabilem fuiſſe, vbique locorum autem patriam religionem diſſeminauiſſe DIODORVS, l. c. refert. Attentione quoque dignum eſt, quod is narrat, columnas ſtatuiſſe Seſoſtrin in gentibus deuictis, hominis pudenda: haec enim et Aegyptiis in ſacris habita fuiſſe, et hodie Indis ſacroſancta, et diuinitatis ſymbola haberi peruulgatum eſt, licet Diodorus rationibus Graecanicis occupatus ea ad fortitudinis et timiditatis ſymbola trahat. Poſt Seſoſtris tempora, ex Manethone IOSEPHVS *contra Apion. L. I.* refert, Aegyptios regnante Conchari, vel Timaeo per omnem orbem diſperſos eſſe ab irruptione paſtorum, ex Oriente in Aegyptum irruentium, quorum rex Salatis veteres colonas gregatim excedere Aegypto coëgerit. Quarum haud paucas ad Indiae ora fuiſſe delatas, dubitari non poteſt, ſciremusque certe, ſi extaret libellus Iſtri, *de coloniis Aegyptiorum* deperditus, vid. VOSSIVS, *de Hiſt. Graec. L. IV. p. 469.* IONSIVS, *de S. H. Ph. Lib. II. c. 6. p. 170.* Colonias Aegyptiorum autem, religionem, theologiam, ritus, inſtituta patriae ad peregrinas terras detuliſſe, Aſſyria Aegyptiorum Colonia a Belo deducta, ſi vera eſt Diodori narratio, oſtendit.

Pag. 833. l. 22. pro *ſolicitate*, l. *ſedulitate*. p. 835. l. 15. pro *eſt*, l. *et*. p. 836. l. 9. a fin. pro *maſculiuas*, l. *maſculinas*. p. 846. not. d. col. 2. lin. 1. pro *creatione*, l. *oratione*.

P. 852 l. 3. poſt *licere*, add. not. Quid huic potiſſimum argumento obuerti poſſit, non inuidebimus lectori, vt hiſtorici partibus et officio rite fungamur. Nempe cum ea de re monuiſſemus venerabilem ſenem *Alphonſum des Vignoles*, cuius immortalia, de chronologia veteri merita ſunt, eo quod non doctiorem et accuratiorem huius rei arbitrum noſſemus, ille, qua

qua erga nos est beneuolentia, circa initia auctumni anni praeteriti fuse respondit, et hunc nodum soluere conatus est. Dabimus ipsius viri magni epistolam, dignam quae hoc loco, velut appendix quaedam, tota legatur. Ita vero ille:

Vôtre lettre du 14. Août m' a rappellé me vieilles idées, en me communiquant un long passage de M. Kortholt, qui ne m' étoit pas connu. Il se fonde sur une table chronologique fort rare, que le Président de la Societé Royale lui avoit procurée, quand il étoit a Londres. Apparement c' est la même, dont j' ai un Exemplaire depuis 6. ou 7. ans. Elle a de longueur 38. pouces et demi, et de largeur 21½. pouces mesure d' Angleterre: outre le papier blanc des marges. Elle fut gravée à Rome l' an 1729. et l' année suivante les Journalistes de Trevoux (an. 1730. Janv. 179-182.) donnerent un extrait precis de l' avertissement, qui est à la tête de cette table, et qui finit par ces mots: Edebat Francisc. Foucquet S. I. episcopus Eleutheropolitanus.

Bien loin que cette table démontre que toute la Chronologie des Chinois soit vaine, (quatenus antiqua est,) *je trouve qu' elle s' accorde à merveille avec le systeme, que je me suis fait sur ce sujet, et qui est le plus commun.*

1. Puisque M. Kortholt a un exemplaire de cette table, je le prie ejetter les yeux sur la prémiére colomne, qui est à la droite suivant la maniere des Chinois, et de remarquer que les 52. premiers Quarrez n' ont, ni le nom d' aucun Roi, ni des Années. C' est seulement au bas de la colomne qu' on lit le nom de Guei Lie, *dont la prémiére Année repond à* Ping Chin, *qui est la 53e. du cycle. En effet, l' Empereur Guei Lie commenca à regner l' an 53. du cycle 38e.* (Martini, p. 140. al. 158. Couplet Tab. p. 15. Menzel, p. 47. Fourmont reflexions etc. T. II. p. 444. col. 1.) *Indices sensibles que ce n' est ici qu' une suite d' une Table antecedente.*

2. L' avertissement, qui précéde, dit que l' Epoque, par où la Table commence est vraie et certaine, *depuis 400. ans avant J. C. Mais l' Editeur ajoûte: „cum autem dico epocham veram historiae Sinensium, intelli„ge, Lector, non initia Sinicae gentis, quae Diluuio ipsi proxima fuisse „persuasissimum habeo, sed tempus illud, quo rerum apud gentem gesta„rum narratio nixa certis argumentis esse incipit, et digna fide videri „potest.„ Ce n' est donc pas ici la* premiere *ou la plus ancienne Epoque des Chinois, puis qu' il faut remonter jusqu' au deluge, dont le tems n' est fixé, ni dans l' histoire des Chinois, ni même dans l' Ecriture Sainte et sur quoi les Chronologistes ne sont pas d' accord.*

3. Le Titre de cette Table Indique plus naturellement le terme, jusqu' où il faut remonter. La Table doit être connexa cum cyclo, quî vulgo Kia Tse dicitur. *Comment cela? Si l' on n' y comprend pas les cycles, qui se sont écoulez depuis leur institution. Or depuis* Hoam-ti, *à qui on attribuë l' invention de ce Cycle, il y en a eu 37. complets jusqu' au*

au tems de Guei-Lie: et dans nôtre Table il y-en a eu environ autant jusqu' à nôtre Siecle. Ainſi cette derniére Table commence à peupres, au mi lieu de l' intervalle, qui a couru jusqu'à préſent. De ſorte que par ce moyen nous avons deux epoques Memorables: l' une depuis Hoam-ti l'autre depuis Guei-Lie: et l' on peut naturellement ſuppoſer deux Tables de même grandeur et de même forme.

4. La derniere doit être remarquable a pluſieurs egards. 1°. C' eſt la que commencent, les annales de la Chine, que nous avons ici dans la Bibliotheque du Roi: ſurquoi j' ai deja publié, (Miſcell. Berol. Tom. IV. p. 25.) *une Remarque, que voici. Lorsque nôtre Grand Electeur fit venir les annales de la Chine, au-lieu qu' on lui envoyat les deux parties générales, qu' elles doivent contenir, on lui envoyât deux exemplaires de la ſeconde,* neſcio quo fato *comme je diſois alors. Ce fut, apparemment, quelque mepriſe entre le Vendeur et l' Acheteur D' ou pourtant on doit conclurre, que je ne dois compter ſûrement que ſur cette derniere Partie que nous avons: en quoi nôtre Table ſera toujours d' un grande uſage.*

5. Cette epoque eſt véritablement importante pour l' Hiſtoire de la Chine. Ce fut ſous le Regne de Guei-Lie, que commencérent les Guerres de 300 ans, *dont ont parle communément, a la Chine comme nous faiſons aujourd' hui de la Guerre* de 30 ans *qui arriva au dernier Siécle. Voyez là deſſus* Martini, Couplet, et Mentzel, *deja citez de meme que la magnifique* Hiſtoire du P. du Halde (T. I. p. 357.)

6. En fin nos Annales démontrent aux yeux, qu' elles ne ſont, qu' une ſuite ou une continuation des annales précédentes. 1°. Elles ne commencent ni au Chef de quelque famille Imperiale, ni au commencement de quelque Cycle; ni même a la prémiére Année de Guei-Lie mais, (Miſc. Berol. IV. 26.) *a l' année 23e. de cet Empereur, nommée Vu-Yin, qui eſt la 15e. du Cycle ſuivant. 2°. Sur le dernier Empereur de la Famille* Cheu *il eſt dit, que cette Famille* regna 876. ans jusqu' a l' expulſion de Nanwam. *D' ou on doit conclurre, que* Cheu *commenca à regner l' an 1122. comme cela eſt marqué dans Martini Couplet et Mentzel.*

Ces raiſons me paroiſſent ſuffiſantes *pour ſatisfaire aux difficultez de Mr. Kortholt. J' eſpére de prouver l' Hiſtoire de la Chine par des preuves directes dans* la Chronologie de Moïſe *bien entendüe, dont vous avez fait Mention a la fin de mon Eloge. J' ai l' honneur etc.*

Hactenus vir celeberrimus, et in temporum antiquorum difficultatibus explicandis acutus atque felix.- De quibus eius rationibus diſpicere ipſum Lectorem iubemus, vbi rariſſimae iſtius tabulae Sinenſis copia ei data fuerit, qua nos caremus. Nobis concedi poſſe facile, videtur, antiquiorem eſſe Sinarum gentem iſta, quae in ea tabula definitur, epocha; aſt, ſi recte viri optimi et celeberrimi verba aſſequimur, ipſe non negat, monere Tabulae editorem, ab ea demum epocha tempus illud inchoandum eſſe, quo rerum apud hanc gentem geſtarum narratio nixa certis argumentis eſſe incipit, et digna fide videri poteſt. Ex quo conſequitur, antecedentis

dentis temporis rationes non esse certas et expeditas, et nec cum Sinarum nec Scriptorum sacrorum narrationibus satis constare, vt ipse Vir Summus innuit. Id quod ea recolens quae in hoc §. diximus facile comprehendet. Ex hoc vero confici putamus, ad vetustissimam Sinicae gentis historiam ob incertitudinem tuto prouocari non posse. Certiora vero, nisi coniecturis forte fidat, a viro praestantissimo expectantes magno desiderio eius chronologiam a condito mundo ad Mosen exoptamus.

P. 853. l. 2. ad voc. *Noachum ipsum*, add. not. Magno ingenii et eruditionis apparatu hanc opinionem ornare nuper post Whistonum conatus est SCHVCKFORDVS *in Harmon script. Sacr. et prof. Vol. L. I. p. 20. L. II. pag. 69.* Audiendae viri docti rationes sunt, ne praeter fas reiecisse hanc opinionem videantur. Vrget ille: 1. Fohium ἀπάτορα dici: Noachum vnicum hominem ex diluuio emergentem fuisse, hincque sine patre extitisse videri potuisse. 2. Matrem Fohium concepisse iride compressam; iridem autem characterem Noachiticae historiae esse. 3. Tradere annales septem pecudum genera sacrificiis Spiritui Summo coeli et terrae offerendis destinata Fohium domi aluisse, haustum autem id videri ex sacris oraculis, septena animalium genera Noachum ex arca eduxisse tradentibus, et ex his sacrificium Deo immolasse testantibus. 4. Nomen Fohii a sacrificiis deriuari. Noachi a venia sacrificio obtenta creaturis ad hominum vsum vtendi. 5. Fohium in prouincia Xeusi habitauisse, quae borealis pars Chinae contigua sit monti Ararat, in quo demiserit se arca. Noachum mature populis repleuisse Indiae partes, vt potuerint filii dispersionis has Orientis gentes quae Bactriam et viciniam inhabitarunt, bello aggredi, illae vero vim vi repellere. Tandem et 6. temporum rationes satis accurate sibi respondere putat. Non carent specie quadam eruditi scriptoris coniecturae, at examen seuerius, si quid iudicamus, non sustinent, nec persuadere nobis posse videntur Fohium cum Noacho eundem esse, pleraque enim nudis hypothesibus nituntur, quibus negatis omnis illa demonstratio corruit. Nam 1. Sinae non dicunt, patrem Fohii ignorari, sed conceptum esse sine patre, vestigio hominis proceri calcato, et iride matre circumdata. Quid hoc praeter iridem, commune phaenomenon, ad historiam Noachi, quem habuisse parentes filii eius in arcam ingressi satis norant. 2. Quae de sacrificiis Fohii traduntur, magis eneruant hypothesin, quam adstruunt. Sacrificauit enim *y hiang xin ky*, id est coelestibus et terrestribus spiritibus, vbi vox Sinica *Ky*, specifica est ad terrestres spiritus significandos, ita vt MINORELLIVS, *in Exam. hist. Sin. Iuuencii, p. 125.* audacter pronuntiet, ne vnum Sinam inueniri, qui has aliter literas explicet, ast quam distat hoc a Noachi sacrificio. 3. Ficulneum autem est, et longe petitum, quod a nominis significatione argumentum sumitur. Noachus enim a tranquillitate dictus antequam sacrificasset. Quae vero 4. ex habitatione valde antiqua partium quarundam Indiae borealium concludunt, non plus euincunt quam terram, quam Noachus post diluuium inhabitauit, non adeo remotam fuisse a Sinensium terris, vt non mature a

posteris Noachi coloniae deduci illuc potuerint; quod tamen ipso Noacho viuente factum esse prorsus vero est dissimile. Nec 5. tempora concordare ex iis, quae supra diximus, constat; ex his enim patet, tempora Fohii, qualia a Sinis definiuntur, supra diluuii tempora assurgere. Quod si 6. recordemur, Sinas tradere de Fohio, fuisse eum rudis et belluinis moribus viuentis populi magistrum primum, qui eos ad humanitatis sensum reuocauerit, apertissimum est, Fohium cum Noacho eundem esse non posse, sed ad ea tempora reiiciendum esse, quibus coloniae a filiis Noachi per Orientem sparsae tandem veri cultus diuini omnisque rationis vsum amiserint. Id quod Noacho viuente contingere nondum potuit, cum illo atque filiis eius viuentibus familiae eorum institui rationis et reuelationis praesidiis satis potuerint. Mittamus itaque hanc comparationem sacrarum literarum historia indignam, certi, Fohiana tempora non esse ita certa, vt is cum Noacho possit vnus idemque haberi.

Pag. 856. lin. 17. pro *regi*, l. *regni*.

P. 870. l. 21. post voc. *diximus*, add. not. Memcii vitam nuper eleganti commentatione exposuit, vir eruditissimus dignusque auita doctrina gloriaque, Ioannes Benedictvs Carpzovivs. Erat philosopho domesticum nomen Ko, aut Mem-Ko, Iaponensibus, teste Kaempfero *Itiner. Iap. L. III. c. 7. T. II. p. m. 71.* Mooſi dicitur. Natus est in regno Tseu, vel Chu tunc dicto, quod hodie Xantum audit, ex illustrissima gente Mem-sun, anno ante N. C. ccc lxxi. Imperatore Sinarum hieuam, annis post Confucium septem supra centesimum. Enutritus disciplina Confuciana a praeceptore Tsu-su, (qui ex schola Tsem-su prodierat, vt hic ex Confucii,) tanti sapientiae doctoris praecepta diligenter hausit, collectisque thesauris philosophicis, iter literarium instituit, eo, vt videtur animo, vt Confucium imitaretur, et se gentis moribus emendandis accingeret. Profectus igitur ad regni Cy monarcham Siuen-uam, cum spe frustraretur, nec regis animus mutaretur, septem regna eodem scopo intentus peragrare constituit, bellicis autem tumultibus impeditus est. Ideo reuersus in patriam Chu, scholas aperuit, discipulos non plures nactus, quam septendecim, quibus sapientiae Confucianae mysteria explicuit, libros quoque classicos Sinensium et annales imperii ad normam Confucianam emendauit. Id quod susceptum ab eo illam ob causſam annales Sinici referunt, quod valde in contemtum et obliuionem esset adducta Confuciana sapientia, haud pauci quoque, quam non recte intelligebant, perperam interpretarentur. Quibus cum se Memcii praeceptor Tsu-su opposuisset, qui sinceram seruauerat doctrinam Confucii, mirum non est, Memcium ex eius disciplina progressum, eam felici euentu restituisse. Aduersarios autem expertus est, philosophos Yam et Me, quorum haud exigua apud sectatores suos fuit auctoritas, quorum clamoribus cum contemtus quidam Memcii inter Sinas accessisset, eo quod nulla dignitate, nullo magistratu fulgebat, valde industria Memciana in prouehendae philosophiae studio sufflaminata est. His enim causſis impeditam Memcii diligentiam scriptores Sinici

Sinici adscribunt. Suspicamur autem, fuisse hos philosophos ex secta Li Lao Kiun, quam vehementer Confucianae scholae fuisse aduersatam, magna vero auctoritate inter Sinas viguisse supra obseruauimus. Quod itaque viua voce efficere non poterat, scriptis commentaris Confucianis obtinere sategit, magnamque inde et apud Sinas et apud Iaponenses laudem meruit, adeo vt post Confucii scripta libri eius secundum obtinerent locum. Inerat enim viro erudito acumen ingenii, et imprimis facundia, qua Confucium superasse, COVPLETVS, ait, vitae autem innocentia et morum probitate plurimum ei concessisse; aliter tamen aliis de eo pronuntiantibus. Eminet memoria Memcii libris quatuor Su-xu, siue interpretatione librorum quinque classicorum, quos auctoritatem classicam inter Sinas et Iaponenses obtinuisse supra memorauimus. Hos cum libro sententiarum Confucii a Memcio vulgato et aucto, et de bono regimine aliisque ab eo vel scriptis vel commentatione explicatis plurimum suspicit Sinarum secta litterata, quosdam edidit, vt supra dictum Franc. Noëlius, commentariis illustrarunt philosophi nonnulli Sinici. Exemplum auctoritatis, quam tandem in gente sua ob doctrinae claritatem obtinuit esse potest, quod progenies eius Mandarinorum iure et dignitate inter Sinas, vt Confucii, et Laotani, floreat. Obiit anno aetatis octogesimo quarto, ante C. N. CCLXXXVII. cycli Sin. XLI. anno nono. Haec ex COVPLETI et sociorum obseruationibus NOELII praefatione, MENZELII Chronologia Sinica, SPIZELII Literatura Sinica etc. diligenti et iucunda dissertatione collegit, quem laudauit cl. Carpzouius, qui plura desiderantibus adeundus est.

P. 884 l. 6. pro *dicit*, l. *dicitur*. p. 889. l. 20. pro *constare*, l. *docere*. p. 896. l. 4. pro *Et*, l. *Est*, ib. l. 4. a fin. pro *ea*, l. *eam*. p. 903. l. 4. pro *voluntatibus*, l. *volutantibus*.

P. 917. l. 5. voc. MOOSI, add. not. Hunc Memcium esse ex libris illi tributis constat: et hos solos, non autem ipsum Memcium in Iaponiam peruenisse verisimile est.

I. INDEX
PERSONARVM ET NOMINVM.

A.

Abbot, Robert. 801
Ackersdyk, Cornel. ab 587
Acontius, Iac. 585
Adami, Tobias 114, 118
Adario 920
Aemilius, Anton. 223
Alberti, Valent. 454, 771
Algarotti, Franc. 644
Alsted. Io. Henr. 584
Amerpool, Io. 269
Amida 914
Ananus 285
Andala, Ruardus 271, 384, 391
Andreae, Tobias 262
Andreas, Samuel 178, 802
Anglus, Thomas 274
Annan 819
Argottus, Barthol. 672
Arnaldus, *Ant.* 230, 280, 587, 591
Arndius, Carol. 778
Arnisaeus, Henning. 578
Arne, Petr. Frid. 670
Ashley, Ant. 604
Asellius, Caspar. 657
Athasius Rhetor. 125
Awbrey, Io. 145

B.

Baconius, Io. 671
Bathurst, Radulph. 145
Baillet, Adrian. 201
Baldeus 827
Baranzarius, Redemtus 614
Barbeyrac, Io. 362
Barbierius, Ioseph. Mar. 540
Barclaius, Guil. 796, 803
Baring, Dan. Eberh. 336. 395
Barrouius, Isaac 640
Bartholinus, Thom. 657
Barthronherri 842
Basso, Thom. 716
Bauschius, Laurent. 662
Bayle, Petr. 15, 359, 391
Beaufort, Lud. 269
Beaune, Florim. 222
Beckher, Guil. Henr. 200
Beemannus, Isaac 208
- - - Io. Christ. 180, 802
- - Nicol. 763
Bekker, Balthas. 263, 712
Berckeley 644
Bernard, Iacob 539
- - Sam. 607
Bernoulli, Io. 380, 392, 645
- - Nicol. 392. 645
Beurhusius, Frid. 577, 583
Beza, Theod. 797
Blackburn, Rich. 145
Blyenburg, Guil. a 691, 720
Boccalinus, Traian. 783
Bodinus, Io. 779
Boeclerus, Io. Henr. 741
Boerhave, Herm. 622
Borellus, Io. Alph. 285
- - Petr. 200, 201
Borromaeus, Carol. 87
Bosius, Io. Andr. 340, 778
Bossuetus, Iac. Ben. 279
Boucherius, Io. 798
Bouhours 202
Bouillus, Carl 415
Boulainvilliers 683, 699
Bourdin, Petr. 228, 230
Boyle, Robert. 178, 622, 659
Bozius, Thom. 792
Brahe, Tycho de 629
Bramhall 154, 178, 803
Brancha, Io. Franc. 111
Branchu, Balth. 362
Braun, Io. Conr. 587
Bredenburg, Io. 691
Brinck, Henr. 720
Brixia, Fortunatus a 282
Brunus, Iordanus 12
Brutus, Steph. Iun. 797
Buchananus, Georg. 796
Buddas 814
Buddeus, Io. Franc. 397, 521, 527
Bulfinger, Georg. Bernh. 387
Burdinus, Petr. 228
Burmannus, Franc. 263, 705
Buscherus, Heizo 578
Bupo 909

C.

Cabaeus, Nicol. 616
Caffa, Carol. 108
Cailly, Petr. 282
Campanella, Thom. 107, 793
Canzius, Io. Theoph. 362, 387
Cardanus, Facius 64
- - Hieronymus 62
Carmichael, Gersch. 362
Carpentarius, Iac. 557
- - Nathanael 614
Carpzouius, Io. Bened. 458
iun. 537
Carteria 644
Cartesius, Renat. 31, 153. 200
Caselius, Io. 579. 581
Castelli, Ben. 636
Castera, Perron. de 644

Catellan,

Catellan, 391, 593
Caterus 229
Cavendish, Car. 227
Cemçu 848
Cham-Hy 875
Chandous, de 201
Charlotta Elisabetha Palat. 382
Charron, Petr. 722
Cherbury, Edm. Herb. 147
Cheu-cu 873
Cheu-Kung 893
Chim-ci 873
Ching-tang 856
Chu-cu 873
Chytraeus, Dauid 577
Ciermans, Io. 221
Clarke, Sam. 366, 391, 643
Clauberg Io. 261. 587
Clauius, Christoph. 628
Clericus, Io. 362, 542
Clerselier, Claud. 234, 244, 278
Cocceius, Io. 267
Cocus, Anton. 91
Combadaxus 908
Confucius 848, 858
Copernicus, Nic. 627
Coquius, Gisbert 178, 179
- - Edoard 801
Cotesius, Royer 643
Cottonus, Io. 800
Couplet, Phil. 848
Cowardus, Guil. 707
Cramerus, Io. Vlr. 378
- - - Io. 579
Crassus, Horat. 636
la Croze, Math. Veiss. 15
Cudworthus, Radulph. 178, 275, 361
Cumberland, Rich. 178. 179
Cuperus, Franc. 699
Curbachius, Adr. 699
Curcellaeus, Stepham. 225
Curtius, Matth. 66
Cusu 848
Cyprianus, Ern. Salom. 107

D.

Daillon 716
Daniel, P. 202
Darma 910
Deurhof, Guiliel. 701. 705, 720
Dietericus, Conrad. 584
Digby, Kenelm 274, 620
Dinet, Phil. 203
Dodwell, Henr. 707
Drebbelius, Cornel. 659
Dresserus, Matthaeus 578
Driessen, Ant. 721
Dukerus, Gisb. Wessel. 270
Dumckius, Georg. Petr. 644

E.

Echard, Ioh. 107, 126
Eckard, Io. Georg. 336, 358, 395
Eglinus, Raphael 15
Elisabetha, Palat. 259
Ende, Franc. van den 684
Espagnet Io. 616
Essenius, Andr. 270
Eustachius, Barth. 656

E.

Fabri, Honorat. 239
Fabricius, Franc. 576
- - Io. Albert. 397
- - Io. Andr. 541
Faegius, Francisc. 66
Falcknerus, Io. Christoph. 340
Fanchin 873
Faulhaberus Io. 211
Felde, Io. a 740
Feller, Ioch. Frid. 336, 358
Fellus, Io. 145. 161
Felwinger, Io. Paul. 579
Fenelon, Franc. Salignac de la Motte 594
Fermatius 221
Fertre, du 593
Fluddus, Rob. 659
Foe 811, 812
Fogelius, Mart. 351
Fohi 850, 852
Fontenelle, Bernard. 336
Forge, Mart. de la 266
- - Ludou. de la 592
Fossius, Christ. 764
Foucherius, Phil. 391, 591
Francke, Aug. Herm. 461
Freigius, Thom. 576
Frischlinus, Nicod. 581
Frisius, Paul. 583
Fromondus, Lib. 221

G.

Gabets, Rob. des 591
Galilaei, Gal. 150, 215, 634
Gallandius, Petr. 556
Ganquoi 909
Garnetus, Henr. 801
Gassendus, Petr. 149, 180, 230
Gehring, Iac. 645
Gentilletus, Vinc. 797
Gerhard, Ephraim 470
- - Io. 582
Gesenius, Frid. 768
Geulincx, Arn. 329, 587, 703
Gilbertus, Guil. 331, 615
Giunst, Luc. van 720
Glanuil, Ioseph. 178
Glissonius, Franc. 657
Goclenius, Rudolph. 584
Goedartius, Io. 660
Golius, Iac. 226
Gorlaeus, Dav. 232
Gottsched. Io. Christoph. 358, 695
Goueanus,

Goueanus, Ant. 553
Gouſſetius, Iac. 262
Gracian. Balth. 782
Grand, Anton le 273, 587
Grandamicus, Iacob. 616
Grandis, Io. Franciſc. 178
Graswinckel, Theodor 740
s'Graveſande, Guil. Iac. 643
Grimaldus, Claud. Phil. 874
Grotius, Hugo 730
- - Guilielm. 740
Guerentus, Guil. 722
Guericke, Otto 659
Guinardus, Io. 799
Guilhelmina Charl. princ. Wall. 382
Gundling, Nic. Hier. 180, 366, 521

H.

Haerebord, Adr. 237
Halen, Herm. van 270
Hanſchius, Mich. Gottl. 365, 892
Hanſius, Ioach. 578
Hartmann, Ph. Iac. 661
Hartſoeker, Nic. 645
Haruaeus, Guil. 158, 624, 656, 657
Hattem, Pontianus ab 702
Heidanus, Abr. 226
Hemmingius, Nic. 739
Hempelius, C. F. 522
Henckel, Io. Frid. 661
Henninges, Henr. de 742
Heumann 15
Hobbeſius, Thom. 145, 230
Hoddaeus, Conr. 578
Hofmann, Adolph. Fr. 537
- - Daniel 584
- - Frider. 624
Hoheiſel, Frid. 378
Hollmann, Sam. Chriſt. 543
Hontan, de la 920
Hoockius, Rob. 659
Hoſſius, Fr. Guil. 701
Hotomannus, Franc. 792, 797
Houtyn, Abr. 180
Huberus, Vlr. 270
Huddenius 350
Huetius, Petr. Dan. 277, 249
Hugenius, Chriſtian. 249
Hummel, Io. 629

I.

Iacchaeus 226
Ianaus 851
Iellis, Iarig. 697
Ienichius, Gottlob. Frid. 697
Ioannes, Andr. Eudaemon 801
Iordanus, Carl Steph. 15, 799

K.

Kæmpfer, Engelb. 814, 907
Kahlius 441, 644
Kaſia 819
Kaſſo 858
Keckermann, Barthol. 583
Keil, Io. 643
Keplerus, Io. 632
Kircherus, Athanaſ. 616, 661
Klauſing, Henr. 470
Klingerus, Gottfr. 772
Knorr, Chriſtian 347
Kobotus 909
Kortholt, Sebaſt. 336
- - Chriſtian. 387
Koſſoboſati 909
Kragius, Andr. 580
Kufaeler, Abr. 701
Kuhnius, Io. 339
Kulpiſius, Io. Georg. 743

L.

Lambecius, Petr. 352
Lamius, Franc. 427
Laney, Beniam. 162
Lange, Ioachim 384, 427
- - Carl. Nic. 661
Languet, Hub. 797
Lau, Theod. Lud. 702
Leenhof, Frid. van 697
Leewenhoeck, Anton. a 657
Leibnizius, Godofr. Guil. 154, 202, 335. ſeq.
- - Iuſt. Iacob. 343
Leydekker, Melchior. 261, 265, 270
Li Lao Kiu 858, 869
Liperſein, Io. 658
Lipſius, Iuſt. 793
Lipſtorpius, Dan. 272
Liſter, Mart. 660
Locke, Io. 602
Loeſcherus, Valent. 397
Loewenhoeck, Anton. 657
Longobardus 890
Lucas 697
Ludouici, Carl. Gunther. 337
Lyſerus, Io. 768
- - Polycarpus 539

M.

Mao-Kiaye 822
Machiauellus, Nic. 784
Madratius, Chriſtoph. 87
Mainardinus, Marſilius 795
Mallebranche, Nic. 280, 391, 588
Mansvelt, Regner. a 178, 587, 692
Mareſius, Sam. 261
Mariana, Io. 799
Marta, Iac. Ant. 111
Martini, Cornel. 578, 579, 582
- - Iacobus 582
Marius, Simon. 636
Maſius, Hect. Gottfr. 460, 802
Maſtricht, Petr. van 265, 270

Mayer, Io. Ad. 476
- - Io. Frid. 471
Maierus, Ludov. 267. 690, 697
Melanchthon, Philip. 7, 583
Memcius 870
Menandrino, Marsil. de 795
Menckenius, Otto 352
Menzer, Balth. 768
Meriana, Maria Sib. 660
Mersennus, Marin 149, 207, 230, 242
Mesmes, Laurent. de 282
Metius, Iac. 658
Meuius, Dau. 749
Milton, Io. 802
Minorelli 847
Miron 593
Mokuren 910
Molinaeus, Ludou. 225
Mommor, Hubert. 279
Mommort, Petr. Rem. 645
Montagne, Mich. 722
Montagnol 593
Moosi 917
Mornaeus, Phil. 797
Morteira 684
Morus, Henr. 178, 276
Müller, Io. 626
- - Io. Frid. 378
- - Godofr. Polyc. 541
Mydorge, Claud. 207, 228

N.

Naudaeus, Gabr. 63, 119, 778
Nequiron
Neufville, Gerard. 261
Newtonus, Is. 277, 379, 391
Nicephorus, Hermann. 579
Niceron 201
Nicolius, Petr. 587
Nien 851
Niewentyt, Bernard. 357
Noel, Franc. 848
Notholdus, Ant. 579

O.

Oliuekranzius, Io. Paulin. 743
Orchardus 716
Orobius, Isaac. 692
Osiander, Io. Adam. 178, 742
Ossatus, Arn. 614

P.

Palissus, Bernard. 615
Parcker, Sam. 78, 178, 275
Pascal, Blasius 221
- - Stephanus 221
Pecquetus, Io. 656
Peirescius, Nicol. 120, 736
Pell, Io. 720
Pellissonius, Paulus 354
Pemberton, Henr. 644
Pena, Io. 550
Pereira, Gomesius 209
Perionius, Io. 557
Petermannus, Io. Andreas 272, 273, 457
Petit 221
Peurbach, Georg. 626
Peyer, Io. Conr. 660
Pfaffius, Matth. Christoph. 389, 397
Pfaffradius, Casp. 578, 584
Pfannerus, Tob. 776
Pfeifferus, Aug. 458
Picotius 240
Piso, Homobonus 656
Placcius, Vincent. 729
Planerus, Io. Andreas 706
Plempius, Cornel. Gis. 221
Porrius, Brand. 66
Postellus, Guil. 18
Pufendorfius, Sam. 749

R.

Raey, Io. de 231, 263
Ramus, Petr. 548
Rauhaultius, Iac. 278
Rawley, Guilielm. 90
Ray, Io. 660
Raynoldus, Guil. 798
Regis, Petr. Sylvan. 180, 266, 278. 281, 587
Regius, Henr. 223
Regnerus. Cyprian. 223
Reineccius, Iac. 578
Renerius, Henr. 218
Renieri, Vinc. 637
Rennemannus, Henning. 578
Reuius, Iacob. 240
Reyher, Sam. 352
Rhedus, Thom. 578
Rhegenius, Mich. 273, 467
Rheticus, Georg. Ioach. 628
Riccius, Ostilius 635
- - Matthaeus 874
Richter, Georg. Frid. 397. 537
Riuetus, Andr. 226
Roberual, Aegid. Persona de 220
Roëllius, Herm. Alex. 262, 270
Rogerus, Abraham. 827
Rohaltus, Iac. 278
Roosi 858, 909
Rossaeus, Guil. 798
Rudbeck, Olaus 657
Rudigerus, Io. Andr. 521, 533
Rudolphi, Io. Rud. 542
Rumph, Georg Ehrh. 660

S.

Salamonius, Marius 795
Saldenus, Io. 158, 747
Salmasius, Claud. 226
Sanctarellus, Ant. 800
Sarpius, Paul. 656
Scaliger, Iul. Caes. 87
- - Ioseph. 581
Scargil, Daniel 161
Schall, Io. Adam 874

Scharrock, Robert, 178, 179
Schelhammer, Christoph. 630
Schelhammer. Günth. Christ. 352
Scherbius, Phil. 579
Scherzer, Io. Adam. 339, 768
Scheuchzer, Io. Iac. 624, 661
Schlosser, Fridr. Phil. 378
Schoockius, Mart. 234
Schottanus, Bernard. 226
- - Ioannes 226
Schottenius, Francisc. 178
Schottus, Gasp. 659
Schramm, Io. Maurit. 670
Schurmannia, A. Mar. 223
Schurzfleisch, Sam. 741
Schwarzius, Ios. 763, 775
Schwelingius, Io. Eberh. 272
Scioppius, Gaspar 13
Scotus, Reginald 716
Scribanius, Carol. 800
Scribonius, Adam 577
Scuderia, Magdalena 383
Scultetus, Abrah. 723, 727
Seckendorf, Veit. Ludov. 774
Seldenus, Io. 748
Senguerdus, Francisc. 225
Sennertus, Andreas 618
- - Daniel 618
Senninus, Araria 817
Septalius, Ludov. 659
Schaftesbury 604
Sharrock, Robert. 178
Siaka 816
Sidney, Philip. 26
Siluius, Franc. 221
Sinali-tachiven 873
Sisen 918
Sluterus, Seuerin. 578, 768
Snellius, Rudolph. 580
Sophia Charl., reg. Bor. 382
Sorberius, Sam. 234
Spanheim. Frider. 265, 270
Speethius, Petr. 701
Sperlette, Io. 273
Sperlingius, Io. 619, 709
Spinoza, Bened. de 267, 682
Sponius, Carol. 86
Stahlius, Georg. Ernest. 426
Steele, Rich. 156
Steno, Nicol. 657
Stephanus, Robert. 90
Stillingfleet, Edward. 668
Strimesius, Sam. 774
Sturmius, Io. Christoph. 273, 339
- - Io. 577
Swammerdam 660
Syluius, Henric. 673
Syn-Mu 909
Syrbius, Io. Iac. 541

T.

Ta-civen 890
Talaeus, Audom. 576
Tamo 822
Tardella, Mich. Angel. 285
Telesius, Bernard. 111, 614
Tepelius, Io. 201
Tertre du 593
Textor, Io. Wolfgang 749
Thomas Anglus 274
Thomasius, Christian. 272, 447
- - Godofred. 448
- - Iacobus 338, 448
Thummigius, Lud. Phil. 367
Titius, G. Gerard. 588, 775
Tolandus, Io. 15, 702, 803
Torricelli Euangelista 659
Tourneminius, Io. 366
Treutlerus, Hieron. 578
Triglandius, Iac. 240
Tschirnhausen, Ehrenfried Walther de 598, 659

V.

Vaillant, Seb. 660
Valentini, Mich. Bern. 660
Valerianus, Magnus, 659
Vaninus, Iul. Caes. 670
Velthemius, Valentin. 769
Velthuysen, Lamb. 180, 692
Verbiest, Ferdin. 874
Verse, Albert. de 692
Verulamius, Fr. Baco de 90, 147, 584
Vesalius, Andreas 67
Vienna, Realis de 339, 467
Villebressieux 219
Vincentio, Gregor. de S. 638
Virgilius, Marcellus 784
Vitriarius, Io. Reinh. 743
Voëtius, Gisbert. 224, 265
Vogelsang, Reiner. 265
Vossaerius, Arouet, 391, 441, 643
Vries, Gerard. 270
Vrsinus, Zach. 581
Vuen-Vua 893

W.

Wachter, Io. Georg. 706
Wagner, Gabr. 273, 467
Walch, Io. Georg. 545
Wallisius, Io. 178, 380
Walther, Io. Godofr. 384
Wardus, Sethus 156, 178
Wayen, Io. van de 267, 270, 713
Weber, Imman. 362
Weigelius, Erhard. 340
Wesenbeccius, Matth. 581
Whiston, Guilielm. 643
Whitgift, Io. 91
Willoughbeius, Fr. 660
Winckler, Bened. 739
Winstrupius, Petr. 764
Wirmarsius, Henr. 701
Witsius, Herm. 270
Wittichius, Christ. 260, 706
- - Iac. 706
Wolsgryk, Aardus 701
Wolfius, Christian. 272, 384, 392, 543
Wolzogen, Ludou. 267
Wood, Ant. 145
Wormius, Olaus 661

X.

Xauerius, Franc. 907
Xekia 814
Xin-num 856
Xinung 851
Xun 857

Y.

Yao 857
Yu 857

Z.

Zafius, Vlricus 576
Zentgrav, Io. Ioach. 749, 774
Ziegenbalg, Barthol. 827
Zieglerus, Casp. 741
Zimmermann, Io. Iacob. 629
Zingis, Chanus 811
Zucchius, Nicol. 616

II. INDEX
RERVM ET MATERIARVM.

A

Accidens, quid ex Campanellae sententia 128, 133. ex Hobbesii sententia quid 184
Actio, ex mente Campanellae quid 129 animae quaenam 325 voluntaria, Thomasii de illa sententiae 513 extreme bonae quae 515
Actus, qualis necessarius ex Hobbesii sententia 185
Admiratio prima omnium passionum videtur Cartesio 328 eius causa solo est in cerebro 327
Aer, quomodo sol illum faciat 132. non est elementum 134. sentit 138. est spiritus communis 140. secundum Cartesium quid 320. calidus & frigidus vnde ex Sinensium mente, 892. in octo partes diuiditur 893
Aeternitas Dei aliquid maius inuoluit quam durationem 444
Affectus, quid ex Hobbesii sententia 187. vnde eorum nomina 192. vnde in nobis excitentur 426 vbinam sint 502. Thomasii de illis placita 502 primarii quinam 511
Alchemista, in eorum societatem recipitur Leibnitius 343
Alicubi Thomasii de illo sententia 484
Alstedius, eius encyclopaediam magni aestimat Leibnitius et emendare studet 345
Amare, ex mente Leibnitii quid 444
Amida, ex Xekiae mente quis 818. doctrina de illo inter Iaponenses 914
Amor, Thomasii de illo placita 500
Amplitudo secundum Thomasium quid 484
Analytici de eclecticis quinam ita dicendi 11
Anatomia, illi operam impendit Cartesius 218
Anima, quanam ratione ad aliud sortiendum disponatur 44. habet naturam atomam 46. homo duas habet 50. an eius mortalitatem statuerit Cardanus 78. quid sit ex mente Campanellae 137, 138, 139. eius cum corpore vnio ex mente Cartesii 304. sedes eius praecipua in cerebro secundum Cartesium 321 ope neruorum sentit 323. de eius passionibus dogmata Cartesii 323.
Anima, actiones et passiones eius quaenam 325. vbinam functiones eius maxime exerceantur 325 et corpus quomodo agant inuicem ex Cartesii mente 325 quomodo alicuius rei recordetur secundum Cartesium 326 quomodo aliquid imaginetur ib. vna homini inest ib. rationalis quid ex mente Leibnitii 408. qua ratione totum vniuersum repraesentet 417 quomodo mutet corpus secundum Leibnitium 418. Leibnitii de earum praeexistentia sententia 419 eius cum corpore vnio secundum Leibnitium 422. in corpore organico semper extiterunt 430 eius et spiritus differentia secundum Leibnitium quae 430. non operatur in corpus 442 Thomasii de illa doctrinae virtutis ib. materialitatem eius quinam affirmauerint 707. earum migratio apud Tartaros 811. Xekiae de illis placita 818 Bramanarum de illis placita 840. vbinam illorum felicitas post mortem quaerenda 841. mundi quae sit ex Campanellae mente 139. Iaponensium de illa sententia 917
Animal, imperfectiora ex putridis generari Cardanus statuit 83. quomodo sol illa faciat 132, 135. quidnam illud constituat secundum Leibnitium 417. praeexstitit 419 in totum destrui nequit 419. spermatica a quonam detecta 657
Antlia pneumatica, quis inuenit illam 659
Anxietas, vnde oriatur 193
Appetitus hominis, quid ex mente Hobbesii 191. ex mente Leibnitii quidnam ita appellandum 406
Aqua, quomodo sol illam faciat 132. non est elementum 134. dulces, vnde gignantur 134. quot particularum species in illa reperiantur ex Cartesii mente 320. est materia a spiritu pulsa 490
Argumentatio ex Campanellae mente quid 130
Argumentum quotuplex 130
Aristocratia non tam conueniens ciuitati quam monarchia 197
Aristoteles contemnitur a Bruno 19. Campanellae iudicium de illo 123

Arithmetica, quare eius ſtudium tanquam inutile reieccrit Carteſius 213 machinam ad illam facilitandam inuenit Leibnitius 350. binaria a Leibnitio inuenta 358
Ars, Lulliſticam Wittebergae docuiſſe Brunum veriſimile eſt 22
Aſtrologia, nimis deditus illi fuit Cardanus 74. et Campanella 121. mago optimo eſt neceſſaria 142
Atheus, an ex Scioppii epiſtola Brunus ſit iudicandus 13. an fuerit 55. an fuerit Cardanus 77. an Campanella 124. an Hobbeſius 173. an eorum fautor Carteſius 333. an Vaninnus 680 an Montanus 727. Spinoza 690, 693. an Machiauellus 790. an Indorum philoſophi 872. an Confucius 864. an Foë 872. an Sinenſes ex ſecta literatorum 873. an veteres Sinenſes 883. an Hontanus 920
Atomi, eorum naturam ante Gaſſendum Brunus deſcripſit 32. qualis Bruni de illis fuerit ſententia 37. praeter illos nihil ſimpliciter plenum 46. eorum nulla ſpecies eſt corruptibilis ib. ex illis ſolis elementa non conſtant 49. indiuiſibiles non exiſtunt ex Carteſii ſententia 307
Attractio ex Newtoni mente quid 651. pro qualitate occulta habetur 653. defenditur 654
Auadontas quinam 833
Auctoritas ex Thomaſii mente vnde 519
Auerſio in homine quid 191
Auguſtinus an in opinione beſtias eſſe machinas Carteſio praeiuerit 209
Autodidactus in plerisque eſt Hobbeſius 164. an Ramus fuerit 549
Axioma in Rami dialectica quid 572

B.

Barometron, quis inuenerit 650
Beati, an eorum numerus ſit paruus 437. eorum ſedes ex Xekiae mente 818
Bekker, Balthaſar, vita eius 712. philoſophiam Carteſianam contra iniquas criminationes defendit 712. Mareſii et Altingii diſſidiis implicatur 713. explicatio eius Catechiſmi Heidelbergenſis auctoritate publica proſcribitur 713 Carteſianorum et Cocceianorum partes iuuat 714. liber eius mundus faſcinatus 714 ſyſtemati cauſarum occaſionalium accedit 715. vnde hypotheſin ſuam hauſerit 716. liber eius magno cum applauſu legitur 717. turbae illi inde a ſenatu eccleſiaſtico enatae 718. aduerſarii eius 719. vni tantum reſpondet 720. aſſeclae eius ib. ad palinodiam canendam cogitur 721. non vero cedit ſed in ſententia perſtitit vsque ad mortem ib. an omnem diabolum negauerit 721.
Bellum vniuscuiusque contra omnes quam diu ſit conditio hominis 194
Beſtia, quare ex Hobbeſii ſententia voluntate praedita 192
Bodinus, Jo. vita eius 779. an parentibus Crypto-Iudaeis natus ib. in ſodalitio Carmelitarum puer fere religionem eſt profeſſus 779. munera eius publica ib. Iudaicae incredulitate addictus putatur 780. inter Naturaliſtas numeratur ib. magiae habetur ſuſpectus ib. plagii reus eſt 781 libri eius de republica 781
Bonum nihil eſt ſimpliciter 45. aliter ſimpliciter aliter ad ſpeciem humanum contractum definiendum ib. verum dicitur vnum immixtum 49. noſtrum vnde pendeat ex Carteſii mente 328 quotuplex ex mente Leibnitii 435. ex Thomaſii ſententia quid 498 ſapientum quotuplex 515. eius et mali datur diſcrimen 817
Boyle, Robert. vita eius 622. ad condendam ſcientiarum ſocietatem Londinenſem multum confert ib. multis ſumptibus in explorandam naturam incumbit 623. non nuda experientia eſt contentus 623. ſyſtemati atomiſtico manus dat ib. ſcripta eius 623. Grotium de Veritate R. C. arabico idiomate exprimit 624. multum ad medicinam rationalem confert 624
Brahe, Tycho, de vita eius 629. character eius 631. nouo ſyſtemate mundano maxime inclaruit 631
Bramanae ſ. Braminae vnde eorum nomen 828. quinam ſint ib. ab aliis veſtitu deſtinguuntur 829. vita eorum qualis 829. munus eorum ib. Therapeutis veterum ſunt ſimiles 829. ſacrum eorum munus 830. eorum ſectae 832
Brunus, Jord. quidnam illum excitauerit, nouam tentare philoſophiam 9. accurata huius viri deeſt hiſtoria 12. quinam de illo quaedam narrauerint 13. an ex Scioppii epiſtola atheus ſit iudicandus 13.

Brunus, parentes eius & natales ignorantur 15. auimi eius dotes ib. familiae Dominici nomen adscribit 16. studia eius ib. monasterium relinquit ib. an Mariae virginitatem negauerit 16. grauibus ab eccles. Rom. afficitur iniuriis 17. exulabit e patria 17. biennio Geneuae commorans ibi eiicitur 18. Parisiis philosophiae emendationem crepat 18. an munus professorium illi fuerit oblatum ib. Aristotelem contemnit 19. quid de eius itinere Anglico sentiendum 20. Wittebergae moratur 20. philosophiam ibi docet 21. quanam de causa hanc reliquerit vrbem 21. Artem Lullisticam ibi docuisse eum verisimile est 22. an diabolum laudauerit ib. an Pragae commoratus sit 23. apud Helmstadienses est versatus 24. ad Francofurtenses est delatus 25. ex Germania illum in Britanniam secessisse coniicitur 25. Venetiis ab inquisitione prehenditur & carceri includitur 26. ad rogum deducitur 27. an de hoc eius mortis genere dubitandum 28. quanam de causa concrematus sit 29. character ingenii Bruniani 29. veritates quasdam detexit 31. an Copernicanum mundi systema ante Copernicum detexerit 32. obscuritas & confusio in illius regnat scriptis 33 grammaticae regulas studio negligit 34. spiritum fouet contradictorium ib. sectariam philosophiam maximo persequitur odio 35. in mathematicis disciplinis fuit versatus 36. qualis generis eius sit philosophia 36. scripta eius 38. philosophia eius difficillime delineari potest 40. cogitata eius ex libris de immenso 47. an Spinozismo fuerit addictus 52. iudicium de eius philosophia 54. an fuerit atheus 55. liber eius de bestia triumphante, quonam tempore compositus 61

Brutum, qualis in illis sensus, memoria, discursus & intellectus 139. machinas corporeas esse putat Cartesius 329. an in hac opinione Augustinus praeiuerit Cartesio 209. homo fieri potest per transmigrationem 841

Buddeus Io. Francisc. parentes eius et educatio, 527. biennii mora stadium academicum absoluit ib. magistri honores capessit aliosque in academia Wittebergense instruit 527. ad academiam Ienensem se confert ib. ad spartam professoris linguae Graecae & latinae Coburgi obeundam vocatur 527. Halam ad capessendum munus professoris philosophiae moralis traducitur 527. Ienae professor theologiae constituitur ib. laudes eius 528. merita eius in philosophiam 528. methodus illius in philosophando an noua 530. doctrinae non cohaerentes & saepe sibi contradicentes illi obiiciuntur 532. litibus de philosophia Wolfiana immiscetur 532

Budsdoistae, qualis secta 913

C.

Cabbala, an eius beneficio doctus euaserit Campanella 109. an atheismum ex illa hauserit Spinoza 695

Cadauer, interfectorum vnde ebulliat praesente homicida 141

Calculus differentialis, an illum inuenerit Leibnitius 380

Calor, quid sit ex Campanellae sententia 133. eius actionis effectus quinam 135. sentit 138. ex Thomasii sententia vnde 488. et frigus causae generationis sunt ex mente Sinensium 892. Sinensium de illo placita 893

Caluiniani Monarchomachiae incusantur 801

Campanella, Thomas, fontes historiae eius 107. epigramma in illum 107. not. natiuitas eius 108. praecocis ingenii adolescens Neapolim mittitur 108. ordini S. Dominici nomen dat ib. carminibus conditis nomen sibi comparat adolescens 108. an Cabbalae beneficio doctus euaserit 109. mature philosophiam Peripateticam contemnit 109. quidnam illi occasionem nouam condendi philosophiam praebuerit 110. apologiam contra Telesii oppugnatorem confecit 111. vbinam hunc librum typis commiserit 112. magna exinde illi enata inuidia ib. in reformanda philosophia gnauiter pergit 113. philosophiam Pythagoricam carmine Lucretiano auspicatur 113. itinera eius 114. libros in itinere amittit ib. Romanae ecclesiae promachus quare videri voluerit 114. quare in carcerem coniectus 114. crudelissima quaestione saepius examinatur 116. an perduellionis fuerit reus 117. in carcere detentus philosophiam nouam docere potuit 118. tandem ex manibus Neapolitanorum liberatur 119.

Campanella quare in carcere S. Officii Romae detentus 119. plenae libertati restituitur ib. conspirante Pontifice clam vrbe est egressus 120 a Peirescio Aquas Sextias accersitur 120. Lutetiae regia munificentia excipitur 120. mors eius ib. eius ingenii character 120. simia Cardani vnde dictus 121. superstitione fuit deditus 121. ad philosophiam emendandam ineptus fuit 122. laudes eius & merita 122. in ciuili doctrina maxime eminuit ib. eius iudicium de Aristotele 123. quibusnam mediis sanctiorem philosophandi rationem promoueri posse putauerit 123. protestantes armis vt extinguant Romanae ecclesiae addicti suadet 124. atheismi accusatur 124. non illius est reus 125. multa scripsit 126. philosophia eius 127. eius dialectica quaenam 127. physica eius quaenam 131. tractatio eius de sensu rerum 136. eius metaphysica 142. philosophia eius moralis quaenam 144

Canadenses, vnde notitia, de eorum philosophia haurienda 920

Cardanus, Hieronymus, historiae eius scriptores 62. ipse de vita sua commentarium scripsit ib. quando natus 63. parentes eius 64. an illegitimo thoro sit natus ib. infans peste laborat 64. pater illum astrologiae praecepta & Euclidis libros docet 65. iurisprudentia neglecta inuito patre philosophiam sequitur 65. in Ticionensem academiam se confert 66. Saccense oppidum ib. vxorem ducit 66. calamitates illi ex hoc matrimonio enatae 66. libidinosis cogitationibus cruciatur 67. nimis pauper est ib. medicinam Mediolani publice profitetur 67. oblatos hic honores & munera contemnit ib. ab Eduardo rege in Scotiam vocatus abiit 67. domum reductus Bononiam abiit 68. carceri includitur 68. in Collegio romano recipitur ib. deliro similior, quam philosopho exspirat 68. an emortualem sibi annum praedixerit ib. character eius 69. magnus sui fuit admirator 70. auaritiae nimis fuit deditus 70. ineptus gloriae fuit captator ib. in ebuccinandis vitiis suis laudem quaerit 71. gressus eius et vestitus 72. aleae amator fuit ib. miranda de se falso gloriatur 73. genium se habere iactat ib. superstitioni adhaeret 74. Christi fata ex themate eius genethliaco deriuari putat 75. an Christi fata astris subiecerit 76. an fuerit atheus 77. an mortalitatem animae statuerit 78. an magiae sit suspectus 79. eruditio eius philosophica 80. quae in dialectica digna inuenerit 81. plura emendare potuisset, si sui satis fuisset constans 82. quaenam eius philosophandi ratio 85. ad philosophiam reformandam ineptus habetur ib. scripta eius & stili ratio 86. amici eius & inimici 87. lites eius cum Scaligero 87

Caritas ex mente Leibnitii quid 444

Cartesius Renatus, vnde fontes eius historiae petendi 200. eius vitae scriptores 200. vbinam natus 203. quare natalem occultauerit ib. puer sedulo in omnia inquirit ib. an praeceptores maximo amore sit prosecutus eorumque amicitiam vsque ad mortem coluerit 203. studia eius iuuenilia 204. humanitatis studiis non contentus ad seueriores scientias animum adiicit 205. quonam animo ad philosophiam accesserit ib. ad rationalem & moralem philosophiam imprimis animum applicat 205. quare communem rationandi methodum reliquerit 206. mathematicas artes deperit 206. collegio relicto litterarum quoque studia relinquit 207. Lutetiam mittitur ib. conuiuia & ludos amat 207. viris doctis innotescit ib. ad philosophiam reuocatur 208 militiam eligit 208. non vero philosophiae & artibus mathematicis renunciauit 208. cum Beemanno amicitiam iniit 208. in secessu tractatum de musica scribit ib. an ei in opinione bestias esse machinas praeiuerit S. Augustinus & Pereira 209. copiis Bauaricis nomen addicit 209. nouum philosophiae systema aedificare secum constituit ib. Deum atque virginem Deiparam rogat, vt viam ad nouam philosophiam condendam sibi monstrent 210. Roseae crucis sodales detegere cupit ib. praeiudicia educationis adolescentiae omnia exuere studet 210. Vlmae cum viris eruditis sermones instituit 211. ad caesareanas copias se confert ib. variis obsidionibus interest 211. castra relinquit 211. itinera eius post relicta castra 212. in patriam rediit ib. Lutetiam proficiscitur 213.

Carte-

Carteſius, roſeae crucis fraternitati nomen adſcripſiſſe putatur 213. arithmeticae et geometriae ſtudium quare tanquam inutile reiecerit 213. morali doctrinae animum addicit 214. res naturae attente conſiderat ib. in Britanniam minorem abiit 214. iter eius litterarium 214. an Galilaeum Galilaei conuenerit 215. mora eius Pariſienſis 215. ſcepticum ad tempus agit 215. famae onere grauatus omnibus ſe ſubducit 216. detegitur ib. molimina eius philoſophica Lutetiae 216. ſeceſſus eius in Hollandiam 217. tractatus eius de meteoris vnde enatus 217. anatomiae et chemiae operam impendit 218. animi recreandi cauſſa Londinum excurrit ib. primum ſectatorem nanciſcitur ib. dioptricam et tractatum de mundo abſoluit ib. videri vult ac ſi terrae motum negaret 219. cum amico quopiam in Scaniam proficiſcitur ib. ſcripta ſua ſine nomine edit 220. aduerſarium nanciſcitur Roberuallium ib. ſeceſſus eius Egmundianus 221. aduerſarios contra nouam ſuam philoſophiam prodeuntes vidit 221. incrementa adoleſcentis eius philoſophiae inter Batauos 222. an Schurmanniam inter ſectatores habuerit 223. controuerſiae Vltraiectinae de eius philoſophia 224. fortuna philoſophiae Carteſianae in Britannia magna et Gallia 227 fruſtra apud Gallos a Voëtio exoſus factus 229. magnificis conditionibus in aulam Gallicam vocatur ib. meditationes philoſophicas quanam fortuna ediderit ibid. Vltraiectini contra illum motus 230. fatientiora eius fata in Gallia 233. lites eius ad annum 1647, 254. lis ab illo intentata Schoockio 236. ſectatores eius Leidenſes 237. Regii defectio valde ſibi diſplicet 238. ſtudia eius in ſolitudine Egmondiana 239. incrementa philoſophiae ſuae ib. Regina Chriſtina Sueciae illi fauet 239. Leidenſes contra illum turbae 240. iter eius Gallicum ſecundum ib. de ſtipendio regio annuo illi ſoluendi proſpicitur 240. litteras a Sueciae Regina propria manu ſcriptas accipit 241. tertium eius iter in Galliam 241. cum Gaſſendo reconciliatur ib. fauor Reginae Sueciae erga illum 242. Holmiam proficiſcitur 243. reginam philoſophiam docet ib. mors eius et ſepultura 244. ſepulchralis eius inſcriptio 245. oſſa eius ex Suecia in Galliam transferuntur 246. character eius ex delineatione Baileti 246. laudes eius 248. Peliſſonii de illo teſtimonium 250. Leibnitii de illo teſtimonium ib. quaenam in illo reprehendenda 215. an phyſiologiam ſuam pro fabula Romanenſi habuerit 252. ſectam condere magnopere ſtuduit 253. obſcuritas ei obiicitur 254. plagii ſuſpectus habetur 255. an ab illo liberandus 257. ſcripta eius 259. fata philoſophiae Carteſianae poſt mortem conditoris 259. vide philoſophia Carteſiana. quomodo ſectatores eius conſiderandi 285. vnde philoſophia eius haurienda 286. Cogitationes eius de methodo inueniendi verum 287. cur inter opera eius nihil appareat, quod ad ethicam referri debeat 289. regulae eius morales 290. Metaphyſica eius de principiis cogitandi 291. an impietatis ſuſpectus habendus 299. eius philoſophemata de rebus naturalibus 304. principia eius de mundo aſpectabili 311. an dogma quod bruta machinae ſint a Peirera petiit 329. Leibnitii de illo eiusque conatibus philoſophicis ſententia 330. deſiderata in eius philoſophia 331. an atheiſmi fautor 333. in multis Bruni vitulo arauit 31

Cauſſa ſine qua non quidnam ex Hobbeſii ſententia 185. integra quae ib. efficiens quae ib. formalis quae 185. ex ignorantia verarum oritur anxietas 193. occaſionalium ſyſtema quis primus ad id delatus 266. explicatur hoc ſyſtema 592

Cerebrum, in illo ſolo eſt cauſa admirationis 327. ſedes praecipua animae 321

Chemia, quisnam primus eius ſtudium in academiis Proteſtantium introduxerit 618. illi operam impendit Carteſius 218

Chemici, eorum merita in phyſicam reformatam 621

Chronologia, Sinicae nulla prorſus eſt autoritas 852

Circulatio ſanguinis a quonam inuenta 656

Circulus, illi quadratum aequare impoſſibile eſt 46

Circumſtantia, ex Campanellae mente quid 129

Ciuitas, cauſae, cur homines in illa viuere

voluerint ex Hobbii sententia 196. quidnam ex Hobbii sententia 197. vnde oriatur ib. illi monarchia conuenientior est aristocratia vel democratia 197
Ciuitas Dei, secundum Leibnitium quid 430
Coelum, sentit 136. propria virtute mouetur 140
Cogitatio, quid eius nomine intelligamus 295. duo in nobis sunt modi cogitandi 300. naturam substantiae cogitantis constituere dicitur 302. quid ex mente Thomasii 492. in toto fit cerebro 492. falsae & fictae quae 403
Cognitio omnium prima & certissima quae ex mente Cartesii 295. quotuplex secundum Leibnitium 398. clara quae 399 intuitiua vnde 399
Colores, vnde oriantur ex Cardani sententia 83. ex Campanellae sententia 133 quid ad eorum varietatem producendam opus 651
Cometa, quid sit ex Bruni sententia 51. quid ex Cardani 83. quibusnam ex rebus fiant ex Campanellae mente 134
Compositum, quanam in re cum simplicibus conueniat secundum Leibnitium 416
Conatus quid sit ex Hobbesii mente 186
Confucius, quinam eius historiam scripserint 858. nomen eius domesticum 859. quando natus ib. natiuitas eius miraculosa dicitur 859. adhuc puer grauis et deuotus est ib. studia eius 859. munera eius ib. quare magistratu se abdicauerit ibid. Sinam peragrat 859. in regno Sum schola aperit 860. ingens suorum discipulorum est numerus ib. mores eius atque laudes 860. mors eius 861. honores illi post mortem praestiti 861. an statuae illi positae ib. not. an cultus eius sit religiosus 863. quaenam in illo reprehensa 863 atheismi accusatur 864. an magnus philosophus 867. Moshemii de illo iudicium 868
Consequentia ex Campanellae mente quid 130
Conscientia ex Hobbesii sententia quid 192
Consilium, quaenam supponat 515
Contingentia ex mente Hobbesii quae 185
Contrarietas ad vnionem incitat mundum 138
Copernicanum systema inuentum 628. astronomis valde placet ib. a romana ecclesia damnatur 628. laudes eius 629
Corpus hodie non est quod heri fuit 43 non est hominis substantia ibid. vndenam habeat constructionem 133. ex Hobbesii sententia quid 184. eius extensio idem est quod magnitudo eius 184 contigua quaenam ib. continua quaenam ib. aequalia quae 184. interire aut generari non potest 184. duo inter se differre quando dicantur 185. eius relatio quid 186. eius natura consistit in extensione ex mente Cartesii 305 eius cum anima vnio quae ex Cartesii mente 304 viuentis semper est organicum 417. organicum est species machinae diuinae 417. quodlibet viuum habet entelechiam vnam dominantem 417. in perpetuo est fluxu ib. eius cum anima vnio secundum Leibnitium 422. omnia consistunt ex materia et spiritu 488. eorum diuisio secundum Thomasium 489. quando per se subsistere dicatur 490. quaenam nobiliora 491 corpus protoplasti quale fuerit 491. eius natura quid 507. motus eius secundum Newtonum 648. omnia lumen emittunt et splendent 650. magna calorem suum conseruant diutissime 651. vim suam actuosam vnde accipiant 651. quanam re innicem agant ib. fluida ex particulis duris composita videntur 652. eorum mutationes vnde 652
Corrector typographicus fuit Brunus 25
Corruptio ex Sinensium mente quid 894
Creatiani quinam 709
Creatio secundum Thomasium quid 486
Creaturae, in sole viuentium quaenam natura 51. opus habent influxu Dei perpetuo 442. quare Deo non coaeternae secundum Thomasium 485. quomodo de illis meditari possimus 485. cerebrum mouent ib. ex nihilo extra Deum factae 485. omnes sunt extensae 488 omnes mouentur ib. earum essentia quanam in re consistat 486. nulla est extra Deum ib.
Cultus demortuorum parentum apud Iaponenses qualis 917. an Confucii sit religiosus 863. idololatricus Tartarorum fundamentum eius 811

D.

Dalai Lama apud Tartaros quisnam 811
Damnati, eorum poenae quam ob causam perseuerent 437
Decorum, primum eius principium quale secundum Thomasium 518
Decretum Dei vnicum est atque immutabile 436
Definitio idem est ac terminus 128. quid ex Campanellae sententia 128. quomodo fiant 130. quale discrimen sit inter nominalem et realem secundum Leibnitium 400
Democratia, conuenientior est ciuitati quam monarchia 197. quanam de caussa illam odio sit prosecutus 151
Demonstratio, Thomasii de illa sententia 494 firma, quae ex Leibnitii mente 400. intellectiua vnde oriatur 131
Descriptio quid ex Campanellae sententia 130
Despectus secundum Cartesium vnde 327
Deus est monas, mente Bruni 42. influit per naturam in rationem ib. est monas monadum 44. est simplicissima essentia 48 voluntas eius est super omnia 48. in eo idem est posse et esse 51. quo sensu sit substantia 129. Hobbesii de illo sententia 175 seqq. Cartesii argumentum pro existentia Dei probatur ab aliis, ab aliis autem reiicitur 296. quid de hoc argumento iudicandum 297. Cartesii de Deo placita 298. an eius sapientiam ex orbe proscribere annisus sit Cartesius 300. non est caussa errorum 300. est caussa motus vniuersalis 309. in illo omnia vidimus 401. quaenam in illo ideae 401. Leibnitii de illo placita 412. attributa eius secundum Leibnitium vnde deriuanda 432 concursus eius ad res creatas qualis 433 optimum eligit 436. illius influxu perpetuo opus habent creaturae 442. eius aeternitas et immensitas sine creaturis locum non habuissent 443. primus conceptus de Deo est aseitas 485. quomodo percipiatur 485. in se ipso est et omnes creaturae in ipso, extra eum autem nihil 485. habet amplitudinem infinitam 486 nihil illum extendit ibid. quomodo de eius essentia homines loqui possint 491 amor est ib. est caussa prima omnium rerum mutabilium 499. quomodo illum descripserit Newtonus 649. Spinozae de illo sententia 694 Persarum de illo sententia 808. Sinensium de illo sententia 889. Malabaricorum philosophorum de illo sententiae 835
Diabolus, an Brunus illum laudauerit 22. an omnem negauerit Balth. Bekker 721. homo fieri potest per transmigrationem 841
Dialectica, quaenam digna in illa inuenerit Cardanus 81 ex Campanellae mente quaenam 127. illius reformationis a Ramo susceptae occasio 566. eius summa secundum Ramum 575
Dianoea in Rami dialectica quid 572
Dies, fastos et infastos esse credunt Braminae 842
Differentia, quid ex mente Campanellae 128
Dignitas ex Hobbesii mente quid 193
Discursus, Hobbesii de illo placita 189
Dissimilitudo ex Campanellae mente quid 129
Distinctio realis quid ex Cartesii sententia 302. modalis quotuplex 303. rationis quae ib.
Diuisio ex Campanellae mente quid 129
Dolor et voluptas fontes omnium passionum sunt 136
Dsigokf quid 819
Dubitatio ex Hobbesii sententia quid 192 ad quodnam illam restringat Cartesius 292 quid de illis dubitatione censendum 293
Dubitare de omnibus principio debet philosophaturus 43
Ductus thoracicus quis illum primus detexerit 656
Duratio, quid sit ex mente Bruni 45. non est aeternitas Dei 444
Durities vniuersae materiae simplicis proprietas haberi potest 652

E.

Ecclesia, Romana, cur philosophiam eclecticam non elegerit 7
Eclectici veri quinam sint 4. hodierni in duas classes diuidi possunt 11
Effectus quando producetur ex mente Hobbesii 185
Elementa atomis solis non constant 49. tria statuit Campanella 133. eorum conditiones quaenam 133. ex mente Cartesii quae 315

Ele-

Elementa, ex Leibnitii mente quae 403. Espagneri de illis placita 617. quot ex Sinensium sententia 892. quot ex Bramanarum mente 842
Emanatiuum systema amplexus est Brunus 52 docet Xekia apud Indos 820. Malabarici philosophi receperunt 835
Ens reuera existens nonnisi vnum esse potest 49. per quodnam distinguatur 128
Entelechia, cuinam id nomen tribuendum 406. quodlibet corpus viuum vnam habet dominantem 417
Enthymema ex Campanellae sententia quid 130
Error, quodnam omnium principium et fundamentum 45. in ratiocinante quid 191 eorum caussa non est Deus 300. eorum caussae vnde ex Cartesii mente 303
Essentia, diuina est infinita 48. quidnam ita dicatur 184. secundum Thomasium quid 484
Ethica, eius partitio ex Verulamii mente 91 Rudigeri in ea emendanda studium 540 Sinensium quae 904. de illa circa extremos annos cogitauit Cartesius 284. Iaponensis quae 917
Exemplum in logica quid 130
Exhalationes morales quae ex mente Thomasii 513
Expositio quid 130
Extensio infinita reducitur necessario ad indiuiduum 49. corporis idem est quod eius magnitudo 184. naturam corporis constituere dicitur 302 quaedam est finita et quaedam infinita 484. extensum esse et partes habere differunt 486. omnis motus est ib.

F.

Facultas ex Campanellae mente quid 129
Falsum et verum vbinam ex Hobbesii sententia 190
Fanaticismus, illius accusatur Malebranche 592
Fatalismus, an harmonia praestabilita illum introducat 427
Felicitas, quomodo ad illam sapere debeamus 43. quanam in re consistat 193. 498
Felicitas animae post mortem vbinam quaerenda 841. quomodo acquirenda 913
Fides, quaenam ex mente Hobbesii opinio 188. vnde 192
Figura ex Campanellae mente quid 129, 133
Fines rerum non inuestigandos esse in rebus naturalibus Cartesius docet 298
Finitum potentia quid ex Hobbesii mente 183
Flamma, quid ex mente Newtoni 651
Fluctuatio animi secundum Cartesium vnde 327
Flumina vnde oriantur mente Cardani 83
Foe, cum Xekia idem est 871. quaenam in eius natiuitate miranda 871. quomodo secta eius ad Sinas delata 872. an atheus ibid.
Foemina, eius et maris differentia vnde 135 an semen emittat ib.
Fohi, quando vixerit 850. primus Sinensium legislator 852. an philosophus fuerit 853 quaenam libri eius explicatio 854. Leibnitii huius libri explicatio aliis praeferenda 855. eius successorum rationes methodusque philosophandi 856
Fokekio, qualis liber apud Indos 819
Forma substantialis nunquam perit 45. ex Campanellae mente quid 129, 133
Frigus, vbinam se sustineat ex Campanellae mente 132. quid sit 133. et calor caussae generationis sunt secundum Sinenses 892. caloris esse priuationem statuit Cardanus 83. vnde ex Thomasii sententia 488

G.

Galilaeus Galilaeus, ortus eius et educatio 634 arte musica et pingendi delineandique artificio adolescens excellit 635. philosophiae Aristotelicae et arti salutari destinatur ib. matheſi plus fauet quam medicinae 635. cathedrae mathematicae in academia Pisana praeficitur ib. naturam motus mechanici propius inspicit ib. a rep. Veneta in sexennium ad Patauinam cathedram conducitur 635. Thermometron inuenit ib. tubos opticos conficit 636. quaenam in coelo eorum ope detegerit ib. haereseos accusatur 637. sententiam suam de systemate mundano retractat 637. longitudines definire laborat 637. ob fidereas obseruationes oculorum vsu priuatur ib. mors eius 637. hodiernae physicae parens dicitur 638

Gaſſendus, quaenam de eius nouis inuentis aut Bruno debeant, aut cum illo conſpirent 32
Gaudium vnde in nobis excitetur ex mente Carteſii 327
Generatio quid 185. non datur perfecta ſecundum Leibnit. 418. eius cauſſae ſecundum Sinenſes quae 892. quid ex Sinenſium mente 894. animalium melius inquiſita 657
Genius, illum ſe habere Cardanus iactat 73
Genus ex mente Campanellae quid 128
Geometria, quare eius ſtudium tanquam inutile reiecerit Carteſius 213
Geulincxius vita eius 703. ſyſtema eius ethicum quale 704. an inter Spinoziſtas referendus 705
Globuli Carteſiani ſecundi elementi 316
Gnanigueuli quinam 831
Gokurakf quid 818
Grammatica, eius regulas ſtudio et maioris decoris cauſſa negligit Brunus 34
Grauis, vnde eorum deſcenſus ex mente Hobbeſii 187
Grauitas ex Thomaſii ſententia vnde 488 vnde oriatur 50. vnde eius differentia 187
Grotius, Hugo ſcriptores eius hiſtoriae 730 parentes eius 731. nimia illi adhuc puero pangendi carminis facilitas et artis fingendi praeſtantia ineſt 731. vnde Arminii partibus fauere coeperit 732. quindecim annorum adoleſcens Martianum Capellam notis illuſtratum ſuis edit 732. munera eius publica ib. controuerſia eius de mari libero 732 not. partes eius in controuerſiis Arminianis 733. carceribus perpetuis damnatur 734. ſcripta eius in carcere elaborata 734. ab vxore liberatur 735. in Gallia ſedem figit ib. variis afficitur calamitatibus 736. hiſtoria libri eius de iure belli et pacis 736. quidnam in illo potiſſimum egerit 737. inſigni plauſu excipitur 738. regibus ſummisque principibus placuit ib. verſiones eius ib. quaenam Thomaſius in hoc libro reprehenderit 739. commentatores et epitomatores huius operis 740. in patriam reuertitur 743. exilio multatus Hamburgum ſe confert ib. a Suecis legatus in Galliam mittitur 744. in Sueciam ad rationem adminiſtrationis reddendam reuocatur 745. miſſionem a regina petit ib. mors eius 745. quaenam eius in religione ſententia 746. character eius ibid. quaenam in illo reprehenſa 747
Gundlingius, Nic. Hieron. natiuitas eius 522 a patre inſtruitur ib. ſtudia eius academica et praeceptores 522. ſacro miniſterio ſe deuouit ib. a Thomaſio ad iurisprudentiam excolendam incitatur 523 iuris honores capeſſit et vitae academicae ſe tradit ib. munus profeſſoris philoſophiae extraordinarii illi demandatur et paulo poſt eloquentiae 523. aliis honoribus ornatur ib. mors eius 523. eius ingenii character ib. merita eius de philoſophia 524. via eius ad veritatem 525 hypotheſes Leibnitianae ſaepe illi arriſerunt 526

H.

Harmonia praeſtabilita quid 422. quidnam Leibnitio de illa cogitandi occaſionem praebuerit 423. contradictiones patitur 425. an inimica ſit libertati et fatalismum introducat 427
Hattemiſtae qualis ſecta 702
Heroes ex mente Thomaſii quinam 512
Hiſtoria naturalis, a quibusnam exculta 660
Hobbeſius, Thomas, fontes hiſtoriae eius litterariae 145. ipſe vitae ſuae hiſtoriam verſibus comprehendit ib. natiuitas eius 146. Euripidis Medeam metro latino ex Graeco adhuc puer eleganter conuertit 146. annos natus XIV ad Oxonienſes Muſas ablegatur ib. in familiam comitis Deuoniae tranſit 146. mature ei philoſophia Peripatetica eſt ſuſpecta viſa 146 quomodo ad philoſophiam eclecticam excitatus 147. Thucydidem in anglicum ſermonem traducit ib. cum Cliſtono ad Gallos proficiſcitur anno aetatis quadrageſimo 148. Euclidi operam dat ib. cum comitis Deuoniae filio ad Gallos proficiſcitur 149. cum Gaſſendo amicitiam init 149. et cum Merſenno ibid. ex Gallia in Italiam profectus cum Galilaeo Galilaei amicitiam init 150. ſtudia eius politica ib. quanam de cauſſa democratiam

odio sit persecutus, 151. in Galliam fugit 152. commercium epistolicum cum Cartesio instituit 153. Cartesius vlteriorem cum illo disceptationem declinat ib. meditationes eius de eiue vnde enatae 154 controuersia eius de necessitate, libertate, fato cum Bramhallo 154. patriis sacris valde addictus a Mersenno mutari non potest 156. liber eius de natura humana 156. eius Leuiathan 157. vnde hic liber suspectus factus 157. Cromwellianis partibus animum adiecisse suspicitur 157 regis gratia excidit 158. Parisiis relictis Londini sedem eligit ib. totus se philosophiae tradit ib. librum de corpore absoluit ib. Geometriam vulgat ib. controuersia inde cum geometris illi enata 159. liber eius de homine ib. cum rege rursus in gratiam init 160. opera philosophica vno fasce comprehensa in lucem emittit ib. ad iurisprudentiam Anglicanam et perficiendas artes mathematicas se confert 160. principes atque proceres eum saepius conueniunt 160. philosophia eius in academiis magno suae famae dispendio innotescere coepit 161. Londinum concedit ib. Homerum vernaculo carmine senex emulgat 162. alii eius libri ib. mors eius ib. character eius 162 temperamentum eius 164. in plerisque autodidactus fuit ib. laudes eius 165 reprehensiones eius 166. impietatis accusatur 167. vti et inconstantiae animi ib. Paedantismus illi obiicitur 169. iactantia in illo reprehenditur 170. an profano erga Christianam religionem fuerit animo 170. an fuerit atheus 173. aduersarii eius 178. sectatores 179. an Epicureus fuerit 180. philosophiae eius delineatio 182

Homicida, vnde eo praesente cadauer ebulliat 141

Homo duas habet animas 50. tres partes habet ib. cur non sit animal 83. eius mens immortalis est et diuina 139. eorum ingenia seu propensiones vnde ex mente Hobbesii 187. quamdiu eius conditio bellum vniuscuiusque contra omnes sit 194 eius ius in statu naturali quidnam ex Hobbii sententia 194. quando bestiarum instar agant 408. quanam re ab animantibus distinguantur 408. ex mente Thomasii quid 492. non semper cogitat 493 eius immortalitas ex Sinensium mente quae 896. omnes vita beata esse indignos statuit Xekia 819. quomodo ex eius mente euadant beati ib. per transmigrationem non modo brutum sed et diabolus euadere potest 841

Honestum, ex mente Thomasii quid 515 primum eius principium quale 518

Honor, ex Hobbesii mente quid 193

Hontanus, an nomen fictum 920. quis fuerit ib. iudicium de eius dialogis cum barbaro Americano 927

Humilitas secundum Cartesium vnde 321

Hyperbole, eius vsum in scientiis physico-mathematicis quis primus ostenderit 638

I.

Iaponenses, eorum philosophia, quae 907 origines theologiae eorum 907. vetustissimi eorum legislatores 908. sectae apud illos quaenam 919

Idea, proprias nos habemus 601. cuiuscunque rei in Deo est 401. simplices dantur 411

Identitas indiscernibilium principium eius quale 403. est fundamentum omnium veritatum mathematicarum 441

Iemma O quis 819

Iesuitae Monarchomachiae suspecti 798. philosophiam inter Sinas introducunt 874

Iesus Christus, miracula eius ex themate eius genethliaco deriuari posse putat Cardanus 75. an fata eius astris subiecerit 76

Ignis ex elementorum numero eximitur a Cardano 83. quid sit ib. vnde 133. ab illo omnia entia motum habent 138. vnde excitetur secundum Cartesium 321. ignis et lux non sunt confundenda 491. ex mente Newtoni quid 650

Ignorantia ex mente Campanellae quotuplex 131

Imaginatio, Hobbesii de illa placita 188. fortis vnde 408. secundum Thomasium vnde 493 quid 507

Imago Dei, reliquiae eius quanam in re consistant 438

Im-

Immensitas Dei sine creaturis locum non habuisset 443. aliquid maius inuoluit, quam durationem 444
Immortalitas animae an a Cardano negata 78 hominis ex Sinensium mente quae 896
Impetus secundum Hobbesium quid 186
Impietas an Cartesius eius suspectus 299 illius accusatur Hobbesius 167
Imputare ex Thomasii mente quid 519
Inane principium et finis omnium rerum est 819. ex illo omnia producta et in idem omnia resoluentur ib. proprietates eius 819
Independentia Dei secundum Leibnitium 432
Indestructibilitas, eius systema ex Leibnitii mente 418. quid de hoc systemate iudicandum 419
Indi, an eorum philosophia atheismo infecta 812. dogmata sua ex Aegypto acceperunt 824, 830
Indiuiduum proprie dicitur esse vbique 45 duo aequalia non comperiuntur 46. vagum quid 128
Inductio ex Campanellae mente quid 130
Induciani quinam 709
Infelicitas ex Thomasii sententia vnde 501
Infernum, Xekiae de illo sententia 819
Infinitum potentia quid ex Hobbesii mente 184
Ingenium, quinam bonum habere dicantur 192. hominum vnde oriantur 187
Insania ex Hobbesii mente quid 192
Insomnia magni fecit Cardanus 74. vnde 141
Instinctus quid sit ex mente Campanellae 137
Intellectus quid sit ex Cardani mente 83 hominis quid ex Hobbesii sententia 190 actiuus secundum Thomasium quid 490 quid 507. actus eius quid 507. mouetur a voluntate 508. bonum quid iudicat quia voluntas id appetit 509. vbinam agat ib. seruit voluntati 510. de quibusnam rebus libere iudicet 510
Iogigueuli quinam 831
Iudicium quinam bonum habere dicantur 192
Iurisconsulti Wittenbergenses vnde Moralistae dicti 742
Iurisprudentia, illam emendare studet Leibnitius 354
Ius naturale ex Hobbii sententia quid 194 eius regulae ib. ex mente Leibnitii quid 444. ciuile vim acceperit 446. naturae ex mente Leibnitii vnde 444. eius praeceptum ibid. supremus eius gradus 445. quinam iuris gentium personam habeat 446. vnde oriatur 516. duplex est ib. naturale ex mente Thomasii quid 516. quare diuinum ib. principium eius cognoscendi quidnam 517
Iustitia, Hobbii de illa sententiae 195. quidnam illam constituat secundum Leibnitium 437. ex mente Leibnitii quid 444
Iustum, primum eius principium secundum Thomasium quale 518
Ixin apud Iaponenses quid 915

K.

Keplerus, Io. natiuitas eius et educatio 632 ministerio ecclesiastico se destinat 632 Graeciam ad occupandam cathedram mathematicam et ethicam euocatur 632. religionis caussa in Hungariam exul abit ib. muneri restituitur ib. Tychoni socius additur ab imperatore 632. arti salutari se tradit ib. maxima inopia laborat ib. Lincium euocatur 632. mors eius 633 multa vidit, quibus Cartesius velut nouis inuentis superbire coepit 633. qua in re disciplinae naturali vtilissimam operam praestiterit 633. sidera fecit animata 634
Ki ex mente Sinensium quid 894. per id omnia producta sunt 895, 896
Kio qualis liber apud Indos 819, 909

L.

Lamae, apud Tartaros quinam 811
Languor secundum Cartesium quid 327
Lapis, quomodo sol lapides faciat 132, 135
Legislator Sinensium primus quis 852. vetustissimi Iaponensium quinam 908
Leibnitius, Godofr. Guil. nonnulla a Bruno recepit aut aequalia tradidit 32, 417. scriptores historiae eius 335. natiuitas eius 337. diligens est in legendo scriptores veteres Graecos et Latinos 338. quindecim annos natus albo academiae patriae nomen dat ibid. varii generis ab omnis scientiae libros legit 338.

Leibnitius, Godofr. Guil. hiſtoriam philoſophicam a Iacobo Thomaſio diſcit 339 praeceptores eius ibid. Ienam proficiſcitur 340. ad ſyncretiſmum inter veteres et recentiores philoſophos inclinat 340. de principio indiuidui ſpecimen academicum defendit 341. nondum duodeuiginti annos natus ſummis in philoſophia honoribus ornatur 341 ad iuris diſciplinam ſe conuertit ibid. diſſertationes eius ib. ſummos in vtroque iure honores petit 342. quare repulſam paſſus ibid. Altorfium proficiſcitur 342. iuris honoribus ornatur et poteſtas legum ſcientiam extra ordinem docendi ei offertur 343. Norimbergam ſe confert et Alchemiſtam ſimulat ibid. in ſocietatem Alchemiſtarum recipitur ibid. Boineburgio commendatur ibid. Moguntino electori traditur 344. noua eius methodus docendae diſcendaeque iurisprudentiae ibid. corporis iuris reconcinnandi rationem explicat 344. Alſtedii encyclopaediam emendare et augere animo concipit 345. labores eius Moguntini 345. inter conſiliarios ſupremi iudicii reuiſorii recipitur 346. in notitiam ducis Brunſuicenſis venit ibid. contra Wiſſowatium ſcribit 346. Hypotheſin phyſicam nouam edit 347. nouam theoriam motus abſtracti delineat 348. cum Spinoza de vitris opticis per literas agit 348. eius iter Gallicum prius ibid. geometriam ſublimiorem addiſcit 349 ad romanam eccleſiam tranſire recuſat 349. iter eius Britannicum prius ibid. alterum eius iter Gallicum 350. alterum iter Britannicum ibid. conſiliarius aulicus et bibliothecarius a duce Brunſuicenſi conſtituitur 350. machinam arithmeticam inuenit ibid. in ſocietatem ſcientiarum Pariſienſem recipitur ib. Hanoueram petit 351. nouam phoſphori rationem indicat ibid. tractatus eius de iure ſuprematus 351. imperatori ſeruiendi occaſionem poſt Lambecii mortem captat 352. ſocius ad acta eruditorum Lipſienſia accedit ibid. iter eius ad colligenda documenta Brunſuicenſia 353. domum reuerſus in iurisprudentiam emendandam incumbit 354. cum Pelliſſonio de tolerantia diſputat 354 ſtudium eius in illuſtrando iure publico 355. eius codex iuris gentium diplomaticus 356. ontologiam emendat 356 nouam de viribus ſubſtantiarum ſcientiam meditatur 357. ſpecimen huius ſcientiae edit ibid. hypotheſin de harmonia praeſtabilita cum eruditis communicat 357. conſiliarius iuſtitiae intimus declaratur 357. meditationes eius in Lockium de intellectu humano 358. inuenta eius arithmetica binaria 358. principia dynamica contra obiectiones Sturmianas confirmat 359. Baylio dubia contra harmoniam praeſtabilitam nectenti reſpondet ibid. ſocietatis ſcientiarum Berolini conſtituendae auctor eſt 359. Dresdae quoque academiam ſcientiarum inſtituere allaborat 360. Theodicaeae opus hortante Regina Boruſſiae ſuſcipit 361. de naturis plaſticis contra Cudworthum diſputat 362. eius de Pufendorfii iure naturae ſententia 362 miſcellanea Berolinenſia edit 363. Theodicaeam prodire iuſſit ibid. Petro Ruſſorum imperatori innoteſcit ibid. conatus eius promouendarum ſcientiarum in aula Viennenſi 364 an Germaniam relinquere et in Gallia ſedes figere conſtituerit 366. Schediaſma de origine Francorum elaborat 366. controuerſia eius cum Tourneminio et Gundlingio et Samuele Clarkio ibid. obitus eius 367. eius character 368. virorum doctorum de illo iudicia 371. eius merita de diſciplinis 373. quidnam in Platone probauerit 375. quidnam in Stoicis probauerit 376. logicam noua luce perfundere eſt conatus 377. merita eius de metaphyſica 378. ingenium eius mere ſyſtematicum fuit ibid. matheſim ſublimiorem multum iuuit 379 an calculum differentialem inuenerit 380 eruditio eius theologica 380. inexhauſta eius eſt diligentia 381. literarum eius commercium cum purpuratis atque illuſtriſſimis foeminis 382. cum viris eruditis 383. quicquid memorabile in legendo ei viſum ſchedulis inſcripſit ib.

Leib-

Leibnitius, quaenam in illo a viris doctis desiderata et reprehensa 383. apologia pro Leibnitio a nonnullis scripta 387. aduersarii eius 391. sectatores eius 394. eius Theodicaeae historia 396. philosophia eius 397. logicae eius meditationes 398. metaphysica eius 401. theologia eius naturalis 432. theses eius Clarkio oppositae 441. praecepta eius iuris naturalis 444
Leuitas vnde oriatur 50. ex Thomasii sententia vnde 488
Lex naturalis ex Hobbii sententia quid 194. eius regulae ib. seq. vbinam obligent 196. earum scientia vera et sola ethica est. ib. magis ad consilia pertinet, quam ad imperia 516. virtus & effectus eius 516. moralis ab origine quae 653
Li apud Sinenses quid 891, 894, 896.
Libertas illam et necessitatem vnum putat Brunus 48. ex Hobbii sententia quid 194. an illi inimica sit harmonia praestabilita 427. in corruptione humana salua manet 438. exemta est a necessitate et coactione ib. ei non nocet praedispositio rerum 439. indifferentiae non datur 510
Lingua, latinam ex vsu discit Montanus 723. barbaram eius pronuntiationem ex academia Parisiensi eiicere tentat Ramus 559
Lingum apud Bramanos quid 837
Locke, Io. ortus eius atque educatio 603. in Oxonienſem academiam mittitur et Collegio ecclesiae Christi adscribitur 603. cur consuetudine hominum ingenii festiuitate conspicuorum vti coeperit 603. exercitationes academicas negligit ib. Cartesii differendi cogitandique claritate capitur 603. arti salutari se tradit ib. in Germaniam cum legato ad aulam Brandenburgicam concedit 604. in patriam reuersus comiti Shaftesburio innotescit 604. in eius familiam recipitur ib. cum Northumbriae comite in Galliam et Italiam proficiscitur 605. de intellectus humani natura cogitare coepit ib. albo societatis regio adscribitur 605. officia eius publica ib. iter litterarium suscipit 605. Amstelodami sedem figit 606. opus de intellectu humano perficit, & de tolerantia scribit 606. domum redit. ib. munera eius publica ib. opus de intellectu humano edit 606. in praediis vitam degit 607. collegio delegatorum ad commerciorum res curandas adscribitur 607. librum de educatione liberorum & Christianismum rationi maxime conformem edit. 607. aduersarii inde illi enascuntur ib. mors eius 608 laudes eius ib. liber eius de intellectu humano 609. quaenam in illo desideranda 611
Locus est substantia prima incorporea 131. non habet contrarium ib. est extra mundum 132. non datur nisi vnus 134. ex mente Hobbesii quid 184. Cartesii de illo sententia 307. est pars spatii 648
Logica, quot partes illius fecerit Verulamius 96. Verulamii de illa sententia 98. quot partes eius ex mente Campanellae 127. naturalis ex mente Campanellae quid 128. illam noua luce perfundere conatus est Leibnitius 377. quis eius finis primarius 492. emendatio in illa a quibusnam tentata 548. aliae eius emendationes 585. Cartesianorum de illa merita 586
Londinum, ad societatem scientiarum ibi condendam multum confert Boyle 622
Longitudo, illas definire laborat Galilaeus 637
Lumen, vis eius quaenam secundum Cartesium 320. innatum quanam in re consistat 438. in eius naturam accurate inquirit Newtonus 641. vnde eius phaenomena 651. eius radii quid 651, 652. omnia corpora id emittunt 650
Luna, terram illam esse statuit Brunus 51. eius lumen non vniuersum a sole pendere statuit Cardanus 83. quoties illa defecerit animi deliquium passus est Verulamius 106. quam magna eius a terra distantia 311. cur non modo circa solem sed etiam circa terram gyret 318. lunas circa Iouem quis detexerit 636
Lux, quid sit ex sententia Campanellae 132. sentit 138. ex mente Thomasii quid 490. lux et ignis non sunt confundenda 491

M.

Machiauellus, Nicol. vita eius 784. an graecae & latinae linguae fuerit ignarus ib. comoedias veterum imitatur 785. an exigua illi historiarum notitia 785

Machiauellus, perduellionis iudicium incurrit 786. an coniurationi contra familiamMediceam adhaeserit 786. mors eius qualis ib. scripta eius 787. eius princeps 787. atheismi nota inuritur ib. plagii accusatur 788. an scriptum eius satyra sit 789. an atheus fuerit 790. iudicium de illo 790. quinam eius principia oppugnarint 791. secta Machiauellistica quaenam 793
Magia, an Cardanus eius sit suspectus 79. an Bodinus 780. quotuplex 141
Magi dantur 50. ex mente Thomasii quinam 512. optimo necessaria est astrologia 142
Magnanimitas secundum Cartesium vnde 327
Magnetes, eius naturam quisnam primus scrutauerit 615
Magnum et paruum quomodo intelligendum 186
Malabari, scriptores de eorum rebus quinam 826. theologi et philosophi eorum 828. tribubus distinguuntur 828. duae inter illos religionis sectae 831. philosophia eorum qualis 833. theologia eorum 834. physica eorum 842. doctrina moralis 843.
Mallebranche, Nic. parentes eius 589. cur pingi se recusauerit 589. cur solitudinis amans ib. studia eius 589. quonam casu ad philosophiam Cartesianam delatus 589. remissis studiis omnibus philosophiae operam dat 590. liber eius de inquirenda veritate vnde exortus 590. cur tam auide a multis receptus hic liber 591. lites inde illi enatae 591. cur inter Cartesianos spurios relatus 592. fanaticismi et Spinozismi accusatur 592. opiniones eius plane singulares sunt ib. quinam calamum in eum acuerint 593. sectatores eius 593. laudes eius 594. summa libri eius de inquirenda veritate ib. iudicium de Mallebranchii hypothesibus 597
Malum nihil est simpliciter 45. , nostrum vnde pendeat ex Cartesii mente 328. quotuplex ex mente Leibnitii 435. sententiae Leibnitii de illo ib. vnde 438. ex sententia Thomasii quid 498. vnde Bramanae illud deriuent 844
Mare vbinam gignatur 134
Maria, an eius virginitatem negauerit Jord. Brunus 16. illam rogat Cartesius, vt viam ad nouam condendam philosophiam sibi monstret 210
Martyrium eius causas non a Deo esse statuit Cardanus 84
Materia, ex Bruni mente est anima mundi 37. semper fluit 43. finita partibus constat non infinitis 45. substantia diuina habetur 50. primam statuit Cardanus 83. illam in medio spatii vacui Deus posuit 132. duae eius extremae dispositiones 133. vniuersalis quae 138. prima merum nomen est 184. partes eius ex natura sua indiuisibiles non existunt 307. in toto vniuerso una et eadem existit 308. omnis eius varietas pendet a motu 308. non idem est cum spatio 443. non est aeterna nec necessaria ib. Thomasiii de illa placita 487. seq. prima ex nihilo a Deo facta est, nec potest esse illi coaeterna 499. quantitas eius sec. Newtonum quid 646. vis eius insita quid 647. quid per eius inertiam fiat ib. varias eius particulas pro ratione spatii Deus creare potest 653. prima ex mente Sinensium quae 893. duplex est ib.
Materialistae quinam 707
Mathesis, Verulamii de illa sententia 94
Medicina, ad rationalem promouendam multum confert Boyle 624
Meditatio ex mente Thomasii quid 508
Melanchthon, Philippus, causa fuit, cur tam diu viam eclecticam non elegerint Protestantes 11
Membrum, eorum motus vnde 324
Memoria quid sit ex mente Campanellae 137. vbinam ponenda 139. secundum Thomasium quid 493
Mens, quid sit ex Cardani sententia 84. hominis qualis 139. quando stupeat secundum Leibnitium 407
Meritum ex mente Thomasii quid 519
Metalla in perfectiora mutari possunt 50. illa in aurum transformari possibile esse credunt Bramanae 842
Metaphysica, eius partitio ex Verulamii mente 94. quodnam in illa sibi sumserit demonstrandum Campanella 143, Leibnitii 401

Metaphysica Carteſii de principiis cogitandi 291. fata eius recentiora 664
Metempſychoſin ſtatuit Brunus 59. apud Tartaros 811. a Xekia docetur 819
Methodus, illius regula qualis ex mente Thomaſii 495
Metus ſecundum Thomaſium quid 512
Microſcopia quisnam inuenerit 658
Minimum rerum omnium ſubſtantiam conſtituit Brunus 41. omnia ex illo oriuntur, componuntur & in id reſoluuntur ib. 43. indefinitum eſt 45. diuiſibile non datur 184
Miraculum, quanam de cauſa Deus illa faciat 441. vnde 442. minora dantur ib.
Modus, quidnam Carteſius per illos intellexerit 302
Monarchia ciuitati conuenientior eſt quam ariſtocratia et democratia 197
Monarchomachi, quid ſint 793. celebriores quinam 795
Monas eſt eſſentia numeri 43. ſimpliciter monadum vna reperta eſt 44. monas monadum Deus eſt ib. Leibnitii de illis placita 401. ſeqq. an perceptio illis attribuenda 405. an perceptionem monadum a Campanella habuerit Leibnitius 407. not. Leibnitii de illis doctrina cum Bruni ſententiis concordant 417
Montanus, Mich. vita eius 723. latinam linguam vſu diſcit 723. ſibi et ſtudiis ſuis viuit 724. tentamina eius moralia ib. Plutarchum et Senecam diligenter legit et non raro expreſſit 724. laudes eius 725. quaenam in illo reprehenſa 725 an Stepticiſmi reus 726. iudicium de illius tentaminibus 726. an atheiſmus in illis lateat 727. cur non publica cenſura ſint notata 727
Moralia non cadere ſub demonſtrationem, origo huius opinionis 751
Moralis philoſophia Campanellae quaenam 144. illi animum addicit Carteſius 214. gentis Malabaricae 843
Moraliſtae, vnde ICti Wittenbergenſes ita dicti 742
Mores ex Hobbeſii ſententia quidnam 193. ex Thomaſii ſententia 514. opus habent norma ib.
Mors non pertinet ad corporis ſubſtantiam 43. Mors perfecta non datur 418. ex Sinenſium mente quid 892
Motus, velociſſimus et maxima quies vnum atque idem ſunt 44. quid ſit ex mente Campanellae 134. eius diuiſio, ib. ex Hobbeſii ſententia quid 184. Carteſii de illo placita 308. membrum vnde 324. eius leges detexit Keplerus 634. cauſſas harum legum Galilaeus explicauit 638. quantitas eius ſecundum Newtonum quid 647. abſolutus quid 648. proprietas eius ib. leges eius ſecundum Newtonum 648. perpetuo imminuitur 652
Mundus, alius in ſimili ſpatio extra iſtud, in quo hic mundus eſt, exiſtere poteſt, 48. eſt aeternus 49. caret figura 51. duo effecerunt corpora prima 132. ſentit 136. 138. illum ad vnionem incitat contrarietas 138. nullos extenſionis ſuae habet fines 307. Carteſii ſyſtema mundi 312. generatio eius ſecundum Carteſium quae 315. optimum an Deus elegerit fundamentum huius aſſertionis Leibnitianum 415. quo ſenſu ex Leibnitii mente ſumendus 433. controuerſiae de mundo hoc optimo ex Leibnitii ſententia 440. an nouum hoc dogma ib. eius aeternitas non tollit illius a Deo dependentiam 443. non ſpectari debet tanquam corpus Dei 653. ex Bramanorum ſententia quomodo creatus 836 quot 839. praeſens omnium deterrimus eſt 840. ex quo ortus eſt ib. de eius anima Iaponenſium ſententia quo aeternus creditur 917. eius generatio ex Sinenſium mente quae 892
Muſculus, eorum naturam et motum quis indicauerit 657
Muſica in illa excellit Galilaeus 635

N.

Natalis, diem natalem quare occultauerit Carteſius 203
Natura eſt numerus numerabilis 42. numerus eſt 51. quomodo virtutis proprietates diſtinguat 50. quid ſit ex mente Campanellae 139. ex mente Thomaſii 506. vniuerſa valde ſimplex eſt 652
Naturalis philoſophiae quaenam eius diſtributio ex Verulamii mente 94

Neceſſitas, illam & libertatem vnum putat Brunus 48. ex decreto Dei quae 436 hypothetica a Leibnitio aſſerta an libertatem euertat 439
Neruus, Carteſii de illis placita 222
Newton, Iſaacus, ortus eius 639. artibus mathematicis adhuc puer ſe dedit ibid. quadraturam circuli, hyperbolae etc. quomodo deduxerit 639. methodum excogitat infinitas ſeries inueniendi 640 collegio SS. Trinitatis adſcribitur 640. profeſſor mathematum Cantabrigiae conſtituitur ib. praeſes ſocietatis ſcientiarum Londinenſis eligitur et Pariſienſis membrum 640. ſuprema rei monetariae cura ei demandatur ib. Philoſophiam naturalem edit 640. opticae ſcientiae myſteria pandere ſtudet 641. eius theoria colorum 642. oppugnatur ib. in arte critica et chronologia eſt verſatus 642. mors eius 643. honores illi poſt mortem praeſtiti 643,644 eius philoſophia in ſectam abit ib. aduerſarii eius 645. philoſophia eius naturalis 646. an inter metaphyſicos quoque referendus ib. hypotheſes eius phyſicae 650
Nihil, quale ſtatuant Iaponenſes 916
Nireupan apud Indos quidnam 821
Nomen, ſecundum Campanellam quid 130. inſignificantia quaenam ex Hobbii mente 190
Norma, qua vtitur ſapiens erga ſtultos quotuplex 515
Notio, Leibnitii de illis placita 399
Nouatores quinam philoſophorum ita dicti 612
Numerus eſt accidens monadis 43. inter illos et figuras accurata intercedit analogia 50. quid ex mente Hobbii 183. vnde oriatur ſecundum Carteſium 302

O.

Obligatio externae et internae effectus ſecundum Thomaſium 516. eius oppoſitum quid ib.
Oculus quaenam vis ex illis emanet 142
Odor ex mente Campanellae quid 136
Odium in philoſophos ſectarios philoſophiam excitauit eclecticam 9
Omnipotentia Dei ſecundum Leibnitium quid complectatur 432
Omniſcientia Dei ex Leibnitii mente quid 433. ratio eius 441
Ontologia, illam emendat Leibnitius 356
Operatio ſeu actus ex Campanellae ſententia quid 129
Optica, illius myſteria pandere ſtudet Newtonus 641
Optimiſmus quid 415
Oratio ſecundum Hobbeſium quid 187
Ouarium foeminarum a quonam detectum 557
Ouum, ex illo mundum eſſe ortum ſtatuunt Bramanae 840. vti et Sinenſes 900

P.

Pactum, Hobbii de illis ſententia 195
Padalalogum apud Bramanas quid 839
Particula, primigeniae, Newtoni de illis ſententia 652
Paſenda quaenam ſecta 832
Paſſio ex mente Campanellae quid 129. vnde earum nomina ſecundum Hobbeſium 192. ex mente Carteſii quid 323, 325. dogmata Carteſii de paſſionibus animae 323. animi quotuplex ex mente Thomaſii 512. Thomaſii de illis placita 514
Pax, quibus paſſionibus homines ad illam perduci poſſint 194
Peccatum, eius permiſſio quando licita 437. eius propagatio a protoplaſtis quomodo explicanda 438. quomodo eorum remiſſio exBramanarum ſententia obtineri poſſit 841
Perceptibilitas ſecundum Thomaſium quid 484
Perceptio, noſtrae duarum ſunt ſpecierum 325. vnde producantur 326
Pereira, an Carteſio praeiuerit in opinione beſtias eſſe machinas 209
Perſae ſecta fanatica apud illos 808 an illius ſyſtema Spinoziſticum an Cabbaliſticum 809
Perſona ex Hobbii ſententia quae 196
Phantaſia ſecundum Thomaſium quid 507
Phantaſmata vnde et vigilantibus excitentur 186
Philologia ſtudium eius, ſectariae philoſophiae manus praebuit

Philosophia eius munus quanam in re consistat 890
-- rationalis, de eius reformatione recentiori aetate tentata 544. naturalis de eius emendatione 612. moralis eius conditio recentiori aetate 722. exotica qualis 804. asiatica in genere considerata 807
-- Cartesiana, primus eius sectator quis 218. primi eius aduersarii 221. incrementa eius adolescentis apud Batauos 222. controuersiae Vltraiectinae de illa 224. fortuna eius in Britannia & Gallia 227. sectatores eius Leidenses 237. incrementa eius 239. Leidenses contra illam turbae 240. fata eius post mortem conditoris 259. initio laeta sunt 260. ad demonstrandam religionis Christianae veritatem adhibetur 261. noua molimina theologorum illi addictorum in Belgio 263. impedimenta ei obiecta 265. Cocceianae lites illi immissae 267. decrescit 271. fata eius in Germania 272. fortuna eius in Belgio Hispanico 273. inter Britannos 274. fata eius in Gallia 277. Jansenistae ei fuerint addicti 280. in Galliae academiis interdicitur 283. fata eius in Italia 284. quomodo eius sectatores considerandi 285
-- eclectica, quid designet 4. non cum syncretistica confundenda 5. cur tam sero surrexerit 6. quanam occasione excitata 8. causae illius 9. sectis caret 10. an in mathematicam & metaphysicam familiam diuidenda 11. illius addicti in syntheticam & analyticam classem diuidi possunt 11. quomodo illam distribuit Verulamius 96. quaenam illius origo ex mente Hobbesii 147. not. Germaniae industria in illa excolenda 335. illius incrementa 728
Philosophaturus de omnibus principio dubitare debet 43. ad quaenam attendere debeat 303
Philosophandi methodi duae quaenam 186
Philosophus ex Sinensium mente quis 904
Physica eius partitio ex mente Verulamii 94. Campanellae quaenam 131. a quibusnam emendata atque aucta 614. chemicorum de illa merita 621. mathematicorum in illa excolenda diligentia 625. quidnam praecipuum eius officium secundum Newtonum 651. Malabarica 842. Rudigeri studium in illa emendanda 537. Sinensium qualis 900
Physiologia, an Cartesius suam pro fabula Romanensi habuerit 252
Plagium, illius reus est Bodinus 781. suspectus habetur Cartesius 255. accusatur Machiauellus 788. an illius reus fuerit Ramus 565
Planetae calorem ad nos demandare nequeunt 133. eorum motus qualis 134. cur non circulos perfectos describant 318. irregularitates motus eorum vnde 653
Planta, quomodo sol illas faciat 132, 135, illas habere sensus Cardanus statuit 83. et Campanella 141
Plato quidnam in illo probauerit Leibnitius 375
Plenum simpliciter nihil est praeter atomos 46
Pneumatologia, fata eius recentiora 664, 710
Poena, quisnam illam mereatur 519
Politica, de illa meruit schola Aristotelis 777. scriptores historiae litterariae eius 778. Sinensium quae 904. Possibilitas rei vnde cognoscatur secundum Leibnitium 400
Possibile, an id tantum quod actu sit 434
Potentatus ex mente Leibnitii quid 446
Potentia infinita non est, nisi sit possibile infinitum 48. naturalis frustrari non debet, ib. quid sit ex Hobbesii mente 192. inuisibiles quid sint secundum Thomasium 506
Potestas, Hobbii de summa sententia 197
Psychologia, recentioris fata 706
Praedicamentum, Campanellae de illis placita 129
Praeexistentia animarum a Leibnitio assumta 419, 429
Praemium, quisnam illud mereatur 519
Praeiudicium, Thomasii de illis dogmata 495
Praepositio ex Campanellae sententia quid 130
Praescientia Dei quonam fundamento nitatur 433. non imponit necessitatem 438
Principium tria statuit Cardanus 83. an duplex statuerint Sinenses 902. contradictionis quid 408. rationis sufficientis quid 408. an principium hoc nouum ib. Leibnitius illud ad confirmandas veritates metaphysicas primus adhibuit 410. a Clarckio oppugnatur ib. sunt veritates indemonstrabiles 493. primo-primum secundum Thomasium quale 493

Principium totius naturae ex Sinenſium mente quid 891. identitatis indiſcernibilium quale 403. an nouum 404. Iaponenſium de primo ſententia quae 915
Prophetae ex mente Thomaſii quinam 512
Propoſitio categorica quotuplex 130. probabiles quaenam 131
Proprium quid ex Campanellae ſententia 128
Proteſtantes, cur tam diu apud illos philoſophia eclectica caput extollere nequiuerit 7
Protoplaſti, eorum corpus ſine dubio fuit ſpirituale 491. quomodo propagatio peccati ab illis explicanda 438
Prouidentia diuina vnde probetur 499
Prudens ſecundum Thomaſium quis 512
Pufendorf, Samuel, vita eius 750. Weigelius illi emendandae philoſophiae moralis auctor eſt ib. ſtudium eius iurisprudentiam naturalem emendandi 752. Meurſii miſcellanea Laconica edit 753. elementa iurisprudentiae vniuerſalis edit 754. eruditorum de illis iudicia 754. Heidelbergae profeſſor iuris N. conſtituitur 755. Londinum, in Scania, vocatur ib. eius Ius N. & G. 756. quonam fundamento illud exſtruxerit 757. compendium eius de officio hominis & ciuis 759. Grotio praeferendus eſt ib. quaenam Thomaſius in illo reprehenderit 760. horrenda ei obiiciuntur crimina 760, 771. hiſtorici eius labores 761. eius ius feciale diuinum cur ſcriptum 761. in baronum ordinem extollitur 761. mors & character eius 762. eius litium de I. N. & G. origines 763. ſeries eius controuerſiarum 766. controuerſia eius cum eruditis in Saxonia 768
Pulchrum ex Hobbeſii ſententia quid 191
Pythagorica philoſophia, illam carmine Lucretiano auſpicatur Campanella 113

Q.

Quadratum circulo aequare impoſſibile eſt 46
Qualitas, differentes ſecundum Sinenſes quot & quae 894
Quantitas ex Campanellae mente quid 129. vnde oriatur ex mente Hobbeſii 186. a ſubſtantia extenſa in re non differt 306. materiae ſec. Newtonum quae 646. motus quid 647
Quies maxima et motus velociſſimus vnum et idem ſunt 44. particulas corporum inter ſe coniungit 311. quies & motus quomodo diſtinguantur ſec. Newtonum 648
Quieſcere quidnam dicatur 184
Quietiſmus ſectae Foenae quinam 820. ſeq. Bramanarum 831

R.

Ramus, Petrus, vitae eius ſcriptores 548. parentes eius 549. quis eius adoleſcentiae ſtatus ib. an fuerit autodidactus 549. philoſophiam Ariſtotelico-ſcholaſticam et matheſim diſcit 550. ad organum Ariſtotelicum examinandum euertendumque ſe accingit 550. inſtitutiones dialecticas et animaduerſiones Ariſtotelicas edit 551. motus Pariſienſes ob oppugnatam ab eo logicam Ariſtotelicam 553. mandato regio de dialectica cum aduerſariis ſuis diſputat 554. libri eius proſcribuntur et dialecticas atque philoſophicas ſcholas habere illi interdicitur 556. ſcepticiſmi accuſatur 557. rurſus ei datur poteſtas docendi 558. libros ſuos prohibitos recudi fecit 558. barbaram linguae latinae pronunciationem ex academia eiicere tentat 559. grauis illi enaſcitur perſecutio 559. in fugam ſe confert ib. redit 560. peregrinationem litterariam inſtituit 560. ſcholas Germanicas inuiſit et quare 561. Heidelbergae a ſtudioſis male tractatur 561. in patriam redit & in laniena Pariſienſi interficitur 562. virtutes eius ingenii & animi 562. quaenam in illo reprehenderint viri docti 564. an plagii fuerit reus 565. Verulamii de illo ſententia 564. Walchii 565. occaſio reformationis dialecticae a Ramo ſuſceptae quaenam 566. eclectici philoſophi nomen iure ſuo ſibi vindicat 568. conſilia eius emendandae dialecticae elenchtica 569. genuinos Ariſtotelis libros eſſe negat 570. ſcopus eius eclecticus 571. ſumma dialecticae eius 571. multa in eius dialectica ex Ariſtotelicis ſeruata, multa addita 573. fontes dialecticae eius 574. iudicia de eius dialectica 574. eius de philoſophia merita 575. fata dialecticae eius poſt autoris obitum 576. aduerſarii eius philoſophiae 581. Ramei mixti & ſyncretiſtae 583

Ratio eſt numerus numerans 42. cur in mentem ſe non facile attollat 43. recta quid ex Hobbeſii ſententia 190. humana eſt praedicatum ſolius intellectus 510. recta quae 511
Ratiocinatio ex mente Thomaſii quid 508
Ratiocinia quibusnam principiis ſint ſuperſtructa 408
Regis, Petr. Sylu. vita eius 281. not.
Regius Henric. controuerſiae eius cum Voëtio 224. ſedatae 226. iteratae 231. haereſeos accuſatur ibid. theſibus Voetii ſcripto reſpondet 232. eius a Carteſio defectio 237
Regulae morales Carteſii 290
Relatio quid ex mente Hobbeſii 186
Religio, quamnam deriſerit Brunus 60. chriſtianam parui aeſtimat Hobbeſius 171. quid ex Hobbeſii ſententia 188. eius ſemen naturale quibusnam in rebus conſiſtat 193. an philoſophicam colant Tartari 810
Reminiſcentia quid ſit ex mente Campanellae 137
Repugnans praedicabile quid 128
Res, earum eſſentia & exiſtentia vnum idemque habetur 131. quibusnam ex cauſis componantur 132. earum diuerſitas vnde 135. duriſſimae modicum ſentiunt 138. bonae & malae quaenam ex Hobbeſii ſententia 187. nominata quaenam 190. naturalium generatio ſecundum Carteſium quae 315. eius poſſibilitas vnde cognoſcatur 400. earum poſſibilitas in diuina exiſtentia eſt fundata 432. quomodo in agendo ab illo dependeant 433. omnes vna eademque ſunt ſubſtantia ex mente Sinenſium 893. quomodo creatae ex Malabaricorum philoſophorum ſententia 836. earum origines ex mente Sintoiſtarum 912
Reſiſtentia quid ex mente Hobbeſii 186
Roſeae crucis fraternitas, illam detegere cupit Carteſius 210. illi adſcriptus putatur 213
Rudigerus, Andreas, annos iam XIV. natus ſtudiis demum ſe addixit 533. a Thomaſio filiis ſuis praeceptor eligitur ibid. Ienam concedit & ſtudiis theologicis inuigilat ibid. Gerae biennio exacto Lipſiam petit & ad iurisprudentiam ſe confert 533. arti ſalutari ſe tradit 533. diligentia eius in iuuentute erudienda 534. ſcripta eius, ibid. totum ſe ſcribendo docendoque abiecta cura clinica tradit 534. eius in emendanda philoſophia ſtudium 535. in logica ibid. variam fortunam habuerunt eius inſtitutiones logicae 536. illi inde enatae controuerſiae 537. ſtudium eius in emendanda phyſica 537. aduerſarii eius inde enati 539. eius in ethica ſtudium 540

S.

Sanctitas circa quaenam verſetur 437
Sapientia ex mente Leibnitii quid 441. quisnam character primarius ad illam ex mente Thomaſii 514
Sapiens ſecundum Thomaſium quis 512. eorum bonum quotuplex 515. ex Braminarum ſententia quisnam 829
Sapor, quid ex Campanellae mente 136
Scaliger, Iul. Caeſ. controuerſiae eius cum Cardano 87
Scepticus an Carteſius illis annumerandus 293. an Montanus 726. Ramus 557
Schaerwaeck quaenam ſecta 832
Schurmannia, an inter ſectatores Carteſii referenda 223
Scientia, quaenam eius ſedes 131. vnde oriatur ex Hobbeſii mente 187. ſigna eius certa quae 191. ſimplicis intelligentiae quid 433. media quid ibid. ex mente Sinarum quae 891
Scire quid ſit ex Campanellae ſententia 131
Secta litteratorum inter Sinenſes 873. Bramanarum quae 832. apud Iaponenſes quaenam 910. inter gentem Malabaricam 831
Seldenus, Io. vita eius 748. eius Ius naturae & gentium ſecundum diſciplinam Hebraeorum 748. Pufendorfii & Thomaſii de illo iudicia 749. magnus doctrinae nationis Anglicanae dictator audit 748
Semen animatum eſt 135
Sennertus, Daniel, primus in Academiis Proteſtantium chemiae introduxit ſtudium 618

Sennertus, Daniel, an eius physica ab Aristotelica non multum differat 619. Aristotelici in eum insurgunt 619
Sensationes quo deferantur 136
Sensibilia vera sunt 46
Sensio, Hobbesii de illa placita 186, 188. secundum Thomasium quomodo fiat 487, 492
Sensio, sine illa nihil percipere potest intellectus 494. ex illa oriuntur cogitationes ibid. corporum praesentium dicitur sensus communis 507
Sensus, quid sit ex mente Bruni 42. non vllus fallat, fallaturue 46. fundamentum scientiae humanae est 130 eo duce philosophandum 131. eius distinctio ib. quid sit ex mente Campanellae 135, 137, 138. illum omnes res habent 136. est origo omnium 188. diuersitates eorum secundum Cartesium quae 322. non fallunt 493. communis secundum Thomasium quid 507
Sentire quid sit ex Campanellae sententia 131
Sermo, quid ex Hobbesii sententia 187
Sidera splendentia mundi sunt 42. eorum influxum statuit Cardanus 84. ea animata fecit Keplerus 634
Similitudo ex Campanellae mente quid 129
Sindosiuistae, qualis secta apud Iaponenses 915
Sintoistae, qualis secta apud Iaponenses 911
Sinenses, scriptores de re litteraria eorum 846. scripta eorum philosophica quae edita sunt 848. de eorum philosophia nihil certi est statuendum 850. origines eorum historiae philosophicae obscurae & incertae 850. libri eorum classici 857. fata eorum philosophiae post Confucium 869. omnis philosophia & litteratura apud illos supprimitur 870. restauratur 871. corrumpitur 873. secta litteratorum ibid. recentior eorum philosophia 874. philosophia Europaea inter illos introducta 874. incertitudo & obscuritas eorum philosophiae 876. non valde magnifice de eorum philosophia iudicari potest 881. rationalis philosophiae ignari sunt 882. metaphysica eorum 882. an atheismi sit suspecta 883. orthodoxia eorum in doctrina de Deo asserta 883. orthodoxe de spiritibus praecepisse visi 884. heterodoxia eorum notata 885. Moshemii de eorum theologia sententia 886. eorum theologia medii aeui 890. iudicium de eorum systemate 896. cum Stoico consentit 897. eorum physica qualis 900. philosophia eorum practica quae 902
Societas, eruditae physicam doctrinam augentes 661. ad Londinensem condendam multum confert Boyle 622. ad Berolinensem Leibnitius 359
Sol, creaturae in illo viuunt ex Bruni sententia 51. vnde ortus ex Campanellae sententia 132. quomodo aërem, aquam, lapides, plantas et animalia faciat ibid. mouetur continuo 133. propria luce fulget 312. maculas eius quis detexerit 636 quid ex Newtoni mente 651
Somnia quid ex mente Hobbesii 186. Hobbesii de illis placita 189
Somonacodom idem cum Xekia 814. vid. Xekia.
Sonus quid ex mente Campanellae 135
Spatium quidnam sit ex Bruni mente 51 quomodo corpora ad se trahat 137. quid sit ex mente Hobbesii 183. Cartesii de illo sententia 306. Leibnitii 442. Thomasii de illo dogmata 484, 490. Newtoni de illo sententia 648
Species ex mente Campanellae quid 128
Spectra, vnde 51
Spes ex Thomasii sententia quid 512
Spinoza, Benedict. de historiae eius scriptores 682. vita eius 683. a Iudaeis ob religionem in iudicium vocatur 684. Graecam et Latinam linguam addidicit ibid. ad theologiam discendam animum applicat 685. in Cartesii opera incidit 683 ex communione Iudaica exit ibid. nulli Christianorum sectae se addicit ibid. studiis mathematicis se tradit 686. ruri viuit ibid. principia philosophiae Cartesianae edit 686. an illa sua fecerit 687 Hagam se confert ibid. litterarum commercium aluit cum praestantissimis viris 687. microscopia et telescopia conficit ibid. virtutes eius 687. sacris Lutheranis interdum adfuit 688

Spino-

Spinoza, Bened. munus professorium Heidelbergae illi oblatum recusat 689. mors eius ibid. scripta eius atheismum pandere visa 690. tractatus eius theologico - politicus 691. an non mature refutatus 691. opera eius posthuma 692. summa impietatis Spinozisticae 693. an illam ex Cabbala hauserit 695. a sectae condendae gloria animum abstinuit 696. sectatores eius 697 alii Spinozismi suspecti 703
Spinozismus, an Brunus illi fuerit addictus 52 an Geulinczius 705. an Mallebrancho 592. an Persae 809. an Xekia 820
Spiritus eorum materia a materia corporum nihil prorsus differt 50. quid sit ex Campanellae mente 138. consultat diuinum interdum aliquam intelligentiam 139 animales secundum Cartesium quid 324 differentia inter illum et animam secundum Leibnitium quae 430. secundum Thomasium quid 487. Thomasii de illo placita ibid. omnem eius operationem in corpus negat Bekkerus 714. Sinensium de illis placita 884, 895. Bramanarum de illis placita 840
Spontaneum, quomodo a libero differat 510
Statua, an Confucio posita 861 not.
Stellae, vnde ortae ex Campanellae sententia 132. fixae propria luce fulgent ex Cartesii mente 312. fixae, quid ex mente Newtoni 651
Stoici, quidnam in illis probauerit Leibnitius 376. cum illis consentiunt Sinenses 897
Stulti eruditi secundum Thomasium quinam 514. tres eorum gradus 515
Substantia rerum nihil variat 43, vera non est compositum 43. ex Campanellae mente quid 129. Cartesii de illa placita 301. simplices necesse dari statuit Leibnitius 402. quomodo illas vocauerit ibid. animae appellari possunt 407. simplex quaeuis est speculum vniuersi 415. similem hypothesim ante Leibnitium affirmauit Bouillus ib. creatae non dantur prorsus materia carentes 443
Supernaturale quid ex mente Leibnitii 443
Superstitio, illi fuit addictus Cardanus 74 et Campanella 121
Superstitiosus deterior est atheo 500
Suppositio quid ex Campanellae sententia 130
Suprematus ex mente Leibnitii vnde 446
Syllogismus, illos reiicit Verulamius 98 sensatus quibusnam ex propositionibus oriatur 130. ex Campanellae mente quid 130 ex Hobbesii sententia quid 190 Rami de illo placita 572
Syncretismus, ad philosophicum primo inclinauit Leibnitius 340
Systema caussarum occasionalium quis primus ad id delatus 266. harmoniae praestabilitae 422. mundanum Tychonis de Brahe 631. Copernicanum ante Copernicum an detexerit Brunus 32 Copernicanum inuentum 628. Cartesianum 312
Synthetici, quinam eclecticorum ita dicendi 11

T.

Tactus, quando magis exquisitus 135
Tai-kie, quid sub hoc nomine intellexerint Sinenses 899
Talapoin, quinam 816
Tao, qualis secta 870
Tartari, an religionem philosophicam colant 810
Telescopia quisnam inuenerit 658
Temperamentum apud Braminas quot 842
Tempus quidnam ex mente Campanellae 132. potest apprehendi sine motu ib. incepisse non probatur 132. quid sit ex mente Hobbesii 183. quid ex Newtoni mente 647
Tenuitas, quid sit 134
Termini quid sint ex Campanellae mente 128
Terminus, quid ex Hobbesii mente 183 parumper obscuri definiendi 401
Terra, Bruni sententia de illa 45. motum illius circa solem Brunus statuit 51 quid sit ex Cardani sententia 84. purae nullus locus competit 134. sentit 136. qualis a coelo apparitura esset 312 quadrata creditur 893. illam inter planetas numerat Cartesius 312. Cartesii de

de eius geneſi ſententia 318. eſt materia a ſpiritu contracta 490. magnum illam eſſe magnetem primus ſtatuit Gilbertus 615
Theologia naturalis, fata eius recentiora 668. Leibnitii 432. Malabarica 834
Theoremata demonſtrabilia in quibusnam rebus ſint 187
Therapeutae, illis ſimiles ſunt Bramanae 829
Thermometron quis inuenerit 635, 650
Thomaſius, Chriſtianus, vnde hiſtoria eius petenda 447. ortus eius 448. praeceptores eius ibid. quidnam patris diligentiae debuerit 448. prima eius philoſophiae conamina in Grotio legendo 449. qua ratione ad iurisprudentiam delatus ibid. in academiam Francofurto-Viadrinam mittitur 450. iuuentutem inſtitutiones iuris docet ib. contra Pufendorfium ſcribit 450. philoſophiae ſcholaſticae caſtra deſerit 451. Batauos accedit 451. patriae reſtitutus ad forum ſe conſert 452. retrahit pedem a fori ſtrepitu et ſcholas iuuentuti aperit ibid. prima eius diſſidia Lipſienſia 453. Alberti theſes refutat et Pufendorfium emendat atque auget 454 introductio eius in philoſophiam aulicam 455. latentes ſub cinere ignes excitant eius dialogi menſtrui 455. turbae inde excitatae 456. quanam ratione compoſitae 457. ſecundi motus illi excitati 457. atheiſmi accuſatur 458 ſe defendit 459. motus eius cum H. G. Maſio 460. partes eius in controuerſiis Pietiſticis 461. noui tumultus ei excitati 462. voluntario exilio Lipſia diſcedit et Halae ſcholas inſtituit 462. ab electore Brandenburgico inter conſiliarios adoptatur 463. litium eius cum Maſio continuatio 463. anſam praebet vt noua Halae erigatur academia 464. aliae eius controuerſiae 465 obitus eius 466. conatus eius in reformanda philoſophia ibid. Antagoniſtae eius contra philoſophiam aulicam 467 eius reſtauratio philoſophiae rationalis 468. emendatio eius philoſophiae moralis 469. controuerſiae illi inde enatae 470. iurisprudentia naturalis ab illo emendatur 471. rationes, quas in hac emendatione ſecutus 472. character eius 474. laudes 476. quaenam in illo reprehendenda 479. ſatyricam ſcribendi rationem tandem emendauit 481. eius confeſſio doctrinae ſuae 482. logica eius 492. metaphyſicam a pneumatica diſtinxit 496. vnde pneumatologiam ſuam hauſerit 496. ethica eius 498. eius ius N. et G. 504
Totum quid ex mente Hobbeſii 183
Traduciani, quinam 709
Tranquillitas, in illa conſiſtit hominis ſumma felicitas ſecundum Thomaſium 498
Tranſcendens ex mente Campanellae quid 128
Tſchaddi apud Bramanas quid 838
Tſchirnhauſen merita eius de rationali philoſophia 598. medicina mentis vnde enata 599. eius methodus detegendi incognitas veritates 600. logicam mathematicam exhibuit 601. quaenam in illo deſideranda 602
Tſchiuen apud Bramanas quid 838

V.

Vacuum ſimpliciter cum atomis non ſufficit 43. quare non detur ex Campanellae mente 132. quale detur ex mente Campanellae 137. ex mente Hobbeſii quid 184. non datur 187, 305, 307. ſine ratione ſufficienti ponitur ex mente Leibnitii 441. principium et finem omnium rerum eſſe ſtatuit Xekia 820
Vacca, illas mactare piaculum eſt apud Bramanas 841
Vaninus, Iul. Caeſ. hiſtoria eius vnde petenda 670. quo anno natus 671. mature ad philoſophiam cognoſcendam eſt perductus 671. totus in Auerroiſtarum hypotheſes concedit ib. in phyſicam potiſſimum incumbit 672. ad theologiam ſe confert et iurisprudentiae operam nauat 672. qualis eius diſcendi ardor ib. Cardani ſcriptis delectatur ib.

Vaninus, an Pomponatium habuerit praeceptorem 672. an monachi habitum induerit 673. Germaniam peragrat, in Bohemiam penetrat et in Belgium descendit 673. vbique Atheis se opposuisse iactat ib. ad Gallos delatus Lugdunum peruenit ib. in Britanniam delatus per biennium ibi vixit 674. Genuae sedem figit naturalemque ibi philosophiam praelegit ib. in Italia et Gallia discurrit et atheismi suspectus habetur 674. Tolosanae in carcerem coniicitur et atheismi conuictus ad rogum damnatur 675. quid de relatione de eius supplicio censendum 676. scripta eius ex quibus atheismi accusatus 677 quid de eius atheismo statuendum 680

Valuulae coli et ieiuni, quis illas detexerit 657

Varietas omnis ex Leibnitii mente vnde 416

Vasa lymphatica, quis illa primus detexerit 666. lactea quis 657

Veda qualis liber apud Bramanas 830. quotuplex 831. not.

Veneratio, secundum Cartesium vnde 327

Ventus sentit 138

Veritas, quidnam in illa inquirenda attendendum 441. quaenam illi obsint 100 quanam in re consistat ex Hobbesii sententia 190. secundum Thomasium quid 493. indemonstrabiles dantur ibid. quomodo inuenienda 495

Verum et falsum vbinam ex Hobbesii sententia 190. Cartesii cogitationes de methodo illud inueniendi 287

Verulamius, Franc. Baco de, vnde eius historia petenda 90. parentes eius 91 adhuc puer Reginae Elisabethae ob ingenium gratus est 91. in academiam Cantabrigensem mittitur ibid. Aristotelicam philosophiam quare contemserit 92 iuuenis in comitatu legati ad Gallorum regem mittitur 92. in patriam reuersus inter aduocatos extraordinarios recipitur ibid. in clientelam comiti Essexiae se dedit 92. quanam re ingratissimum se huic maecenati praestiterit ib. in aula Iacobi I. varie gratiosus vel iniectus 92. munera eius aulica ibid. corrumpi se muneribus patitur 93. in carcerem coniicitur quare 94. liberatur, et omnibus honoribus restituitur 94. a negotiis aulicis abstinet et Musis viuit 94 nimia premitur paupertate 95. mors eius ibid. character eius et merita ib. tractatus eius de augmentis scientiarum 95. eius noui organi recensio 97. nulli sectae inhaeret nec nouam condere cupit 99. ad naturalem philosophiam animum maxime applicat 101. non tamen a morali abstinet ibid. quaedam in illo desiderata 102. an inter occultos Dei aduersarios numerandus 105. laudes eius ibid. quoties luna defecerit, animi deliquium est passus 106

Virtus ex Hobbesii sententia quid 192. falsae, vnde oriantur 503. quomodo illi studendum ex Sinensium mente 904. quaenam illi obstent 905

Vis ex mente Hobbesii quid 186. impressa quid ex Newtoni mente 647. centripeta quid ibid. huius proprietates ib. inertiae quid 652

Vita vnde oriatur 51. ex mente Thomasii quid 510. hominis quanam in re consistat ex Sinensium mente 895. quot eius classes 842

Vitium, in quouis homine vnum regnat 503

Vnio corporis et animae secundum Cartesium quae 304. secundum Leibnitium 422

Vnitas, eius natura quae 50. est rerum cunctarum essentia tota ib.

Vniuersale quale in intellectu diuino et humano 128

Vniuersalia vnde 302

Vniuersum eius magnitudo et duratio est inscrutabilis 187. vnde fluat habuisse initium 443

Vnum quid dicatur 183

Vocabula sunt definitiones secundum naturam non autem secundum nos 130

Volun-

necessitas ibid. quid sit ex Cardani mente 83. vnde oriatur ex mente Hobbesii 187. quare Bestiae illa sint praeditae 192. nostrae quotuplices 325. sua natura libera est 325. bonum semper habet pro obiecto 434. ad eius naturam requiritur libertas ibid. antecedens et consequens quid 434. productiua et permissiua quid 435. nostra semper agit sponte 439. sine ratione mouente figmentum est 442. quibusnam praeiudiciis seducatur 501. quidnam ex mente Thomasii 502, 503. in illa sunt affectus ibid. Thomasii de illa placita 508

Voluptas et dolor fontes omnium passionum sunt 136. ex Hobbesii sententia vnde 191. corporis voluptati animi contraria est 499

Vortices Cartesii ante Cartesium Brunus statuit 32. Cartesii de illis placita 313

X.

Xang-ti, quid per illud intellexerint Sinenses 835

Xekia idem est cum Budda et Somonacodomo 814. quando vixerit 815. vbinam natus ibid. philosophiam mysticam disseminat 815 quinam parentes eius 816 philosophiam docet annos quadraginta 816 a quonam illam didicerit 817. mors eius ibid. doctrina eius duplex 817. exoterica quaenam ibid. esoterica quaenam 819. an systema eius Spinozisticum 820 discipuli eius 822. eius ex Aegypto in Indiam transuectus 823. varia eius nomina 825. est Foe 871. quomodo eius secta ad Sinenses delata 872

Z.

Zingis-Chanus an peculiarem apud Tartaros formauerit religionem 811

Zodiacus in quot partes diuisus ex mente Sinensium 893

Zoroaster, an eius systema apud Persas hodie adhuc valeat 809

FINIS

TOMI QVINTI ET VLTIMI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

BRVCKERI
HIST. PHIL.
TOM. IV. P. I.

P
06

HIU
1239
-4,2

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN